






BALLONII
OPERA MEDICA
































GVLIELMI

BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORVM

MEDICINALIVM LIBRI II.

A IACOBO THEVART, Facultatis Medicæ Parif. Doctore, Authoris pronepote, ſcholiis nonnullis illuſtrati, digeſti ac in lucem primùm editi.

TOMVS PRIMVS.

In quo pleraque continentur quæ & ad Morborum cognitionem, eorumdémque curationem propoſitis Exemplis, & obſcurorum Hippocratis locorum intelligentiam pertinebunt.

Inter cętera elegantiſſimum & vtiliſſimum eſt de Calculo Opuſculum.

Adiecta eſt Authoris vita, cum Indicibus neceſſariis.



PARISIIS,

Apud IACOBVM QVESNEL, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Columbarum.

M. DC. XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO D. CLAVDIO BOVTHILLIER,

SANCTIORIS INTIMIQVE Confessus Christianissimi Regis Consiliario, & Primario Sacri Ærarij Comiti, necnon Regij vtriusque Ordinis Questori integerrimo,

IACOBVS THEVART, Doctor Medicus Parisiensis. S. D.



IHIL mihi (Vir maxime) sed virtuti tantùm tuæ debes, quòd liber hic ab omnibus Philiatris iamdudum expetitus, sub tuis felicibus auspiciis in lucem prodit, honorique tuo datur. Salutaria quæ continet ac tradit Consilia nullo alio patrono magis tuta esse poterant, quàm eo qui salutarium ac optimorum Christianissimo Regi in arduis rebus Galliæ Consiliorum auctor existit;

cuiusq; fidei & consiliis cõmissa iampridem sanctioris Ærarij fuit Præfectura. His tam præclaris nominibus nuper te Christianissimus ipse Rex in deligendis ditionum suarum administris longè sagacissimus ac prudentissimus ex Augusto supremi Senatus ordine in Sacrum secretúmque suum Consilium adsciuit. In quo quantâ sagacitate & auctoritate iudicij aliorum sententias dirigas, quàm singulari prudentia tua ipse consilia aperias, quàm expedita celeritate, eadem vbi opus est exequaris, nemo est qui non passim admiretur ac prædicet. Sed interim dum grauissimis Galliæ rebus sic inuigilas, dum Te totum das atque consecras publicæ saluti, scias velim me tuam ad incolumitatem studia omnia mea votáque dirigere: hoc quippe & ampliùs à me non modò publica illa tua facinora quibus vniuersam deuincis Galliam iure meritóque reposcunt, sed ea potissimum incredibilis, quâ me semper parentémque meum complexus es beneuolentia, ad id me nec reluctantem cogit & impellit. Huius tuæ erga nos propensionis quoties recordor, me tibi deuinctissimum debitorem toties profiteor, vnáque doleo tenuiorem mihi fundum esse quàm vt me vnquam eo debendi reatu liberare possim. Sed ecce mihi fideiussor auunculus ac sponsor idoneus occurrit BALLONIVS ille, magni quondam nominis in saluberrima nostra facultate Medicus, cuius eximium hoc Consiliorum opus in sinceri mei erga Te animi monimentum tuos ad tholos donarij instar humillimus

appendo. Quod si tibi gratum esse pro solita tua comitate significaueris, animum ad alia edenda addideris, quæ mihi vitâ decedens, sed numquam moriturus Auunculus reliquit non minoris momenti opera: Bene ac feliciter vale (Vir iterum maxime) *& quo animo Clarissimus BVTHILLIERIVS patruus tuus, charissimum parentem meum nuper excepit, eodem quæso me tibi deuotam eius sobolem prosequere. Ita fiet vt hoc Opus in tuam clientelam commendatum, tuæque dignationi nuncupatum maiorem tui nominis splendore apud omnes existimationem sit habiturum. Lutetiæ Parisiorum ineunte anno à salutifero partu M. DC. XXXV.*



BENEVOLO LECTORI

IACOBVS THEVART Doctor Medicus Parisiensis, S. D.



IV multúmque tacitâ apud me cogitatione perpendi, prius quàm hęc GVLIELMI BALLONII auunculi mei, Clarissimi quondam nostri ordinis Decani, antiquiorisque Doctoris opera quæ per me nunc prostant, publici iuris facerem; tandémque rebus diligenter pensitatis de quibus ij maximè sunt solliciti, qui vt sua aliorúmve scripta posteritati nota faciant, se noménque suum omnium censuræ subiiciunt, publicæ rei amor meos nimiùm prudentes metus vicit: cùm pręsertim in ea semper fuerim sententia, ab eo tempore quo de hominis vitæ cursu quotidiano iudicare cœpi, eos beatos & aliquâ ratione humano fastigio sublimiores esse, quibus diuino munere concessum fuit, aut facere scribenda, aut

ſcribere legenda, beatiſſimos verò quibus vtrumque: ſicque dolui ſummo iudicio, ſingulari prudẽtiâ, adeóque eleganti nitidáque dictione conſcripta opera, tot vigiliis & lucubrationibus exarata, noſtriſque adeò profutura nepotibus, aut in priuatos meos vſus ſolùm verti, aut tandem in blattarũ tinearúmque eſcam ſeruari. Quod ne mihi probro adſcriberetur ex omnibus BALLONII operibus editioni paratis, quorum me ille heredem teſtamẽto inſtituit, Conſilia hæc medica primùm in lucem emittenda cenſui, quòd ſcilicet à pleriſque Philiatris deſiderari, nullaque doctiſſimorum Collegarum (excepto Fernelio) ea de re ſcripta opera extare animaduerterim. Quæ quidem ſi diligenter & accuratè euoluas incredibile dictu quàm bene tuis ſtudiis cõſultum erit. Primùm enim perfectam facilémque addiſces methodum medendi plurimis morbis inauditis & curatu difficillimis qui in hac florentiſſima Pariſiorum vrbe propter frequentiam & celebritatem, ſæpiùs quâm alibi gentium aut ſanandi aut diiudicandi proponuntur: Deinde verò legitimam & numeris omnibus abſolutam, qualémq; primarij olim Medici celebrarunt conſilia ineundi rationem habebis: Denique non paucorum Hippocratis Aphoriſmorũ elucidationem, adeò vt hęc quoque Conſilia ſingularis alicuius commentarij loco meritò eſſe poſſint. At verò tuis commodis priuatim inſeruiens, vtque vberiorem,

&

& nunquam ſatis optatum ex his fructum ſis perceptурus, copioſiſſimos rerum memoriâ ſcitúque dignarum indices vocumque Grẹcarum Latinarumque contexui: alios præterea duos perquam neceſſarios cùm morborum omnium & ſymptomatum, tum & Aphoriſmorum Hipp. qui toto opere explicantur: Denique quæ ſuperflua mihi viſa fuerunt multis in locis ſubſtraxi, ſcholiaque aliquot paſſim iis quẹ ex Authoris peculio ſunt adiunxi. Licet verò in deſcribenda morborum ſymptomatúmque hiſtoria, à capite ad calcem vſque progrediendo methodicum ordinem Author non ſit ſecutus, non minoris propterea exiſtimationis Conſilia hæc eſſe debent. Enimuerò id factum fuit quòd è re nata, & pro ratione temporum, quibus ægros inuiſit, eorum affectus in commentarium & hiſtoriam redegerit, adde quod exquiſita ordinis ratio in conſcribendis Conſiliis parui admodum ſit momenti: quam ob cauſam Authoris ſeriem immutare nefas duxi, abundéque fuit prædictos morborum indices his ſubiecifſe; quod ſi mihi laudi non vertatur, ſatis eſt tamen quod ſtudio operáque mea in communem vſum relata ſint. Cæterùm aliorum operum ſeriem & catalogum quibus artem noſtram locupletauit idem BALLONIVS, hîc non deſcripſi, neque etiam quod multos feciſſe video ad ſcriptorum commendationem, eum magnis encomiis & laudibus celebrandum ſuſcepi,

quandoquidem id tentare aut aggredi frustranei laboris videri posset, nam quæ super ea re desiderari, tuumq; genium, ingeniumque pellicere & recreare poterunt, abundè & elegantissimè in eius vitâ ex Libro de illustribus Medicis Parisiensibus desumpta, est prosequutus Clarissimus Collega *RENATVS MORÆVS* Medicinæ & Chirurgiæ Professor Regius, summi iudicij & exquisitissimæ doctrinæ vir, cuius hoc non mediocre singularis virtutis argumentum est, quòd sic alienas virtutes quæ plurimis inuidiam aut fastidium pariunt colat, foueat ac prædicet. Interim si quæ hac in editione errata admissa esse obseruaueris, quæ typographo aut mihi imputari possent, exemplarium cacographia, frequentes in his obeli, atque huc illuc sparsi asterisci vtrumq; facilè excusabunt: quorum tamen compendiariam congeriem (quod multi solent) non struxi, quod ita leuia esse animaduerterim vt te remorari nõ debeant, deinde verò operis venustas & elegantia tali congerie velut deformi aliquo næuo plerumque deturpatur. Itaque (*Beneuole Lector*) qui laborem meum ἀνεπιφθόνως es obseruaturus, quidquid mei fuit officij diligenter aduertas bonique consulas quæso, eáque ratione audacior factus alterum eiusdem Authoris Consiliorum librũ elegantissimum, aliáque dein præstantissima opera non minoris in medicina facienda vtilitatis necessitatisque propediem excudenda curabo. Vale.



GVILLIELMVS DE BAILLOV, EX LIBRO RENATI MORÆI DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS ET PROFESSORIS REGII De Illustribus Medicis Parisiensibus.



INTER cætera κὴ καλὰ κὴ μιμήσεως ἄξια, hoc in Thucydide summum & eximium est docente Halicarnassæo, quod neque mendacium vltro dixerit, neque suam ipse conscientiam prodiderit. Quisquis ad historiam scribendam accedit, velim intelligat μόνη θυτέον τῇ ἀληθείᾳ, præceptóque Phocylidis obsequatur.

Ψεύδεα μὴ βάζειν πάντ' ἔτυμα πάντα ἀγορεύειν;

Sic vt nihil odio, nihil amicitiæ tribuat, non metuat, non speret, non parcat, non misereatur, non erubescat. Vt historia fax est & lumen temporum, sic historiæ veritas: sine qua degenerat in fabulam κὴ εἰς ἀπάτην κὴ εἰς γοήτειαν. Sic mecum ab initio huius operis constitui; vt nihil ad fucum, nihil ad pompam scriberem, nec dissimulatis, si quæ sint, criminibus, nec virtutibus, si desint, inductis. *Elogiorum* ea lex est vt splendeant solis virtutum luminibus, neque vltra hos carceres progrediantur, liberiora sunt βιογραφίας spatia, laudis & vituperij alternat vices, virtutis & vitij coloribus discriminatur; atque vt fidentiùs exultat in commemoratione rerum præclarè gestarum, facinora tamen licet verecundè, κὴ ἀπὸ κηδεμονίας delibat: Facit quod Pictores solent qui dum venustas imagines penicillo exprimunt, næuos & vmbras non prætermittunt, ne conciliandæ magis gratiæ quàm delineandæ speciei lenocinari videantur. In hoc ego imitatus graues & summos viros, in ipsa vitarum descriptione à nonnullis maculis interdum non abstineo; non tam conuiciandi pruritu &

In iudicio de Thucyd.
Lucian. de scribenda hist.
In poëm. νουθετ.
Idem Lucia. ibid.
Idem Halicar. ibid.
Vt Elogia differant à vitis.
Plut. in Cimone.
Plutar. Sueton. Tacit.

Casſius, Herodia. Corn. Nep. Eunap.

libidine, quàm vt inſinuem non modò quod ſequendum, ſed etiam quod ſit fugiendum. Quod quidem non ideo longo deduximus exordio, vt in GVILLELMO DE BAILLOV, cuius hiſtoriam enarrandam ſuſcipimus, multorum criminum aut vitiorum veniam deprecer, quàm vt à me criminationem adulationis remoueam; quod in illo culpandum nihil aut vituperandum inuenerim.

Patria & natalia BALLONII. *Parens Architecturæ peritus.*

Is Lutetiæ natus circa annum Chriſti milleſimum quingenteſimum triceſimum octauum, Nicolao patre (quod illi fuit cum Galeno ſingulare) Geometriæ & Architecturæ peritiſſimo: qui è generosâ ſtirpe BALLONIORVM apud Vnellos ad Nogentum Retrodi, vbi eorum eſt nobile prædium, oriundus, ſedem & domicilium fortunarum ſuarum Lutetiam tranſtulerat; allectus fauore atque amicitia *Guillariorum Mortariorum*, qui eo ſæculo primos dignitatis gradus in imperio Gallico erant conſecuti. Ex his enim ſenior ſupremus Ærarij Tribunus Catharinæ Mediceæ regia & egregia ædificia molienti, apud quã gratiâ valebat plurimũ, *Nicolaum* obtulit, vt eximium Architectũ qui linearem daret delineationem, & Sacelli illius politiſſimi Sueſſionenſis Palatij, & ſcalarum regiarum quæ ſunt in poſticâ Lupara, quo opere nec auguſtius quicquam nec elegantius priſca ſæcula viderunt. *Andreas* verò *Guillarius* in ſupremo Senatu Præſes vir integerrimæ vitæ vel eo argumento quod ſolus cũ Sancerræ Comite, & Cancellario Hoſpitalio Principis Condæi damnatoriæ ſententiæ ſubſcribere noluerit; *Guillelmum* Nicolai filium vnà cum liberis ſuis erudiendum in ludum litterarium miſerit, ac propriis ſumptibus aluerit. Florebat ea tempeſtate Academia Pariſienſis non modò celeberrimis Profeſſoribus, ſed diſciplinis inſtitutiſque ſeuerioribus: ſic vt *Guillelmus noſter*, cum eſſet procliui ad artes & ſcientias ingenio, & ad virtutes à natura comparato, intra aliquot annos Græci Latinique ſermonis peritiſſimus, Philologicarum & Philoſophicarum rerum ſcientiſſimus, modeſtiæ, pietatis, temperantiæ, cęterarumque virtutum ſtudioſiſſimus euaderet. Vt erat ſolitudinis amans, expers curarum, ludi & aleæ neſcius, honeſtarum etiam voluptatum negligens, impatiens otij, librorum helluo, pulcherrimarum rerum auidus, prorſa, verſaque oratione dies & noctes ſtylum exercens, primas in oratoria & poëtica conſecutus eſt: adeò vt qui purius Latinè loqueretur, aut floridius ſcriberet, aut literas pingeret elegantius parem non habuerit. Ita feliciter emenſo liberalium diſciplinarum ſtadio philoſophicíſque ſtudiis ex vno Ariſtotele delibatis de *Pædagogia* cogitare cœpit; quæ vt hodierna die fæx eſt ſęculi & ingeniorum remora, ſic ea tempeſtate fax fuit eruditionis, virtutis & gloriæ ſeminarium. Annis aliquot in Montano Athenęo humaniores docuit literas, quę ornamenta ſunt ſuperiorum diſciplinarum; deinde inualeſcente eruditionis fama ad Ariſtotelem (quem nonnulli ex Academia exterminare contendebant) explicandum accitus & inuitatus frequentiſſimum auditorium habuit nobilium illuſtriumque diſcipulorum, qui tam ex eius ore facundo & erudito philoſophiæ præcepta, quàm ex modeſto & verecundo eius vultu virtutum exempla hauſerunt. Interim

Guillarij.

Andræas Guillarius. Serranus ad annum 1560. Studia Ballonij.

Dotes eius.

Literas humaniores & philoſophiam docet.

verò sub *Rochæo, Contæo*, & *Dureto* seniore Parisiensibus Medicinę Professoribus rudimentum eius artis posuit, cuius postea futurus erat ornamentum. Tunc temporis erat Medicina velut in ætatis flore constituta, ex quo sub *Copo, Brissoto, Ruellio, Tagautio, Andernaco*, ex cineribus Arabum reuiuiscens, & adolescens sub Hollerio, *Flexelio, Syluio & Fernelio*, qui beatissimis suis consiliis emorientem Valesiorum stirpem fœcundissimâ prole ad vitam excitauisset; cœperat florere & vigere ducibus *Varadæo, Dureto, Rochæo, Fabro, Pietreo, Laffilæo*, auctoritate, gratiâ, dignitate, gloria, opibus locupletata. Hoc lenocinio excitatus *Guillelmus* ad præclarissimam artem, Baccalaureorum numero adscriptus est anno 1568. ac sequenti biennio post *Martinum Akakiam* ἰατρῶ παῖδα, primum in licentia gradum obtinuit; cum alioquin quatuordecim haberet Commilitones & Antagonistas, atque inter eos viros egregios doctrina & eruditione illustres *Antonium Valetum* Hollerij scholiasten, *Nicolaum Ellenium* scholæ nostrę Athlantem, *Henricum Blacuodæum, Ioannem Amicum, Ioannem Pelleterium, Claudium Bazinum, & Antonium Bruelium*, qui licet in eodem ordine, & sub iisdem ducibus cum *GVILLELMO BALLONIO* meruissent & pugnauissent, attamen non nisi post eum sacramento legibusque soluti missionem & exauctorationem adepti sunt. Renunciatus Doctor à *M. Nicolao le Grand*, anno 1570. sic se ad omnia Doctoris munia & officia exequēda comparauit, qua disputando, qua orando, qua docendo vt per quadraginta sex annos continuos suam stationem deseruisse non perhibeatur. In palæstra Medica tam strenuus pugil, disputator tam vehemens, tam acutus syllogismorum artifex, & subtilis argumentorum architectus, vt non solùm in commentariis nostris ab eruditissimo Gourmeleno *Vir acutissimus*, sed etiam vulgò *flagellum maius Baccalaureorum* singulari Elogio diceretur. In componendis adornandisque *Thesibus*, siue sententiarum vbertatem, siue sermonis ornatum, siue polymathiam, siue concinnam rerum recto ordine cohęrentium seriem spectes nemini postremus: sic vt (quod hactenus in scholis nostris fuit inauditum) eruditissimam Thesim: *An cuique hominum sua μοῖρα πεπρωμένη, suus Genius*, bis disputandam proposuerit, anno scilicet 1602. & rursum anno 1615. omnium Medicorum rogatu perfectissimum illum & absolutissimum ingenij fœtum suspicientium, è quo licet breui & exiguo plus ille laudis & nominis est consecutus,

Quam leuis è tota Marsus Amazonide.

Thesium apud Medicos Parisienses compositio vt varium & eruditum opus sic difficile, arduum, & argutum: concisa dictio sed compta, artificium singulare, sed de indûstriâ inuolutum, multiplices rerum & verborum ad gratiam non ad lasciuiam comparatę delitiæ, eruditio mascula non elumbis, condîta sententiis non lenociniis epicheiremata; syllogismo nititur quinque appendicibus quasi totidem fulto columinibus seu transtris; πρότασις duobus primis corollariis exposita & confirmata sensim ducit ad ὑπολαμβανόμενον, tertio & quarto explicatum & probatum, è quo συμπέρασμα, vltima appendice deducitur ad totius negotij comple-

Studet Medicinæ.

Status Medicinæ sæculo superiori.

Baccalaureat⁹ eius.

Alterum licentiæ locum obtinet.

Doctor factus.

Eximius disputator.

Elogia eius.

Thesium peritus artifex.

Thesis bis disputata.

Martial. ep. 29. l. 4.

Thesis argutum opus.

mentum, argumento tam acri iunctura & subtili stamine contexto, vt artificium non nisi peritis & oculatis innotescat. *Theses* aliorum more si scribas, nihilo plus laboris & industriæ colloces, quàm si è libro transcribas: plana & facilis narratio, sed ieiuna & sterilis, nuda & plerumque barbara vocabula, scabra & inculta rerum maceries, nullę scintillæ dignitatis litterarię, nulli flosculi; vt occurrunt verba sic cadunt sub numeros, sed sine numeris, sine luminibus ne quidem sententiarum quibus disciplinę solent collustrari. Medicę autem Parisienses vt verborum suauitate demulcent, sic sententiarum grauitate delectant, doctrina nobiles, arte illustres, rerum varietate mirabiles, totę tamen suæ. Sese hîc explicant eruditorum ingenia, & in hoc scriptionis genere se produnt probantque tanquam in perplexo omnium opere atque arduo, è quo licet Doctorum eruditionem, facundiam & solertiam æstimare. Præfiscini dictum hîc velim ad amoliendam inuidiam, neue quemquam meo sermone commoueam, si palam & publicè profitear in isto laudis & studij argumento *Guillelmum* nostrum cæteros omnes anteuertisse. *Thesis illa* bis agitata, semel atque iterum probata, laudata semper, vt & *illa*, quam de rheumatismo & arthritide exposuit omnes in admirationem rapuere, nonnullos in æmulationem, in societatem gloriæ neminem. Solet plerumque inuidia alienis incrementis insidiari, & comitari incedentes per gloriam non secus ac vmbra deambulantes per Solem. Eam tamen *Guillelmus Ballonius*, virtutum suarum splendore extinxit & comitate morum superauit,

Vt differunt Theses Medicæ Paris. ab aliis.

Stobæus de inuid. serm. 38.

Liuor abfuit ab illo.

> *Facta sequebatur quamuis ingentia liuor*
> *Solus hic inuidiæ fines virtute reliquit*
> *Humanumque modum;*

Claudia. in Stilic.

Collegas enim suos tam fauentes & beneuolos expertus est vt primam illi ordinis sui dignitatem contulerint, cúmque mense Nouembri anni 1580. *Decanum*, qui caput est facultatis, conspirantibus omnium votis in biennium procrearint. Laborauit per ea tempora Medicus ordo Parisiensis duabus maximis calamitatibus *solitudine & seditione*. *Illam* induxerat pestilens lues quæ ferini & contagiosi catarrhi à caputio denominati prænuncia scholas feriari coëgit dispersis Doctoribus & discipulis vrbem & Academiam deserentibus. *Seditionem* mouêre aduersus facultatem *togati Chirurgi*, & arroganter publicè profitentes docentésque Medicinam, & impudenter Doctorum nomen & titulum ambientes. Per eas rerum angustias, & in illo negotiorum æstu in vno *Ballonio*, spes omnium & expectatio fuit collocata: vtpote qui & auctoritate qua pollebat, & virtute qua cunctos demerebatur, & morum integritate qua plurimos antecellebat, & animi constantia atque fortitudine qua se à rebus aduersis frangi non patiebatur, vnus esset qui nutantem & labantem dignitatem nostram, labefactatumque imperium sustinere & fulcire posse videretur. Initio quoque sui magistratus nihil prius aut antiquius habuit quam vt Agyrtas, circumforaneos, & Empiricos quorum capita erant Itali duo *Cyprianus* nescio quis, & *Caurianus* seu *Cabrianus* ex vrbe exter-

Decanus electus.

Calamitas scholarum Paris. Pestis. Bellum Chirurgicum.

Lis in Empiricos.

minaret. Vt gens illa est adulteriis, lenociniis, veneficiis, Astrologicis & superstitiosis diuinationib⁹ famosa, sic se solet tacitis artibus in aulas principum insinuare, & in Nobilium domos qui nihil nisi quod peregrinum est & exoticum amant & admirantur. Horum parricidia vt compesceret reos apud Senatum egit: neue hæc impetigo ad facultatis vsque Medicos serperet, renouandum antiquum decretum omniumque Doctorū sigillis ac nouo iureiurando confirmandum curauit aduersus eos qui societatem inirent cum Empiricis & illegitimè Medicinam exercentibus. Interim aperto Marte pugnandum illi fuit in Ministros medicinæ refractarios, seruile bellum facultati & Academiæ intentantes. Cum enim *togati Chirurgi*, superioribus annis subreptitios libellos à Rege obtinuissent non solum de docenda publicè Medicinâ, sed de adipiscendis licentiarum & Doctoratus titulis; sensissentque elusos & retusos conatus suos nouo diplomate regio à M. *Claudio Rousselet*, primo decanatus sui anno qui fuit 1576. impetrato: ad nouas artes & technas conuolandum rati à summo Pontifice, nescio quo suadente Genio diploma *indulti* nomine extorserunt; quo Cancellario Ecclesiæ Parisiensis facultas demandabatur concedendi illis Apostolicam benedictionem vt licentiatorum gloriâ relucerent. Mirare quò se ambitiosa illa societas extulerit, & quo fastu in omnium florentissimam Academiam quintam quamdam facultatem introducere sperauerit! Cum itaque verendum foret, ne si taceretur, ius præscriptionis litteræ illæ habituræ essent, coercendúsque initio videretur impetus iste nouitatis qui iam Rectorem Academiæ (inconsultis licet ordinibus) cum toto suo ornatu & comitatu ad actus Chirurgorum euocauerat: Decanus primò expostulatione facta in Rectorem, ab illo publicam hanc confessionem extorsit, *pœnitere se facti, & quod contra iura Academiæ illum actum Chirurgorum exornasset.* Deinde verò litem omnem ad supremum Senatum detulit, & cum Academia eiusque Cancellario ad ipsum prouocauit. Interea summi Pontificis fides & æquitas imploratur, multorum Purpuratorum Estensis, Pelleuæi, Rambulieti auctoritas interpellatur, Foxij apud Pontificem Oratoris Regij, Mureti, aliorumque clarissimorum virorum gratia & fauor crebris literis sollicitatur. Quid plura? apud Legatum Pontificium frequentes itiones & reditiones, orationes à Decano habitæ, variæ actionum formularumque argutiæ susceptæ, tandem dicta à summo Præside dies cum duabus aliis integris in Patronorum actionibus insumuntur. *M. I. Chouart, pro Academia prudentissimè summoque iudicio dixit; M. D. Chopinus pro facultate aliquot capita satis plausibiliter perstrinxit: M. C. Robert, pro Cancellario vniuersitatis ingeniosè orauit: M. Augustinus de Thou, Regius patronus breuiter & ad rem conuenienter: Pro Chirurgis M. I. le Verst, à Chirurgo natus & Chirurgorum patronus vastè & effeminatè dixit, Academiæ cardines & firma facultatis Medicæ fundamenta molliuscula & effœminata oratione concutere ac conuellere giganteo more tentauit.* Nec tamen vt ipse fatetur BALLONIVS in Commentariis sui Decanatus, plurimis licet sumptis laboribus hoc consequi potuit, vt absolutum ea de re Sena-

Decretum in Empiricos renouatum.

Causa litis in Chirurgos.

Diploma pontificiū pro Chirurgis.

Animaduersio in Rectorem.

Articuli digesti & oblati.

Ex Commentariis facult.

Ex iisdem comment. tusconsultum obtineretur. *Defuit*, inquit, *voluntas nusquam, sed fortuna: Affectum quidem, sed non perfectum negotium. Nullus non à nobis susceptus labor est, partim vt apud Senatum partim apud Romanam curiam res conficeretur. Nobis is defuit fauor qui in literas, & in publicam rem esse debet. Quod enim commune est negligitur. Accedit quod tot sunt ambages, tot in foro formulæ & diuerticula, vt antè in medio cursu obruamur, quàm portum aliquem conspiciamus.* Hactenus commentarij de illo negotio, cui quamuis extremam manum non imposuerit GVILLELMVS BALLONIVS, ita tamen affecit & disposuit; vt illud non solum diuturnitate temporis sponte sit dissipatum, sed ambitiosa Chirurgorum societas sic attrita, vt quæ olim chirurgicarum rerum & medicarum cognitione superbiret, nunc rerum propè omnium ignoratione videatur gloriari. Relicta rerum publicarum administratione BALLONIVS ad vsum Medicinæ se contulit; *Ad medendum se applicat.* in quo tam prudenter feliciterque se gessit, vt inter primi nominis Medicos haberetur acceptissimus gratissimúsque viris consultissimis *Marescoto, Magno, Altino, Riolano seniori, Pietræo, Liebautio, Gourmeleno, Mironio, Laurentio, Seguino* Archiatris, quibus fama & gloria par esse potuisset, si quantum doctrina & ingenio valebat, tantum vsu & exercitatione voluisset contendere. Sed homo ab omni famę aucupio alienus, diuitiarum quoque minimè appetens, neglexit adminicula quibus ad summos honores, & facultates conscenditur. Minùs aulâ quàm Musæo delectabatur, magisque ægris plebeiis & ignobilib. quàm illustribus & Aulicis qui Medicos velut catulos in compedibus vinctos & alligatos retinent. *Gratus Regi Henrico.* Eum *Henricus Magnus* ante vrbis deditionem in oppido sancti Dionysij & benignissimè exceperat, & de rebus grauissimis, pręsertim vero de calamitate Parisiensium disserentem longo tempore audiuerat; vt si voluisset ad aulam conuolare fauentia habiturus fuisset numina. Sed ab Aulâ velut famulitio abhorrens priuatam vitam amplexus est; exinde anno 1601. euocatus à Rege potentissimo hortante & suadente illustrissima Domina de Monglas Regiorum Liberorũ curatrice, vt curã susciperet salutis serenissimi Principis Delphini, cuius capite salus orbis continebatur; *Recusat dignitatẽ Aulicam.* dignitatem eam recusauit, senilem ætatem, effœtas vires, ingeniique tenuitatem obiiciens, ne cogeretur otium domesticum aulico negotio, philosophicamque parcimoniam, Principum delitiis permutare. Ita sui iuris & potestatis factus popularibus suis medicinã factitauit, non ad aucupandam (quod nunc fieri amat) popularẽ auram, vel ad opes summo æstu comparandas, sed ad ægrorum tædia leuanda & lenienda, tanta humanitate & comitate vt non instar Archagati à sæuitia vrendi & secandi *hominum carnifex*, sed à mitissima curandi ratione *infantium Medicus*, vulgò nuncuparetur. *Medicus infantium dictus.* Interim nihil de studio remittere, Græcos Latinósque auctores probæ & antiquæ notæ diurna nocturnáque manu euoluere, *Labor & studium eius.* difficillima eorum loca & notare & illustrare, priscam Hippocratis & Galeni doctrinam aduersus Nouatorum calumnias tueri, de grauissimis morbis & peritissimos quosque literis consulere, & vicissim à multis consuli, rariores morbos ac prodigiosos in aduersaria cogere &

ex-

explicare, singulorũ morborum historias Hippocratis exẽplo describere, quotidie aliquid adnotare, obseruare, designare; vt mirum sit negotioso homini tantũ studij ad tot monimẽta conscribenda; homini verò studioso tantùm otij ad tam multa circa ægros suscipienda negotia superfuisse. Cùm verò perfectissimum & absolutissimum Medicum sola eruditio non constituat, sed probitas & virtus, cuius gratia cætera quæ in vita contingunt expetuntur; potuit GVILLELMVS BALLONIVS, vt ingenij gloria, sic morum integritate gloriari. Pietatem enim imprimis quæ virtutum est condimentum, καὶ κτημάτων τὸ κάλλιστον, ita excoluit, vt nullum diem à sacro missæ sacrificio intermisisse perhibeatur: omnia auspicatus à Deo & in Deum omnia referens, vt pote cum Θεῦ παρόντος, ἅπαν ἄπορον πόριμον, præsente & fauente numine quod inextricabile est, facili negotio explicari posse profiteretur. Tanta autem charitate exardescebat, vt non solùm consilio ægros omnibus adiumentis destitutos solaretur, sed pecuniis subleuaret quas non paucas in pauperes singulis diebus erogasse multi recordantur. Ignotorum miseriis illacrymari, aut verbis recreare gementes integrum non est humanitatis nostræ officium, sed egenis prospicere ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint. Licet verò Orthodoxæ religionis incensus amore hæreticæ prauitatis sectarios cane peius & angue auersaretur; non potuit tamen probare pessima eorum consilia, qui Henricum IV. legitimum regni successorem auita hæreditate priuare malis artibus contendebant; sed eius partibus licet in vrbe rebelli non solùm tacitè fauit, sed publico monimento quod sub *Riueti* nomine de calamitate & miseria ciuium Parisiensium conscripsit. Duxerat in vxorem filiam Geruasij Honoræi Pharmacopœi Parisiensis pudicissimam feminam, singularis virtutis, prudentiæ, probitatis, frugalitatis, è qua inter cæteros liberos filium natu minorem susceperat quem Medicinæ destinabat. Sed is postquam multa & virtutis & ingenij argumenta præbuisset, optimóque Parenti propter eximios in literis factos progressus esset acceptissimus, œstro quodam pietatis in familiam Capucinorum transiliuit, inscio & inconsulto, vt fieri solet, Parente. Qui cum hoc tristi nuncio quasi turbine afflatus fuisset, subito quidem casu exanimatus & velut è mentis statione dimotus fuit; sed mox reuocata in consilium ratione, & institutum filij diuinæ prouidentiæ committens in hæc verba Euangelij prorupit, *meliorem illum partem elegisse quæ ab eo non auferetur*, piissimáque hac meditatione recreatus secessum amantissimi filij patientissimè tolerauit. Singulas virtutes quid attinet commemorare? cum obitu suo qui est vniuersæ vitæ ἀνακεφαλαίωσις, & comœdiæ totius conclusio, quanta sanctimonia & mentis puritate vixerit reliquerit quasi consignatum. Eo enim temporis & rerum articulo quo virtutes & vitia pro suo in nos imperio solent cogitationibus nostris obuersari, eas ad Deum fudit preces, ea constantia venientem mortem excepit, eo spiritu mundi veneficia eiurauit, iis votis in cælum aspirauit, vt igniculos pietatis spectatoribus ingeneraret, cogerétque religiosissimum virum ex Capucinorum ordine, qui vt vicem absentis filij suppleret illi assidebat, palàm exclamare

Vir vt doctus sic probus.

Pietas eius.

Philo de nominum mut.

Synes. epist. 139.

Charitas vera.

Valent. & Marcian. l. 12. §. 2. C. de Sacrosanct. Eccles.

Factioni non subscripsit.

Vxor.

Filius natu minor Franciscanus.

Obitus & mors.

in Ballonio se iusti Lothi imaginem atque speculum contemplari.

Corporis dotes. Quadrato fuit GVILLELMVS BALLONIVS, & obesulo corpore, pleno, aperto, & ad lætitiam composito vultu, raso capillitio & barbitio, suauitate vocis eximia, blando eloquio, & in sales explicato, non dicaci, non petulanti.

Ingenium & virtus. Ingenio plurimum valuit, prudentia & sagacitate, laborum patientissimus, virtutum egregius cultor, comis quidem, sed ab vrbanitate sæculi alienus, totus in libris, sed in administratione rei familiaris propè nullus, quam vxoris prudentiæ committebat.

Stylus & dictio. Stylus illi floridus, limatus, nitidus, & in vtraque oratione prorsa & vorsa accuratus; dictio compta & elegans, circumcisa potius quam diffusa; condendi Epigrammatis insignis artifex, cuius exemplum non pigebit apponere ex Commentariis Dureti in Coacas Hippocratis desumptum, quibus Epigramma præfixit: *Poeta non vulgaris.*

Exit opus tandem, multos quod presšit in annos
Duretus, Coi lux & imago senis:
Fallor non operis, non libri nomina quadrant:
At melius dici bibliotheca potest:
Cunctarum hîc seges est medicarum vberrima legum,
Et modica medicas mole coercet opes:
Morborum causas & signa, προγνωσιν & horum
Legibus & cautè, queis medeare, docet:
Venalis medicinæ hæc Ilias vnica prostet;
Frustra alios cudes bibliopola libros.

Liberi. Ex suauissima vxore liberos quatuor suscepit, duos mares, feminas totidem: Filius natu maior armaturæ militaris inspector & arbiter: minor militiæ Capucinorum nomen dedit, Polycarpi cognomen consecutus, vir vt facundiâ sic pietate nulli secundus: filiarum alia D. Chappotino tributarij iudicij Niuernensis Præsidi saltuarióque Præfecto nupsit, altera D. Subleto armatæ militiæ Censori & Aristarcho, quos opimâ satis hæreditate beauit.

Antiquior Doctor. Obiit *Antiquior Scholarum Magister*, anno Doctoratus sui 46. ætatis 78. Christi 1616. elatus in ædem D. Paulo sacram vbi resurrectionem expectat.

Mortis annus. *Pronepotes duo.* Loco filiorum duos Pronepotes habuit Doctores Medicos Parisienses, vnum à sorore *Simonem le Letier*, eruditissimum prudentissimúmque virum; alterum ab vxore *IACOBVM THEVART*, non minùs virtutum quàm Librorum & Manuscriptorum hęredem. Is cultissimi ingenij vir, doctrina & eruditione nobilis, rerum philosophicarum & Medicarum cognitione clarus vt reipub. medicę dignitatem promoueat, simúlque memoriam optimi Senis intermorituram exsuscitet, opera eius omnia publici iuris facere constituit, quod vt cito perficiat omnium literatorum nomine rogo & obtestor, vt si quidem tanti beneficij non sit au-

ctor, saltem erogator habeatur. Idem quoque vir Iconem BALLONII pollicetur, vt eodem momento, & mentis imaginem & corporis simulacrum liceat intueri. *Icon.*

Inter libros editioni paratos, sequentes in bibliotheca eiusdem clarissimi THEVARTII asseruantur, *Libri edendi.*

Consiliorum Medicinalium libri duo.

Epidemiorum & Ephemeridum libri duo.

De virginum & mulierum morbis liber.

Epistolarum Medicinalium liber.

Opuscula Medica de Arthritide, lapide, & vrinarum sedimento.

In quibus omnibus vterum auctoritas contra Ioannem Fernelium defenditur:

Definitionum Medicarum liber.

Commentarius in librum Theophrasti de vertigine.

Aduersariorum medicinalium liber.

De Gibbositate libellus.

Paradeigmaton liber.

Epitome primorum librorum 5. Gal. de simpl. medicamentorum facultatibus.

Morborum omnium Onomasticum.

Dicta septem sapientum carmine latino expressa, quę seruantur in Bibliotheca D. le Letier Pronepotis.

Amicos, familiares, discipulos eius superfluum esset recensere, cùm ex Epistolarum & Consiliorum libris repeti facili negotio possint. *Amici.*

FINIS.



IN COMMENDATIONEM OPERIS D. G.


DE BAILLOV,

CLARISS. MEDICI PARISIENSIS olim Decani, & Scholę antiquioris Magiſtri,

EPIGRAMMA.

DVM ſua conſultus miſeris BALLONIVS ægris
Conſilia impertit, conſulit ipſe ſibi:
Corporibus tantùm, atque ad tempus profuit; at nunc
Victuro æternùm conſulit ingenio.

IOANNES BERAVLT
Doctor Medicus Pariſienſis.



IN DOCTISSIMA CONSILIA
Medica Clarissimi viri D. D.
GVL. DE BAILLOV,
DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS
olim Decani, & antiquioris
Scholæ Magistri,

HEXASTICHVM.


SE vrgeri fatis cernens BALLONIVS, atque
Abrumpi vitæ stamina grata suæ:
Nil facitis, Parcæ, nec enim minùs ipse saluti
Humanæ, scriptis auxiliabor, ait:
O res mira! aliis nam sic dum consulit, ipse
Producit vitæ stamina grata suæ.

GVIDO PATINVS, Bellouacus,
Doctor Medicus Parisiensis.

IN EADEM.

LVcrum alij quærant: BALLONIVS arte salutem
Reddit Consiliisque; omnibus absque lucro;
Hoc Medico amissam desperet nemo salutem,
Consilium semper, fit Medicina, bonum.

PINEAV.



APPROBATIO.



HÆC Conſilia Medica Magiſtri GVILLELMI DE BAILLOV, Medici Pariſienſis celeberrimi, eruditâ oratione & ſummo judicio conſcripta, fruantur eâ quâ diutius caruere luce, futura rei Medicæ & ornamento & vſui maximo. Datum VII. Calend. Iunij. Anno M. DC. XXXIV.


Fr. BOVIONIER, facultatis Medicæ Pariſienſis Decanus.

EXTRAICT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à M. IACQVES THEVART, Medecin de la Royne mere, Docteur Regent en la faculté de Medecine en l'Vniuerſité de Paris, de faire imprimer les Oeuures de Medecine de M. GVILLAVME DE BAILLOV, iadis tres-celebre Docteur en ladite faculté, ſon Oncle, par luy examinez, corrigez, augmentez, & mis en bon ordre, auec defences à tous Libraires & Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, ny debiter leſdites Oeuures de BAILLOV, enſemblement ou ſeparément, ſans le congé & permiſſion dudit ſieur THEVART, durant le temps & eſpace de dix ans, à compter du iour que leſdites Oeuures ſeront acheuées d'imprimer; à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de mil liures d'amende, deſpens, dommages & intereſts enuers luy; nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, Chartre Normande, clameur de Haro, ou autre choſe à ce contraire; ainſi qu'il eſt plus au long contenu en l'original. Donné à Paris le 18. Septembre mil ſix cens trente-quatre. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil. RENOVARD, Et ſcellé du grand ſceau de cire jaune.

LEdit ſieur THEVART conſent & accorde que IACQVES QVESNEL, marchand Libraire à Paris, iouyſſe du preſent Priuilege pour le regard de ces deux volumes de Conſeils de Medecine, ainſi qu'ils en ſont demeurez d'accord par contract paſſé pardeuant deux Notaires du Chaſtelet de Paris.

Ce premier volume de Conſeils acheué d'imprimer le 10. Feurier 1635.



INDEX CONSILIORVM MORBORVM ET SYMPTOMATVM HOC IN OPERE CONTENTORVM.

Numerus prior Consilium designat, posterior paginæ faciem.



De

FINIS.



INDEX APHORISMORVM HIPPOCRATIS qui hoc in opere explicantur.

FINIS.



BENEVOLO LECTORI GVLIELMVS DE BAILLOV, DOCTOR MEDICVS PARISIENSIS S. D.




SI vt cuiusque est ingenium, ita se limet ac exerceat, præclarè de se mereri videtur. Et cum exercendæ industriæ excolendíue ingenij duplex omnino sit ratio, vna dum priuato studio addicti in communem vtilitatem nihil afferimus, ac si in se ipsa res verteretur, altera dum studiorum nostrorum partem cum aliis communem esse volumus, vt hæc ab illa longè dissidet, ita vtilitatis & laudis quæ ab alterutra redit, alia atque alia ratio existit. Qui priuatis in studiis sese abdit, maiorem ætatis suæ partem in iis occupans, cum secum ipse viuat, sibi soli natus videtur. Cui melior inest animus eximia cuiusdam immortalitatis opinione imbutus, is priuati sui otij, cui se adiecerat, fructum longè fluere ac manare volens; ad alios quoque vult pertinere: Sui enim conscius est miseram se aliàs vitam propagare, nisi quæ ipse apud se commentus est & in vnum contulit, eorũ alios participésq; esse velit. Quod

quidem ab re non videtur. Nam in iis qui secum ita viuunt exilis admodum est immortalitatis opinio: in iis contrà quos publici nominis desiderium ac amor tangit, augustum aliquid ac florens existit. Et qui vmbrâ & otio delectati falsa temporis vsura abutuntur, tametsi excellentem animo literarũ impressam effigiem tenere se existiment, nullo laudis aculeo pungi videntur, cum illam non exprimant, alioqui non ita publicam vtilitatem desererent vt priuatæ seruiatur. Cum verò nullâ laudis spe ducantur atque alantur, eos nihil aut parum salis ac humani habere iudicandum est. Illis pectus refrigescit cum hoc nullus laudis ardor inflammarit, quod stolidissimum quemque frigidissimúmq; hominem incendere ac incitare possit. Nimium illis scilicet æger est animus, vt quibus non sint stomachi delicatissimæ epulæ quas laus subministrat, quæque acerbitatem omnem condire possint ac mitigare. Frustra tot præliorum dimicationes bellicosa sustinuisset Antiquitas, in qua priscum semper alquid ac nitidum apparuit quod in publicam rem redundaret. Frustra arbores seuissent sæculo alteri posuturas, in excolenda agricolatione tantam operam posuissent: Nec minus ridendi essent qui seposita omni rerum domesticarum curâ in publicæ vtilitatis studium sese coniicientes libris de re quauis editis & miro artificio limatis claruerunt. Inanis eorum omnis foret industria nisi cum rebus illis arduis ætatem suam tererent, simul etiam admirabilis cuiusdam immortalitatis opinione, & laudis nullo marcore extinguendæ incredibili expectatione sese sustinerent ac recrearent, quod qui negat suam ipsius inertiam abundè declarat. Quod eo animo dictum

ctum acceptúmque velim, vt & instituti nostri consilium intelligatur, & hominum sibi solis consulentium pessima mens condamnetur. Nouimus qui tametsi publicis scholis multùm profecerint, tam malè tamen de Publica re mereantur, vt nil nouum cudere, nil scribere, nil in ordinem redigere velint. Non hos laboris vigiliarúmque piget, sed cùm multa studio contigerint, nonnulla alienâ industriâ collegerint, piget tamen eorum partem aliis communicare, quorum hæc ratio est ieiuna admodum & angusto ingenio digna. Quid attinet me nonnullam operam ponere in iis enucleandis euoluendísque quæ multa sunt apud me aranearum & tinearum ludus & esca? si quid tale velint posteri, laborent, assequantur, nolo meam industriâ illis inertiæ desidiæque occasionem dare; belluinum hoc & libero homine indignum. Si hoc iure nobiscum egisset antiquitas, si immensum artium prouentum inuidisset, langueremus nunc omnes ac frigeremus. Quicquid agimus, scribimus, excogitamus, id non est nouum, sed veterum inuentis addimus tantum atque amplificamus. Meliùs multò de nobis meruit Antiquitas quæ nullum non sustinuit laborem vt multa vndiq; quæreret, ingenio & industria excoleret, quod in commodum nostrum verteretur. Immò in eo consumuntur eorum industriæ & curæ, vt posterorum supellex instructior locupletiórque illorum labore reddatur. Quò fit ut nos maiorum conatus proximè imitati succideremus nonnullam temporis partem quam in hunc librum conferremus ac coniiceremus. Si quid enim aut ingenio nostro quæsiuerimus, aut aliorum industriâ collegerimus, id ipsum huc contulimus vtili-

tatem non omnino pœnitendam aliis allatutum. Sic nulla infamiæ aut socordiæ nota nostro nomini hærebit, vt iis contigit qui aut cùm se desidiæ dediderint, omnem laborem detrectent, aut cùm multa aliàs habeant diffusa, dispersáque quorum nónullus esset fructus, si in vulgus ederentur, nolunt tamen laborum suorum partem cum aliis communem esse. Quod cùm brutum sit ac inhumanum, inde longè nobis recedendum arbitramur: si quid hîc sit lectione dignum, hoc pro arbirratu vtere: sin autem, aliquid afferes limatius ac excogitatum magis quod nos qui huius rei inuentores dici volumus, amplectamur. Vale, & iis qui publico nomine laborant magnam gratiam habe. Lutetiæ Parisiorum. Idibus sextilibus 1572.




GVLIELMVS DE BAILLOV DOCTOR MEDICVS PARISIENSIS.
Anno Æt. 43.
VVLTVM BALLONI CERNIS SVB IMAGINE, CVIVS
PRÆSTANTI INGENIO HOC NOBILITATVR OPVS.
Iaspar Isac fecit 1635
Iacobus Theuart, D.M.P.



GVLIELMI BALLONII,

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORVM MEDICINALIVM LIBER PRIMVS.

CONSILIVM PRIMVM. DE CAPITIS DOLORE.

AD DOMINVM ANDREAM GVILLARDVM, *Regium in Consilio Secretiore Consulem.*



VETERES partium infirmitates etsi omnino non tolluntur, leniri tamen solent ac mitigari. Eas autem iam vestigia pressisse, ac iam-pridem inueterasse argumento est, quòd cùm sopitæ extinctæve iudicentur, eæ veluti postliminio redeuntes, sæpe acerbiùs quàm aliàs nos exerceant ac fatigent; siue, quod ferè fit, externa aliqua causa adsit quæ ignauiam morbi exsuscitet, siue ab humoribus qui intus ignaui residésque latent, dolor hîc redintegrandi sui causas principiáque ducat. Inter affectiones, quæ in hominum genus maximam partem sæuiunt, sunt capitis dolores, & ventriculi infirmitas. Hic quidem quoniam, vel ob vsum medicamentorum quibus maxima hominum pars imprudentiùs addicitur; vel ob esculentorum

potulentorúmve varietatem, alteratur ac elanguescit; cerebrum autem, quòd pars sit externarum iniuriarum procellis maximè exposita, & internis affici solita, cùm instar cucurbitæ infernè sursum errabundos vapores attrahat. Ac præ cæteris quidem nuper apud me questus es de vetere capitis infirmitate, quam hemicraniam appello, quæ statâ ratáque periodo caput exerceat; vnde capiti conflata comparatáque imbecillitas, vt leuiuscula de causa in subiectas partes illinc tanquam à fonte scaturientes humores præcipites ferantur. Quinetiam à catarrho in fauces, deinde in pulmones melius, quòd vberrimè saliua in os recurrat, ídque cum aliàs, tum maximè dum hemicrania repetit, quæ sua periodo ratóq; circuitu in alteram tantum capitis partem tyrannidem exerceat. Sed vt pluribus paucis antè diebus edisserui, non tam à capite residua hæc superfluáq; materia dimanat, quàm à ventriculo, ab hoc nimirum resudante tenui sero in os ob consensum ventriculi cum cerebro, quasi ventriculus quâ data porta exoneret sese, eo quo mirum in modum vexatur, excremento. Quamquam imbecilla maléq; affecta pars est; non prius tamen morbus reuirescit, quàm à causa aliqua externa vis ac impressio inferatur. Vnde pertinaci studio, cura, seduláq; in rem aliquam animi contentione, aut eiusdem perturbatione, cum alioqui sedatus tranquillúsque esset, vetus infirmitas detegitur ac inualescit. Sed in eo demum virtutis & temperantiæ significatio maxima est, qui causis illis quæ morbos excitant occurrit, vt suo sibi marte perniciem conciliasse non iudicetur. Et in potulentis, esculentísq; moderatum se præbendo, & in animi perturbationibus quietum ac equabilem, & in aliis id genus temperatum. Ægrè fers admodum, quòd liberum in literarum quarum mirum in modum desiderio elanguescis, studium incumbere non permittat aut parata in oculos fluxio, quæ te ea re frui vetat, quam cum vita eandem æstimas; aut hemicrania, quæ longo annorum flexu confirmata in caput tuum ius, vt sic dicam, vindiciarum habere videatur. Si quid consilio possum, censerem iocineris & ventriculi stato tempore rationem habendam esse. Quantum mente ac ratione colligo, duæ illæ partes accusandæ sunt, vt iampridem illustrium Medicorum qui tibi fecêre medicinam tacitum consilium videtur indicasse. Eorum enim omnis ratio & industria in eo versata est, vt intemperiem iecinoris calidam emendarent, ventriculo robur ac firmitatem conciliarent. Sed & illud addo, corpus tuum iam ad melancholicum statum videtur diuertere, non tam ratione curarum in quibus opprimeris, quarum tamen moli ac magnitu-

dini erecto animo resistis, quàm ætatis descriptione & annorum flexu. Hoc enim iampridem Hippocratis auctoritate testatum est, corpora biliosa ætatis decursu cum perspiratione carent, melancholica effici. Supprimitur enim humor qui per extima cutis difflari debuisset, biliosúsque humor exassatur, vnde in melancholicum succum facilè degenerat. Itaque cùm constet hepati vernaculam esse intemperiem quæ demum variorum affectuum tanquam fomes ac seminarium existat, illa primùm corrigetur. Optimè ad eam rem consultum videretur si syrupus ad hanc formam concinnaretur: ℞. *succorum endiuiæ, scar. borrag. depurat. an.* ℥ *iii. succi summitatum lupul.* ℥ *j. succi pomor. de curtip.* ℥ *iii. succi granat.* ℥ *ii. sacchar. candi & communis partes æquales quod sufficit; fiat syrupus coctus, cælo æstuante in vsum reduc.* Loco huius syrupi in pharmacopœorum officinis asseruatur syrupus è cicho. compositus cum rheo. 2. Non videberis operæ multùm pretij facturus si medicamentis purgantibus corpus assuescat. Nam cùm illis nulla amicitiæ cum corpore intercedat necessitudo, ab iis corpora alterantur ac deteruntur. Deinde in prauam consuetudinē adducuntur; desuescere autem non facile est, aut non commodè id fit. Humores enim qui desides in corpore diu restiterunt, & qui de sanitatis gradu nondum deiecerunt, semel moti ac concitati deteriores redduntur, quàm ipsi fuerunt dum quiescerent. Potes cassia fistulari contentus esse admisto rheo. At ventriculo consultum oportet sumptis stato tempore pilulis aliquot, quibus non tam ventriculi repurgandi, quàm eius confirmandi facultas concessa sit. Conferent pilulæ ex aloe initio pastus, nisi hæmorrhoidum fluxui sis obnoxius. Conferent eæ pilulæ sub ea forma. ℞. *mass. pilul. de aloe* ℈ *j. aggreg.* ℈ *ii. cinamomi interior. grana vi. cum aqua bugloss. infus. granor. vi. mastich. fiant pilul.* De cerebro quoniam ita quereris, rationis est earum partium curam rationémque habere. quæcunque enim labes contingit ea, ad inferarum partium morbum ac infirmitatem transferetur. Plura multò sunt quæ in eam rem conferri possunt, sed malo desideres, quàm minùs copiosè accommodatéque ea à me explicari ac pertractari. Parisiis Calend. Februar. 1571.

Sectio 6. lib. 6. epid.

2. Galenus Comm. in Apho. 15. lib. 3. Apho. Et 2. de diæta acutorum. Item cap. vlt. lib. de consuet.

CONSILIVM SECVNDVM.

Pro Iano Guichonio ad Tabem vergenti.

CVM vigil astitisses Illustri hero tuo ministraturus, plethoricis symptomatis cerebrum fœtum plenúmque relictum est, vnde perenni defluuio in pulmonibus labes contracta est. Eò quoque aliquid contulisse videtur consuetudo assidua cum hero phthisico, cuius halitus potest ad alios venenatam mali qualitatem traducere. Hoc enim iampridem veterum auctoritate confirmatum est. Ergò inueterata iam in pulmones fluxio est, & quæ pulmones iam affecerit labe nulla arte eluenda. Verùm, quòd nondum artuum corporísque vniuersi macies contracta sit, id arguit nondum confirmatam phthisin esse, sed aliqua industria ac arte eleuari posse: Malum hoc funditus tolli posse si quis asseueret, aut effecturum se polliceatur, fraudem is faciet ac decipiet. Duobus modis occurri potest; vno, si quàm maximè poteris legitimam victus rationem seruaueris: altero, si per interualla leuibus medicamentis te accommodaueris, quæ paulò post describam. Hæc autem in victu rata firmáq; sunto, somno diuturno abstinebis, ac præcipuè meridiano, frugalis cœna esto, iurulenta parca erunt, ientaculum solo pane constabit, potus nullus esto: Vini vsus huc non confert, cum multis abstinentia vini sanitatem reddiderit. Quoniam tamen abstinere omnino difficile est, metuendúmque sit, ne circumcisus vini vsus stomacho imbecillitatem pariat, aqua primo haustu in pastu sumetur, vt viscera superiore abstinentiâ paulum resiccata, rapto ad sese primo haustu humescant, nec incalescant. In aqua incoquentur myxaria, dactyli, pruna. Quod ad medicamenta, valentiorum vsus parum tutus, malum enim inueterauit; at blandiorum.

" ℞. *Cass.* ℥ j. *Diaphœ.* ℈ iiii. *cum Elect. Diatrag. & pulp. zizyphor.*
" *fiat bolus: aut hic potus.* ℞. *Decoct. pector.* ℥ iiij. *in quibus incoquantur*
" *folior. senæ* ʒ iij. *seminis fœnicul.* ʒ. j. *f. in express. infund. agar. troch.*
" ℈ iiii. *in expr. diss. cath. & syrup. è bech. an.* ʒ vj. *Diaphœnicon.* ʒ j.
" *fiat potus.* Nec verò abundè erit capiti consulere, sed & humoris in pulmonem illapsi ratio est habenda. Eò conferet hic linctus.

" ℞. *Elect. diatragacant. frig.* ℥ j. *sacch. candi puluer. diaireos, an.* ʒ. ij.
" *penidiar.* ʒ j. ß. *looch sani* ℥. ß. *cum syrup. myrtino, aut de hyss. fiat*
" *linctus.* ℞. *confect. de rebecca* ℥ j. *vtatur sæpè.* ℞. *looch sani &*

experti ℥ iij. Vtatur cum baculo glycyr. Vesperi cubiturus vteris opiata. ℞. pul. elect. diatraga. ʒ vj. boli arm. ʒ j. ß. conser. ros. r. veter. ℥ j. ß. cum syrup. de papau. fiat opiata. Hordeata plurimùm côferêt. Nec est quod frequenter iis remediis te fatiges, eorum enim vsus incidet maximè in magnis temporum mutationibus. Vere appetente venæ sectio plurimùm vtilis erit. In aurora conandum est expectorare ea quæ in pulmonibus contenta erunt: depexis in posteriora capillis commodè adhibebuntur sacculi ex milio & fursure. Commodè in ore versabuntur grana mastiches. Deinde excipiendus fumus hoc puluere in prunas iniecto.

2 *℞. Nigel. Rom. ʒ iij. pulu. ros. ʒ ij. thuris ʒ j. mastich. ʒ. ß.* His remediis non pristinam sanitatem, quam non pollicemur, sed longiorem iucundioremve vitam promittimus.

ANNOTATIO.

2 *Fortasse suffitus ex aromaticis quales hîc & à medendi peritis præscribi solent non conueniunt in affectibus ῥευματικοῖς capitis: in his enim semper coniuncta est grauitas, hanc autem adauget plurium aromatum suffitus. Nam calida omnia, superiora facilè petunt, fumis caput opplent. Gal. 3 comm. in aphorism. 28. lib. 5.*

CONSILIVM TERTIVM.

Ad consulem Regium turbatas ac cruentas vrinas excernentem.

RENVM affectus maximam partem iure hæreditario ad posteros perueniunt, vt & earum partium quibus commune publicúmque officium à natura demandatum est, sic nimirum quibus cerebrum imbecillius est, ij ad posteros id vitij transfundunt, vt quemadmodum bonorum sic & morborum hæredes constituantur; in cæteris lithiasis hæreditaria esse solet, quod semini impressa sit dispositio à qua affectus principia causásque ducat. Vitæ tamen institutum plurimũ ad hanc aut illam partem confert, vt natiua dispositio corrigatur, vel vt deprauata victus ratione prauorum humorũ prouentus in corpore fiat, vnde lapidis generatio & soboles consequatur. Affectus quo non ita pridem conflictaris propter insolentiam mirum in modum terruit te, cum nulla hactenus rudimenta eius extiterint. Doloris tamen species, situs, vrinæ quoq; ipsæ malè affectorum renum locuples satis argumentum reliquerunt. Non quin

à ſuperis quoque partibus aliquid deerrare poſſit, ita enim quæ loco ſupero ſitæ ſunt partes in eas ſua onera deponunt; quæ inferiore ſitæ ſunt, quæque excipiendis totius corporis excrementis dicantur. Vrinæ arguunt renum affectus, eóſque indicant: illac enim traijciunt ac ſi quid præter naturam contineatur, deuehunt ac in matula oſtentant. Arenoſæ apparuerunt primum quæ contentum neceſſariò in renum cauis calculum non arguunt, ſed cum vi naturæ deturbentur deijciantúrve, generationi lapidis occaſiones præripiunt. Alioqui metus foret ne ſi illic diutius reſiſterent, in lapidem tandem cogerentur ac coagmentarentur. Cruentæ poſtea, ac ταραχώδεις, & ad nigrorem deuergentes excretæ ſunt, quæ lapilli contenti occaſionem, vel opinionem potiùs fecerunt, cum ſæpè eiuſcemodi excernantur attritu colliſúve rei duriuſculæ renem deterentis. Nam cum corpus id carnoſum ſit, facilè patitur. 2. Quanquam & ab hepate, & à liene preſertim nigrore aſperſæ excerni poſſunt, cum eo loci exaſſentur adurantúrque humores, qui poſtmodum cum reliqua humorum colluuie defluentes nouo colore vrinas imbuant ac intingant. Tamen ſiue à renum preſſu attritúve res ita euenerit, ſiue aliunde raptus humorum fiat in renes, vnde & grauitatis ſenſio adeſt, quæ lapidem contentum ementiatur, conſulendum tamen renibus, vt & non ita facilè excipiant onus aliarum partium amandantium à ſe ſe excrementa, ſi hoc aliundè eueniat, ſiue à propria ipſius renis imbecillitate & morbo id contingat. Id vt aptè commodéque fiat deriuandus eſt aliò humorũ curſus qui præcipites in renem malè affectu ruunt. Quod vſu ſyrupi huius ſolemnis facilè conſequeris, præſertim quo tempore Luna ſilet.

℞. ſcariol. acetoſ. plantag. an. m. j. endiuiæ, agrim. lupul. an. m. ß. foliorum viol. & maluæ an. m. j. biſmal. m. ß. Quat. ſemin. frigid. maio. ſemin. endiuiæ an. ʒ j. paſſul. glycyr. an. ℥ ß. ſebeſt. 4. Caricas tres, ſummitatum vrticæ mollis m. ß. fol. ſenæ ℥. j. ß. polyp. & ſemin carth. an. ℥. j. corticis myrob. citrin. & tamarin. an. ℥. j. fiat Decoct. ad lib. j. in col. diſſ. ſacch. quart. iij. expreſſ. ℥. j. ß. rhei & ℥. ſ. agar. maceratorum in ſucco end. cum ʒ. j. ſant. citr. & ℈. ij. cinn. fiat ſyrup. coctus. cap. ℥. j. ß. interlunio Lunæ, cum decocto glycyr.

℞. Diatrag. frig. ℥. ij. cap. frequenter. ℞. vng. refriger. Gal. aut roſati Meſue ℥. ij. pro litu regionis renum. Interdici debet vſus eorum quæ mouendarum vrinarum facultate pollent, nam ea ad renes materiam deueherent, & ita obſtruerent, vnde malorum incrementum, ideo perperàm & ignorata rerum natura plerique atti-

dito lapidis nomine, aut renum affectus statim ad vinum album & diuretica concurrunt, ignorantes cautiùs vtendum esse vino albo, præsertim cum corpus scatet excrementis: Hæc enim vsu eorum quæ tenuitate partium prædita sunt, in renem affectum conuehunt, natáque inde obstructio mirum in modum lædit, efficitque vt morbus quasi rediuiuus capiat incrementum. Exercitationis magnæ sunt opportunitates ad præcautionem, & curationem calculi; sed hic consideratos esse oportet, ne aut intermissione exercitationis propriíque officij corpus ignauum reddatur, vel exoluatur, vnde magna crudorum humorum copia congeratur, aut vehementiore agitatione humores agitẽtur, vnde sursum, deorsum ac in omnem partem impetu facto, tandem eæ onerentur partes quæ imbecillitate aliqua fatiscant. Quomodo affectu renum tentati nimis exercitatione sæpè dolores magnos experiuntur. Videndum ne curiosa nimis & accurata ciborum varietas obsit. Nam varij inde humores generantur qui naturæ conficienti plus facessunt negotij, quam si res vniusmodi vsu veniant. Quoniam autem renes semel affecti alijs atque aliis exercentur morbis, vnde eorum successio contingit, æstuante cælo ad lac asininum confugiendum: huius eximiæ sunt dotes cum accommodatè vsurpatur, ita præposterum eius vsum magna incommoda consequuntur. Quod facilè magno vsu apparebit. Calend. Martij. 1571.

ANNOTATIO.

2 *Simile quid obseruauit Hipp. in Herophonte, qui licet nigra minxisset, conualuit, lib. 1. Epid. sect. 3. & Gal. sub finem lib. 5. de locis affect. inter cætera ea de re commemorabilis locus est apud Aëtium, tetrabibli 3. serm. 3. cap. 3.*

CONSILIVM IV.

Pro Nobili puella Lodoica de Heruille.

ILLVSTRIS virgo febre prehenditur quæ typo tertianam refert, sed quod & paroxysmi in noctem inciderent, & quod longiores forent, esse notham spuriámque febrem tertianam inferebat. Eò quoque cõtulit verna constitutio calida, sed tepens. Corpore erat satis malè affecto, & fœdis coloribus deturpato, sed illã insitam

innatámque habebat corporis imbecillitatem; adeo vt toto febris cursu impura humorum colluuies emanaret, locuples congestæ cacochymiæ & in dies succrescentis argumentum. Sic potulenta esculentáq; omnia corrumpebantur: sic hectica quædam corruptela & diaphthora conijciebatur. Exactis diebus tredecim (qui septem circuituum terminus erat) cum & sudores erupissent, & aluus abundè lata foret, imò fluxus quidam diarrhœicus terrore magno apparuisset, sed hic quam primum repressus est, quod non excernerentur quæ excernenda erant, idquę magno totius corporis incommodo fieret; tamen quasi rediuiuus repetiit, & ad tertianum paroxysmum auctarij vice adiectus & alius vt duplex tertiana existeret. At esse mirum oportuit, quòd excretæ materię copia malũ non terminarit, sed ne minuerit quidem. Quod in omnibus morbis malum. Dubitatum est num secanda esset vena? Aliis non placuit hoc remedium, quòd iuuencula, imbecilla, corpore admodum difflabili, materiáque non tam in venis contenta, quàm in mesenterio, in quo magna obstructionum copia contineatur. Aliis secus visum est, qui experiẽtia norint in febribus ab obstructione natis præsens remediũ afferre venæ sectionem. Itaque omissum remedium hoc. Potuit tamen vsurpari, quòd febris nulla appareret vacuitas finitis paroxysmis, impresso nimirum partibus solidis calore. Morbus diuturnus, partim securus, partim verò non apparebat; diuturnus quidem quod maximam partem accessiones in idem tempus inciderint, & eodem desierint: quod ex Hippocratis mente morbum fore longum significat. Securitatem autem designabat accessionum stata periodus & repetitio; ex eiusdem enim sententia periculi immunitas est cum intermissione quocunque modo illa sit. Nam & malignæ humorum putredinis & inflammationis metus abest ex mẽte Interpretis. Itaq; febris ex se quidem securitatẽ pollicetur, sed ratione subiecti patientisque corporis non item, quod viscerum magna impuritas subsit fortasse & diaphthora. Et duorum alterum consequi est necesse, vel vt in longum tempus morbus producatur, vel hectica quædam symptomatica consequatur. Illud enim obseruatum est à venarum mesaraicarum obstructione nasci febres hecticas, quæ diu sine sensu magno ægros exercet. Eóque initi consilij extremum pertinuit, vt agarico & folliculis obstructionum libertas quæreretur. Nam quæ excernuntur viridia, flaua, & varij coloris recrementa, ea non minuunt paroxysmos, quod arguit id non excerni quod excerni debuit, vnde natura opprimitur tantum, sed non alleuatur.

CONSILIVM

CONSILIVM QVINTVM.

Pro Coquo Domini de Roissy, colicum dolorem pati se asserente.

INCREDIBILE dictu quantis doloribus venter imus torqueatur. Ac sępè exercent in ea parte dolores quos frustra, multis adhibitis remediis siue ea assumantur, siue adhibeantur, soluere aut lenire cogitabis. Iniectis clysteribus non soluuntur, medicamentis paulò vehemẽtioribus irritãtur. 2 Primus nostra memoria Fernelius obseruauit sæpenumerò cruciatus excitari, qui quadam similitudine & vehementia colici nuncupantur, quibus tamen non in colo intestino sedes est, sed vel in peritonæo, vel in membranis quæ abdomini ventrísque partibus obtenduntur. Non clysteribus, non medicamentis leniuntur. Eorum materia aut flatus est, aut acer æruginosúsque humor, qui cum diu restagnans in visceribus restitisset, tandem inusitatam viam in abdominis spatium aut in peritonæum sibi patefacit. Et hæc in diuturnis febribus contingunt. Quippe natura depulsionem materiæ crisímque in aluum molitur; & cum nusquam expeditam viam nanciscatur, humorem illum è venis ac visceribus in membranas auertit ac deriuat. In quatuor aut quinque id ego deprehendi, qui cum dies aliquot febre conflictati fuissent, aut quod eius diuturnitatis eos tæderet: aut quòd cum primùm natam febrem rescindere ac iugulare cogitarẽt, inito cum mulierculis, aut præstigiatoribus circulatoribúsque hominibus consilio, motum impetúmque materiæ impediuerunt. Et cum ea inducias aliquot dies dedisset, resumptis collectísque viribus, iam demum recèns furibunda quaquauersus sese insinuat, vnde dolores priore morbo deteriores exurgunt. Ac vt cæteros omittam, Nicolaus du Saulsay memorandus hîc. Hic febrem tertianam sustinuerat: remedia neglexerat, serò tamen neglecta vsurpauit. Habitu erat melancholico, putri, aut saltem pessimè affecto liene. Cum febris quieuisset, octauo post die astricta aluo, in stomachi capacitate flatum sensit. Paululo post tempore paulò contractius malum ferè superiùs orificium occupauit, ac si hic punctum esset aliquod: circa pectinem ad extremum musculi recti altera doloris sedes, præterea circa renem sinistrum; non quia meo iudicio materia diffusa esset magis, sed in particulis his magis elucebat. Pulsus paruus; sudores, ac veluti animi defectiones; vrinæ flauæ ac sedimentum nigricans diuulsúmque:

(sed tales vrinas in melancholicis, & quibus affecta viscera sunt obseruaui) pugnatur cardiacis, nil profectum. Ita exactus dolor, ac velut superficiem attingens, vt minimum digitorum appulsum, imò ne rarissimi lintei ferre posset. Descendit in balneum, adhibiti litus, fotus, medicamenta vomitoria vsurpata, nil profectũ. 2. Imò sequiebat magis dolor. Visus est toxico infectus. Ac eius rei magna erāt argumenta: duodecies repurgatus; & hîc blandis primùm agendum est, nec incœpto desistendum. Cum vires languere viderētur, secta fuit vena dextra, alleuatus paulùm, malum recruduit iterum. exhibita sunt iterum medicamēta, secta vena sinistra; alleuatus; ex interuallis data narcotica, somnum inire nequibat. Sed an hîc sectio venę vtilis? Nullus penè est qui à secanda vena non abhorreat, cùm deiectæ sint vires admodum. Præsentissimum tamen remedium, quòd materia à centro per metastasim ad habitum corporis viam affectat, & cum illic restitet, potest educi sectione venę. Siquidem tenuis fuisset, per insensilem transpiratum, aut sudores efflasset: sed cum crassa foret, medio quasi itinere obiectâ veluti morâ resistens, membranas ferit atque diuellit. Lutetiæ Parisiorum mense Maio 1571.

ANNOTATIO.

2 *In aliorum scriptis hoc nondum obseruaui. Fernelius vocat colicum dolorem non legitimum: dolor non est erraticus, sed in imo ventre fixus manet, & intolerabilis est, fotibus paulum quiescit, sed multo sæuior repullulat; imò Io. Fernelius ait eum dolorem aliquando tertianarum febrium (quibus aliquando succedit) modo, repetere ac exacerbari. Non est quod huius rei inuentæ gloriam sibi decernat Fernelius: Nam & Hippocrates aliquid simile in Coacis videtur obseruasse. Verba quidem obscura sunt, sed tamen idem subindicasse mihi videntur: dolores, ait, ex lumbis diuturniores qui febre exacerbantur* τειταιοφυῶς, *similiter tertianæ febri, vel in modum quendam tertianæ febris, grumosum sanguinem egerere faciunt: Hoc enim vult dicere, vel eos dolores quadam periodo repetere, more earum febrium quibus successerunt, vel in febribus modum quendam tertianæ retinentibus eos demum repullulare ac reuiuiscere. Porro in eiusmodi ægris quos obseruauimus, crudelissimè affligit dolor, & tumores quidam nonnullis apparent, vt in fabro lignario cōtigit, qui diutissimè insomnis præ dolore mansit cum colico isto dolore illegitimo: hinc abscessus metuebantur: nec abs re, nam de ijs dictum est ab Hippo. in Coacis, durities circa ventrem & dolores in febrientibus cum horrore, cibum auersantibus, si aluo parum humectata non*

purgentur ad ſuppurationem veniet. In ijs nos & frequentibus fotibus, & medicamentis opem attulimus.

2 *Hippocrates lib. de affectionibus eos dolores adumbraſſe videtur, dum explicat quotuplex ſit voluulus, vnus hyemalis: alter æſtiuus & ictericus: tertius hæmatites, & autumnalis. Nam ij dolores ad voluulum accedere videbantur.*

2 *Ioannes Fernelius in talibus balnea vſurpabat, viribus nondum lapſis: ac in balneo ipſo medicamentum purgans propinabat: Quod dum agere incipiebat, educi jubebat ægrum è balneo.*

2 *Ac de eiuſmodi doloribus quos hic æger noſter ſuſtulit, videtur agere aphoriſmus Coacar. animaduerſionum Quibus dolores Hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa vmbilicum, hi ſanguine per inferiora excreto ſanantur, non excreto moriuntur, quia metus eſt inflammationis.*

CONSILIVM SEXTVM.

De pulmonum phlogoſi.

Pro puella Nobili Longueil.

FILIA Conſulis Regij alui profluuio ac febre prehenditur, in pulmonibus incendium magnum conceptum eſt. Febris quidem ſpecie benigna ac mitis videtur, tamen niſi occurratur, futurum eſt, vt in hecticam degeneret: in pulmonibus eryſipelatodes aliquid eſſe declarat appulſus manus ad regionem thoracis; infirmis eſt pulmonibus, tum quòd id vitij à matre contraxit, tum quòd ſuperiore hyeme magna in pulmones deſtillatione laborarit: hinc difficultas magna anhelitus, hinc pulmonum imbecillitas, hinc pituitæ putris in iiſdem ξυναθροισμὸς, & niſi diligenter prouideatur, breui in pulmones facto humoris impetu grauius aliquod opinione noſtra malum eueniet. Præterea aluus fluit, vomitióq; ægram fatigat. Quæ deiiciuntur liquidiuſcula ſunt, & diarrhoïca. Magna vermiũ ſuſpicio quos putredo magna parit. Nam paulò poſt propinato ex Rheubarbaro poculo excretus vermis mortuus (quod tãtam corruptelam ſignificat, vt nequidem eam vermes, prognata tamen ex putredine ſoboles, ferre poſſint.) Itaque oppugnanda ventris inferioris putredo, quæ febrem hanc penè hecticam putridam quoque efficit: alterandi & pulmones. Hæc enim quæ adeſt ſitis ingentem in pulmone conceptam flammam arguit. Et cum ſilentium, frigidæ

haustus, necnon auræ frigidæ inspiratio sitim sedare dicatur ab Hippocrate, eam sitim non explebit frigidæ potus, cum non in aluo æstus, sed in pulmonibus concipiatur: foris illinetur totus thorax Oleo violaceo, & butyro recenti: epithemata cordi & iecinori applicata. Sedatus vomitus. Præscriptum rheubarb. Omnia in melius vertuntur.

CONSILIVM SEPTIMVM.

De febre hectica.

Pro Puello.

CLaudius de Heruille circa mẽsem Martium cælo ęstuante cœpit febricitare. Diaria erat febris quæ primo quoque tempore in speciem quandam hecticæ degenerauit. Ac id Medicos primis diebus latebat ad eam rem parum attentos. Aluus liquida deiecit, cinericia, putria admodum. Paucis post diebus aluus restitit. Secta vena, sed frustra. Interiecto aliquo tẽporis spacio vrinæ croceæ turbatæ apparuerũt: illud χλώρασμα λαμπρὸν Hippocratis, id est faciei viriditas collapsa est: breuissimis interuallis deprehensa est collabi corporis ea tantula quæ inerat corpori moles. Metus maximus fuit Hecticæ μαρασμώδους: fomes in pulmonibus est, & in imo ventre: febrisque complicata est, eleuato subinde ex imis sedibus vapore, qui cordis intima feriat atque attingat. Hîcque considerari debent ἕξις, putredo maláque qualitas per partium inferarum quamdam corruptionem. A cibo refrigerabantur extimæ partes: rubebant genæ ex interuallis. Itaque non tam de morbo eiúsque specie laboratum est, quàm de curatione, quæ operosa ac difficilis visa est. Nam ariditas cutis & scabrities, marcor, & collapsus repentè habitus, facies penè Hippocratica, caloris ad interiora recursus & expansio, vicissitudóque eius à cibo præsertim, caloris acrimoniâ hecticam intemperiem ali fouerique declarabant. Institit & quidam hoc argumento nixus probare hecticam febrem non esse, quòd à cibo refrigeratio, non calfactio contingeret. At Galenus exemplo de perfusione calcis adducto vult in hecticis febribus à cibo partes calefieri: sed non excludit leuem refrigerationem, quam postea calfactio excipiat. Vel dicemus in iis quibus robusta sunt viscera, calfactionẽ statim enasci: quibus contrario modo affecta, leue refrigerium

contingere. Ergo primo quoque tempore hæc instituendi vsurpandique remedij iam demum nata necessitas & occasio videbatur. Sed hîc audito febris hecticæ nomine, non statim ad humectãdum refrigerandúmve accedere oportebat, eorum more qui empiricã methodum sequuti, omnia confundunt ac peruertunt. Febris illa hecticæ omnia argumenta præseferebat, sed vnde nata, an morbo successerit, symptomaticáve, an essentialis, quæstione dignum putatur. Hecticæ rarò primariæ sunt, & vt agnouit Galenus 3. *de præsag. ex puls.* aut à mœrore aut ab ira nascuntur, præeunte aliqua diaria. Alias causas non agnouit. Nec enim credibile causas procatarcticas tantam vim habere, vt primo quoque tẽpore partes solidas immutent. Tamen ex tribus vnum videtur probabile. Visus est diariam productam pati cùm cælum mense Aprili æstu incandesceret, cui febri aut celatæ, aut neglectæ hectica promptè successit, vt 8. *Meth.* Gal. ait contingere. Nam faciles sunt morborum successiones in malè præsertim affectis corporibus. Vel potius (vt licet simile legere apud Gal. 3. *de præsag. ex pulsibus*) cum intemperies & superficiaria phlogosis ratione cæli æstuantis præcessisset, ecce hectica pestilens quæ contingit aliquando, oborta est, quæ omne medentis consilium ad cardiaca conuerterit. Quod & vrinæ prætendebãt, quæ confusæ & subcroceæ apparebant, cum nil tale contingere soleat in simplici hectica. Sæpè enim ídque primis diebus vrinæ non parum absunt ab vrinis sanorum. Probabile & illud hecticam hanc veluti symptomaticam in corpore macilento maléque affecto ab obstructione, aut vitio totius substantiæ partis alicuius natam. 2. Etenim legere est exoriri sæpè febres lentas ex hecticarum genere à latente obstructione, aut semimala in parte quapiam corruptela. Sic nimirum focus videtur cor, hepar per consensum cordis, mesenteriũ, ipsi quoque pulmones. Licet Gal. lib. *de Marasmo* neget pulmonẽ sedem esse febris hecticæ, quòd pulmo sit humidus, & perpetuo nouo attracto aëre refrigeretur. Sed hoc quàm verum, aliorum esto iudicium. Ac in hoc iuuene pulmo & mesenterium focus videtur, vt ne vno neglecto alteri malè consulatur. Itaque hic considerantur intemperies, mala qualitas, putredo, vt perpetuò vrinæ declararunt. Diligenter profligata est mala qualitas, duorúmque hîc habenda ratio, putredinis, intemperiei tanquam cuiusdam phlogoseos. 2. Hîc tamen opus, hîc labor. Audito nomine morbi sectio venæ, cum putredo est, & purgatio; cum autem hectica intemperies est omnis refrigerandi modus & alteratio

2. *Gal. 10. Meth.*

intelligitur, ſed hic grauiſſimè à pleriſque peccatur. Nam ait Gal. 10. *Methodi*, in febribus hecticis ſi quid peccatur, grauiter peccatur; & cum affectus ſit magnus, leuiſſimũ errorem tolerare nequit. Ac hîc contrariæ multæ indicationes. Ita blandiſſimè ex interuallis corpus repurgandum, litus corporis totius, præſertim verò ad thoracem. Syrupus reſumptiuus. Auræ refrigeratio, frigidæ potus. Aqua roſarum & violarum: nam & facilè penetrat, & ſummam refrigerandi vim habet. Maſſipanes: panis infriatus in iure gallinarum, aut caponum. Lac aſininum poſtmodum iure & loco præſcribetur.

ANNOTATIO.

2 Obſtructio & phlegmone duo ſunt quæ impediunt quo minus audacter in febribus hecticis refrigeremus. Tamen Gal. mauult vſu frigidæ & obſtructionem & phlegmonem augere, quàm ſinere longius ſerpere hecticam intemperiem.

CONSILIVM OCTAVVM.

Pro bilioſa fluxione.

ANglus annos aliquot laborauerat deſtillatione bilioſa in ſcoptula, & brachia cum capitis dolore. Deſtillationis fons creditus eſt in capite eſſe; ita tamẽ vt hepar præcalidum author primarius crederetur. Metúſque tandem eſt, ne in partes inferas humor deferatur; illícque aut gonagram, aut iſchiadam faciat. Quod vt ne contingat, omníſque mali præripiatur occaſio, remediis iis occurrendum. Vinum circũcìdi debet. Corpus Rheubarb. ſæpè repurgandum. Per tres annos vere & autumno baſilica aperiatur. Luna ſilente hyemis tempore repurgetur pilulis ex agarico, ſine quibus, & cocciis. Tota æſtate caſſia cum rheubarb. Cum fluxio in motu ²eſt applicetur ſupra partem bolus armenia, aut nutritum: amurca aut aqua ſalſa: pro capitis dolore paretur Lixiuium ex cineribus ſarmentorum & vnciis quatuor fol. ſenæ mund. Parabitur ſmegma ex nigella romana, roremarino, ſale. Item opiata ex conſerua antheos, buglo. borrag. cortic. citr. & myrob. item mithrid. ther.

ANNOTATIO.

2 De ijs articularibus morbis bilioſis docte Aëtius cap. 28. ſerm. 4. tetrabib. 3.

CONSILIVM NONVM.

De Melancholia Hypochondriaca.

Pro quodam Mercatore de Montargis.

MErcator quidam variis curis implicitus ac metu mortis perculsus cœpit macrescere admodum. Habitus erat macilẽtus, squallidus: Hypochondria collapsa. Destillatio in pulmones, & difficultas anhelitus. Cuidam Empirico se concrediderat qui accurata diæta catarrhum sistere contendebat, sed frustrà id, & imperitè. Lutetiæ cum moram nonnullam traheret, cõsuluit medicos vt præsenti malo occurrerẽt. Visus est tantum queri de difficili anhelitu, cuius authorem catarrhum accusabant. Oculi erant mobiles, modò fixi, Galli vocant, *esgarez*, quasi esset attonitus. quod propter affluentem animalem spiritum fit affatim, deinde propter eum resistẽtem; E nare sinistra stillabat humor putris serosus, qui si restitaret in cerebro, aut vertiginem, aut epilepsiam accerseret; sed vt accuratè inuestigata est totius mali causa, ac præsertim de difficili respiratione, de qua solum querebatur, laborabamus: inuenimus tandem eum melancholia Hypochondriaca laborare, & in visceribus quasi hectica quædam affectio deprehensa est. 2 Difficilis respirationis causa longiùs repetita est, eáque siccitati marcoríque viscerum ac cordis præsertim accepta relata est. Nam in ista hypochondriaca affectione siccitas est totius corporis per alimenti proprij corruptionem, siccum est cor calidum tamen calore acri, febrili & squalido. Vnde cum cor flabellationem (vt sic dicam) euentilationémque summè efflagitat præ siccitate, dum sufficiẽtem motũ duplicem non habet ad refrigerationem eius caloris febrilis, statim repetito motu illud compensat ac resarcit. Hinc fit vt dum paulò magis corpus agitatum est, quasi animal ipsum ἄπνουν remaneat & veluti suffocatum. Sic causa difficilis respirationis & anhelitus potius ad siccitatẽ cordis incendio iunctam referenda est, quàm ad catarrhum. Non quin pulmones ipsi laborent, vt & cæterum corpus. Itaque in eo omnino versandum est, vt quacunque id ratione fieri possit, corpori prima moles restituatur, tollatúrque, tum alimentis, tum medicamẽtis squallor & marcor totius corporis. 2. Nam vt dicebat quidam ex veteribus, melancholia hypochõdriaca laborantes, tum demum curati dicuntur cum pinguescunt. Corpus renutriendum optimis alimẽtis, vtendum hordeatis sæpè ac iusculis: pulmones humectãdi,

balneis vtendum licet catarrhus dehortari videatur. 2 Sed quoniam extinguendus aut humefaciendus, & temperandus calor ille præter naturam qui omnium illorum malorum autor est, magis speratur felix euentus ex vsu balneorum, quàm sinister exitus. Caput corroborãdum, humectandum, conferet lixiuium ex cephalicis & folliculis senæ. Lacti asinino locus erit post diligenter, blandè tamen repurgatum corpus. Etenim licet melancholicum sit, proptereáque vehementioribus vtendum sit medicamentis secundum sententiam Hippocratis: Tamen illud sine consilio & ratione non est vsurpandum, etenim cum in melancholicis humoris potius atri ac contumacis copia in promptu est, quam vitium substantiæ, ac praua quædam viscerum diathesis & imbecillitas: illîc tum ad vehementiora remedia conuerti debet consilium, pręsente scilicet viscerum ipsorum robore, quod ab Hippocrate intellectum putari debet: sed cùm cachexia quædam est ob alimenti corruptelam, vitiatámque nutritionem, ac viscera vitiata sunt ac vieta, illîc ex interuallis blando medicamento vtendum est, vt sensim ac sensim potiùs therapia consistat in epicrasi quadam, quàm frequenti catharsi quæ vim visceribus alioqui effœtis illatura est.

ANNOTATIO.

2 *Aëtius cap. 15. tetrabibl. 3. serm. 2. vbi ex professo agit de ijs splenicis quos tussis infestat, & istam tussim soli catarrho tribuunt nonnulli.*

2 *Mesueus cap. de melancholia Hypochondriaca.*

2 *Hæmoptoicus erat, sed Hipp. lib. 2. prorrh. admirabiliter scribit Hæmoptoisin non afferre periculum in ijs in quibus dolores melancholici excitantur in dorso & sterno. Quod in historia de Tassino annotauimus.*

CONSILIVM DECIMVM.

Pro quodam Nobili cui Collum intortum erat.

NObilis vir annos natus 45. in bello ciuili perfuga multa tulit, & in tot tantísque discriminibus cœpit laborare destillatione à capite postico, præsertim in humeros & ceruicem. Hinc colli ac ceruicis contorsio quædam, & cum tempore occursum non fuisset remediis ad id institutis, ita malum increuit vt facies in posteriora detorqueretur, & non nisi magno conatu in anteriora reflecteretur.

tur. At siue bibere, siue edere, siue loqui vellet funiculo in eam rem comparato, retrahebatur caput aliorsum inclinans. Lutetianis Medicis nunquam quidquam tale videre contigerat. Ac laborandum fuit in specie morbi inquirenda, & remediis accommodatis. Videbatur nonnullis vnius partis esse resolutio, quæ alteri conuulsionem attulisset: quod non erat credibile, nam in eodem statu pars perpetuò permansisset: At reducta facies in locũ suum, nisi magno conatu & magno cum dolore sisteretur, conuulsiuo quodam modo statim reuellebatur in postica, magna omnium qui aderãt admiratione. Conuulsio erat reuera, & omnes musculi erant affecti, & viscoso frigidóque humore imbuti, qui discussus vsu rerum calidarum affectum sustulit. Itaque hæc remedia descripta sunt, quibus aliqua ex parte alleuatus est.

℞. Pilul. cocciarum & aurearum an. ʒ ß. turbith & agar. trochisc. an. ℈ ß. fiant Pilulæ.

℞. Gummi Elemi ℥ j. olei ebuli Keirini, & lumbricorum an. ℥. ß. pro litu ad ceruicem & occiput cum lana succida.

℞. Emplastri de beton. ℥ iij. opopa. gumm. elem. stiracis an. ℥ j. picis naualis, picis pinguis an. ℥ j. pulu. maior. & Ireos an. ʒ ij. ß. ceræ & olei rutæ q. s. fiat Emplast. pro capite.

℞. Nitri puluerís. ℥. ß. sulphur. viui ʒ iij. fiat puluis quo sinapizetur Emplastrum prædictum.

℞. Castor. ʒ ij. sem. nigell. Roman. ʒ iii. ligni aloës ʒ ij. pul. maior. ℥ ß. fiat puluis pro suffitu cum rosis rubris.

℞. Conser. anth. bugl. borag. folior. beton. an. ʒ iii. mithrid. ʒ j. ß. marg. elect. ℈ j. rad. pœon. & sem. eiusdem an. ʒ j. cum syrupo de stœchade, & conseru. citrij, fiat Opiata ad vsum ante cibum, & serò ante somnum. Vsus est decocto guajaci & Chynæ: abstinuit vino: Repetita sunt remedia frequenter, vsus est Laconico.

CONSILIVM VNDECIMVM.

Pro alui fluore.

Adolescens in comitatu Equitis torquati cùm debitum officij munus exequi non posset prę valetudine nimirùm lubrica, cœpit eum diuturnæ cessationis tædere, aut quòd inuita penè natura multa ferret quibus ferẽdis satis nõ esset. Affectus erat alui fluor aut diarrhoïcus fluxus, inueteratus & penè cũ nutricis lacte suctus, adeo

omnem eius memoriam superauerat. Egregiè ad calamitatem natus videbatur. Affectus tædio cum eò magis augeri infirmitatem hanc videret, quo maior annorum decursus fieret, nihilominus solatus aphorismi fide, *Quibus iuuenibus aluus fluit, iis senibus astringitur*, Medicos consulit, vt hoc iam corroboratum malum vel extirpent planè, vel aliqua ratione alleuent, nam eum sæpè cogit magna desidendi necessitas. Malum hoc non tam mereri videtur nomen morbi quàm symptomatis, quod tamen ab imbecillitate aliqua in visceribus nata profectum est. Non affligit perpetuò, sed ex interuallis præsertim cum plenius paulò gulæ ventrique indulsit. Sępè ita inuito illo aluus fluit, aut potius laxatur, vt primo quoque tempore desidere cogatur, nec ratione vlla differatur. Interim totum corpus emaciatum est, pallidum, sitis magna, cætera satis ad res alacris. Non queritur de frequenti nimis deiectione, nec enim plus æquo aluus descendit, sed de cita nimis liquidáque aluo, & vt ita dicam, stercoris incontinentia. Intestinorum affectus; aluus cita, Græcis διέξοδος ταχεῖα, dysenteria, leienteria, (quæ ventriculi quidem vitio fieri solùm nonnullis visum est, tamen intestinis tribuitur à Galeno *com. in apho. 22. lib. 3. aphorism.*) diarrhœa, cœliaca affectio, fluxus hepaticus, lienosus. Fluxum hepaticum aut lienosum quidam annos aliquot pertulêre, tamen tandem parte resoluta interiêre. Ergo non est eiusmodi fluxus, leienteria minus esse potest, nec enim ea infirmitas tandiu perseuerasset. Nec sanè ventriculum in vitio esse suspicamur. Nasceretur autem vel ab excretrice ventriculi irritata, vel à retentrice resoluta, vel à coctrice debilitata. 2 Retētrix resoluitur à pituita acida & coniunctam habet ὀξυρεγμίαν: ab hectica intemperie ventriculi, & intestinorum distributioni subseruientium: vel secundum Oribasium, à pituita crassa viscidáque quæ replet rugas ventriculi. Excretrix irritatur multitudine alimentorū per se, vel quia non distribuantur ob obstructionem mesaræi: vel acrimonia alimenti, vel humoris, vt cum ventriculus aphthis tentatur. Ergo ad fluxum diarrhoeicum potest reuocari. Obseruatum est enim diarrhœam quamdam biliosam esse qua bilis flaua, aut citrina ardens ac plerūq; spumans emanat, ídq; sine magna ventris torsione. Sed tamen cum in diarrhœa non modò in excretionis modo, sed & in qualitate & in quantitate peccatum sit: hic noster affectus ex parte aliqua quiddam habet tale, ex aliqua verò non. Nam vt prædictum est, non de frequenti nimis deiectione non conqueritur, sed de cita nimis aluo, & de excretionis modo. Fluxus alui, qui motus est ad excernendam

materiam per aluum & inteſtina, aut à toto corpore, aut à parte, fit motu naturæ, aut ſymptomaticè. A toto corpore aut diarrhœa eſt propriè, aut colliquatio, aut cruentus fluxus, aut varij coloris, aut cholera morbus. Si à capite, cerebralis fluxus dicitur, vnde ſæpe mulieribus ῥοῦς γυναικεῖος dicitur à capite manare. Aut hepaticus, aut aluinus, cum nimirum in lactibus, aut craſſioribus inteſtinis, aut in meſaræo, aut meſocolo vitium concipitur. Et ſic in cæteris prout hæc aut illa pars infirmitate detinetur. At nil tale in hoc affectu. Siquidem ſi tale aliquod vitium cõceptum eſſet, iampridẽ detectum fuiſſet in ægrotantis iuuenis perniciem. Ergo de frequenti deiectione non laboratur, nil de aliena excrementorum qualitate, ſed de excretionis modo 2 In tribus res tota verſata eſt. In hepate intẽperies eſt, vnde bilioſi acerrimíque humoris prouentus fit, qui in inteſtina illabens facultatem excretioni dicatam irritat; facultati retentrici imbecillitas comparata eſt. Ineſt quoque inteſtinis ſenſus exquiſitus, ídque propter eorum nuditatem, ex corporis enim mole & facilitate facile colligitur interni corporis conſtitutio, & longo temporis tractu, aut ab ipſa cõformatione inteſtina non ſatis oblita obductáq; ſunt mucore pituitoſóque humore, quem natura inſtituit ne bilis flauæ illàc tranſeuntis, aut excrementi mordacis acriſque per calorem redditi moleſtiæ tam facilè ſentirentur. quod fortaſſis non abs re. Ego autem cum pruritum narium obſeruarem, cœpi rogare num vermium moleſtias ſenſiſſet. Nam inter cauſas fluoris alui vermes numerantur. Dum nimirum generatur putris humor vermibus generandis aptus, qui & per ſe aluum citaret, & cum vermes generet, vermes ipſi mordicando idem præſtarẽt, intellexi excretos infrà ſupráq; vermes, deprehenſum eſt tandem hepar in vitio eſſe. Ad hæc capita curatio reducta eſt. Vtatur conſerua roſarum initio paſtus. Aliquando granis maſtich. cum ſyrupo roſarum ſiccarum, Iulepo roſ. myua cydo. In iuſculis miſceatur ſuccus ompha. Expurgetur bilis quæ multa circum cyſtim & iecur collecta eſt, decocto ſeridis, abſinth. pont. plantag. lactucæ nouell. 4. ſeminũ frigidorũ maiorũ in quo macerentur ʒ ii. rhei, in forti expreſſo diſſol. ſyrup. myr. ℥ ß vel ex ſucco plantag. & portul. Cum perſeuerabit fluor addetur corall. ʒ j. rhu pul. ʒ. j. Vere & æſtate parabitur ſyrupus ex ſuccis omph. plantag. portul. ſeridis, cichorij vtriuſque cum ʒ ij. ſeminis papau. alb. cum ſeminib. frig. madeant boli armeni ʒ ij. in nodulo addentur ℥. ij. rhu, pro lib. in forti expreſſ. Iecori adhibebitur cerot. refrig. & epith. Parabitur Elect.. ex puluere triaſ. coral. rub.

ſeminis plantag. terr. ſigill. carabe cum ſaccha. diſſol. in aq. conueniente. Inteſtina oblinantur decocto omazor. cui coquantur roſ. plantag. fol. myr. cum mucag. gummi tragac. interdum cremore hordei. Vtatur elixis potius quam aſſis. Vere nouo ſi pulſus velocior, tundatur vena iecoris. Lacte aſinino & balneis vti poterit. Idibus Iunij 1571.

ANNOTATIO.

2 *Et quod hîc dicitur de ventriculo, idem de inteſtinis dici poteſt, quorum rugæ dum læuigantur, fluor alui contingere poteſt.*

2 *Longi cum perſeuerant alui fluores, rarò id fit citra catarrhoſam cerebri diſpoſitionem: veteres autem Medici eo diſcernunt fluxum hepaticum & cerebralem à ſtomachico & inteſtinali, quòd hepaticus & cerebralis ſit periodicus & nocturnus; ſtomachicus autem diurnus fere, & non periodicus. Ratio hæc eſſe cenſetur: ideo illi ſunt periodici & nocturni; quod per fluxionem fiant, & præterea eadem de cauſa multis fiunt de nocte ob reuocationem caloris intro, & pororum occluſionem: citantur enim tunc catarrhi: huc accedit motus materiæ phlegmaticæ de nocte. Quod autem caput adiuuet maximè huiuſmodi fluores, & propterea illi conſulendum ſit, primus obſeruauit Hippocrates, lib.* περὶ παθῶν: *Huius verba hæc ſunt, Dyſenteria, Leienteria, diarrhœa, morbi conſimiles ſunt: Hi ſic ſunt ſanandi vt dedefluxum à capite impedias, & à ventre ſuperiore, morbi enim natura hinc eſt. Qui locus eſt diligenter annotandus.*

CONSILIVM DVODECIMVM.

De ſanguinis ſtillicidio ab vtero.

CViuſdam mercatoris vxor cum grauida eſſet, diéſque aliquot paulùm de ſanitatis gradu deijceretur ex alto in latus dextrum cecidit. Ante caſum ſtillauerat paululum ſanguinis ab vtero ac ſi fluxus menſtruus minaretur: A caſu grumus ſanguinis apparet, ac paulò plenior fluor: febricula prehendit: corpori magna eſt lentitudo: pondus quoddam in pectine ſentit: dejecta appetentia, pulſus paruus, humilis ac in quodam ictu deficiens. Quæritur num fœtus mortuus. Cum res in dubitationem adducta eſt, iam dies octauus à caſu agebatur, & ſuperioribus diebus, vt antè dictum eſt, ſtillicidium ſanguinis præceſſerat. Quæſitum eſt primum, num vtero geſtaret: num vitale, ſi vitale, an caſus iſte vitam fœtui præripere potuiſſet?

ne temerè de accelerando partu elidendóque fœtu cogitaretur. Ægra mulier vtero se concepisse certò affirmabat, quod exactis duobus mensibus menstruum nil apparuisset, nisi quod paulò ante casum tantillum cruoris effluxisset. At nunquam illi menses substiterant quin vtero concepisset. Nunc an à lapsu aliquid alienum contigisset. Non visa est vita præcisa fœtui quòd vitalis non esset exactis tãtũmodo duobus mensibus & duodecim diebus. Imo embryo tantùm est. Quod falsum videtur. Nec enim à die quo mouetur in vtero fœtus numerari debent dies vitæ. Prius enim vt planta viuit, deinde vt animal sentiens: tum vt mobile animal: postremò vt rationis capax. Sensus enim facultate illustratur fœtus circiter diem sextum & trigesimum. Vbi autem ad mensem tertium mas peruenerit, femina verò ad quartum, moueri incipit, ait Hipp. calcitrare. Ac certè siue mas, siue femina geritur, aliæ prægnantes semper die 42. aliæ mense tertio, aliæ non nisi medio prægnationis cursu eum loco dimoueri sentiunt. Itaque deceptus admodum medicus qui negauerit extinctum posse esse fœtum, post duos menses & 12. dies, & quòd vitam animalis viuere nõ existimetur. Ac ille totius corporis lentor, fluor sanguinis, ἀκινησία, λειποθυμίαι, pulsus διακοπὴ, & ἔκλειψις, cuiusdam ponderis in pectine sensus, lumborum magnus dolor, tormina, dejecta appetentia, sudor in quibusdam tantùm partibus apparens, qui Hippocr. ἐφίδρωσις dicitur, ac in malis habetur, immò & sudor subfrigidus apparens, alienum aliquid contingens satis apertè videntur attestari. Immo quibus diebus in morbis apparet aliquid, iisdem natura nescio quid moliebatur. Molam nullam esse inde colligi potest, quòd ante casum nil deuolui videretur in alterutrum latus decumbenti. Tamen hæc omnia signa non potuerunt Medicos adducere vt certò crederent collisum esse oppressúmque id quod vtero contineretur: alia enim multò certiora paruissent exactis præsertim, octo aut nouem ab occasu diebus. Tamen narrantibus obstetricibus sæpè à casibus in vnum aut alterum mensem signorũ argumentorúmque extincti seminis fidem supprimi. 2 quamquam Hippoc. in Historiis vicesimi diei in eiusmodi rebus mentionem inierit. Enimverò stillicidium sanguinis si à fundo vteri manaret, os vteri hiaret, si quid collisum esset, ac vietum (Gallis *fanè*) id vnà efflueret, aut alia ratione sese proderet. Potuit enim à casu sanguis effluere, non quòd aliquid alienum in vtero sit, sed eo modo quo antè casum, per externas nimirum venas quæ ad collum vteri pertinent, non per eas quæ in fundo de-

litescunt. Item & lapsus author eius stillicidij esse potest, non propterea hiante vtero, sed erumpente sanguine per partes inferas, vtpotè præ cæteris ab eo casu conflictatas & concussas. Vt in ijs apparet, quibus cerebrũ concussum est, aliàs enim per os, aliàs per nares, aures, oculos quoque ipsos sanguis quaquauersum erumpit. Leipothymia, ac pulsus exiguitas potest humorum summam putredinem consequi, quam deiectiones detegebant. Propinato enim blando medicamento ex rheub. & elect. diacarth. tantula quantitate excreta sunt admodum putria, cineritia, subflaua, quæ magnam subesse corruptelam significarent. Ac metus ipse, animiq; pathemata, quibus mulierum leue ingenium facilè concutitur, & quibus ista de qua sermo est, mulier, ex interuallis agitabatur, nonnihil earum rerum afferre ac adducere potuerat. Ac in tam accipiti ambiguóque negotio videndum, ne quid detrimenti capiatur: nihilque audentius moliendum quousque rerum agendarum procliuior promptiorque sese nobis offerat occasio. Saltem non obsimus dum prodesse volumus, cum hoc multum ad honorem Medicorum referre videatur. Ac mirum quod diem circiter 13. apparuit, refrixerunt extimæ partes, crurum femorúmq; tantus sudor, isque frigidus sequutus est, vt larga veluti copia aquæ irrigatæ essent illæ partes. Ac deficiens ille pulsus necessariò aut affectum cor, aut os ventriculi declarat. Addo & illi in asthmaticis, & iis qui ab oppressione pulmonum moriuntur, tales pulsus apparẽt. Præterea in magna humoris corruptela idem contingit. Licet febris adesset, ac vrinæ flammeæ apparerent, vsu vini etiam generosi non interdicta est: exhibita sunt quæ vim roborandi superioris orificij ventriculi haberent. Tertio quoque die propinatũ rheubarbarum, vt omni ope exigeretur is putris humor, qui febrem posset reaccendere. Rerum præscriptarum hæc ratio est.

℞. Rad. bistort. tormentill. tunicæ an ℥ j. rad. & folior. dictamni, agni cast. an. ℥ ß. fiat decoct. in qua infunde rheu. ℥ ij. ß. rad. bistort. gra. 6. sacch. rosʃ. ℥ vj. fiat potus. cap.

Item ℞. Ambræ grisʃ. gran. iij. margar. electar. ℈ j. corall. rub. fragm. lapid. pretiosʃ. & lap. hæmatitis an. gr. vj. rad. bistor. ℈. ß. pulver. diarrh. abb. ℈. j. cum sacch. rosʃ. in aq. bistort. dissol. fiant tabellæ.

ANNOTATIO.

2 *Ab Aristotele quæ conceptus corruptio intra 7. diem fit, ἔκρυσις dicitur, Latinis effluxio, ἐκτρωσμὸς autem ad 40. diem vsque fit. De his Hippocrates primus lib. de septimestri partu.*

CONSILIVM DECIMVM-TERTIVM.

De sanguinis profluuio à Partu.

MVlier annos 35. nata, longè à partu magno sanguinis profluuio diuexata est. Multa eò conferentia adhibita sunt. Cùm sanguis restitit iam primùm oborti dolores atrocissimi circum lumbos, & ventrem ad vmbilicum. Non cedebant remediis. Inter dolores ab vtero numerabantur. Relictis Medicis ad mulieres confugitum est. Illæ & balneis & fomentis, & cucurbitulis vterum loco reponere conabantur. Sed frustra, tandem variis vltrò citróque vsurpatis remediis, dolores conquieuerunt. Aliis Medicis visus est vterus illuuie humorum oppletus esse: ideo præscripta sunt hæc ad sedandos primùm dolores, tum ad deplendam istam humorum illuuiem.

♃. Rad. alth. lilio. farinæ lini an. ℥ iij. mal. viol. parietar. an. m. j. chamæ. melilo. an. m. j. coquantur addendo butyr. recent. & ole. lilior. an. q. suff. fiat cataplasma, cui adde foliorum rutæ in sartagine cum axungia porci coctorum, m. ij. cinam. pulueris. ℥ ß. fiat catapl.

♃. Casto. ℥ ß. rheub. ℥ iij. fiat massa cum syrup. viol. capiat pilul. 4. pro dosi. Ab vsu fomentorum alleuatus dolor aliqua ex parte, sed partibus imbecillitas est comparata. vnde aliquo post tempore facta veluti systrophe & collectione humoris ad hypochondrium dextrum, difficultas summa respirandi consecuta est: primo occursu manuum dolor ingens. Ingredi non valebat. Curuata penè incedebat. In neutrum latus decumbere poterat. Cum superioribus diebus de vtero conquesta esset, visa est morbi sedes esse in partibus quæ ad vterum pertinent. Ac præsertim ligamentorum vteri vitium aliquod esse suspicabantur, sed situs sedem esse aut in hepate, aut in partibus vicinis demonstrabat. Initum est ea de re consilium.

Summus Hippocrates successiones morborum considerandas esse præcipiebat, quòd in morbis longis multa symptomata contingant quæ bonis & eruditis Medicis ob similitudinem & fallaciam imponant. Et noui morbi tanquam soboles rediuiua ex aliis subinde consequantur ac repullulent. Nec mirum si hæc mulier post dolores vterinos, post sanguinis profluuium ingens tam variè ac variè conflictetur, quod multis contingit post partum præsertim

ſi difficilis & laborioſus extiterit. Nam oportuit naturam diuturnitate morbi, iam debilitatam aliquid moliri, aliquid in partem aliquam deponere, quod in fine morborum contingit, præſertim ſi qua pars dolitauerit. Id quicquid eſt de quo dubitatur dolor eſt ad dextrum hypochondrium, qui aut immutati habitus, aut alienati temperamenti conſequens eſt. Difficultas reſpirandi, corporis piger motus, inflexio difficilis. Quæ & iis contingunt authore Aëtio, quibus ad cornu dextrum vteri collectio fit & inflammatio, aut cum vteri ligamenta in vitio eſſe incipiunt. Morbus tumor eſt. Sed vnde natus, quæ ſedes, & cuiuſmodi ſit, hoc opus, hic labor. Omnis Hypochondriorum æqualitas in bonis ducenda quod ſubiectas partes benè habere ſignificet. Inæqualitas in mole & qualitate in malis
„ ponitur. Nam verum eſt quod ſcribit Hippocrates. *Hypochondrium*
„ *molle eſſe conuenit, dolore vacuum, æquale. At inflammatum, aut inæqua-*
„ *liter ſe habens aut dolens ſignum eſt ægritudinis non benè moratæ.* Ac niſi præceſſiſſet illud ſanguinis profluuiũ, illic inflammatio hepatis concepta fuiſſet: nec abfuit longè quin conciperetur. Illud confirmat ſententia Hippocratis, *Quibus præcordia non mollia, facies ſana, non liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut conuulſionem, aut coxendicum dolores.* Porrò, tumor qui eas partes occupat, aut externas, aut internas tenet. Item aut humilis eſt & depreſſus, aut eleuatus: occultus, aut apparens. Recens, aut inueteratus. Si recens & repentè fit, aut inflammationem ſignificat, aut abſceſſum. Si inueteratus & ſenſim increſcat, ſcirrhum ſignificat, aut obſtructionem, auct. Gal. *com. in* 4. *Aphoriſmorum.* Hîc non eſt inflammatio, quia febris vacuitas non repentè contigit, quo fit vt ſcirrhi ſuſpicio ſit, aut congeſtæ illic multæ materiei. At externas maximè partes occupat, nam digitorum preſſus altus dolores affert, quo fit vt non hepar, ſed muſculi intumuiſſe iudicentur. Mirum illud eſt, quomodo ſecutum hoc ſit poſt magnum ſanguinis profluuium, quin potius vnà cum ſanguine id quicquid eſt excerni debuerat, & magno illo profluuio hepar quodammodo refrigeſcere debuerat, & aluus humeſcere, per Aphoriſm. Hippo. *A largo ſanguinis profluuio alui humectantur.* At contra contigit, immo aluus ſuppreſſa eſt, & frequentibus clyſteribus irritata. Sæuiſſimi dolores fuerunt qui colicos referrent. Quod duabus de cauſis mihi videtur contigiſſe, aut quia profluuij diuturnitate caloris paupertas conſecuta fuerit: hinc flatuum & torminum magna vis exorta eſt: Aut quia natura, quâ data porta, à centro ad circumferentiam humores

mores detorserit, qui lancinantes peritonæum, & partes vicinas eos dolores excitarunt. Præterea purus sanguis excretus est, multa crassa excrementa, quibus præsertim inter alias mulier hæc abundat, quòd & præpinguis sit, & intemperanter viuat, in aluo restiterunt, quæ eos dolores inuexerunt. Ergo si ampla & vasta mole aut venter imus, aut pars hypochondrij promineat, si non fluctuatio sit, non alui suppressio diuturna, non hydropis suspicio, aut est musculorum abdominis tumor, aut mesenterij, aut hepatis. Nam ab ingluuie sæpe aceruus est pituitæ, quem Natura aut in pancreas, aut in mesenterium relegat. Et in iis glandulis quæ illic iacent exaggerantur varij humores qui tempore siccescentes renitentem durumque tumorem ingenerant; vnde in iis partibus veluti concreuisse iudicatur. Atque vt finiatur oratio, duorum alterum esse videtur: quoniam mesenterij tumor altè sepultus est, nec se in conspectum dat: vel est tumor insertus musculis abdominis; tum quia primo contactu occurrit, & quia etiam citra pressum dolorem afficit. Aut est tumor qui iecur sine scirrho distendit, iisdem ferè notis se prodens ac scirrhus in se. Hic in iecoris ambientes membranas effunditur: & vt aliquando legi, sæpe tantus est vt vniuersum hypochondrium repleat, & nulla iecoris circunscriptio appareat. Hic à flatu, aut cruditate quam immodica frigidæ potio affert, vel intempestiuo fugacium fructuum esu: & non grauitatis, sed tensionis sensus est, vtpote ab humore crasso & lento quem iecur validum à se excutiens in proprias membranas deponit. Nec enim propriè scirrhus est. Curatio hæc legitima esse videbitur. Omni ope amolienda est illa materia, quæ eo loci congesta falsò scirrhum refert. Cauendum à remollientibus, ne vel cancrosum quid generetur, vel scirrhosum. *Comparatus est syrupus solemnis ex ℥. ij. rheub. ℥ j. agar. & ℥ iij. foliorum senæ. Rhabarbarum in succo mercurialis maceratum est. Foris applicatum est hoc.*

℞. Ceroti santalini ℥. ij. mucag. scyllæ & rad. altheæ an. ℥. j. Extrahatur in aqua hepaticæ. Fiat linimentum cum oleo rosato.

CONSILIVM XIV.

De Febre Tertianæ typum referente.

ADuocatus febre corripitur inæquali, sed quæ ad tertianæ typum referri posset. Vix erat expers febris, pulsus admodum languidus, sæpe hiabat os, continuæ erant pandiculationes. Morbus nescio quid sinistri portendebat. Antequam de remediis statuatur, primum constare oportet quis morbus, & quæ morbi causa. Alioqui inutilis opera, inutile omne consilium. Si obscura morbi species est, vt in hoc ægro existit, huic non protinus remedia adhibenda, sed maior negotij pars naturæ committenda. Nam futurũ vt natura legitima vitæ ratione adiuta morbũ profliget, & patefaciat id de quo dubitatur. Incerta enim medicatio non nisi dispẽdio decernitur. Omnis morbus suis se signis & symptomatis prodit. An hæc febris intermittens, an continua, planè dici non potest. Nam nulla, aut exigua febris vacuitas apparuit hactenus: quod aut inflammationem, aut malam humorum qualitatem declarat. Tamen solatur Aphorismus dum ait: Quocumque modo intermiserint febres, periculum abesse significant. Si autem morbos & eorum accessiones periodorum vices declarant, in censu febrium tertianarum haberi potest, quòd tertio quoque die nouæ accessionis rudimenta appareant, sed ita parum perspicua, vt quorsum res euasura sit hactenus non sit intellectum, facilè in hecticam notham degeneraret: corpus squallidum est, calor (vt sic dicam) squalidus, tempus id postulat: à cibo statim calfactio sequitur, contentio animi, insomnia vacuitas doloris, pandiculationes frequentissimæ, ita tamen vt putredinis maxima eluceant argumenta. Magna est imbecillitas, quæ aut affectũ cor, aut ventriculi orificiũ, aut malam putredinẽ arguat à qua vapores excitentur. Vrinis parũ fiditur, quòd hic ęger nephriticus sit. Parum autem tutũ iudiciũ est vrinarum in eo casu. Nam sæpè humor crudus excernitur à renibus ipsis, qui falsò hypostasin laudabilem refert. Morbus fuit breuis. Sectâ venâ euentilatus calor, qui in putri materia erat sepultus. Bis repurgatum corpus satis vehementer. Toto morbi cursu abstinere vino non iussimus, tum quòd imbecillitas summa dehortaretur: tum quòd habitus esset melancholicus. Hic autem vino interdicere non est artis.

CONSILIVM XV.

De Hepatis inflammatione.

THesaurarij vxor prauis ſcatens excrementis in vtero cō-ceperat. Toto grauiditatis tempore nonnullos dolores ad vmbilicum ſentiebat. Præteritâ tempeſtate auſtrinâ poſt immoderatum vſum fructuum fugacium alui fluore tentata eſt, qui dies aliquot neglectus. Tandem decumbere coacta eſt. Excernebantur cruenta, viridia, ὑπόχλωρα. Interiecto tempore pici ſimillima mox ramenta inteſtinorum prodibant. Febris ſucceſſit. Dubitatū an flūor is eſſet ſymptomaticus, proptereáque potiùs in febrem eſſet incumbendum, quàm alui fluorem. Videbatur Medicis optimum ſi ſæpe repurgaretur. Non aptè tamen. Deſidere cogebatur nocte quadragies, & ita vires frangebantur. 2. Vomitus fuit æruginoſus planè: vomebat ante cibū, & præſertim à ſomno. Dolitabat regio hepatis. In hoc phlogoſis coniiciebatur. Prætermiſſa venæ ſectio. Celebrata eſt die octauo febris. Tardiùs hoc factum, & nullo profectu. Sexto & ſeptimo die excreta ſunt quę cadaueroſum olerent. Et hæc ſuſpecta ſunt planè. Vino erat interdicendum tum ratione febris, tum phlogoſeos in hepate. Nam hic dolor recenter obortus, in dextro hypochondrio aliquid ſimile ſubeſſe demonſtrabat. Pulſus fallebat: At ſcire debebamus ex Galeni ſententia in grauidis pulſum eſſe paruum & oppreſſum. Vnde ſæpe grauidas febre non laborare exiſtimamus, cùm tamen reuerà laborent. Ab hepate inflammato reſudabat inutilis & ſeroſus humor, qui in ventriculum refluens illum perturbabat, & vomitum promouebat. Ergo tam frequenter deſidendi deſiderij cauſam reuocabam ad ſeroſum humorem, qui continenter ab hepate inflammato reſudabat, iuuante ad id vteri pondere: vnde conatus & inane deſiderium ſæpe poteſt contingere. A partibus internis facilè reſudat humor qui fluorem alui citare poteſt. Tandem hepaticæ deiectiones apparuerunt. Decimo tertio die peperit vitalem. Lochia ſuppreſſa ſunt: aluus non reddidit vt antè: Omnia viſa ſunt tranquilliora, ſed calor ſenſim intrò reuocabatur. Sequēte nocte profusè ridebat. Delirabat. Repēte omnes partes refrixe-

rũt. Sudor frigidus. Per duodecim horas hæc apparuerunt. Mẽte ſatis conſtabat. Interiit. Ab omnibus clamatũ eſt. Et tantæ cladis cauſa relata eſt in prætermiſſam reprimendi fluoris alui occaſionem. Quod perperam & imperitè effectum fuiſſet. Nam vbi primum repreſſa eſt, mortis periculum creauit. Ac tanta excrementorum varietas etiam prauiſſimorum ſatis abundè docuit ſummam fuiſſe in partibus intimis corruptelam, quam Grę-ci διαφθορὰν nuncuparunt. Ac & tempus, & corporis conſtitutio, & grauiditas, & affectus ipſe omnem ſalutis occaſionem præripuerunt. Si aluus ſuppreſſa fuiſſet, non eſt dubitandum quin febris & alia ſymptomata increuiſſent.

ANNOTATIO.

2. Ingens bilis copia ſurſum deorſum ferebatur: deorſum quidem per alui fluorem dyſentericum, ſurſum per vomitum. Nam æruginoſum per os excernebatur. De eáque verum fuit quod dixit Hippocrates in Coacis.
" *Quæ ante partum in modum choleræ morbi, id eſt humore ſurſum deor-*
" *ſumque lato, dolent, facilè quidem pariunt; ſed ſi febricitent, perniciosè*
" *habent: tum aliàs: Si quid in faucibus adſit, aut ſi aliquod prauum ſignum adſit. Quæ omnes aphoriſmi circunſtantiæ in mulierem iſtam inciderunt: Et interiit. Sub finem 5. epid. narrat de quadam muliere grauida quæ dyſenteriâ laboraret. Sed edito fœtu ſtatim quieuit malum. Nam pondus pueri poteſt facere ad irritationem, & inane deſidendi deſiderium.*

CONSILIVM XVI.

De duplici Tertiana.

ADoleſcens annos circiter vndecim natus toto menſe Augusto febre laborauit duplice tertianâ, quæ exaſperationes tamen certas & ſtatutas non habebat. Corpus macrum erat, cacochymum, viſceribus affectis malè. Et qui color in cute effloreſcebat, is alimenti prauitatem detegebat. Progreſſo morbo fluxio in pulmones eum adoritur: paulò pòſt dolor permoleſtus ad hypochondrium dextrum: alius ad ſiniſtrum. Cùm morbus quieſcere videretur, poſtliminiò redit, non idem, eandemque rationem habens: ſed diuerſus. Lenta obſcuráque fe-

bris eum noctu diúque sine ferè vllo sensu occupabat. Dolor hypochondrij dextri repetit. Initur consilium. Capita hæc sunt: Vnde hypochondrij dolor: Quæ febris. Complicatáne. Quæ medendi ratio. Dolorem hypochondrij ementiri potest stomachi inflatio & dolor. Vnde sępe conqueruntur de alterutro latere ægrotante, cùm aut nulla, aut exigui doloris causa sit in alterutro viscere: sed affectus ventriculus, tumefactúsque affecti hypochondrij opinionem facit. Atque ita diligenter videndum ne similitudo affectuum nobis imponat. Tamen non multùm nostra nos fefellit opinio: sed reverà dolor in ea hypochondrij parte erat qua latet hepar. Nullus qui appareret tumor: nulla inflammatio, siquidem amplior fèbris esset. Sed id quicquid erat meo iudicio depositio erat materiæ in partem illam vt infirmiorem & exercitatiorem toto morbi tempore. Febris lenta est, complicata cũ catharro & fomitem habet maximè hypochondriorum obstructionem, id est, partium in hypochondriis contentarum. Nam annotatum suprà est à latente obstructione mesenterij nasci febres non hecticas quidem per empyreuma & phlogosin, sed putres hecticas, vt putredo continuitatem, perseuerantiamque (vt sic dicam) afferret. Euincenda itaque putredo omnis. Aluus pigra est admodum: an ideò vehementioribus pugnandum remediis? Nequaquam. Sic fœdè ac turpiter à Medicis arbitratur, qui quum aluum pigram admodum vident, nilque etiam valido medicamento deiicientem, tenerè corpuscula sicca & emaciata grauiter medicamentis fatigant. Nesciunt enim, nesciunt, siccitatem corporis retentricem confirmare admodũ, & deiectiones non posse fieri faciles & liberas, nisi humiditas quædam radicalis sit quæ actionem adiuuet. Sic enim magna illa siccitas omnem actionem impedit ac interuertit. Intereà affatim sæpéque medicamenta valida damus, & dum maiorem siccitatem afferimus, nihilominus nostro voto satisfit. Ergo catharrus febri iunctus illam prouexit. Vterque consulendus, sed maximè διατείνει per ἐπίκρασιν sensim ac sensim refici renutririque debet. Expeditis obstructis, lac asininum dabitur, quod omniũ tardissimè acescit. Et non est quod dehortari videatur febris nisi ea admodum magna sit. Quod Gal. consilium est libris περὶ τροφῆς.

CONSILIVM XVII.

De duplici Tertiana.

MErcatoris vxor cùm instaret pariendi tempus febre prehenditur, quæ duplicem tertianam imitaretur. Ac quæ in tempus autumnale febres incidebant, ad tertianarum naturam accedebant, ac iis de nocte præsertim ægri torquebantur. Humor biliosus suppressus induebat naturam pituitæ eiusmodi febres ingenerans. Quæ vomebantur biliosa erant, subuiridantia. Et quod mirum fuit, illo temporis non videbantur immunes à febre ægri, incertísque horis modò cum sensu frigoris, modò sine eo adoriebantur. Exactis duodecim ferè diebus enixa est, viribus satis robustis, facilè. Quæ excerni debuerunt, excreta sunt. Sed repentè, aut vno prope dicam interiecto die dolor oboritur acutus, difficultatem respirationis inferens. Nulla tussis erat: nec febris aliquantò acutior. Cùm aut tussire, aut expectorare vellet, aut aliorsum mouere, pręe dolore illud non poterat. Simile apparuerat nobis in alia quæ peperisset. Ab imo ischio ad mediam lateris dextri partem dolor erat toleratu difficillimus. Hic remediis non cedebat. Tandem exeunte pure per sinum pudoris alleuatio. 2. Sic in multis grauidis orgasmo materiæ quam natura vtpote imbecillior facta enixa non potest regere ac domare vt ante partum, multa contingunt quæ pleuritidem mentiuntur, siue quod motu naturæ humor sursum deorsum moueatur: siue quòd externa aliqua fluxio fiat, siue quòd circa hypochondriorum tunicas & venas humor multus est, vnde per continuitatem membranarum & vasorum communionem eleuatur hypochondrium alterutrum, & hic meteorismus difficultatem respirandi affert, quæ similitudine imponit sępe Medicis, supponitque alium affectum pro alio. Ita nimirum *in Coacis,* summus Hippocrates animaduertit quendam lateris dolorem cum hypochondrij meteorismo & difficultate spirandi. Sed vocat eum dolorem, lateris dolorem sine signis; quasi dicat pleuritidem non esse, ne ea similitudo nobis falsò imponat. Cùm vrgeret hic dolor, metúsque esset suffocationis, quęsitum num tutò & iure tundẽda esset vena, cuius maxima est opportunitas ad anteuertẽdos morbos per congestionẽ nasci turos. Dehortabantur vires imbecillę: partus qui paulò antè pręcesserat: item quòd

pleuritis non esset, aliisque fortassis remediis cederetur. Denique metus suppressionis lochiorum à partu: quæ si supprimerentur, omnia peiora multò contingerent. At cùm dolor ad pectus vrget cum difficultate spirandi, non statim tundenda vena: immò nisi signa adsint, talem sectionem improbat Hippocrates in Coacis Animaduersionibus. Tamen ne quæ materia locum certum nondum teneret, tandem parti impacta opinione nostra maiorem morbum afferret, in eam ventum est sententiam, vt sectio venæ tutò celebraretur. Sanguis qui fluxit lacteus erat, planéque putris. Dolores conquieuerunt: Lochia nō sunt suppressa, immò aliquando vt & in menstruorum tardo pigróque motu, sectione venę liberalior, multo fluxio fit. Sed antequam tunderetur vena, præscriptum est hoc poculum.

℞. rad. bistort. myrrh. dictamni, & rad. rub. maioris, an̄. ʒ. ß. mithrid. scr. ij. syrup. rosar. pallid. ℥ j. vini albi ʒ vj cum aqu. hyssopi & arthe- fiat potus, capiat manè. Vna post hora aperiatur vena.

Cùm perseueraret febris, augerentúrque symptomata, subesset magna cacochymia, quod ex olidis excrementis apparebat, quęsitum rursus quid hîc consilij caperetur. Intumebant pedes & brachia: item facies, ac si leucophlegmatiâ tentaretur. Ac mirum fuit (dicebat senior medicus) quomodo non discuteretur morbus hic à febre, cùm Hippocrates febrem aquas ac crudos humores concoquere ac digerere affirmaret. Sed illud verum est pręsertim de febre superueniente, aut de ea quæ esset copiæ humoris analoga. Quod in hac muliere non constabat: nec iure ea sententia Hippocratis citabatur. Etenim hîc febris corrumpebat sanguinem: sanguinem corruptū auersantur partes, & facultas alteratrix quodāmodo vitiata, non ratione sui, sed alimenti in probum sanguinem affluxos humores non cōuertebat. Accedit quod inflatio ista morbos istos sequi soleat, minúsque propterea terrifica esse soleat, pręsertim cùm in neutro hypochondrio tumor aut inęqualitas appareret. Tandem de purgatione vna atque altera, tertiáque cogitatum est, quod hyposarcidio habitum liberari alui profluuio, testatum Hippocrates reliquisset. Tamen non erat ὑποσαρκίδιος, nec tam frequentibus locus fuit purgationibus. Immò decipiuntur sæpe Medici rerum similitudine. Et ea tempestate multis pedes, manus, & brachia intumuêre, & qui venæ sectione educebatur sanguis, planè putris erat.

ANNOTATIO.

2. Quæstio magna esse potest, An cùm lateris dolores oriuntur in muliere à partu cui lochia eunt, secanda sit vena. In hac enim muliere cui dolor lateris, vt hîc dicitur, obortus est, secta vena lochia suppressa sunt. Vereor ne illa suppressio tanti mali causa sit, id est, cur in hydropem inciderit. Vide nostras historias de vxore Comitis de Mauleuri. r.

CONSILIVM XVIII.

De Febre Erratica.

PRocurator post curas aliquot & molestias, præeunte aliquâ corporis grauitate in febrem incidit. Hæc de genere earum quæ vagabantur eo tẽpore autumnali. Incertæ: sine typo: modò cũ sensu aliquo rigoris: modò sine eo. 2. Exiguo medicamento prouocatus lepothymia prehendit, paulò post visa est aluus liberior: sed mox restitit. Inde omnia symptomata increuerũt. Illud autẽ prę ceteris terrori fuit: In accessionibus pulsus paruus, febri nõ analogos, coma, aphonia. Nulla re excitatur. Mirũ hoc fuit in homine satis macro. Erat & quidam ῥῖγος, & suffocationis metus ingruebat. Sectâ venâ perseuerarunt illa. Cessante accessione & tentatis multis ad se tandem redibat, semisopitus tamen. Repurgatus sępe. Hæc ab oppressione cerebri nata erant. Coeuntibus quoque malignis vaporibus à partibus inferis, vt febris pestilentis suspicio aliqua esset. Verum quidem illud coma, catalepsin, cataphoran denique ipsam aliquando sub finem longorum morborum contingere, quod nos ipsi animaduertimus: & plerique interierunt; tum quod corpus aliquot dies sideratum manens non nutriretur: tum quòd summa erat oppressio cerebri, & febris augebatur, in modum continuæ perseuerans. Credibiléque fuit horum alterum, aut illam catalepsin ab exhausto manare, quod periculosissimum: aut propter paupertatem caloris & spirituum, & longitudinem morbi multa succreuisse pituitosa ęxcrementa, eáque maligna, quę cùm à febre dissipata non fuissent, restitantia in corpore tam funesta symptomata intulerunt. Nec huic solùm viro ea symptomata tam formidabilia conti-

contigerunt, ſed & omnibus ferè qui toto illo tempore in febres inciderunt. Vidi quibus ſuffocationis periculum ingruit acceſſione aduentante quaſi pondus in pectore ſentirent, & ſibi præcludi fauces viderentur. Aliis acceſſionis initio præfrigidi ſudores, quod rarò contingit. Aliis (quibus ex longis interuallis tantùm tuſſicula erat infeſta) cùm acceſſio prehenderet, tuſſis adeò vehemens accidebat, vt eam quammoleſtiſſimè ferrent. Mulieri ſexagenariæ toto tempore acceſſionis leipothymiæ: comatoſum quid, dolores permoleſti. Querimoniæ. Sed vt ad ægrum noſtrum reuertamus, variis remediis à primariis Medicis occurſum eſt. hic potus iniectus eſt.

℞. ſcobis vnicornis gran. 4. ambræ griſeæ gran 3. cum aqu. card. fiet potus. cap. Iniecti frequenter clyſteres: iniectus & hic.

℞. centaur. minoris, betonicæ, meliſſ. ſaluiæ, calament. an. m. j. flor. geniſt. p. ij. ſem. lini ℥. ij. agar. in nodulo poſiti ʒ iij. fiat decoct. ad ℔ j. In col. diſſolue Cath. & hieræ diacolochyntidos añ. ℥. ß. olei aneth. ℥. iij. fiat clyſter.

℞ Conſeru anth. flor. ſaluiæ & beton. añ. ʒ. ij. mitho. ʒ. j. ß. ſemin. pœon. ʒ ſ. cum ſyrup. conſeru. citrij. fiat opiata.

℞. folior. ſaluiæ. beton. maior. yuæ. arthr. prim. veris an. m. j. florum ſtœchados, ſaluiæ, & anthos, an. p. ij. fiat decoct. in vino pro fotu capitis.

℞. olei chamæm. liliorum, & nardini an. ℥. ij. caſtorei ʒ. ij. aceti ſcillitici ℥. j. pro embroche totius capitis.

℞. thymi ſature. beton. & ſaluiæ an. m. ſ. piperis ʒ. j. ſ. coquantur in ℔ j. Colaturæ diſſolue oxymel. ſcillitici ℥. iij. fiat gargariſma. Vſus eſt hydromelite: fotibus ex lixiuio ſarmenti. cum agarico, ſena, & raſura ligni ſancti. Item vſus decoct. ſarſeparillæ & guaiaci. Quis enim dubitat quò minùs decoctum ligni ſancti conferat vbi oppreſſum videtur caput à pituita. Siccando enim confirmat, & liberat à dominatu ipſius pituitæ.

℞. Theriaces, mithridat. an. ℥. ſ. olei de caſtor. ʒ. ij. aceti parum pro nuca & poſteriore capitis parte.

Item *℞. pyretri, nucis moſcatæ, caryophyll. an. ʒ. ſ. caſtorei ℈. j. fiat puluis pro naribus. Tamen mihi valdè ſuſpectus eſt caſtorei vſus, propterea quod Epilepſiam inducit.*

Item *℞ emplaſtr. de betonica ℥ ij. ladani, ſtyracis, calamitæ an. ℥. j. olei roſ. chamæm. an. qu. ſuff. fiat magdaleon pro capite.*

℞. oxymel. ſimpl. & ſyrup. de hyſop. an. ℥ ſ. cap. ex cochleari.

Item *℞ theriaces, mithridat. an. ℥ ij. conſeru. acori, campa. anthos,*

an. ℥. j. pulu. diamarg. diarrhod. abbat. an. ʒ. j. decoctionis beton. buglos. bipinel. mors. scabio. cum ℥. j. semin. pæon. 6. ℔. distillentur in alambico.

℞. prædictæ decoct. ℥. iij. colentur per manicam Hippocratis cum sacchar. Vtatur sæpe. Subiectus & hic clyster est.

℞. saluiæ, maioranæ, betonicæ añ. m̃. j. mercurialis m̃. j. sem. anisi & pæoniæ an. ℥. j. fiat decoct. ad ℔. j. in qua dissolue hieræ diacolocyntid. ℥. ß. mellis mercurial. ℥. ß. salis comm. ʒ. iij. castorei puluerisati ℈. j. fi. clyster.

Sed perendie quàm iniiceretur hic clyster, dati sunt ℈ ij pilularum sine quibus serò. Tertio post die potio hæc propinata cum accessio præcessisset superioribus similis: initio autem illius dormiendi adest inexpugnabilis necessitas..

℞. beton. bipin. scabios. folior. buglos. an. p. i. folior. senæ ℥. s. semin. card. citrij & pæon. añ. ʒ. s. fiat decoct. in qua infunde agaric. trochisc. ℈. iiij. rhei ʒ. ij. cinnam. ʒ. s. In express. dissolue hieræ diacolocyntid. ℈. j. fiat potus.

Item ℞. *florum anthos, stœchados, betonicæ, calament. an. m. s. radic. angelicæ ʒ. ij. florum cordial. p. i. 4 semin. frigid. maiorum, cuscut. citrij an. ʒ. j. ß Fiat dec. ad quart. tria. In coll. dissol. confect. Alkermes ℈. iiij. theriac. & mithridat. an. ʒ. ij. fiat potio colata per manicam, pro tribus dosibus.*

Item ℞. *farin. fabar. & orobi an. ℥. iiij. pulu. chamæm. beton. ireos, an. ʒ. ij. coquantur in oxymel. satis diu ad spißitudinem pulticulæ & tenacitatem. fiat cataplasma pro capite dempto superiore emplastro post operationem medicamenti.*

Vires intereà concidebant. Interiit decimo septimo die. Forsasse superior curatio paulò durior fuit. Etenim conuenit in euincenda multa materia pituitosa: sed in siccitate coniuncta cum humoribus aliquot iuncta virium infirmitate non ita conuenire videtur.

CONSILIVM XIX.

De Febre pestilenti.

NObilis mulier post liberalem vsum fugacium fructuum, & molestias aliquot, cùm tamen ea satis hilariter viueret, cœpit aliquando conqueri de dolore & grauitate capitis. Aliquot post diebus cùm omnia vitæ munia probè fungeretur, à prandio cœpit caput dolere: deinde omnium artuum dolor. Febris acutissima. 2. Vomitiones frequentes, varia excerneban-

tur. Aluus fluxit. Secundo die mitiora aliquantò omnia. Febris perſeuerabat. Ex interuallis modò temperatę partes percipiebantur, modò acerrimo calore calfactæ: Iactationes plurimæ: reſiſtit aluus: vomitus ceſſant. Tertio intumuit facies: paulùm taciturna: raptus humorum ſurſum. Omnes partes dolent. Vrinæ confuſæ, nigricantes. Quarto eadem perſeuerant. Nox difficillima: clamores: taciturnitas: difficilis anhelitus: ſurrectiones quadraginta: iactationes. Quinto oculi feroces: mox depreſſæ palpebræ: ſerò omnia exacerbantur: oculi ferociores: conſtantes quaſi defixis palpebris: acies oculorum obtuſa: aphonia: potum aſſumebat ſubmurmurando: non deglutiebat: delirabat: Nox implacidiſſima. Sexto interiit corpore purpuraceo. Acutiſſimus hic morbus: nec ante quartum diem quicquam tentatum eſt. Peſtilens fuit febris, declararunt iactationes quamplurimæ, omnium penè facultatum caſus, ſummus ſtomachi dolor. Inanis vomendi appetitus. Partes modò tepidæ: elato teterrimo vapore à centro ad ſuperficiem modò calidiſſimæ. Lingua non erat febri analogos, nec enim præſicca. Et iam obſeruaui in febribus malignis nec magnam ſitim eſſe, nec linguæ ariditatem: nec calorem magnum. Vnde ſæpe morbus multò maior eſt opinione. Et cùm ſpecie paruus appareat, tamen ex eo eius malignitas paret, quòd non cedat remediis. Suſpecti mihi fuerunt parui tremores. Et in hoc morbo cum aliàs obſeruaui illud quod ſcripſit Hippocrates veriſſimum; *In malis febribus parui tremores: & in potionibus. In ſiccis quaſi ſubſilientes & ſubmurmurantes peſſimum.* Iniectus clyſter. Quarto die blando medicamento repurgata: tum aluus ſupra modum reddidit. Quinto ſecta vena. Planè putris ſanguis. Et cùm fluebant menſes, metúſque eſſet ſuppreſſionis: item & ratione malignæ qualitatis, data potio hæc.

℞. rad. tormentill. dictamn. biſtortæ, & rub. an. ℥. ij. conſeruæ flor. cichorii ℥ i. ſ. ſcabioſæ p. j. flor. p. j. fiat decoct. In coll. diſſol. pulu. cinam. ℈. ſ. puluer. raſur. eboris ſcr. j. mithridat. ſcr. iij. ſyrup. limon. ℥ vj. fiat potus.

Cautos admodum eſſe medicos oportet in eiuſmodi morbis, in quibus tantæ iactationes, nec febris tam effera & magna ſpecie quàm ſuis ſe prodit ſignis: cùm functionum animalium caſus adeſt. Et quotquot eiuſmodi febribus prehenſos vidi, in iis obſeruaui facultates animales primo quoque tempore occupari: quod mirum eſt.

ANNOTATIO.

Febris hæc pestilens fuit, cum tamen constitutio alia esset temporis. Et primis diebus morbi sæuissima erant omnia, & proiectio virium. An hæc febris tam effera, tam maligna, & quæ mulierem validissimam tam citò è medio sustulit, vitio humorum contingere potuit, & potuit herclè. Et in hanc rem meminisse oportet historiæ Hippocratis, quæ quarta est ordine sectionis 3. lib. 3. epid. Narrat quendam statim phreneticum decubuisse, qui tertio die interiit, Galenus in Commentar. In illius ægri corpore humor generatus fuerat lethali veneno similis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens, quæ quando vitio iam aliquo pacto opportuna erant, humórque ipse euaserat malignissimus, lethale repentè apparuit symptoma. Et quomodo generetur venenum in nobis ob prauitatem humorum, vt tamen minimè opinantibus nobis eripiantur ægri, Galen. amplè docet in part. 17. lib. 2. Prorhetic.

CONSILIVM XX.

De Febre Tertiana.

CONsul regius tribus ante mensibus connubio iunctus, & vt verisimile est, exhaustâ multâ animâ, imbecillior redditus, in febrem tertianam incidit. Hæc posteà in duplicem tertianam versa est, nec tamen reliquo tempore febris vacuitas: medicamentulo agitatus est: aluus liberior reddita est: biliosa materia & effera in intestina deriuata fluorem inuexit. Metuitur à dysenteria aut longo fluore. Dubitatum de sectione venæ. Præripiebat occasionem impetus alui: item & virium imbecillitas: superiore trimestri ob caussas dictas inducta quòd recèns coniugibus parcè detrahendus sit sanguis. Secta tum est parcè. Incubuerunt omninò ad id Medici vt aluum qua id ratione fieri posset, sisterent: dolores si quos ferret, sedarent; vires confirmarent. Subinde iniecti clysteres manè bis, ter, quater: item serò, & aliis temporibus.

℞. tapsi barbati, centinodiæ, plantag. rosar. rubr. an. m. ij. semin. cydoniorum & psyllij an. ℥. ß. malicorij ℥. ß. fiat decoct. ad ℔. j. in qua dissolue sacchar. rosat. ℥. j. s. syrup. de siccis ℥. ij. vitellos ouorum duorum.

Item ℞. *decoct. ordin. quartar. iij. in collat. dissolue mucor. seminis psyllij, & cidonior. extract. in aq. hordei an. ℥. ß. sacchar. ros. ℥. ij. vitellũ oui vnius. fiat clyster.*

℞. *Radic. gram. acetosæ, passul. integr. añ. ℥. j. cichor. plantag. agrim. beton. an. m. j. granor. berber. recent. ℥. j. semin. acetos. plantag. card. citrij. an. ℥. ß. conseru. rosar. nenuph. an. ℨ. ij. fiat decoct. ad quart. tria. In col. dissolue syrupi cap. vener. & de cichor. an. ℥. j. ß. fiat apozema.*

℞. *syrup. de siccis ℥. j. cum gran. 4. mastich. fiat potus. cap. dormiturus. Intereà purgabatur ex rhabarb. per interualla.*

R. *rasur. ebor. cornu cerui vsti & loti in aq. ros. an. scr. j. margar. elect. scr. ß. rasur. vnicorn. gr. vj. dissol. In decoct. 2. dactyl. passul. integ. cap. vnius papau. & lact. cum ℥. i. syrup. de nenuph. & de siccis. Capiat hora somni. Media nocte cap. hordeatum paratum cum decocto semin. papau. albi & lactucæ, cum saccharo ros.*

℞. *flor. nenuph. viol. rosar. rubr. an. p. 1. semin. lactucæ, papau. albi, an. ℨ. ij. Ex his contusis fiat frontale inter duas syndones: vaporetur aqu. rosar. priùs illinantur tempora oxyrrhodino.*

℞. *caponem iuuen. carnosum, perdices duas, decoction. iuuenis caponis alterati cum lactuc. cichor. domestic. plantag. semin. maiorib. frigid. libras 4. conseruæ rosar. veter. ℥. ij. conseru. buglos. nenuphar. an. ℥. j. myrobal. Embl. ℥. j. ß. Omnia reponantur in alambico, in balneo Mariæ. Fiat destillatio.*

℞. *prædicti destillati quart. tria, sacchar. rosat. ℥. i. ß. Fiat iulep, vtatur cum condito.*

℞ *mirobal. vnam Emblicam. coral. rub. puluer. ℨ. ß. rasuræ cornu cerui loti vsti, margar. elect. an. scr. j. rasuræ vnicornis gr. vi. oßis de corde cerui scr. ß. cum sacchar. rosat. dissolue in aqua ros. fiat conditum.*

Sæpe ac sæpe datus syrupus somniferus, qualis antè descriptus est.

℞. *furfur. rosar. rubr. balaust. tapsi, plantag. an. p. j. semin. psyllij, cidonior. altheæ, añ. ℥. ß. fiant duo parui sacculi qui bulliant in lacte pro fotu ani. Renouentur quotidie.*

℞. *cerati ros. Mesue. loti in aqua rosar. ℥. ij. ß. excipiatur linteolo pro sede.*

℞. *plantag. centinodiæ, tapsi añ. m̃. i. balaust. rosar. rubr. flor. chamæmel. nenuphar. an. ℨ. i. fiat decoct. in lacte chalyb. dissolue sacchar. ros. an. ℥. i. ß. boli armen. ℨ. iij. syrupi rosar. siccar. ℥. i. vitellum oui. fiat clyster.*

℞. *succi cydonior. ℥. ij. succi plantag. portulac. an. ℥. i. cum sacchar. rosa. fiat iulep in modum syrupi perfectè cocti. vtatur cum decocto graminis. 2.*

Fiat emplaſtrum ex cerato Santalino pro hepate.

℞. aqu. plantag. roſar. an. ℥. iij. aqu. decoct. hordei ℔. ß. in quibus diſſol. ſyrup. roſar. ſicc. & mell. roſat. an. ℥. i. ß. Fiat gargariſmus. colluet os ſæpè; ſentiebat enim ardorem in faucibus, & difficultatem deglutiendi. Teneat in ore ſacchar. roſat. interdum tabell. diatragacant. frig.

℞. malum cidonium vnum: piſtetur & contundatur in mortario pauco aceto roſato affuſo: paſſetur per ſetaceum: paſſaturæ adde conſer. roſa. ℥ ii. ß. puluer. roſar. ℈. iiij. maſtich. puluer. abſynth. rom. añ. ʒ. ij. malaxentur cum oleo roſato. Fiat cataplaſma pro hepate & ventric. Extendatur ſuper ſtupas molles & bene carpinatas, priùs in aqua roſar. & aceto pauco maceratas.

Item *℞. carabes ʒ. ij. maſtich. ʒ. iß. puluer. elect. diamargar. frig. triaſantal. raſuræ eboris, cornu cerui, cum ʒ i. coral. vtriuſque ℈. i. ſemin. agni caſti ʒ. ß. ſemin. melonum ʒ ii. tunicæ interioris gallinæ præparatæ ʒ ii. ß. ſaccha. roſ. qu. ſuff. Fiat puluis.*

Et quoniam diuturnitate morbi & fortaſſe refrigeratione ventriculi, ad eius regionem dolor obortus eſt, ſequenti fotu ei prouiſum eſt.

℞. abſynth. roma. maio. roſ. rubr. añ. m̃. j. menth. m. ß. ligni Rhodij, cyp. an. ℥. ß. omnium ſantalor. ligni aloes, an. ʒ. ij. florum chamæm. p. j. Fiat decoct. in aqua & quarta parte vini pro fotu ventriculi ante cœnam. Illinatur oleo cytoniorum & maſtichino.

℞. conſeru. roſar. ſymphyt. bugloſ. borag. an. ʒ. iii. myrobal. emb. ℥. ß. raſuræ eb. coral. cornu ceru. an. ſcr. j. oſsis meſpilo. ſcr. j. terræ ſigill. ſcr. ii. cum ſaccharo roſ. fiat conditum.

℞. Trochiſcor. de camphor. ʒ. i. margarit. elect. ſcr. i. raſur. vnicor. g. 4. Fiat puluis cap. hora ſom. cum iulepo roſato.

℞. cerati ſantal. ℥. ij. maſtich. ℥. ß. puluis ligni rhod. ℈ iiij. malaxentur cum oleo roſato. Fiat emplaſtrum pro iecore.

℞ corali rubr. cornu cerui vſti an. ℈ j. rhei torrefacti & irrorati ſucco granator. ʒ j. incorporentur cum ʒ j. conſeruæ roſarum cum pauco ſyrupo myrtill. fiat parua maſ. capiat mediam partem duabus horis ante iuſculum.

℞ balauſtiorum, nucis gallarum ℥ ß. abſynthij rom. & vulgaris an. m̃. j. cypp. cal. aromat. ligni rhod. an. ℥ ß. ſeminis plantag. ʒ ij. ſantal. omn. ℥. ij. Fiat decoct. in aqua fabr. & quarta parte vini pro fotu ventris. Poſt fotum

℞ mucagin. gummi arab. extract. in aqua roſar. ʒ vj. olei myrtil. cyd. an. ℥ j. fiat litus poſt fotum.

3 ℞. pulu. de cynoglos. ℈ß. mastich. gr. 6. excipiantur syrupo de cicho. fiant duæ pilulæ, cap. dormiturus.

Cùm dolor imum ventrem vexaret.

℞ malu. bismalu. parietariæ an. m. j. semin. lini, fenugr. an. ℥ i. florum anthemit. meliloti an. m. j. absynth. rom. j. fiat decoct. in oxymel. diu: fotus fiat: & post materialia applicentur. Item data sæpe potio ex iulepo rosato & ℈ j thuris.

ANNOTATIO.

2. *Melius est incoquere eos succos cum aliquo decocto conuenienti, gratior & melior erit.*

3. *Galenus cap. 1. lib. 12. method. magnam cautionem vult adhiberi in vsu soporosorum & anodynorum medicamentorum. Et Trallianus, non vulgarem noxam sequi ait ex talium rerum potione, præsertim cùm imbecillæ sunt vires. Quæstio tamen esse potest num imbecillis viribus tutus soporosorum vsus, cùm hæc viribus studere videantur.*

CONSILIVM XXI.

De imbecillitate visus.

DOmina de Pallue aquea cum exertos habeat oculos, eosque satis latos vt radij rerum obiectarum non facilè in conum coniiciantur: nec suo satis gyro qui per opticum canalem feruntur spiritus retineantur: conqueritur sæpè de imminuto visu. Ac cum probè intelligerent Medici id vitij à natura pendere vt arte subleuari tantum possit, non corrigi, tamē ne aliquid non agerēt, & efflagitanti vrgentíque mulieri nihil denegarent, variis atque variis remediis, illam bona spe erexerunt. Sæpè enim postica capitis parte dolorem grauem persentit: sæpè ad radices oculorum ab intimis partibus dolores protenduntur, vt malè affecti cerebri nonnulla suspicio adsit. Itaque eò medicorum processit industria, vt capiti consuleretur, vel per sese affecto ac laboranti, vel sublatis aliunde vaporibus plethoricis symptomatis aucto. Ac si, vt eos qui medicinam castè & integrè factitant, decet, lubenter ægræ querenti denegassent, cum sæpè frustra contra eiusmodi inueterata mala, à naturáque con-

tracta pugnetur, vt certè fecissent, non tot remediis eam vexauissent ac onerauissent. At misellorum ægrotantium morbi etiam desperati aliqua remediorum formula sunt eludendi.

℞. fœnicu. recent. euph. symphy. petre. chelid. an. m̄. j. sem. ormini, fœnic. an. ℥ ß. agrimo. buglos. m̄. ß. turbith in nodulo positi myrob. citrin. an. ℥ s. folior. senæ ℥ j. ß. fiat decoctio ad quart. 3. dissol. sacch. quart. 3. addendo express. ℥. j. ß agar. recent. troc. & ℥ ß. rhei infusi in aqua fœnic. cum ℈ ij. santal. cap. ℥ ij. cum decoc. fœnicu.

℞. Decoct. vnius capi alterati cum acetosa, buglos. borrag. lib. iiij. carnem vnius cap. & duarum perdic: conseruæ rosar. buglos. nenuphar. violæ. an. ʒ ij. pulu. triasantal. simpl. diamarg. frigid. an. ʒ ij. puluer. elect. de gemmis ℈ ij. micam vnius panis albi maceratam in aqu. cordial. & vino albo. fiat destillatio.

℞ bipinel. m̄. ß. betonicæ siccæ, sũmit. fœniculi viridis an. m̄. j. sũmit. lupuli p. ij. florũ cordial. p. j. agrimoniæ, scariolæ, an. p. j. fiat decoct. ad lib. ß. In colat. dissolue sacchari quart. j. express. ʒ vij rhei infusi in aqua fœnicu. cum cinna. ℈ j. nucis mos. ℈ ß. agari. ʒ j. fiat syrupus in tres doses.

℞. beton. origa. sampsuc. thymi, puleg. siccat. añ. p. j. caryophyl. nucis mos. macis, cubeb. piper. lon. an. ʒ j. masti. ʒ ij. nucis cupres. cortic. thur. an. ʒ i s. styrac. calam. benioin. an. ʒ iij. fiat pul. pro cucufa.

℞. elect. diarrhod. ʒ s. coriandri præpar. cinnam. sem. anisi, macis an. ℈ j. in euph. sic. ʒ ij. puluerisentur, subtilis. cum lib. ß. sacch. fiat puluis.

℞. masti. ʒ iij. cubeb. nucis mos. macis, galan. cala. arom. an. ʒ s. puluerisentur omnia & excipiantur gummi tracag. in aqua rorismar. dissoluto fiant trochisci, quorum vnus cum tenui linteo versetur in ore mane expuendo.

℞. Decoct. sampsu. & succi betæ añ. ℥ i ß. vini albi odorif. ℥ j. mel. ros. ℥ ß. pul. nigel. rom. ℈ j. nucis mosc. ℥ s. bulliant omnia feruore vno, colentur & seruentur. in vase pro caput purg.

℞. agar. in succo fœnic. loco vini al. trochis. massæ pillul. lucis & sine quibus. an. ℈ j. cum succo fœnic. fiant pillulæ.

℞. Euph. fœnic. an. p ij. semin. fœnugr. loti in aqua fœnic. ℥ j. maiora. p ß. sem. anisi, fœnic. & gallitrich. an. ʒ i ß. fiant duo sacculi quadrati qui bulliant in aqua euphr. pro fotu oculi dolentis.

℞. Aloës in aqu. end. & succo fœnic. depurato lotæ ʒ iij. pul. hier. simpl. ʒ i s. rhei ℈ iiij. agar. troch. ℈ ij. pulu. euph. ℈ j. cum syrup. rosar. pallid. fiat mass. pill. cap. bis mense pillul. 3. pond. ℈ ij.

℞. aqu. still. rorism. ℥ ij. in hac calidiusc. dissol. salis gemmæ ʒ ij. & in hoc liquore infunde nodulum ex aloe linteo leui inuol. ex quo linteo expresso

expreſſo inſtillabitur guttula liquoris præſcripti: id fiet manè & veſperi.

℞ ſymph. petr. & fœnic. an. m. iiij. rutæ, chelid. an. m. ij. irrorentur vino albo per triduum: fiat deſtillatio in alambico cum magno igne ad vſum.

℞ milii comm. libr. j. ſalis furfur. macr. ſalu. ſicc. an. lib. ſ. ſemin. fœnic ℥. iv. fiant duo ſacculi pro capite.

℞ emplaſt. de betonica ℥ij. opop. ℥ j. caſtor. ʒ ij. picis naualis ℥ ſ. pul. chamom. maior. ireos, an. ʒ i ſ. ceræ ℥ ij. cum oleo nard. fiat emplaſtr. ſinapizetur ʒ j ſalis nitri pro capite.

Ouum recens ad duritiem coquetur detracto vitello, puluere è vitriolo albo, & ſaccharo cando implebitur: ambabus partibus oui diuiſi colligatis macerabitur in aqua roſar. & euphraſiæ per quatuor dies: expreßione facta fiet collyrium.

Huic Dominæ in metu cœcitatis hîc multa remedia præſcribuntur. Item & alia quę ſequuntur optima cognitu.

℞ ſemin. fœnugr. loti in aqua tepida ʒ i. ſemin. fœnic. ʒ ſ. euphr. p. ſ: fiat decoctio in aqua vbi ferbuerint leuiter: primam aquam abiicies: nouam addes: in ſecunda aqua diſſolue ſacchar. roſati cand. ℈ iv. mellis roſati ℈ ij: fiat collyrium, de quo guttas in oculum iaciat ægra.

℞ farin. fœnugr. & tuthiæ præpar. an. ℈ iv. aloës lotæ ℈ ij. fellis perdicis ʒ ſ. amyli ℈ ſ. cum melle roſ. colato. Formentur trochiſci, ſiccentur in vmbra, ſiccatis vtatur cum ſucco fœniculi depur. addita pauca aqua roſacea maiore vel minore pro ardore.

Eidem pariter Dominæ ad dentium fœtorem corrigendum hæc præſcripta fuerunt.

℞ rad. mal. dr. ſ. myrrhæ dr. ſ. maſtich. cornu cerui vſt. an. ʒ j. oſſ. ſpong. & ſæpiæ an. dr. ſ. ſang. drac. ℈ j. ireos flor. ʒ j ſ. corall. vtriuſq. an. dr. ſ. cinamomi & ſantal. citrin. an ℈ ij. cum ſaccharo. roſ. fiat puluis pro dentibus. ℞ puluer. prædict. ℥ i ſ. excip. gumm. trag. extract. in aqua odorif. fiant parui troch. verſentur ore ſæpe manè præſertim.

Item ad dentes.

℞ rad. altheæ ℥ j. ciner. roriſmar. ℥j ſ. florum roſar. rubr. ʒ iij. agrim. m. ſ. alum. ʒ ſ: tartari ʒ ii. fiat decoct. ad lib. ſ. pro ablutione dentiũ.

℞ corall. vtriuſq. roſar. rubr. an. ʒij. cinnam xyl. an. dr. i. ſ. maſtich. ʒ ij: cum melle roſato: fiat opiata pro dentibus. Item:

℞ coral. vtriuſque ℈ j. oßis ſæpiæ ℈ i. ſang. dracon. maſtich. an. ʒ ſ. pulu. rad. biſtortæ & ireos floren. an. dr. ſ. cinam. g̃. 8. ambr. griſ. & caryophyll. an. gr. ij. ligni aloes ℈ i. raſur. ebor. cornu cerui vſti, roſar. rubr. an. dr. ſ. cum melle. fiat opiata. Item:

♃ corall. vtriusque, pumicis, santal. rubr. cryst. an. ʒ iij. cinnamo. caryophyll. an. ʒ j. cum melle rosato, & granis 6 mosch. fiat opiata. Aut *♃ marmor. alb. crystall. an ʒ iij: pumicis, santal. rub. añ. ℥ ſ. caryoph. ireos flor. an. ʒ ij, cum melle. Fiat opiata.*

CONSILIVM XXII.

De Asthmate.

CAROLVS d'Heruille ex asthmate, difficilique anhelitu laborabat. Iuncta erat & destillatio in pulmones, quæ suffocationis periculum afferebat. Summam pulmonum infirmitatem Medici accusabant, qui sese facilè explicare non possent, nec alas suas expandere ad exigendam materiam quæ orthopnœam concitaret. At inito prudenter consilio cum catarrho pugnatum est, incisa materia quam conceperant pulmones: & quoniam in tabem inclinatio fiebat, analepticis quoque cautum prouisumque est, ne marcor adaugeretur, tandemq; in discrimen coniiceretur. Huc autem referentur multa remedia, tum quæ sistendo catarrho dicant operam, pulmonum alas explicant, tabem retardant, & hæmoptoica quoque ipsa. Vt cùm eorũ sylua in promptu erit, facilè si quid sese offerat eiusmodi, occurratur. Magna enim copia est hominum è pulmonibus Lutetię laborantium: siue quòd, vt olim Romæ eiusmodi affectus percrebruerint, ob aëris humidam temperiem, idem Lutetianis contingat. Magnam enim partem perflantur austrinis Parisiẽſes. 2. Siue quòd Lutetiani partes thoracicas imbecillas habeant, catarrhisque obnoxij sint. Delicatæ sunt vitæ, imbecilla habẽt viscera. Siue quòd cùm post centum annos multi tabidi decubuerint, cùmque nullus quantam hoc perniciem afferat, cautè animaduerteret, hæreditario iure ad posteros malum serpserit. Nam quicumque stirpe tabida sati sunt, eos ferè omnes tabes attingit. Siue quòd cùm nullus Medicorum hactenus monuerit nos quanta sit labes & contagio pulmonum affectorum, è quibus aura venenata effertur facilè eos quibuscum versantur inficiens ac contaminans, nemo sibi prouiderit, & ita incautus venenatâ qualitate infectus fuerit. Ac futurum tandem est vt nisi vel in eam rem interdicendæ consuetudinis lex sanciatur, vel cane peius & angue tabe affectorum communis societas fu-

giatur, malum hoc ita Lutetiæ accreſcat, vt oppido pauci malignam eius vim effugiant. Cur enim elephanti corum, cur febricitantium conſuetudo eos quibuſcum vitæ communio eſt, contaminat, tabidorũ virulentia impunè in populo iactabitur? Halitus fœtor, ſpurcities, ſqualórq; corporis, character & viriditas decuſſa, marcor, conſumptio corporis luculento etiã iniecto alimento, quid aliud præter tabificam qualitatẽ malignamque deſignat. Ophthalmia, qui affectus eſt externus, aëri expoſitus, vt vapor facilè euaneſcat, intuentium oculos inficit, vapor è pulmone vlcerato, tabidóque pulmones alios non inficiet? Vnde tanta corporis conſumptio & macies, niſi quòd tabifica qualitas ad cor delata, & à corde continuato curſu per arterias ad omnes corporis partes deriuata, omnes in extimis facultates, debilitet, conſpurcet, & contaminet? In phthoe enim vt & elephantiaſi ſpectatur quædam totius ſubſtantiæ diaphthora, quæ nulla arte corrigi & emendari poteſt. At plerique viſi ſunt & à neotericis & à veteribus qui parentum alterutro tabido ſati eodem anno nati interierint quo & parentes. Nec eſt quod Hippocrates *in Aphoriſmis*, iuuenibus hunc morbum accidere dicat, quòd à vehementi exercitio ſæpe hęmatoptyſis præceſſerit, vt Galenus interpretatur: Etſi enim cauſa hęc procatarctica aliquid efficiat, tamen naturalis procliuitas maioris multò momenti eſt. Sed iam ad remedia deſcendamus. Ad marcorem in phthiſi.

♃ amygdal. dulc. ℥ij. pinear. paſſul. mund. in aqua roſar. mund. & contu. añ. ℥j. pulp. carnis capi vel coxar. ranarum vel cancrorum fluuiatiliũ, vel teſtudinum ℥jſ. medull. 4 ſem. frig. maior. alth. & bombac. an. ʒij. aniſi & cinam. an. ʒ ß. amyli parum, ſacchar. qu. ſuff. fiat maſſa panis cum iuſculo pulli: fiant placentæ. coquan. in clibano.

♃ puluer. pulm. vulpi præpar. ʒj. pulu. diaireos & diatrag. frig. ſacchari cand. an. ℈j. coral. rub. raſur. vnicorn. an. g̃ 4. ambr. griſ. gr. ij. marg. elect. ℈j. fiat puluis.

℞ har. vitellinum vnum, pullos tres, teſtudinem nemoralem vnam: coqu. in aqua cum lactuc. portul. agrimon. pineis, iuiub. ſebeſt. ſemin. bombac. vngul. caball. paſſul. ℥ij. ♃ præd. decoct. ℔ 6. lymaces vineal. 60. reponantur in alambico cum carne capi iuuenis. Fiat deſtillatio in Balneo Mariæ: vtatur in paſtu, & extra paſtus cum ſacchar. roſ.

Et cùm vrget tuſſis à catarrho deſtillante in pulmones, hæc conferunt.

℞ glycyrr. ℥ ſ. paſſul. ℥ j. iuiub. ſebeſt. an. num. 6. bulliant in iuſculo pulli. In colat. diſſol. mann. granat. ℥ ij. ſacchar. candi ʒ iij. fiat doſis.

Fiat litus ad totum thoracem ex oleis quæ ad eam rem inſtitui ordinarique ſolent.

℞ conſeru. roſ. violar. & bugloſſ. an. ℥ ſ. conſer. ſcabioſ. & vng. caball. an. ʒ iij. pulp. ſebeſt. & iuiub. an. ʒ ij. boli arm. præp. ℈ iij. pulu. elect. diatrag. frig. ʒ ij. ſyrup. roſ. ſicc. & myrt. qu. ſuff. Fiat Opiata.

℞ roſar. rubr. maſtich. ſantal. citrin. an. ʒ iij. myrtill. ʒ ij. ſampſuci, flor. ſtœchad. an. p. ſ. beton. ſicc. ℥ ſ. Fiat puluis tenuiß. quo aſpergatur pars anterior capitis.

℞ diatrag. frigid. ℥ j. penid. ʒ ij: looth ſani ℥ ſ. iulep. roſ. qu. ſuff. fiat in modum Opiatæ.

℞ nigell. rom. ℥ ß. vernicis, roſ. an. ʒ iij. ligni aloës ʒ ij. maſtich ʒ j. fiat ſuffitus pro capite.

℞ decoct. hordei mund. ad crepat. cocti ℔ ij. in quibus bull. iuiub. ſebeſth. dactyl. paſſul. an. ℥ j. glycyrr. ℥ ß. bulliant omnia ad conſumpt. tertiæ partis. adde folior. vngu. caball. & bipinell. an. p. j. In decocto diſſol. ſacchari albi ℥ vj. fiat ſyrupus eximius.

In catarrho vehementiſſimo cum magna humorum copia frigidorum pręſertim, valet quod ſequitur.

℞ chamæm. melil. ſcabioſ. bugloſſ. hyſ. ſatur. an. m. j. vngu. caball. m. ij. rad. enul. campan. eryngi, an. ℥ ij. ſemin. aniſi ʒ ij. rad. ireos ℥ ſ. fiat decoct. & excipiatur eius fumus.

℞ raſur. ligni ſanct. ℥ iij: ſarcap. ℥ i. ſ. ſtœchad. Arab. omnium capill. ſcabioſ. bipinell. borrag. hyſſ. agrim. an. m. ß. ſemin. aniſi, fœnic. an. ʒ ij. glycyrr. ℥ j. iuiub. ſebeſth. polyp. an. ℥ ij. epith. vnc. i. ß. Fiat decoct. ad ℔ dimid. In colatura diſſolu. theriac. veter. vnc. ſ. ſyrup. cap. ven. vnc. iiij. ſyrup. de ſtœchad. vnc. j. ß. colent. per manicam hippocr. cum cinnam. Capiat vncias tres ſingul. matut.

Cùm præ copia materiæ aſthmatici ægri quodammodo videntur, valet hoc quod ſequitur.

℞ rad. ſerpent. vnc. ij. paſſul. & glycyrr. an. vnc. j. fiat decoct. ad lib. j. In colat. diſſolu. ſacchar. vnc. iiij. fiat in modum Iulepi. Item.

℞ cypp. calami arom. an. ʒ ii. cort. citrii, aſſæ odor. an. ʒ i. milii ſicc. furfur. mac. loti in vino & ſicc. an. ʒ iij. ſalis ʒ iij. roſ. rubr. ſantal. citr. an. ʒ ſ. Fiat puluis, cuius pars inſpergatur capiti hora ſomni.

℞ ſucci liquir. in aqua ſcabioſ. infuſi ʒ vi. pulucr. elect. diatr. frig. ʒ ii. pulu. diair. ℈ iiij. ſacchari candi & penid. an. ℥ i ſ. ſacchari albiß. ℥ iiij cum infuſ. gũm. tragac. in aqua roſar. fiat paſta: form. pil. ſub lingua.

℞ boli arm. ℥ ſ. elect. diatrag. puluer. glycyrr. cinnam. an. ℈ i. pul. elect. aromat. roſar. ℈ ſ. ſacchari albiſſ. ℥ iv. cum infuſ. gummi tragac. in aqua roſar. & vngu. cabal. fiat paſta.

℞ puluer. ireos floren. gummi tragac. an. ℥ i. amyli, boli arm. an. ℈ j. rhei pulu. ℈ ii. raſuræ ebor. cornu cerui an. ℈ ſ. liquirit. raſæ ℥ i. ſ. ſaccha. in aqua vngulæ cabal. ſoluti quant. ſuff. Fiant tabell. ℈ j. teneat in ore ſæpe.

℞ mell. deſpum. ſacchari & butyri recent. an. ℥ vj. vtatur ex cochleari.

℞ medul. caulium rubror. coctor. inter cineres vnc. duas, 4 ſemin. frigidor. maior. inciſor. vnc. j. ſacchari albiſſ. vnc. iij. fiat conſerua.

℞ diatrag frigid. vnc. ſ. diaireos vnc. ſ. ſemin. bombac. melon. an. dr. ij. pulpæ paſſul. mundat. ℥ ij ſ cum partibus æquis ſyrupi violar. & capill. fiat looch.

Et cùm perenniter illabitur catarrhus à materia effera, qui tabem tandem afferat, ille qui ſequitur ſyrupus miraculosè dicitur prodeſſe.

℞ flor. & germin. 1. ſalicis, folior. vrticæ mortuæ an. m. iv. ſummit. viminis rubri, folior. burſæ paſtor. an. m̃. ij. fiat decoctio in ℔. iij. aquæ roſar. vngul. cabal. & burſæ paſtor. cum ſaccar. lib. j. ſ. ad medietat. ſumat ℥ j. ß. cum aqua deſtillat. viminis rubri.

℞ vngul. caball. bugloſ. ſcabioſ. an. m. i. ſ. iuiub. ſebeſt. num. 4. fol. ſenæ ℥ i. fiat decoctio ad lib. ſ. In colatura infunde agar. ℥ ſ. ſacchari candi lib. ſ. Fiat ſyrupus, capiat bis in hebdomad.

℞ ſyrupi roſar. ſiccar. iuiub. & de papau. an. ℥ ij. pilul. de cynogloſſ ℈ j miſceantur in mortar. capiat æger ſine aqua duo cochlearia ſerò, additâ ℥ i. ß. puluer. ſaccha. roſ. aut candi.

Suffumigium pro capitis ornamentis in deſtillat. Sed hoc mihi valdè non probatur. Vſurpatum tamen à nobili viro.

℞ corianari præpar. ℥ vj. gummi hæderæ, ſandarac. maſtich. olibani, & roſar. an. ℥ i ſ. trochiſcor. de caphura ℥ ſ. ſemin. papauer. albi ℥ i ſ. contundantur omnia craſſiuſculè. Ex his manè & veſperi in lecti introitu ſuffiantur capitis ornamenta.

℞ agar. trochiſc. ℥ j. olibani ℥ ij. fiant pilulæ 6. capiat vnam dormitum.

℞ ſcabioſæ, bipin. vngul. cabal. an. m. i. ficus pingues num. 8. paſſul. iuiubar. ſebeſt. prunor. damaſc. an. ℥ j. ſemin. melon. cucumer. an̄. ℥ ij. fiat decoct. ad quartar. ij. in quibus diſſolu. oxymel. ſimpl. & ſacchar. roſ. an. ℥ vi. fiat in modum ſyrupi.

℞ materialia prædicta, coquantur cum gallo vetere, in decoct. ℥ v.

diſſolu. mannæ grana. vnc. ij. ſ. fiat potus.

℞ radic. altheæ in taleolas ſect ℥ i. ſummit. maluæ, biſmal. bugloſ. borrag. an. m. i. plantag. p. ij. iuiub. ſebeſt. dactyl. pruna damaſc. an nu. 20. ſemin. bombac. melon. cucurb. an. ℥ ſ. glycyrrh. ℥ ij. conſeru. vngu. cabal. ℥ i. vng. caball. m. ij. hyſſopi ſub finem poſiti p. ſ. florum nenuphar. & violar. an. p. i. agrimon. bipin. an. m. i. Fiat decoct. ad lib. i. in aqua vngulæ cabal. & roſar. In colat. diſſolue ſacchar. candi, & roſa. an. lib. ß. ſyrupi de vngul. cabal. ℥ ij. penid. ʒ i. fiat ſyrupus perfectè coctus.

Et quoniam ſanguis ore reiicitur, ſæpe formidabile ſymptoma proximè phthoen minitans, quammaximè anniti debemus vt hoc arceamus.

Syrupus ex ſtercore aſinino in omni reiectione ſanguinis confert plurimùm. Lauatur primùm in aqua roſac. in eadem incoquitur cum ſaccharo roſato, & fit ſyrupus.

℞ conſeru. roſar. veter. bugloſ. borrag. an. vnc. i, puluer. ſemin. plantag. ℈ i. boli armen. terræ ſigil. an. ℈ ij. lapid. hæmat. ſcr. i. cum ſyrupo capill. ven. fiat opiata.

℞ Iulepi roſ. vnc. i. vtatur cum aqua roſ. & plantag.

℞ ſuccor. portulac. plantag. vrticæ mort. granat. lactuc. an. ℥ ij. ſacch. roſ. quart. tria. fiat Iulep in quo madeat nodulus ℈ ij lapid. hæmatit. ſicut, alkoor puluer.

℞ ſyrup. myrtil. & papau. & roſar. ſiccar. an. ℥ j. capiat dormiturus.

℞ mumiæ puluer. ℈ ij: terræ ſigill. ſcr. ß. aquæ plantag. roſar. centinod. an. vnc. j. detur.

℞ ſucci vngul. cabal. plantag. an. vnc. iiij. ſucci berber. & macerat. roſar. ſiccar. an. vnc. ij. cum ſaccharo roſ. fiat Iulep.

℞ mumiæ ʒ j: terræ ſigill. & boli armen. an. ʒ ſ. aquæ myrtil. & roſ. an. ℥ iij. decoct. roſar. & cortic. citrii lib. ſ. fiat Iulep. in 4 doſes.

℞ boli armen. terræ ſigill. mumiæ an. ℈ iij: ſemin. papau. albi & melon. an. ℥ ſ. glycyrr. ʒ ij. ſacch. candi ℥ ſ. Excipiantur omnia in gummi tragac. extracto in aqua roſar. fiant formulæ quas in ore teneat.

℞ maioran. flor. chamæm. meliloti an. p. ß. fiat decoct. pro vapore naſi.

℞ meliſſ. bugloſ. ſcolop. plantag. beton. vngul. cabal. folior. cardui. portul. an. p. j. paſſul. ʒ ij: folior. ſenæ ℥ ſ. F. decoct. infunde rhei ʒ ij. diſſolue ſyrupi violar. ℥ j.

℞ ſemin. papau. albi ʒ j. puluer. diatragag. frigidi ʒ ij. amyli ℈ j. ſemin. melon. lactuc. an. ʒ ſ. glycyrr. ʒ ß. ſacch. roſ. ℥ ß. cum mucagin. ſemin. pſyll. in aqua lactu. extract. Fiant formulæ quæ ore verſentur.

Cùm à capite catarrhi origo eſt labentis in pulmones; vt &

capiti & thoraci conſulatur, valet hic ſyrupus.

℞ radic. lapathi acuti, ſerpent. biſmaluæ. ireos florent. an. ℥ ſ. cichor. tot. agrimon. adiant. vngulæ caball. hyſſopi an. m. i. ſemin. bombac. mal. melon. cucumer. fœnic. an. ʒ ij: paſſul glycyrr. an. ℥ i. ß. ficus, iuiub. an. numero x. violar. p. ij. Fiat decoct. in qua infund. agarici trochiſc. ℥ ij. cinnamom. & ſantal. citrin. ʒ iij. bulliant manè. in colat. diſſol. caſſ. ℥ viij. ſacch. quod ſuff. Fiat opiata, capiat vnc. vnam cum ſacch.

℞. pulu. roſar. cornu cerui, ſantal. alb. & rub. an. ℈ ij. ſpod. gummi Arab. maſtich. an. ʒ ß. coral. ℈ j. ſucci glycyrr. ℈ ß. ſemin. papau. & melon. an. ʒ ß. cum ſaccharo in aqua roſ. ſolu. fiant tabell. pondere ʒ ij.

℞ diarrhod. abba. diatrag. frig. an. ʒ j. coral. ℈ j. cum ſacch. diſſol. in aqua roſar. fiant tabellæ pondere ʒ j. ß.

℞ rhei ʒ ß: maſtich. gr. 2. cum aqua agrimoniæ. fiant pilulæ tres, capiat mane.

℞ ſuccor. plantag. portul. centaur. an. ℥ iij: ſucci granat. ℥ iiij: aquæ roſar. maceratæ cum lapide hæmat. ſuper marmore ℥ iij. ſacchari roſ. qu. ſatis. fiat ſyrupus poſito nodulo boli armen. inter coquendum. Capiat cochlearia duo cum expreſſ. ʒ. vnius rhei bis in menſe.

℞ aquar. plantag. & roſar. an. ℥ ij: aquæ macerat. roſar. ſiccar. ℥ ij. cum ſacch. roſ. fiat iulep.

℞ raſuræ ebor. cornu cerui, margar. elect. an. ſcrup. j: coral. rubr. lapid. hæmat. boli armen terræ ſigil. an. ʒ ß. glycyrr. ʒ ij: cum ſacchar. roſ. in aqua arnogloſ. ſoluto. fiant tabellæ pondere ʒ ij.

Optimum eſt remedium opiata facta ex pulpa paſſular. damaſc. ex pulpa iuiubar. & ſebeſt. cum ſacch. qu. ſuff.

℞ ſucci depur. per reſidentiam. plantag. portul. granat. cydonior. beton. agni caſt. an. ℥ ij. ſacch. roſ. qu. ſ. fiat ſyrup.

℞ ſpodii, roſar. rubr. boli armen. terræ ſigil. hæmat. an. ʒ ß. coral. rubr. carab. margar. an. ʒ i. ß. gummi tragac. dr. ij: ſemin. papau. albi, portulacæ, mal. roſar. rub. arnogloſ. cornu cerui vſti an. dr. ij. acaciæ, ſucci barbæ hirci, ſucci glycyrr. an. dr. ij. amyli torref. drag. ij. terantur, miſceantur cum ſaccharo, fiat puluis.

Tabidos alui fluor prehendit ſæpe, vnde mors conſequitur. Eò hæc conferunt.

℞ cerati ſantal. ℥ ii. cerati ſtomach. cydonior. an. ℥ ß. maſtich. ℥ j: olei myrtil. qu. ſuff. fiat emplaſt. pro ſtomacho.

℞ olei de abſynth. & cydonior. an. ℥ ij: ſpicæ nar. ʒ ij: ſantal. citrin. coral. rubr. ſpod. roſar. an. drag. j. ceræ q. ſ. Fiat linim. pro hepate.

℞ conſ. roſar. nenuph. an. ℥ i. coral. rub. cornu cerui, boli armen. ter.

ræ ſigil. an. drag. ſ. ſacch. roſ. ℥ iiij. Fiat conditum.

℞ *ſucci pomor. de curtip. plantag. endiu. an. vnc. iij. ſucci granat. & cydon. an. vnc. i. ß. ſacchari & ſyrupi roſar. an. qu. ſuff. fiat ſyrupus.*

℞ *pulu. elect. diarrhod. abbat. & triaſant. an. dr. ß. diamarg. frigid. ℈ ij: cornu cerui vſti, & ebor. an. ℈ j: ſacchar. diſſol. in aqua roſar. Fiant tabellæ.*

♃ *conſeru. roſar. ſymphy. an. ℥ j. cortic. citrij cond. myrobal. citrin. cond. an. ℥ ß. trochiſcor. de terra ſigill. & de ſpod. an. dr. ß. trochiſc. de coral. ſcr. j: pulu. elect. lætitiæ grana xv. cum ſyrup. myrtino. Fiat ſyrup.*

Ad ſuperiora quoque pertinent hæc quæ in deſtillatione præſcribi poſſunt.

♃ *conſeru. violar. anthos, carnis myrobol. embl. cond. an. dr. ij: pulp. paſſul. & ſebeſt. an. ℥ ſ: olibani pulu. maſtich. an. ſcr. j. cum ſyrupo de ſtœcha. Excipiantur omnia: capiat drach. j. horâ ſomni.*

℞ *conſeru. ſymphy. roſar. an. ℥ j. carnis myrobol. embl. vnc. ß. cum ſyrupo myrti. Fiat opiata, capiat mane cum ſyrupo ſequ.*

♃ *ſigill. Salom. herbæ iudaicæ an. p. ij: plantag. cum rad. m. j. conſolidæ vtrinſque an. m. ß: bipin. m. j. ß: ſemin. plantag. ʒ ij. Fiat decoct. ad lib. j. In colatura diſſol. ſacch. roſ. ℥ vi. capiat ℥ i. ſ. pro doſi.*

♃ *rad. ireos florent. enulæ campanæ, glycyrr. raſ. an. ℥ ß. paſſul. mund. drag. 6. ficus pingues num. tres, iuiub. ſebeſt. alkeken. an. num. 6. bulliant in æquis partibus vini albi & aquæ. Fiat decoct. ad vſum ſequentem.*

℞ *gummi tragac. ʒ ij ſ. pul. glycyr. ʒ iij. pul. elect. diaireos ſimpl. & diatrag. frig. an. ℥ ſ. ſacch. candi & penid. an. ℥ i ß. amyli. ʒ ij. cum ſacc. al. ℥ vj. diſſol. in decocto ſuperiore. fiant cylindri.*

♃ *rad. vngulæ cabal. ℥ ij. glycyr. ℥ j. carn. dactylo. viij. iuiub ſebeſ. an. ℥ j. adian. folior. vngu. cabal. an. m̄ j. paſſul. damaſ. nucleor. pini. an. ℥ i. ſ. ſemin. mal. bomba. an. ʒ iij. fiat decoct. addendo ſub finem puluer. pulmon. vulp. ʒ ij in colat. ad quart. iij. diſſol. oxymel. ſimpl. ſyrup. violar. an. ℥ ij. ſacch. can. ℥ vj. fiat ſyrup. vtatur mane longe à paſtu.*

♃ *carnem duarum teſtud. præpar. rad. ſerpent. maior. glycyr. vngulæ cabal. an. ℥ ij. ſcabio. adianti, capil. vener. ſcario. hyſſo. an. m. j. iuiub. ſebeſ. numero 12. paſſul. ℥ ij. ſemin. melo. cucurb. dactyl. enucleat. nucleor. pini, & piſtaciar. an. ℥ j. fiat decoctio in aqua ſcabio. vngulæ cabal. ſcabio & endiu. in colat. ad lib. j. diſſol. mel. al. & ſacch. an. quart. iii. clarificatio fiat puluere ſequenti.*

♃ *pulu. diaireos, diarrhod. abb. an. ʒ i. puluer. pulmo vulp. præp. ℈ iiij. pul. ireos flor. ʒ ß. cinnamo. ʒ j. pondantur omnia in nodulo.*

ANNOTATIO.

ANNOTATIO.

1* *Maximè verò contingit magnam partem pulmonum in his regionibus vitiatam apparere, quòd etiam à pueritia magna in thorace aceruetur phlegmatis copia. Videmus enim omnes ferè nostros pueros tußiculosos esse, raucos, & πνευματίας, cùm tamen nil extußiant. Sic colligitur pituita, quæ non recta ampliùs à natura pulmones corrumpit.*

2* *Tußis oritur vel stimulatâ naturâ à materia influente è capite: vel eadem stimulatâ à materia contenta in pulmone. Cùm tußis continenter affligit, argumentum est descensus humoris è capite, licèt interuallis longis, credibiliùs à materia in pulmone contenta oriri. Si à capite manat, roborandum caput, & impediendus catarrhus: si in pulmone contenta, bechicis vtendum. In catarrhis, sed ferinis, præsertim illud fieri potest: non est alienum sæpè ac sæpè cibum ingerere; hinc enim catarrhi impetus debilitatur: nisi fortè ex esculentis aut potulentis aliquid alienâ qualitate tußim prouocet.*

*3 *Salix maximas vires habet. Desiccat impensè, & sine morsu. Mirum est, cùm hæc arbor adeò sit familiaris nobis, eius vires tamen negligi, quas Dioscorides tanti facit lib. 1 suorum Simplicium.*

*4 *Quarto locor. affector. Galenus abunde explicat quomodo distinguere poßimus an sanguis à ventriculo, an à pulmone, an ab ore reiiciatur. Inter cætera commemoratione digna, scribit quosdam hæmorrhagiâ tentatos, & excreuisse sanguinem per vomitum ob ductam per os & per nares forte fortunâ hirudinem exiguam admodum quæ tempore accreuerit. Quod notandum est.*

CONSILIVM XXIII.

De Febre Tertiana.

DOMVS Lotharingæ custos circa mensem Augustum in febrem incidit. Vt corpus biliosum erat, constitutio temporis calida sicca, ita adorta febris est tertiana. sed ea non multò post tempore mutationem recepit, & quæ priùs stata ratáque esset, ea erratica effecta est in quartanam proximè degeneratura. Reddito aëre caliginoso, inæquali, frigidóque corpus melancholicum effectum est per adustionem humoris biliosi

dominatum humoris indicarunt & actiones animales expeditæ, citæ, celeres, motus animi, excrementa quoque ipsa, & caloris species. Tandem quartanarius decubuit, ingens admodum sitis, procliuitas ad iram, vigiliæ perpetuæ. Nec dum tamen perseuerant circuitiones periodique quartanæ. Exactis enim sex aut septem circuitionibus satis constantibus, interiectæ sunt aliæ accessiones modò cum sensu frigoris, modò sine sensu, ita tamen vt die quoque quarto primæ febris ratio aliqua retineretur. Dubitabatur num triplex, an duplex quartana: an hemitritæus. Non hemitritæus erat quòd continuus non esset, nec affecti ventriculi argumenta sese proderent. Non duplex tertiana, quod maius multò esset interuallum inter repetitiones quàm in duplice tertiana esse soleret. Ergo eæ accessiones ita incertæ aut significabant causam nondum satis firmã in lactibus & viscere vtroque, aut translata materia à suis sedibus breuì finitum iri morbum. Scribit Galenus vsu intempestiuo theriaces & rerum similium, præsertim nondum cocta materia effici vt ex simplice quartana duplex triplexque fiat. Incidit enim materiam nondum præparatam, & in diuersas partes pellit. Ita nimirum humor in illo corpore redundans tenuis, acer, à bilioso adusto procreatus, seipse potuit mouere, ciere, & impellere. Vt quod theriaca tanquam externum efficere posset, idem humor tanquam à sese habens motus principium præstaret. 2. Sed hæc fortasse argutiora. Non adhibuimus maiorem operam vt morbus destrueretur, quia corpus vt nimis siccum ferendo non esset. Immò nostra remedia irrita videntur fuisse, nisi ex eo irrita non fuisse videri debent, quòd nobis autoribus, cùm alioqui morbus esset periculosus, & homini necando satis, vim mortis tamen euaserit, morbo nimirum deluso & temperato. Contrà in hac quartana gerere se oportuit quàm in aliis. In his enim vsui sunt aperientia, vehementer & impensè calfacientia, piperata, salsáque: Sed hîc ad humectantia planè descendendum fuit, tum vt ingenti siti quæ præcipuì symptomatis rationem habebat, consuleretur, tum vt humorem biliosum adustum temperaremus, & quodammodo occasionem contrahendæ putredinis preriperemus. Quærebatur num iteratò mittendus sanguis, an medicamentis pugnandum. Neutrũ accommodatũ visum est. In morbis acutis, & principiis morborum longorum valida quidem remedia vsuueniunt,

quod ex natura adhuc vrget, & quia humor cedit trahenti medicamẽto. Hic morbus progressus est, & nescitur quorsum euadar; Ergo naturæ medicatrici cõmittend⁹ est. Natura enim maximè medica in longis apparet coquendo, secernendo, abscessum moliendo, virtus non stat: ergo & venæ sectionem & purgationem dehortatur. Mineræ virtutum in partibus solidis. hęc siccæ sunt diuturnitate morbi, vasorũ ora conniuent, concidũt, & collabuntur: siccitas illa & collapsus impedit actionem medicamẽti: & potius colliquatio afferretur partib⁹ solidis. Prętereà si paulò validiùs medicamentũ daretur, metus esset ne in dolores colicis similes ęger incideret quod in plęrisq; obseruatũ est quibus humor exagitatus est. Item & obseruatum mulierem quartana laborantem, cùm iam 16. dies quieuisset assumpto etiã medicamentulo. In morbũ elapsam esse: Omnis enim materia agitata emotáque seipsa quiescente deterior esse solet, quod diligenter animaduertendum fuit. Vrinæ flammeæ sunt admodum, sitis magna: non propterea tamen hęc sectionem venæ arguunt. Nam oportet in eis febribus fuliginosum excrementum efferri à præcordiis ad cor, quò fit vt facillimè ventriculum attingat, & à ventriculo tunicam linguæ aluóque ipsi communẽ. Et cùm sedabitur illa, incipietque corpus bene nutriri humidis alimentis naturæ resurgentis, & recreantis sese erit argumentum. De prognost. Metus esset ne in marasmum coniiceretur, nisi probâ victus ratione prouideatur: id quod febres erraticæ efficiunt sæpe, tum quòd ficus multiplex, & natura sæpe ac sæpe affligatur. Spes enim conualiturum, quòd hypochondria non meteora, nec pro ratione febris inæqualia. At in omnibus morbis hypochondria rectè valere optimum. Alui fluor conferret si non cum excrementis rapiatur chylosa substantia è ventriculo. Nec hodie verum constat esse quod scribit Hippocrates, quartanas securissimas: cùm his temporibus aut illis succedat hydrops, aut scirrhus lienis. Tamen cùm affecta non sint viscera insigniter satis tuta potest esse quartana. Nunc autem obseruatur in eiusmodi febribus quartanis cancrosam in corpore lienis concipi dispositionem, quæ quo magis medicamentis irritetur, magis ægrescat medendo, quod & in externis affectibus cernere est. Tota ratio curationis ad duo reuocabitur, ad curam ventriculi vicinarumque partium: ítem ad diætam. Diæta hæc erit: Vtatur iusculis sæpe, immò etiam sub finem ac-

cessionis, minutalibus vitulinis, panata, hordeatis, vino diluto tamen. Est enim sitis ingens, & vrinarum venosique generis ardor dissuadet vsum vini, tum morbi longitudo suadet; aqua enim non transiret vasa longo morbi tractu collapsa & conniuentia, nisi veheretur. Ventriculo studendum quòd fatiscat morbi longitudine, & quòd eadem de causa congerat multa excrementa, vnde morborum aliud semen. Liniatur ventriculus oleis quæ vim habebunt eius corroborandi, & astringendi. Foueatur iis quæ eundem excitabunt & confirmabunt. Dantur tabellæ ex aromatico rosato descriptione Gabrielis, & Triasantalo. Atque ea ratione futurum est, vt vincente, triumphantéque naturâ, quę nunc inferior veluti latet, morbus debilitetur, & tempore destruatur.

ANNOTATIO.

" * *Hic æger grauissimè habebat, & dolores grauissimos perferebat. Sudabat sæpè, & tamen nihilum sudores proficiebant. Ac reuerà nos obseruauimus in Quartanis sudores non proficere solere. Nam cùm materia sit crassa, frigida, lenta, non est credibile eam ita attenuari posse, vt in sudores resoluatur. Sed cùm calor naturalis & calor febrilis nihil non agere possit, adoritur aliam tenuem materiam alendo corpori satis accommodatam: vt mirum non sit si non proficiant tales sudores, cùm maxima ex parte non sint ipsius materiæ morbificæ. Prosunt quidem sudores apparentibus coctionis signis, quòd materia naturæ cedat, sed donec aliquid tale apparuerit, non est quicquam opis expectandum. Vnde non est cur sollicitì simus de citandis sudoribus in Quartanis. Nam si sudores nondum apparentibus signis coctionis, procurari non possint sine obstructionis maioris metu, quod ars non audet facere id si natura parum prouideat, præstiterit, minùs saluti corporis consuluerit. Quod hîc diximus de crebris sudoribus qui in Quartanam incidunt, quæstione dignum vnde oriantur. Nam non credibile est materiam tam crassam ita in halitus abire, id quod præsertim in corpore squalido & sicco, in quo tamen tot sudores apparent. Et hîc annotari oportet anno Domini 1573 plurimis Quartanariis corpus totum sudoribus diffluxisse corpore planè emaciato, squalido & arido. Et ij sudores nil proficiebant. Horum duplex causa esse videbatur, infirmitas naturæ priore morbo ita fatigatæ: item ariditas hepatis & viscerum. Nam cùm calor febrilis diu durans partes resiccet, fit vt quod alimentum allicit, ad partes facilè non possit agglutinari, præsertim cùm liquidius est. Tales*

autem febricitantes solis iusculis liquidis vtebantur; nec mirum si nequeunte hepate ob siccitatem multum consumere, reliquum per sudores exeat. Hanc quæstionem alio loco fusiùs fortè explicabimus.

2. Tametsi in morbis, & præsertim in febribus: in hypochondriis, nec inæqualitas, nec tumor appareat, propterea securos esse non oportet de morbo, vt in hoc ægro apparuit: Etenim vitium sæpè in ipsis visceribus hæret quod tactu nec visu percipitur. Itaque falli non oportet: Et id primus obseruauit Gal. cap. 7. lib. 5. Locorum affectorum; vbi declarat sæpè colorē æruginosum, aut auriginosum potiùs in superficie corporis apparere nulla existente obstructione, aut inflammatione, aut scirrho in hepate: vt & alteratio sit temperamenti non alienatio, nec sit morbus vllus in conformatione: idcò cùm tales colores adsunt, non statim ad admota foris deueniendum, vt malè quidam factitant.

Iste vir, de cuius morbo hîc disseritur, circa mensis Nouembris decimum sextum diem lunâ inclinante interiit. Et antequam interiisset intumebant pedes, omniumque partium corporis dolor obortus fuerat. Quarto antequam interiisset die, de repente suppressa est vrina, & venter intumuit, ac si natura aliquid vellet moliri ad solutionem morbi: præscripto diuretico excreuit vrinæ plus minus pintas tres. Visus est alleuari. Repetente accessione noua cum horrore interiit.

CONSILIVM XXIV.

De Hydrope.

MERCATORIS vxor, de qua antè, nec purgationibus, nec venæ sectione, febris & tumoris quo detinebatur, curationem recipiebat: Immò morbus tantò contumacior resistebat, quantò maiore operâ ac curâ Medici conarentur vt morbum profligarent. Sed à Medicis aberrari videbatur. Nam illi rerum humidarum vsum suadebant, vsum quoque vini: hi neglectâ febre ab humidis rebus ægram auocabant, vt & cruditatem humoris in præcordiis contentam corrigerent, & tumorem omnium partium extimarum & abdominis minuerent. Item vino interdicebant illi: hi eam ad eius vsum hortabantur. Nec abs re dubitatum est vtri potiùs esset consulendum. Nam & à febre metuendum est, quę dum humores corrumpit, maiorem

Vide antè consilium.

ſemper tumoris occaſionem affert, & tumor iſte curationem poſtulabat, ne ſi incremento non prohiberetur, tandem hypoſarcidion immedicabilem adduceret. Ac reuerà tumor ille morbi rationem habebat, à febre quidem primò originem ducens, ſed qui priùs ſymptomatis nomine donari deberet, morbi rationem habere debebat, quod & cruditatem eius cauſam corpus contineret, & actionem læderet. Dum contrariis ſententiis pugnaretur, de ægræ ſalute ambiguum admodum ibat, necdum conſtabat quo loco ſtandum, quidve conſilij ea in re caperetur. Coacto Medicorum concilio res diligentiùs pertentata eſt, quod ægræ mulieris ſanitas admodum lubrica foret. Viſum eſt omnibus febri & tumori conſulendum; ita tamen vt potiùs febris, quàm tumor, eiuſque cauſa negligeretur. Humorum congeries & cruditas viſa eſt totius morbi cauſa: & febris ipſius, & tumoris. In iis humoribus ſepultus calor viſus eſt ſeſe recreare nequiens; vt niſi prouideretur breuì, leucophlegmatias verus ſequeretur, à quo vix euaderet. Vrinę ardebant: ſed id nihilominus febris habendam rationem indicabat, quod & leucophlegmaticis eſſet familiare, in quibus ſectio venę metuēda, licèt febris eam expoſcere videretur. Quin & eam venæ ſectione curationem aggredi, ægram iugulare aſſerebant: & erratum ab iis qui iam quartò venam ſecuiſſent, falsò inducti ſanguinis detracti prauitate. At talis in leucophlegmaticis ſanguis redundare conſueſcit. At tantum abeſt vt quartò iterata venæ ſectio iuuerit, vt iacturam caloris naturalis attulerit, cùm incūbendum eſſet in coctionem tam contumacis materiæ morbum longum efficientis. In tanta enim cacochymia incidebat occaſio nulla ſecandæ venæ. Quod attinet ad veram curandi methodum, hęc in medium adducta ſunt quæ in nullis morbis viſuuenire debent, & quæ Galenus 12 Method. propoſitâ febre cum ſyncope & cruditate coniuncta pertractauit. Nam eò loci nec purgationi, nec venæ ſectioni quicquam concedi debere explicauit, quòd & vires in ea humorum corruptela, & veluti hypoſarcidio habituſque tumore elangueſcant, & cruditatis ipſa ratio omnem occaſionem purgandi præripiat. Immò in eiuſmodi affectu ſolâ frictione corpus exercet paulùm admodum maioribus artis medicæ remediis attribuens. Ad ſummum reuocari debet eius morbi curatio ad duos canones quos Hippocratis Interpres pro hypotheſi propoſuit. Nam in prima Aphor.

ſectione, febrem hydropi humido iunctam conſtituit, vt vtri tribuendum ſit in iis & ſimiliter complicatis affectibus, doceatur: æquè ſtudendum vtrique tandem concludit, ita tamen vt eius quod magis vrget potior ratio habeatur. 2* Poſterior hypotheſis eſt de febre quotidiana: in ea habenda eſt ratio febris, & materię: hęc ſiccantia & calfacientia poſtulat: illa contraria. Galenus ita in eo ſe geri negotio, vt neglectâ ad tempus febre materiei preparationi incumbat. Quod diligenter annotari debet. Contra nitebantur, qui dicebant, ideò ſectionē venæ commodam videri, quòd ex lochiis & menſibus nonnihil ſupereſſet. 3* Tandem dictum eſt menſium recentem ſuppreſſionem ſectionem quidem venę hortari: ſed cùm morbus etiam ab ea ſuppreſſione natus iam affectus eſt. Imbecilla ea eſt quæ à ſuppreſſione iſta ſumitur indicatio: nam contaminata eſt ſanguinis molisque corporis œconomia, ſuccreuítque cacochymia quæ ex ſe catharſin indicabit. 4* Nec febris ipſa per ſe ſectionem indicat. Nec enim omnis febris ſectione venę tollitur, præſertim quæ à cruditate orta eſt, & cum caloris inopia coniuncta eſt. Placuit eis vt vino etiam generoſo vteretur ad excitandum calorem naturalem, vires recreandas, cruditatem coquendam, vt idonea reddatur ad excretionem, & tumorem minuendum. Vinum abſinthites probatum. Sequens apozema inſtitutum.

℞ rad. enul. camp. ſiccæ ℥ i ſ. rad. apij, petroſel. aſpar. fœnic. an. ℥ j. omnium capill. agrimon. an. m. j. beton. ſcolop. chamæd. chamæpyt. an. m j. florum cordial. abſyn. rom. an. p. j. glycyr. polypod. paſſul. an. ℥ j. ſtœch. florum anthos an. p. j. folior. ſenæ vnc. iiij. agar. ſub finem decoct. poſiti vnc. ij. fiat decoct. ad lib. j. addendo turbith. vnc. ſ. In colat. diſſol. ſaccha. q. ſ. fiat ſyrup. quo ſemel in hebdom. vtatur.

℞ melilo. ſaluiæ, hyſſo. agrimo. an. m j. cypperi, cala. arom. ſchœn an. vnc. ſ. flor. cordial. p. j. fiat ſacculus, bulliat in vino pro fotu.

ANNOTATIO.

Mulier hæc circa ſolſtitium autumale interiit cum præceſſiſſet alui fluor ſymptomaticus à quo nil eſt alleuata. Nec vlla fuit ſalutis ſpes quod omnium pene malè affectarum partium internarum magna argumenta apparerent. Ita enim Hippocrat. ſub finem 4 de morbis, vbi in hydrope aluus valde fluit, citiſſime moritur audiens & loquens.

Hyposarcidios, quia aliis affectionibus successit, funestus fuit, non per se, sed ex euentu. Verum enim id est quod scriptum ab Hippocrate libro πεὶ παθῶν, *morbum omnem alteri succedentem, funestum esse ferè. Huc pertinet quod scriptum ab Hippocrate sub finem lib. 3. de morbis. Omnis hydrops difficilis curatu, præsertim si corpore attenuato veniat, & vbi aluus fluit, moritur citò.*

Mirum est quod cùm totum corpus œdematosum esset, & μυξώδες *mucosum dicere possis, tamen intus ardor erat, & nonnisi admodum solicitata aluus reddebat. De hoc morbo videtur ad vnguem pronuntiasse Hippocrates in Coacis. Nam verè exprimitur morbus & symptomata: Quibus ex ægritudine aliqua res ad aquam intercutem deuenit, his alui siccaspiratodea reddunt cum eliquatione muccosa: vrina non bona: distentiones præcordiorum, dolores, tumores in ventre & in aqualiculo: & iuxta spinales musculos: febres, sitis, tussis sicca, spirandi difficultas, crurum grauitas, abstinentia & horror cibi, paucis iniectis replentur.*

Libro πεὶ παθῶν, *notandum quod scribit Hippocrates, hydropem succedere morbis longis, cùm ægri purgati non sunt. Ratio hæc est, quia carnes corrumpuntur & liquantur, hoc, quod dicitur, communi sensu & experientia perspicitur.*

*2 *Hæc ratio videtur probabilis ad dissuadendam venæ sectionem, cùm suppressio inueterata est, ab ea non desumitur secandæ venæ indicatio: sed cùm recens. Tamen Galenus comment. in artic. 28. sect. 3. lib. 6 Epidemior. narrat se optimo consilio liberalissimâ manu sanguinem detraxisse in muliere extenuatissima, cui iam octo menses menstrua purgatio substiterat.*

3 Mirum est quod hîc propter cruditatem Medici vino interdicere nolunt: tamen vinum febris planè dehortatur. Incredibile enim dictu quantopere vinum febrem augeat. Nam dum valemus, ac calor naturalis intra suos limites consistit, magna etiam generosi vini copia, nihilo penè auctiorem calorem reddit. Sed dum è gradu discessit, & iam febricula corpus occupauit, etiam tenue vinum propinatum statim symptomata excitat, quòd qualitas caloris præter naturam facilè adiecto stimulo appareat.*

CONSI-

CONSILIVM XXV.

De febre cum grauibus symptomatis singultu & tussi, pro Domino de Bures.

DVo sunt quæ inter accidentia symptomatáque in febres quæ hac tempestate grassantur incidentia numerantur, quibus plurimùm ægri torquebantur, singultus ac tussis. Nec ita quidem molesta esse ceperunt, vel quòd totum febris tempus occuparent, vel quòd breuissimo tempore diuexarent. Vidimus enim ineunte statim accessione ita suffocationis periculum oboriri, & tussis molestias, ac si nulla vitæ spes relinqueretur; desinente accessione placidè ac sedatè habebant. Singultus autem in nonnullis ita molestus fuit, qui febre nocturnâ, mox diurna cùm destillatione in pulmones laborarent, vt omnia præter singultum moderatè ferrent. Sed ecquid causæ fuit tum singultus illius, tum tussis in accessionis tempora incidentis. Ac tussim quidem eo tum sequi e tempore, quo paroxysmus repeteret ex eo coniicimus, quod febris à catarrho maximè esset. Et quæ materia subtilis, acrisque, quæ rigorem sensionemque frigoris afferre solet, quiescebat aliquò loci conclusa, dum ruptis veluti repagulis desęuit decurritque in extima corporis, feriendo superiores membranas pulmones vel vestientes, vel illis proximas, tristis ille sensus tussim afferebat. Prętereà in catarrhosis febribus quid impedit moueri quoque materiam in pulmonibus & capite ipso, quæ dum cietur, suscitatur, impelliturque, hoc molestiarum afferre solet? Accedebat & nocturni temporis occasio qua pituitæ salsæ serosæque impulsiones & molestiæ sese produnt. Quemadmodum enim vniuersalium temporum aliqua est obseruatio in motu humorum, ita & particularium. Sic ascarides moueri Autumno scripsit Hippocrates: sic in vespertinum tempus earum ascaridon motus incidit. Quod & defluxionum incursionibus verum esse mulierculis compertum est.

Sed is singultus difficultatem maiorẽ afferebat. Nam duodecim aux sexdecim ferè noctes affligebat. At leuiusculis remediis superatus, relabitur, recurritque cum molestissimo vlcerationis sensu circa orificium ventriculi. Quod vt clariùs cognoscatur, licebit huc Hippocratem adducere, qui cùm in omni

parte Medicæ contemplationis accuratus esset, ita nil reliquit quod animaduersione dignum foret. 1. Multos legimus, qui de singultu, eiusque causis disputarent, nullos præter Hippocratem, qui de singultiente febre conscriberent. Ergo omissis rebus variis, quę ad singultus causas explicandas facere possent, quæque alio loci quàm hîc venari liceret, ne opera omnis frustrà ludatur, quod ad hoc institutum pertinebit, de singultiente febre disputabimus. Quæstio quæri potest, An hic æger, de quo paulò antè mentio iniicitur, singultiente febre laboraret? an quicunque febre detinetur, cui tanquam ἐπιγιγνόμενον σύμπτωμα adiungatur singultus, febre singultuosâ laborabit? Nequaquā verò. Nam & qui sub finem febriū, aut principio illarum malè iudicati sanguinem multum profundunt, vnde ratione inanitionis, & exhausti singultus oboriatur, propterea singultiente febre teneri dicentur? Nequaquam. 2 Et qui aliquot ex interuallis dum febrit, singultiat, nec tota febre, aut toto accessionis tempore, molestiis singultus vrgeatur, an singultiente febre vexari dicetur? Nequaquam. Ergo in omni Hippocratis doctrina vna singultiens febris dicitur, vt inquit Galen. Comment. in particulam quandam sect. 4. lib. de Diæta acutorum, cùm vel toto febris tempore singultus molestus est, vel maximâ saltem febris parte illum generet, viscidus lentusque humor impactus orificio ventriculi. Vnde Hippocrates eiusmodi febres negat solutum iri, nisi aut diebus iudicibus, aut vrinæ profluuio acris, aut abscessu, quod memoriâ dignissimum est. Sed in nostro ægro proposito antequam cessaret singultus, totum corpus intumuit: Detumescente corpore repetiit singultus afferens ei aliquid permolestius quàm antè. Nam & vlcusculum excitauit, aut deflorationem aliquam, vt sic loquar, in partibus ad orificium ventriculi attinentibus. Nam cùm quid deglutiebatur aut calidiusculum, aut manifestâ qualitate præditum, percipiebatur in imo œsophagi dolor, suspicabamur aliquid esse ἀφθῶδες, quod non vacabat periculo. Ad genus febrium singul-
" tientium fortassè referri dicet quis febres acutas ab inflamma-
" tione aut hepatis aut ventriculi natas, aut partium vicinarum.
" Quæ inflammatio, vt narrat Aëtius cap. de singultu, singultien-
" di molestias affert. Quod & Hippocrates primus annotauit.
" Item referri videbitur, sed minùs aptè febris singultiens senum
" herniâ laborantium, & supinatione ventriculi, vt volunt vete-

Quæ febris verè singultiens dicatur, inquiritur.

res. Nam dum inteſtinum prolapſum eſt, præſertim ieiunum, vt volunt, ſingultiendi finem non faciunt, & hoc in mortem præcipitare ſolet. Ac de ſingultu multa quæ in veterum libris intractata ſunt. 3. Cui autem is ſingultus contigerat cùm abdomen inflatum fuiſſet aluus bilioſa reddidit: poſt excretionem bilioſorum ſecuta ſunt purulenta, quod mirum eſt. Nec credibile hæc à pulmonibus emanaſſe, quamuis hos laborare ſuſpicaremur: Cùm enim à partibus ſuperis tale quid contingit, id ſimul & ſemel fieri ſolet. Vnde Galenus annotat Hippocratem datâ operâ vſurpaſſe verba de præſenti, aut de præteritò, *meiat*, aut *minxerit*. Nam cùm à ſuperis partibus excretio fit, Hippocr. vtitur verbo *minxerit*, quaſi dicat, vt meiendi finem fecerit: ſed cùm à partibus proximis excretio fit, vtitur verbo præſēti *meiit*; quoniam propinqua eſt affectio quæ excretionem purulentam fouet. At hic æger ſæpe eam excreuit materiam. Nos autem ſuſpicabamur idē hîc poſſe contingere quod & in vrinis. In his enim ſedimentum puri proportione reſpondet, imò & excerni poteſt aliquid ſimile puri, cùm tamen non ſit pus, ſed muccago quædā quæ vnà cum vrinis à corpore deturbatur. Id autem in excrementis per aluum ſecedentibus apparere poteſt, præſertim in iis quibus longæ & maximæ fuerunt obſtructiones meſenterij, & longus morbus. Nam humores qui pepaſmum admittere non potuerunt, tandem in muccorem verſi ſunt, qui pus referat. Quod & obſeruauimus in nutrice quadam quæ ex longo morbo incidit in fluxum alui perennem, cruentum, miſtum: Tandem ſecedebat aluus reddens aliquid pulti ſimile, cùm præcederent dolores aluini colicis ſimiles crudeliſſimi, cùm inappetentia eſſet, ſumma extenuatio corporis, & marcor: præterea acerbiſſimus dolor ad regionem ventriculi, & totius abdominis, & qui minimo blandiſſimóque digitorum preſſu exaſperarētur. Sed id primus Hippocrates annotauit in Coacis duobus in locis. *Hepar dolentes, os ventriculi dolentes, ſoporoſi, rigorem habentes, aluum turbatam, tenues, cibum auerſantes, purulenta per aluum excernunt.* Et alio loco: *Durities circa ventriculum cum dolore in febrientibus, cum horrore cibum auerſantibus, ſi aluo inſuper parum humectata purgationem non faciant, ad ſuppurationem peruenient.*

Quod cùm aliàs tum in ægra illa apparuit, cui totius corporis marcor aderat. At certò ſcire an id quod excernebatur verum pus eſſet, an quiddam puri ſimile, non erat facilè.

ANNOTATIO.

1. *Non solùm lib 4. de Diæta, acutorum (vt hac paginâ annoto) Hippocrates meminit febris singultientis: sed & lib.2. de morbis, vbi caput conscribit de febre singultiente.*

2 *Præsertim verò & tußis & singultus premebant cùm appeteret accesßio febrilis: quod annotauit diligenter Sauanorola cap. de singultu. Singultus sæpe à pressu costæ, aut depressæ, aut tractæ contingit, quod diligenter annotauit Fernelius: item vomitus ab eadem causa fit, quod nos quoque in ancilla pictoris obseruauimus.*

3. *Ille æger singultiens, tußiens, febriens, ad tabem vergens, decimo nono mensis Nouembris interiit. Aperto cadauere inuentus est hydrops ascites in abdomine, qui longitudine morbi, & deprauatione alimenti è potu liquidorum genitus fuerat. Nam tanta diuturnitate facultatis fatiscunt, concidunt ora vasorum, nil fere transsumitur. Inuenti sunt pulmones purulenti, corrupti: intestina liuescebant quasi siderata superna parte: vnde credibile fuit tum singultus magnam occasionem illinc natam, tum syncopes qua prehensus est. Lien planè putris. Denique nulla in toto corpore pars inuenta est integritatem suam seruans. Deiectiones purulentæ quæ nobis admirationi fuerunt, à putri mesaræo manebant. Deiectiones (antequam diem suum obiret) præcesserunt nigræ, pici liquidæ similes.*

CONSILIVM XXVI.

De doloribus ventriculi. Pro domina de S. Iean.

1. PLEROSQVE dolores ad stomachum variè fatigant, quos nescias an attineant ad ventriculum ipsum, an verò ad partes vicinas. Ratione enim membranarum tum quæ inuestiunt thoracem, tum quæ diaphragmati vicinæ sunt oriuntur sæpe dolores continuitate quadam affligentes, & ea ratione alios aliterque quàm sint morbos mentientes. Vt sępè malè ab ęgris species doloris ignorantibus intelligentes Medici decipiantur plerumque, nec dolori vllum solatium afferant. Quod cùm aliàs tum in nobili muliere Equitis Torquati coniuge manifestum fuit. Illa cùm dolores tum noctu à primo præsertim

somno, tum interdiu tribus aut quatuor horis à pastu pateretur, imbecillitate stomachi laborare se existimabat. Dolores illi repetebant per interualla, maximè si quid in victu peccaretur, aut constitutio temporis à naturali moderatione discederet. Sæpè intolerabiles sunt, & quasi suffocationis periculum ingruat, statim discingi cogitur. Illi modò in ventriculi capacitate contineri videbantur, & delapso per pyloron cibo cùm à duodeno ieiunóque traductio transuectióque alimenti fieri deberet distributio, repullulabant. Ac tum ac si creparet media & intumesceret ventriculus, vt reuera contingit, cohibet spiritum vt flatus aliquis aut sursum aut deorsum erumpat, quod dum fit, alleuatur maximam partem dolore. Nulla illam vertigo exercet, nec syncope, sed præ dolore qui imum ventriculum affligens, licèt exiguus, ratione partis magnus est, & magni momenti, multa contingunt iis affectibus quamsimillima. Itaque dum diligenter inquiritur huius mali sedes, & animo lustratur, multa vltro citróque disputantur, quorum accurata & limata ratio plurimùm valet, tum ad huius mali inuestigationem, & ad similium affectuum notitiam venandam. Nos diligenter rem excussimus, relictá diligentiori quæstione honorario arbitro & æstimatori, ne quid præiudicata sententia afferat detrimenti. Duæ sunt partes in nobis, quarum veteres infirmitates apparent & deteguntur, siue eæ per se ac solæ laborent, siue ambæ per cōmunionem & materiæ morbificæ & affectuū, vt in hac muliere contingit, ventriculus & caput. Hoc quidem quod & superum locum tenens externis iniuriis pateat maximè, & internis attractione & summissione vaporum. Non quòd in ea opinione Principis hærendum existimem, qui omnem à capite destillationem iecoris calidæ intemperiei ascribit; nam cerebrū ipsum tum ratione imbecillitatis suæ, tum intemperiei illarum parens est & autor. Immò frigida intemperies iecoris eas potest promouere. Addit Fernelius, si à iecore præcalido illarum destillationum prouentus foret, excrementi minimū ea ratione in cerebro cōgereretur. Quod quàm probabilè alij viderint. Ventriculi autem infirmitas patebit facilè, quod & ciborum promptuarium, etsi quid peccetur aut domi, aut foris, id est vel mala alimenta, vel præpostero ordine iniiciantur; domi dum aut natiua, aut ascititia imbecillitas, aut dum propinquæ partes vitiū attingunt. Quæ enim sunt propinqua & communia, ea maximè

ac primùm affici ſolent. Receptum illud; *Vbi ſudor, ibi morbus: vbi dolor, ibi morbus* : & vt doloris vacuitas actionumque bonitas cuiuſque legitimam ſymmetriam declarat; ita doloris pręſentia, & earumdem actionum læſio contrarium ſignificant. In ægra noſtra ventriculus, ventriculíque partes vicinas dolor exercet, ergo ibi morbus, hîc intemperies, hîc actionũ peruerſio. Etſi enim habet ὀρθοστάδην, tamen iſti dolores aut intemperiem aliquẽ declarant, aut malam conformationem. Ventriculũ enim exercent; vel ἀπεψία, vel βραδυπεψία, vel δυσπεψία, rugitus, inflatio, ſingultus, nauſea. Maximè verò queritur de oppreſſione vẽtriculi, ac veluti inflatione. Hæc autem cruditatis impropriè dictę, non autem quam ἀπεψίαν vocant, ſymptóma eſt: & ſequitur vel caloris defectum, vel eius inopiam & paupertatem, vel externũ vitium. Caloris inopiam dicimus, quòd flatus qui excitantur neceſſariò imbecillitatem caloris deſignant: cùm enim vel validus calor eſt, vel impendiò imbecillus, flatus non excitantur; Galen. 3 de ſymptom. cauſis. Et ſuſpicio eſt inflationis ſtomachi quam vulgus colicam ſtomachicam appellat. Quod ſi non ſolùm intra ventriculum dolores conſiſtant, ſed infra, ſupráue, id per conſenſum fit. Vnde Archigenes apud Aëtium dicebat Medicos decipi ſępe ratos doloris cauſam aut in præcordiis eſſe, aut in pectore, cùm eorum cauſa à ventriculo repetenda ſit.

Alter Medicus rem paulò altius repetiuit. Affectio hęc ait videri poſſit ſtomachi, quod hæc pars maximè affici cernitur: ſed an tantum eius ſit: & ſi ſit, an per ſe, an per conſenſum afficiatur; hoc demum quæri poteſt: Omnis affectio quæ ventriculum exercet, ea aut intemperies eſt, aut morbus inſtrumenti. Si intemperies, aut in ore eius eſt, aut in ipſius capacitate afficitur ventriculus, aut in fundo in quo chyloſeos officina vera. Si os eſſet, eius affecti aliquot eſſent argumenta, leipothymia, aut deiecta appetentia à calore, aut intenſa, à frigore, aut nauſea aliqua: Nil horum ægra refert. Si mediũ corpus eſſet, aut deprauatè coqueret, & ructus eſſent acidi: aut nidorulenti, ſed acidi pręſertim ſi imminutè: ſi non coqueret, aut diminutè, fluctuationes eſſent, quas κλυδῶνας vocant, nauſea impacta materia, vomitio, vagante fluctuantéque eadem. 2. Si fluctuatio eſſet, & ab ea inflatio dum ventriculus non retineret, nec probè conficeret, oporteret neceſſariò cæliacas eſſe deiectiones, corruptas, liquidas, chyloſas, quod tamen non apparet, & nil eorum quæ ſu-

prà dicta sunt. Ergo credibile in fundo mali causam esse, in quo coctio maximè fit. Et cũ superiores partes benè habeant (nam si malè habuissent, maiora sese promisissent affecti ventriculi argumenta, multóque latiùs malum emanasset.) Credibile quoq; fundum è natura habere, sed impediri eius actiones à remista aliqua re præter naturam, vnde dolor excitatur, & præsertim cùm à pyloro distribuitur ad inferiores partes alimentum. Cõiecturam facit catarrhus quo iampridem affecta est, & reiectio pituitæ liquidæ & 3. limpidissimæ per os à ventriculo, vt hinc colligamus perpendiculariter à capite ad fundum ventriculi delabi illud phlegma, quod ęgrè quidem corrumpitur, crudumque manet, aut paulùm immutatum cum excrementis remixtũ reiicitur. Item dolor qui sub quartam pomeridianam repetit, indicat mesarei venas obstructas, & speciem quandam melancholiæ hypochondriacæ constituit. Hinc annotauit Fernelius cap. de ventriculi symptomatis, sæpe iecoris, lienis & mesenterij vitia sympathia integrè sani ventriculi concoctionem perturbare: sic melancholicis, hepaticísque & lienosis ventriculus malè concoquit, si vitiosâ qualitate lacessitur, &c. Ergo dum chylus aliqua ratione mitificatus rapitur à venis mesenterij, pars tenuior à calido iecore resugitur: cum crassiori parte phlegma illud mixtum subiens angusta viarum & elaborationem vix recipiens dolores excitat: 4 & nisi aliqua ratione domaretur, iliacas passiones excitaret. Itaque bene affectus est ventriculus, quod excrementa ipsam quæ ideam partis à qua manant referunt, laudabilia satis sint. Nam cùm ventriculus probè officium non præstat, liquida, aut chylosa, aut cœliaca excrementa sunt: 5 cùm tantùm pituita liquida vitium facit illa remista apparet excrementis, quæ spiratodea vocantur. Vnde verò hæc pituita à cerebro: *Hoc enim veluti medulla est.* Hippocrat. libro de glandulis: *Ab hoc fluxiones fiunt foras, intro: foras per oculos, nares, aures; intro per palatum: aut in pulmones, aut in ventrem. Si in ventrem, vel fluores fiunt, vel non. Si non fiunt, voluulosæ sunt affectiones, &c.* Locus ille præclarus admodum.

6. Et lib. 4. de morbis idẽ ferè explicat dũ docet *caput fontẽ pituitæ, & eam à ventriculo calfacto accipere. Lienem aquæ fontem, folliculũ fellis, bilis fontem, & cor sanguinis.* Quod diligenter notandum. Itaque non mirum si descensu pituitæ frigidę putredinem vix recipientis illa mulier dolorem sentiat, & si posteà voluulis sit

obnoxia, & melancholiæ hypochondriacæ. Quæ duplex est, vna vera per adustionem humoris melancholici, aut congestionem; altera impropriè dicta, ob pituitam illam quæ obstruit venas mesaraicas. Nec hîc necesse est tumere hypochondria. Nam sæpe vitium est in visceribus, melancholiaque hypochondriaca sæuit, sed in corporibus ipsorum viscerum & vasis eorum obstructio delitescit sine vllo perspicuo hypochondriorũ tumore. Et dum crudum aliquid continetur, facilè in flatus digeritur. Quò teter vapor fertur, ibi vitium communicatur: si in cerebrum, mania, aut melancholia: si in ventriculum, coctionis error; si in cor, palpitationes. Maximè autem eiusmodi affectionibus corpus patitur cùm hepar præcalidum. Porro calidum bifariam, vel vt ferrum & plumbum, id est diuisum calorem retinens: vel vt palea. Vnde in plerisque serosus sanguis quaquauersum irrumpens, & rubores faciéique maculas inferens; est enim veluti calor ἐρισιπελατώδης. Nam rapit tenuiorem chyli sanguinísque partem, & in halitum vertit. Sic plerisque ventriculus frigidus & hepar calidum calore halituoso. Hic omnia exurit, & in ichores vertit. Et talis calor non potest temperare frigiditatem ventriculi; nam fixum stabilemque esse calorẽ oporteret. Curatio illius affectus in diæta & pharmacia continetur. Diæta quæ ad siccitatem vergat potiùs, vt pituita illa consumatur quæ dolores citat. Pharmacia vt blandè deturbetur pituita, quæ in angustas vias rapitur sæpè, & à capite descẽdit. Item habenda ratio capitis mittentis. In corrigendo ventriculo non ita occupatos esse oportet, quod in vitio per se non sit. Abstineat à iusculis multis, à generoso & crasso vino. Sępè cibum capiat, ne ventriculus vacuus aliundè humores euocet. Ab iis quæ cacochymiam promouerent abstineto. In ore semper contineat coriandrum conditum, passulas, cinnamomum, mastichem: & alia id genus. Carminatiuis sæpè clysteribus vtatur, vt & à lienis corpore humores crassi euocentur. Syrupus hic singularis.

℞ succorum menthæ, absynth. pont. scariolæ depur. an. ℥ iiij. express. ℥ ij. rheub. macerati ad partem sacch. albi quart. iij. Fiat syrup capiat semel in hebdom. aut bi.

Item in hoc affectu commendatur plurimùm ad liberandos infarctus vsus deiectionis sequentis.

℞ rad. cichorij syluest. acetos. & gram. an. ℥ j. Incoque in lib. j aquæ ad tertias

ad tertias, in quibus infundantur ℥ ij rheib. taleolatim secti. De hac infusione capiat ℥ iiij singulis matutinis tepidè.

℞ pulu. hieræ picræ (quæ in eiusmodi affectibus ab Archigene plurimum commendatur) ℥ ij. pilul. sine quibus ℥ j. rhei ℈ ij. syrup. de ment. quod suff. fiat massa, capiat ℈ ij sæpe vna hora ante cibum.

℞ aromatic. ros. desc. Gabr. maior. ℥ j. pulu. elect. triasan. ℈ ij. rasur. ebor. ℥ ſ. cum sacchar. dissol. fiant tabellæ.

Fotus fiant ad regionem ventriculi, ex iis quæ vsurpari solent ad confirmationem eius: & à fotu liniatur oleo de mentha, absynth. & mastich.

℞ syrup. de siccis ℥ iij. vtatur serò cum granis mastiches aut olibani. Paretur opiata ex conseruis rosar. buglos. anthos, conser. violar. cortice citrij & theriaca pauca. Vtatur serò dum componit se ad somnum.

Obseruatâ legitimâ victus ratione, & vsurpatis leuiusculis illis remediis prima sanitas poterit recuperari.

ANNOTATIO.

Aetius cap. 68. serm. 4 Tetrabil. 2. docet quomodo, & qui cruditatibus abundent, fiant pleuritici, non quòd sit pleuritis, sed imaginaria est.

2 Hippocrates lib. 2. de morbis, de morbo quem ructuosum vocant, huic affectui quem hoc loco describimus finitimo disputat. Sed illum ab humore præsertim bilioso nasci demonstrat. Caput illud commemoratione dignum est. sæpe similes affectus disputandi proponuntur.

3. Tamen sputatio ista fallax esse potest signum. Nam & denotare potest prolapsum pituitosæ materiæ à capite, item & melancholiam hypochondriacam; qua mulier hæc nostra diuexatur. De melancholia dum disputat Galenus ex sententia Dioclis, proponit sputum humidum nullum consequi, præsertim iniecto cibo in iis qui laborant melancholiâ hypochondriacâ. Quod diligenter notandum est ne rei ambiguitate decipiamur.

4. Cap. 14 sermonis 1. tetrabil. 3. Aetius notat affectus esse quosdam malos cùm à capite in ventrem humores feruntur. Nam aut frigidi humores in ventrem calidum feruntur, aut contrà: Ait difficilius curationem institui cùm frigidi humores in calidum ventrem deferuntur: Item grauia inde symptomata edi. Tale quid mulier ea de qua hoc in loco pertulisse mihi visa est.

5. Et nos in ea muliere obseruauimus excrementa spyratodea muccosa pituita veluti oblita. Vocat autem Hippocrates in Coacis τὰ συνεςῶτα μετ' ἐκτήξιος μυξώδεος: *eliquationem muccosam vocat.*

6 Ad hunc locum pertinet & alius lib. 1. de morbis. In morbis catarrhosis fluxum maximè caput exhibet, vtpote quod cauum est & supernè situm. Cùm ab aluo fuerit calfactum, pituitam tenuissimam de corpore in seipsum trahit: vbi verò in eo collecta fuerit, rursus reddit aceruatam & crassam, &c. Et tunc remittit vel in superum ventrem, id est thoracem, vel inferum. Et cons. 11. huius lib. de industria probatum est longorum alui profluuiorum, dysenteriarum causam cerebro acceptam ferendam esse, ex libro Hippocr. περὶ παθῶν.

CONSILIVM XXVII.

De Febre continua cum distillatione in pulmones.

1 MELCHIOR de Fresnoy annos quatuor natus febre corripitur cõtinuâ, sed quæ exasperationes haberet vesperi. Catarrhus erat. Tussis sicca. Nec prę tenella ætate quicquam excernere poterat. Tamẽ inanis semper erat tussis, & tenuis humor eludebat spiritũ. Vomitiones frequẽtes. Aluus albicantia deiecit, deinde substitit. Vrinæ tenues, crudę, decolores pro febris vehementia: medicamentulo aluus sollicitata reddidit multa biliosa. Tussis perseuerabat. Dolores ad sinistrum hypochondrium, sed vagi, nec eodem modo perseuerantes. Deinde sinistram lateris partem occupabant. Aluus soluta est. Viridia excreta, chylosa: sitis quæ expleri non poterat. Magnum in pulmonibus conceptum incendium coniectum est. Hinc dolores ad sternum & latus sinistrum: sed qui ad latus sinistrum non perseuerabant, vt antè dictum est. Medici putabant vomitiones ab imbecillitate ventriculi oriri. Quod in eam suspicionem eos adduxit est frequens deiectio, multáque rerum variarum, putrium, viridantium: Aliquando animus paulùm deficiebat: & nos animi defectiones, & frequentes vomitiones in alio obseruauimus, cui inflammatio pulmonis à pleuritide, aut fugaci dolore lateris oborta fuerat. Quæstio hoc loco moueri potest, 2. an inflammatio pulmonis, siue ea sit phlegmonodis, siue erysipelatodis habeat hæc sibi coniuncta; defectus animi, vomitiones, tussim siccam, alui fluores, ac si per se primóque aluus inferior laboraret, fugacem genarum ruborem, tussim inextinguibilem, febrem non ita magnam omni tempore, sed ex interual-

lis ferocientem & prodentem ſeſe? hoc fortaſsè pauci ante nos animaduerterunt, & ſic alium morbum pro alio curamus: aut falsò vomitiones, & alia accidentia quæ narrauimus ad alias partes referimus: rati hoc non ad pulmones, quæ tamen præcipuè affecta pars eſt, pertinere. Et vt quod ſentio obiter dicam; cùm ad puellum aſciti eſſent tres celebres Medici, vnus ſolùm affectum pulmonem intellexit, & quandam ſpeciem peripneumoniæ ſuſpicatus eſt, vnde ſectionem venæ ſuaſit. Sed falsò ſubeſſe vlcus cogitauit, neſciens inanem hanc tuſſim eryſipelatis pulmonis pathognomonicum eſſe. Omnes ignorarunt vomitiones illas frequentes, deiectiones frequentes, ingentem admodum ſitim, & opinione maiorem, in inflammatione pulmonis ſolere apparere: Quorum ignorantiam vt detegam, ne fortè ſeſe excuſent quod nullo loco legiſſent, aut animaduertiſſent talia ſymptomata contingere ſolere inflammato pulmone, citabo Hippocratem, qui illum puelli morbum mihi verè expreſſiſſe videtur. Ita autem ſcripſit Hippocrates lib. 1. de morbis, in omnibus ſuis obſeruationibus ex monimentis admirandus: *Eryſipelas in pulmone fit cùm pulmo fuerit nimiùm reſiccatus. Quod cõtingit ab ardore, febribus, labore, intẽperie. Et cùm ſuperreſiccatus fuerit, plurimũ ſanguinis ad ſe trahit, maximè ex magnis venis tenuiſsimũ ac debiliſſimũ trahit. Poſtquã traxit febris ex ipſo fit acuta, tuſsis ſicca, repletio in pectore, dolor acutus in anterioribus ac poſterioribus partibus, maximè circa ſpinam, magnis venis calfactis. Vomunt ſubcruentum aliquãdo liuidũ, vomunt pituitam & bilem, animo linquuntur ob ſanguinis tranſmutationem derepentè contingentem. Atque hoc maximum ſignum eſt in pulmone generati eryſipelatis, & ſi aſsiduæ febris inuaſio perſeuerauerit.* Aliquot alia ſcripta ſunt quæ huc non pertinent. Itaque ex contextu Hippocratis apparet hæc maximè ſymptomata eryſipelate tentato pulmone contingere ſolere: 3 dolorem ſterni, vomitiones, tuſſim ſiccam: deliquium animi, quid mirum eſſe poteſt. Sed hæc contingunt vel maiora, vel minora, vel plura, vel pauciora pro humorum varietate. Nos autem obſeruatione trium eo affectu laborantium, certò ſcimus febrem (licèt ſit occupatus pulmo) non eodem perpetuo tenore affligere ac ſæuire: nam quia Erypelatoſæ affectioni comes eſt, & præſertim à tenui ſerò, fit vt flammeus ſit calor, cuiuſmodi in palea accendi ſolet & euolare ſtatim: ſi autem putris, ſolida, firmáque eſſet materia: & pars quæ inflammatur ſolida (vt hepar) perſeuera-

ret febris, & calor eodem modo quo in candente ferro. 4 Deliquia animi quæ hîc contingunt nos admodum perturbarunt. ignorantes tale aliquid contingere posse inflammato pulmone, & triuiales medicos secuti ad malignam qualitatem iactationes istas, deliquia animi, & virium iacturam referebamus, non autem ad propriam affectionem pulmonis, vt Hippocrates fecit loco priùs citato. Mouit quoque alui fluor: sed duabus de causis contingere potest: tum quia ventriculus ipse afficitur: & quémadmodum leipothymia eum prehendit per consensum pulmonis ratione ichoris à pulmone resudantis, & ratione attractionis ab ingente calore pulmonis, vt eruditissimus Hippocrates annotauit: Ita quoque debilitas aliqua in ventriculum cadere potest, à qua leienteriæ aliquid simile contingit. Ac reuerà in puello nostro chylosa nulla prodiere. Secunda causa hæc esse potest, quòd ichor à pulmone refluens ferire possit ventriculũ & intestina, hinc alui inferioris fibræ laxantur: hinc fluores. Fernelius vt in multis accuratus fuit: ita in pulmonum affectuũ obseruatione annotauit quandam notham peripneumoniam, cuius idea apparet in ægro à nobis proposito. *Tenuis, acris, multáque destillatio* (inquit) *è cerebro confertim illapsa in pulmones interdum ardore præter naturam incenditur, æstum ac febrem inferens, plerique eam affectionem peripneumoniæ nomine designant, in qua & tussi & spirandi difficultate & lenta febre sensim conficitur æger sine vlcere, sine sputione cruenta.* In puello nostro verè exprimitur morbus: nam febris non erat admodum vehemens: destillatio erat magna: eludebat spiritum: 5 sensim conficiebatur: & incautis nobis cùm cibum appeteret, biberet auidissimè, vicesimo die, item cùm de purgando eo cogitarent Medici, sublatus est, magno assidentium mœrore. Debuerat mitti sanguis. Aperto cadauere nil præter naturam in pulmone contentum inuentũ est. Vna pars pulmonis veluti stipula ardente deflagrauerat: lobus vnius pulmonis liuebat. 6 Hepar quoque veluti deflagrauerat. Et cùm destillatio est, tussis sicca, febris non ita ad manũ mordax, rubor genarum, dolor sterni (quod notandum) spiriũ deiectio: sitis ingens: perceptio summa caloris in pectore: non est dubiũ quin inflammatus pulmo sit. Ac notari debet ex locis citatis priùs tum ex recentioribus, tum veteribus, aliquid erysipelatodes in pulmonibus concipi bifariam, aut cum tussi, aut sine tussi saltem quæ magnam afferat molestiam (nam subest tantula.) si

Cap. de pulmon. morbis.

cũ tussi destillatio est ferina, diluens calorẽ vnde febris non ita
ferox apparet: illi incauti moriuntur: nil extundunt comme-
morabile: à capite presertim manat causa fouens morbum. Si
sine tussi à venis paruis & magnis resugitur sanguis, qui in pul-
monem illabens, & incurrens potiùs attractis foueat incendiũ.
Et illud est quod volunt Medici memorandum, veram peri-
pneumoniam oriri excusso tenui & bilioso sanguine è dextro
cordis sinu in venam arterialem; hinc totum pulmonis corpus
occupatur, hinc inflammatio. Quod si verum est in inflam-
matione pulmonis, sectio venæ videtur potiùs celebranda ex
interiore dextra. Tamen Fernelius ex sententia quorumdã, in
inflammatione pulmonis secari vult internam cubiti sinistri.
Ratio eius hæc est: Quoniam pulmonum venæ ex dextro cor-
dis sinu prodeunt: hic autem in sinistrum parietem venę cauæ
inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit. Inter
morbos qui occurrunt, pulmonum affectus cognitu sunt diffi-
ciles: nec enim signa vniuoca sunt, sed maxima ex parte ęqui-
uoca.

ANNOTATIO.

1 In illo rubor erat genarum magnus. Vnus ex Medicis ex eo collegit argumentum peripneumoniæ aliis cum signis, alius repugnabat. Ille citauit Prognostic. Hippocr. & quamuis verum dicebat, malè citauit. Nam in 2. Prognosticon meminit quidem ruboris genarum Hippocrat. in morbis thoracis, sed loquitur de purulentis, quibus & ob calorem pulmonum, & ob assiduam tussiculam rubent genæ, ait Galen. in Comment. part. 60. lib. 2. Prognost. Sed in Coacis peripneumoniæ signum εὐχροιαν dixit, politico modo loquendi, id est, ruborem genarum. Et ille Aphorismus huic ægro quadrat. Nam etiam fluente aluo erat inappetentia, sudores, vomendi desiderium, rubor faciei, cum febre & tussi. Quæ omnia declarant raptum humoris biliosi ad partes thoracicas, & concipi in illis partibus incendium. Sic Hippocrates in Coacis ait eos quibus hæc accidunt, interire modo peripneumonico.

2 Cùm Mesueus de peripneumonia loquitur, illud notat maximè quãdam peripneumoniam biliosam esse, aliam pituitosam. Credibilius esse ait pituitosas esse. Porro pars qualibet laborat ab humore vel tanquam nutrimento, vel tanquam excremento. Si pulmo laboret ab humore tanquam excremento, à pituitoso humore laborat, si tanquam à nutrimento

à biliosô; nutritur enim humore bilioso. Vult autem omne excrementum ex sententia Aristotelis, parti contrarium esse, præter illud excrementum quod deferre solet facultatem, ideamque partis, vt est semen; siquidem ab omnibus benignum dicitur. Si prius verum est, peripneumonia à pituitoso humore tanquam ab excremento secundùm Mesueum, & tanquam à contrario secundùm Aristotelem deterior erit eâ peripneumoniâ quæ est à bilioso humore, qui est veluti nutrimentum. Tamen dubitari potest an verum sit quod scribit Aristoteles, excrementum omne parti contrarium. Et an ea peripneumonia quæ fit à bilioso humore, ab eo fiat tanquam à nutrimento; Siquidem superabundans humor biliosus, vt qui à partibus inferis per violentam exercitationem rapitur, excrementum verè dici potest.

3 Quoniam hîc de peripneumonia agitur, quæ non sæpe occurrit, sciendum an pars dextra pulmonis, an sinistra, an superior, an inferior, an lobus vnus tantùm occupetur vt inde venemur occasionem vsurpandi remedij. Argumenta omnium horum apprimè ad artem facientia enarrat doctissime Hippocrates in Coacis.

4 Quæri possit an deliquia animi in peripneumoniâ laborantem incidant. Nos id obseruauimus, & præcipitem virium lapsum & sudores subfrigidos. Quod primus Hippocrates obseruauit in Coacis, loquens de quibusdam quibus totus pulmo cum corde inflammatur, & de aliis, in quibus non inflammatur. Nam resoluuntur illi quibus cum corde pulmo inflammatur. Sic Regina Nauarræ peripneumonicæ 5 die interiit; & tertio vires collapsæ sunt planè.

5 Qui sunt peripneumonici, præsertim cùm valdè sunt imbecilli ij diaphoreticis sudoribus dissoluuntur, & symptomaticis. De iis Hippocrat. 4 Acutorum. (Idem porrò iudicium esto de reliquis morbis acutis.) Mali sunt sudores circa caput & clauiculam apparentes; fiunt enim vincente ægritudine ob æstum, impetum, & violentiam.

6 Paulò antè docuimus & autore Hippocrate, & historiâ Reginæ Nauarræ peripneumoniâ laborantis post leuem pleuritidem, cui addi potest historia Dominæ Dupuy, quæ post pleuritidem peripneumonica facta quinto die interiit. Nunc autem monendum est de Aphoris. Hippocratis in Coacis, Peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ securiores sunt iis quæ ab initio fiunt. Quod minus verum videtur, cùm translatio à pleuritide in peripneumoniam lethalis sit. Nos quosdam breuì interiisse vidimus, quibus peripneumonia pleuritidi successisset, præsertim in quibus constaret pulmones imbecilles fuisse. At absolutè peripneumonia pleuritin secuta, non videtur secura, immò funesta, tum quòd in partem princi-

pem raptus fit, tum quòd successio ista morborum pessima videatur. Hippocrates enim lib. περὶ παθῶν scripsit, in morbis cùm alter alteri succedit, plerumque interficit. Cùm enim corpore à morbo priore debilitato alius morbus successerit, debilitate perit priùs quàm alius morbus desinat. Quod notandum. Deinde locus est Galeni comment. in part. vltimam lib. 6. Epid. αὖθ' οἷον αἴνθοι, quo scribit pleuritin curationem afferre peripneumoniæ. Ait enim περὶ πνευμονίαν ἢ πλευρίτις ἰᾶ). Contrà verò eodem loco ait malè succedere si pleuritis in peripneumoniam conuertatur, immò funestum esse videtur. Sed hæc omnia per comparationem intelligi debent.

CONSILIVM XXVIII.

De doloribus ad sternum & spinalem medullam.

CAVPONÆ Gabrieli dolores atroces ad sternum, spinalem medullam decurrentes ad scoptula operta: ad mammas, vt nec in hanc, nec in illam partem corpus flecteretur. Cùm in latus dextrum decumbebat, omnia exasperabantur. Aliquoties eos dolores perceperat, non tamen æquè crudeles ac eos quos circa mensis Nouembris finem ferebat. Nulla tussis erat, aut perexigua. Interdiu alleuatus videbatur. Aliquando nec rectus, nec decumbens præ dolore absque querela erat. Noctu exacerbabātur omnia. Insomnes noctes ducebat: è lecto surgebat inpatiens caloris: nulla febris: cibum capiebat. Negotium nobis exhibuit. Nec sectione venæ, nec fotu, nec litibus dolores quiescebant. Pus congestum suspicabamur, admoniti oraculo Hippocratis, *Qui dolores pectoris nec purgatione, nec sectione venæ sedantur, eos necesse est in suppuratum verti.* Tamen hæc ratio in contrarium adducebat, quòd nullâ tussi vexaretur quæ alioqui molesta esset si quid puris in capacitate aut membranis contineretur. Necesse enim esset resudare aliquid tenue, & horrores adesse si aliquid tale contigisset. Si vitium in pulmone esset, aut tuberculum aliquod contineretur, aut pus, aut aliquid aliud simile. Nulla inflammatio est, cùm nulla febris. Tuberculum si esset, inspirandi & expirandi difficultate teneretur: nulla est. Vt summa fiat nullus adest tumor qui se aliquo signo proferat: nec si adesset, ij propterea dolores oborirentur, cùm pulmones sint ἀναίσθητοι. Ergo in membranis & circum membranas vitium

existit: aut in periostio. Quod consequi oportuit nos & ratione & experientiâ. Itaque cùm quid hîc sequeremur, non esset in numerato, sciscitati sumus nunquidnam litus aliquando iis fieri solitos qui in magnis ponunt, & nobilitatis insigne existimant semel lue gallicâ aut hispanicâ potiùs laborare: : si modò laborem id existimare oportet quod summæ voluptati comes esse solet. Respondit subuerecundè obortis aliquando phymatis αὐτάποις oblitum fuisse hydrargyro. Et ad rem, quoniam rediuiui sæpè dolores solent renasci, aut saltem aliis affectionibus occasionem, dare. Præscripsimus abstinentiam vini. Litus ex anodynis & discutientibus, decoctum sarseparillæ, tum vt in lecto sudaret, tum loco vini in pastu vteretur, sed dilutiore. Exactis decem aut duodecim diebus cum accurata satis victus ratione, dolores eiusmodi maximam partem sunt leniti: sed circum sternum vestigium semper aliquod remansit. Quod autem superiùs hæc exposita voluimus, eo præsertim consilio factum est, vt cùm querelas ægrotantium audimus de morbis intercutaneis nobis exprobrantium, quod nihil aut parum leuati videntur quantumuis arte & cõsilio comparatis remediis, recurramus ad θεῖόν τι, id est ad occultum aliquod: non quòd à cœlo repetamus, vt plerique solent, sed ad internas occultasque causas reuocamus. Nam quotiescumque de fugacibus morbis aut doloribus potiùs conqueruntur ægri, aut de fixis circum πειόσιον suspicari oportet aut latens venenum, aut reliquias alicuius luis venereę: siue id ab hydragyri, siue à morbi ipsius maligna vi ortum dicatur. Ne temerè similitudinibus decepti malè exerceamus ægros, sumptibus minimè necessariis oneremus. Id non in hoc solùm ægro contigit videre, sed & in aliis quos sæui admodum dolores sursum deorsum, in omnemque partem errantes exercebant.

CONSILIVM XXIX.

De Febre quartana cum acerbißimo capitis dolore & lienis affectu.

QVARTANARIVS habitu satis laudabili cùm ad regionem lienis murmur quoddam sentiret, & tempore accessionis acerbissimo

acerbiſſimo capitis dolore cruciaretur: leniendo ſuo atroci dolori à Medicis conſultum voluit. Signis ſyllogiſticis concluſum eſt à flatu cum dolorem principia maximè cauſáſque ducere. Quo fit vt fugax eſſet, crudeliſſimus tum ob membranarum diuulſionem. Atque vt vna eademque opera, & cauſæ, & ſymptomati, ſed huic maximè occurreretur, his quæ ſequuntur remediis tentatum eſt, vt aliqua ex parte dolor pelleretur. Horum iſta eſt forma.

℞ bdellij in aqua vitæ ſoluti ʒ j. puluer. ceterach & coral. an. ℈ j. aloes ℈ iiij. cum ſyrupo de pomis. Formentur pilulæ: capiat ℈ ij. ante paſtum die intermiſſionis.

℞ rad. bryoniæ ℥ iiij. macerentur in aceto, paſſentur: paſſaturæ adde puluer. ceterach & rutæ an. ʒ vj. oxymel. ſimpl. ℥ ſ. cum ol. de capparib. Fiet Emplaſtr. pro liene.

℞ diamargar. frigid. ʒ j. puluer. ceterach ſcrup. ij. coral ℈ j. cum ſacchar. in aq. bugloſ. ſoluto. fiant tabellæ.

℞ far. orobi, hordei & fabar. an. ℥ iiij. cum oxymelite: fiet pults pro capite. Sæpe oxyrrhodinum fronti & temporibus illitum eſt.

In acerbiſſimo capitis dolore, qui de nocte præſertim repeteret cum febricula, & frigidis quibuſdam ſudoribus, decoctum eſt hoc præſcriptum.

℞ medullæ gaiaci ℥ iij. aquæ lib. viij. ſemin. pæoniæ, cardui, an. ℥ ſ. beton. ſcariolæ, an. m. j. fiat decoct. ad ℔. ij. In colat. diſſol. mellis roſ. ℥ ij. bulliant ad deſpumationem pro tribus doſibus ad lib. j. ſ. capiat hora ſomni triduo ſingulas doſes.

Et reuerà vſu talis remedij leniùs habuit. Rurſus ad hoc idem inſtitutum.

℞ roſ. rubr. ſaluiæ, yuæ arthrit, primulæ veris, pulegij. an. p. ij. flor. chamæm. ſummit. anethi, melilot. roriſmar. an. p. j. cyperi, ireos florent. an ʒ ij. ſem. lini ℥ x. cumini, dauci an ℥ j. fiant ſacculi pro frictione capitis.

CONSILIVM XXX.

Ad vermes, & alui fluorem cœliacum & dyſentericum.

IVDITH de Meſmes puella annos 4 nata, toto autumnali tempore & hyemali ex interuallis ſentiebat tormina, & dolorem ad anum qua parte deſinit rectum inteſtinum. Deiectiones

aliquando liquidæ erant, aliquando chylosæ, aliquando compactæ, sed quæ nonnihil crudi in se haberent. Qui dolores oboriebantur, fugaces erant, nec magnam molestiam afferebant. Ter aut quater terruit de repente nata leipothymia. Initum consiliũ est, cuius hęc summa est; Deiectiones referunt ideam partiũ à quibus manant, & per quas feruntur, ac generali modo omnia excrementa. Cùm aluus è natura habet, figuratæ sunt, constantes, eâdem horâ excernuntur quâ priùs excerni debent: item nec in quãtitate, nec in qualitate, nec in excretionis modo peccatur. Si quid in aliquo horum peccatur, hoc arguit omnia secundùm naturam non habere. Vnde mutatio excrementorum olim inter symptomata haberi solita est. Ac necesse est vel morbum esse, vel affectionem quæ proximè in morbum sit degeneratura. Affectio illa œconomiam naturalem non bene affectam significat; quod vel in partium ipsarum nutritioni ac coctioni dicatarum vitio positum est, vel in extrinsecus aduenienite aliquo quod eiusmodi officium immutet & interturbet. Puella hæc cœliaca excreuit, cruda, liquida, fœtida admodum; dysenterica quoque ipsa, cum tenesmo, torminibus fugacibus: raptus est aliquãdo chylus, aut simile quippiam cum excrementis. Omnis morbus aut corporis conditionem, aut temporis constitutionem, aut vtrumque potiùs sequitur: sic enim constituunt τὸ ποιητικὸν καὶ τὸ ἐπιδεκτικόν. Quod cùm aliàs tum in hac puella obseruari potest. Sensit illud verum quod scriptum ab Hippocrate 2. Epid. *Autumno ascarides*: Et illud, *Autumno ferinum*. 2. Nam ineunte Autumno ascaridibus diuexata est. Non superiora vermes affectarunt quod obseruari potuit: non χλωέρασμα λαμπρὸν Hippoc. 6. ἐπιδημικῶν. decussum est, non oculorum flos: non pruritus narium: non leipothymiæ: quæ symptomata contingere tunc solent: sed in imis maximè partibus exercuerunt symptomata. Prætereà viui & mortui excreti sunt. Corpus humidius, mollitie diffluens, vliginosum, tum à natura, tum à vitæ instituto. Nam pueri etsi naturâ humidi, & ab ea humiditate aliquot incommoda & commoda nanciscuntur, tamen ab excrementitia humiditate humidiores redduntur, tum quia ingluuiei se dedunt, tum quia non bene exercentur; habent enim animales facultates infirmas, naturales validas Galeno: vnde calor nõ habet suam ἔκλαμψιν 6 Epidem. hinc prouentus excrementorum, hinc in cauis hepatis obstructio, ab hac putredo, ab

hac vermes, & alia. Et notandum non ſemper vermes generari. Nam ſi ſepultus ſit admodum calor, nec emicet, & ingens humorum copia ſit, non generantur vermes. 2. Siquidem validus calor requiritur, & maximè putris, vt multiplici ſobole materia illa in vermes animetur. Quæritur an à ventriculi vitio, an à capite? Coquit benè, nec affecti ventriculi per ſe magna eduntur ſigna. Et ſi vligo ſola eſſet, quæ ex ſententia Oribaſij replens læuigansque ſpiras & rugas ventriculi vt inde non adhærens alimentum præterfluat, non ita fieret de nocte, nec frequenter, nec tam putria graueolentiáque ſubducerentur: Ergo credibilè à cerebro fluxum quemdam fieri qui miſſo ichore quodam officium ventriculi interturbet, & aluum citet. Non bene mungit, caput habet latum, & latius quàm pro ratione corporis. De nocte maximè aluus fluit, quod à cerebro eſſe arguit. Pueri maximam partem caput oppletum habent: vnde veteres eam ob cauſam illis vinum interdicebant, hyeme incœnatos cubitum mittebant, & eos per ſuturas, per palatum, per cutim, per nares paſſim expurgari videmus: immò per aures; quamquam neget in Aphoriſ. Galenus eas cõparatas ad expurgationẽ cerebri, exceptis (ait) pueris. 3. Præter fluxum illũ cerebralẽ copia quoq; humorum lentorum & tempore corruptorum hoc efficit: nam humidus calor illis tanquam lignorum ſtrue obruitur & ſtrangulatur. Niſi dicas quò humidius corpus, eò melius. Galen. 3. de ſymptom. cauſis, & pueros facultates naturales habere robuſtiſſimas. Quò humidius naturali humore, eò melius: & facultates naturales ad agendum habent robuſtas, ſed non ad patiendum & reſiſtendum. Sic minimâ occaſione præhenduntur fluxu cœliaco, diarrhœico, non ita dyſenterico, quia muccore madent inteſtina. Quicquid ſit, ea euitari poſſunt diætâ ſiccante. Quamquam 1. ſanit. tuendæ Galenus vetet ne exiccentur pueri, quia incremẽto prohibentur; (intelligens maximè de humore primigenio.) Videndum ne dum prodeſſe volumus, non obſimus. Si ſola vligo eſſet, & cruditas, corrigeretur coctione & alimenti detractione: ſed prætereà eſt corruptela ergo corrigẽda, & humor tollendus. Eâdem operâ detergendum, vacuandum, oppugnandi vermes.

De vermibus lib. 4. de morbis, loc. præclarus, qui primâ frõte falſus videtur, ſed notandus eſt.

℞ ſemin. contra ℈ j. paſſul. glycyr. conſer. viol. an. ʒ ij. abſynthij roman. p. ſ. fiat decoct. in qua infund. rhei ʒ j. coral. g̃. v. In expreſſ. diſſol. eiuſdem rheub. ℈ ß. fiat potus.

Item ℞ *carabes* ℈ *j. rasur. ebor. cornu cerui, margar. elect. an.* ℈ *ſ. cinnam. gr. 4. cum ſaccharo in aq. portul. diſſoluto, & ℈ ſ. pulu. contra. fiant tabell.*

Item ℞ *ligni aloes* ʒ *ij. nigell. rom.* ℥ *ſ. pro ſuffiendis operimentis capitis.*

Vehementiora paulò ſunt hæc quæ ſequuntur remedia.

℞ *ſemin. contra ver.* ʒ *ij. pulu. raſ. ebor. cornu cerui an.* ʒ *j. ſemin. portulac. ſcr. iiij. fiat puluis, miſce cum eo quod ſequitur.*

℞ *theriac.* ʒ *ij. conſeru. roſar.* ℥ *j. omnibus mixtis fiat in modũ opiatæ: vtatur quolibet mane.*

℞ *lupinorum* ʒ *ij. medullæ colocynthidos* ʒ *j. abſynth. vulg.* ʒ *j. ſ. aloes* ℥ *j. theriaces* ʒ *ij. cum pauca terebinth. fiat in modum cerati, & imo ventri applicetur.*

℞ *ſyrup. de abſynth. ol. amygdal. dulc. an.* ℥ *j. abſynth. menth. puleg. ſuccorum. an.* ʒ *j. ſ. radic. dictamni, tormentill. zedoar. an.* ℈ *j. cum pauca cera. fiat linimentum pro ventre.*

℞ *pulu. barbotinæ* ʒ *j. detur cum lacte.*

℞ *decoct. clyſter. lib. ſ. in qua bulliant chamæm. & ſem. fœnic. an* ʒ *iij. In colatura diſſol. benedict. laxat.* ʒ *ij confect. de baccis* ʒ *j. ſ. ol. aneth & rutæ an.* ℥ *j. In torminibus à vermibus.*

℞ *oſſis de cord. cerui, margar. elect. an. ſcrup. j. raſur. ebor. karab. an.* ℈ *ſ. rheub.* ℈ *ij. cinnam. gr. ij. cum ſacchar. in aqu. abſynth. diſſol. fiant tabellæ pond.* ʒ *j. ſ. capiat duabus horis ante paſtum.*

Item ℞ *abſynth. m. j. bull. in aqua & vino pro fotu ſedis.* Abſtineat cœnà ne tantopere cerebrum oppleatur vaporibus. Pane ſiligineo & autopyro vtatur, non albo (vt vocant) quoniam obſtruit nimiùm. Vtatur ſæpè rhabarb. condito. Prouidendum capiti, quoniam in illa augeri poteſt plethoricis ſymptomatis. Et in eius ſororis defunctæ annos iiij natæ cùm conuulſionibus prehenſa fuiſſet, in cerebri ventriculis magna aquæ citrinæ copia inuenta eſt. Sed his non ſunt terrendi parentes 1572. Cal. Ianuar.

ANNOTATIO.

1. Notat Meſuæus vermes aliquando generari ab obſtructione cyſteos cholidochi, quia enim non interfluit humor bilioſus purgandis inteſtinis accommodatus, ideò ſuccreſcit pituita multa quæ in vermes animatur. vide cap. de cura vermium.

2. Quod tamen dubium eſſe poſſit. nam calor conſumit materiam, ergo eorum vermium occaſionem tollit. Item effundit humorem bilioſum in

intestina, hinc vermium internecio. Immò scribit Mesuæus sæpe contigisse in febribus tum ratione caloris, tum ratione bilis effusæ vermes pabulum quærendo, ita locum in quo nati erant & conseruabantur, perfodisse, vt partem ipsam perforarint.

3. Lib. de affectionibus fluorum diuturnorum alui, causam à cerebro repetit.

CONSILIVM XXXI.

Ad Iliacam paßionem.

IACOBVS Berthier post longas corporis agitationes, & conatus, & vsum rerum flatulentarum, in colicum dolorem, vt putabant, incidit. Sed iliaca passio erat. Aut saltem à torminibus cruciatibúsque conturbata, conuolutáque sursum deorsum intestina, tandem id mali intulerunt. Circa inguem apparuit tumor: intestini prolapsus erat. Semel eum tantùm prolapsum passus fuerat. Tamen principio non putabant intestinum esse propuolutum, sed tumorem testiculi. Quod ne cui mirum videatur, sciendum in eo conformando naturam sui oblitam fuisse. Nam testiculus neuter in scroto erat: sed vterque intus conclusus erat: vnus quidem apparebat tactui soli, & circa pectinem locatus erat, alter delitescebat planè. Sic tumorem tantùm testiculi circum pectinem suspicabantur. At aliter res erat: & frequentes vomitiones, & suppressa omninò aluus prolapsionem intestini indicabant. Dolor erat magnus circum vmbilicum, quà situs est ileon. Pars fomentis & semicupiis non est remollita: sed eorum vsu an contigerit nescio: intra triduum totus pecten inflammatus est, & aliquid acuminatum apparuit, ex quo pus saniosum & fœdissimum excretum est. Dubitabant an id ab intestino rupto nasceretur. Et magna rupti intestini erat suspicio. Quicquid sit, deuolutum erat intestinum è sua sede, quod tumor ad pectinem indicabat. Clysteribus tentata aluus, nil reddidit: longioribus balanis solicitata, reddidit. Quæ materia rupto exiguo tumore excreta est, ea graueolebat admodùm: hinc fæculentæ materiæ magna fuit suspicio. Tamen speculo res explorata est, nec incisum intestinum compertum est. Febris perseuerauit: dolores frequentes, spuitiones, vomi-

tus, ſed non ita frequentes vt in aliis obſeruauimus, ſudores: defectiones animi. Sexto die totus pecten inflammatus magis, eryſipelatodis, mors denique nono die. Aperto cadauere, imus venter quaſi ſyderatus apparuit · prolapſum ileon. Inſanabilis erat morbus. Iliacâ paſſione laborantes, alij celerius, alij tardiùs moriuntur. Quibus ab inflammatione malum ortum, intra quatuor dies moriuntur; vt Dominæ illuſtri de Mandoſſe contigit, quæ intra quatuor dies periit. 1. Quidam ſunt in ea opinione vt exiſtiment nullum voluulum in quo frequentes ſunt vomitiones, ſanabilem eſſe: ſed errant. Nam primo quoque tempore vitiatur motus inteſtinorum periſtalticus, quo vitiato vomitus & ſubuerſiones ſtomachi contingunt. Item volunt in inflãmatione ſtatim gangrænam conſequi, quod falſum eſt. Nam hinc perſuadentur quod leipothymiam frequentem adeſſe videant: at non eſt neceſſe inde inferre à gangræna id conſequi: ſiquidem facilè communicatur id vitij ventriculo ob viciniam. Et teter vapor eorũquæ excernuntur facilè leipothymiam adducere poteſt. Ceterùm inflammatio, ſcirrhus, ſiue durus tumor, abſceſſus, voluuli cauſæ ſolæ videntur Galeno *Comment. in Aphor.* 44. *lib.* 6. At obſtructionem à ſicco ſtercore vult ileon inferre poſſe: at illi non videtur probabile vt craſſi & lenti humores tantam obſtructionem faciant, vt præpediatur exitus ſtercoribus; quod tamen omnes verum eſſe volunt. Nos prolapſum inteſtini id mali attuliſſe ſæpè obſeruauimus. Meſuæus *cap. de inteſtinorum morbis*, vult colicam ac iliacam paſſionem ſæpe eodem modo fieri; dum ſcilicet materia collecta eſt in monoculo: ac dum agitatur nec excernitur, augentur dolores, hinc colica aut iliaca paſſio. Immò, ait, clyſter quia non peruenit ſecundùm ſubſtantiam ad ſuperiora inteſtina, ſed ſecundùm vim tantùm, agitat tantùm materiam in ſuperioribus inteſtinis contentam, ſed non excernit, vnde grandi conatu naturæ quia per inferiora materia ſecedere non poteſt, & ſtercus & clyſter per os reiicitur. Sed nunquid à craſſis & frigidis humoribus iliaca paſſio naſci poteſt? Non videtur Galeno, vt dictum eſt; ideò non vult admittere illum Aphoriſmum Hippocratis germanum eſſe, *Quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente multa vrina profluxerit.* 2. Nam ſi quæ materia committit ſtranguriam eadem, ileon committat cogetur fateri Iliacam paſſionem à pituita ſalſa

aut cruda naſci poſſe quæ eadem & ad renes tranſlata committat ſtranguriam, & reuocata in inteſtinum iliacam paſſionem. Fatetur ignorare ſe quid hic velit Aphoriſmus, ac narrat falſas veterum in illius Aphoriſmi interpretatione opiniones. Tamen quaſi reuocans calculum, dubitans tamen cenſet frigidam materiam ileon committere poſſe quæ diſcutiatur ſucceſſu febris. Fuchſius illum Aphoriſmum interpretandum audentiùs quàm Pergamenus aggreditur. Primùm præpoſitionem ἐν accipit pro μετ'; quaſi dicat Hippocrates vt ileus ſuperueniat ſtranguriæ à craſſis frigidíſque humoribus natæ. Quod autem intra ſeptem dies moriantur, id ait fieri propter dolorem vtriuſque partis & renis & inteſtini, qui dolor vires admodùm deiiciat. Et abſurdè admodum diuellit verba Hippocratis, dum ait illud, *Febris ſi ſuperuenerit*, ita debere intelligi, vt loco ilei qui prius ſuperuenit ſtranguriæ, febris ſuccedat, ac ileus abeat: quaſi nolit Hippocrates vnà cum ileo febrē adeſſe. Nam Hippocrates vult ileon quidem ſtranguriæ ſucceſſiſſe, ſed vult ſimul eſſe & febrem & ileon. Quidam fortaſsè putarent fieri poſſe ac veriſimilè eſſe vt ei ſtranguria & ileos adſit, & febrem impedire quo minùs intra ſeptem dies illi affectus perimant. Nam febris alterutrum ſoluit malum: & ſic ſolutus æger vno alacrior eſt aliquantò. Et illa febris non debet eſſe ſymptomatica ilei ab inflammatione nati, vt volebant veteres, ſed ſuccedere debet humorum aut ſpirituum potiùs inflammationi. Sed poſterior hæc ratio de præſentia duorum malorum ſimul ſtranguriæ & ilei non videtur plauſibilis. Sed ſententia Hippocratis vt non eſt temerè pronunciata, ita veritati maximè conſona videtur. Fieri enim maximè poteſt vt ſtillicidium vrinæ cōtingat à raptu pituitæ ſalſæ, acidæve ad renes. Quæ ſi fortè, vt ferè fit, vt morborum ſucceſſionibus in inteſtina regeratur, aut in iiſdem reſiſtat, paulò vegetiore calore in flatus conuerſa dolores vix tolerabiles excitabit. Hinc in gyrum inteſtinum conuoluitur, diſſoluitur, intumeſcit. Et ab acerbitate doloris ileos reiectio omnium humorum per os vitiato motu periſtaltico. At quoniam febris, ſi modò ſit analogos materiam mitificat, paralyſes, tetanóſque ſoluit, poteſt quoque materiam in inteſtinis contentam coquere, mitificare; hinc ilei leuatio. Ac ea interpretatio non videtur à veritate abhorrere. At ex iis colligere licet in iliacis paſſionibus aliquando frigida maxime ex vſu eſſe & balnea: aliquandò

obesse plurimùm, prodesse verò calida. Nam cùm inflammatio est, non est dubium quin illa conueniant: si humores frigidi, lenti, pituitosi, calida conueniunt: 3. & si febris immineat, non est prohibenda.

Porrò in nephriticis doloribus aliquid fixum est ac immobile ad alterutrius renis situm. In colica dolor est vagus, subuertens ventriculum: in ileo fixus est circum vmbilicum qua situm est intestinum ileon, grauans est extensus, pungens. Sed pungens maximè est à vermibus. Annotat enim Mesuæus iliacam passionem à vermibus excitari, dum illi scilicet loco fixi sunt, ac pungunt, cuniculos agunt, immò perforant intestinum. Ac duo notare oportet scitu ac obseruatione dignissima. Prius est: Quî fieri possit vt in iliaca passione stercus meseracum excernatur: quod Galenus tantùm morituris contingere ait. Nam si voluulus passio est intestinorum superiorum, non situ, sed generatione & ortu, & in illis tantùm chylus ac cremor sit, secretio autem 4. in cœco demum fiat: præpedita via in intestinis superioribus quomodo ab inferioribus crassioribus intestinis stercus ascendat, ac præsertim morituris, cùm iam vires fatiscunt. Quæstio hæc ardua est. Alterum est quod nos obseruauimus, & à Mesuæo diligenter obseruatum legimus, nempe iis qui à voluulo releuantur succedere incredibiles affectiones: Contingit, inquit, paralysis, materiâ ad neruos translatâ. Nam in ista affectione intra septem dies ratione astrictæ alui, & motus excrementi sursum inficiuntur spiritus, & humores qualitate inexplicabili: aliis vitiato simili modo hepate hydrops. Melancholia tremor, fœtor, anhelitus, sudores frigidi, syncope, sitis inexhausta. 5 Vidimus mulierē quæ cum voluulo laborasset, eo liberata in hydropem incidit: hinc tabida interiit. Aliā vidimus quæ cùm sudores frigidos, extremitatū frigus per decem aut duodecim dies, etiam cessante ileo habuisset, fœtoremq; oris ingentem, & pudendorum ex quibus sanies graueolens refudabat. Inde fluxit aluus, repurgata ter aut quater sine vllo grauiore symptomate, aut morbo potiùs nunc bibens ludensque viuit.

ANNOTATIO.

1 *Eorum opinio roborari potest sententiâ Galeni. Hic enim Commen-*

in Aphorism. 10. lib. 7. scribit vomitum non semper adesse in ileis, sed quando exitiales sunt. Ac si dicat vomitum superuenientem mortem significare. Ego tamen vidi quibus adesset vomitus, & liberati sunt: immò facillimè omnium succedit vomitus; vt cùm prolapsum est intestinum in scrotum, statim vomitus adest. Nisi quis dicat vomitus in prolapsu intestini faciente iliacam passionem non ita lethales esse, vt sunt in aliis speciebus iliacæ passionis, Quod credibile est: Aut per vomitus, eos præsertim intelligit qui cum fæculenta materia, aut cum chylosa fiunt. Nam simplices vomitus non ita mali sunt, nisi frequentes admodum sint.

2. D. Maignam Medicus & Professor Regius in Mathmeaticis voluulo interiit impetu magno pituitâ multâ in intestina prolapsâ ibique collectâ & putrefactâ: vnde abscessus factus, hinc morbus.

3. Febris non est tollenda aliquando in voluulo: contra faciunt Medici.

4. Nam colon tenuibus intestinis est superius. Sic mirum cur voluulus sit tantùm affectus tenuium intestinorum, vt placet Galeno comment. in Aphoris. lib. 6. cùm obseruatum sit rectum intestinum voluuli aliquando causam esse, aut saltem malum in eo esse. Vnde hist. 9. sect. 2. lib. 3 Epid. meminit crassorum intestinorum etiam voluulum esse affectum.

5. Libro de affectionib. Hippocratis locus est valdè notandus de cura voluuli. Nam cùm non admittuntur clysteres, vult fistulam ad vtriculi extremitatem, applicari, & ita intestina inflari post dari clysteres. Quod fortè non negligendum in tam periculoso morbo. Porrò nota apud eundem Hippocratem, eodem libro, ni fallor, triplicem esse voluulum, vnum hyemalem, alterum ictericum, siue æstiuum, tertium hæmatiten, siue autumnalem. Obseruat dominus Magnus in voluulosis affectionibus nil melius esse quàm dare Confectionem Hieræ; hæc enim subuersiones ventriculi sedat. Item induratas fæces aliquando emollit & è recto intestino extrahit. Itē iniectionem per longissimam fistulam conferre ex oleo de semine lini.

CONSILIVM XXXII.

Pro Calculosis.

NVLLVS hodiè æquè genus humanum vexat morbus, ac calculus. Morbum appello, etsi nonnullis id nominis non placeat, quòd actio, nempe mictio impediatur à re præter na-

turam in capacitate contenta, quam tamen alij rei natura deſti-
nauit quàm calculo continendo. Quod qua ratione fiat, cōmē-
tatione digniſſimum eſt. Alij vſum lacticiniorum & caſei, & re-
rum viſcidarum accuſant: alij limoſas aquas & paludoſas. Sit ita
herclè. Qui lacticiniis viſcidis, craſſisque alimentis vtuntur, aut
qui limoſis aquis, ij maximā partem calculoſi ſunt; non tamen
generales has ſolas cauſas ſtatuere oportet.

1. Duæ mihi videntur rationes probabiliores, propter quas
tam longè latéque pateat hic morbus, vt aut nulli, aut oppidò
pauci ab arenulis, aut calculo, aut concretione aliqua immunes
exiſtant. Prima videtur ingluuies, & ea præſertim cùm alimen-
torum varietate qua homines mirum in modum delectantur:
ſecunda, ius hæreditarium; nam ex calculoſis ferè calculoſi ge-
nerantur: Tertiam adiicio facilem generationem calculi, aut
tophi, aut arenularū, & præſertim in corporibus mollioribus &
delicatis, & imbecillis, cuiuſmodi ſunt noſtra corpora ſi ea cū
priſcis conferas. Quod enim tam facilis generatio ſit, ex eo pa-
tet, quòd nulla non in parte corporis calculus aut tophus gene-
rari poſſit: vnde pleriſque in folliculo fellis, aliis in pulmonibus,
aliis in capite, aliis in vtero, aliis in corde, aliis in inteſtinis ge-
neratur, vt in noſtris hypomnimoneumatis abundè recenſui-
mus. Accedit quod ex variis humoribus generari poſſint, vt
poſteà abundè ex veterum ſententia apparebit. Vnde iubeatur
valere eorum opinio & dogma, qui ex ſola pituita calculos con-
creſcere voluerunt: vnde pingues & obœſos calculo obnoxios
præ ceteris voluerunt. Quod falſiſſimum eſt. Ac ingluuiem
præſertim quæ varietate ciborum adiuuatur, calculorum paren-
tem eſſe nemo non poteſt fateri, qui nouerit ingluuiem & gulā
cauſam eſſe multiplicis cruditatis; vnde natum illud, *Intempe-
rantia Medicorum mater*. Varietas autem propter diuerſas variás-
que facultates naturæ quæ omnia ad vnum æquale & vniuſmo-
di redigere conatur, plurimùm in coquendo, alterando, ſegre-
gandóque ſimilia à diſſimilibus negotij faceſſit. Quod primus
annotauit Hippocrates, qui in lib. 1. de Diæta morborum acu-
torum inter præcipuas dotes quas ptiſanæ attribuit, recenſet
eam, quòd ptiſana nullum tumultum ſtomacho afferat. Verba
græca ſunt, οὔτε ἀγαθὸν κακὸν ποιέει. Galenus non abs re Hippocratem
addidiſſe ait κακὸν, nec ſimpliciter ἀγαθὸν dixit, quòd nihil ſit quod
ęquè coctioni officiat ac varietas, quæ vni cibo ineſt, aut quæ in

variis cibis. 2. Nõne ἄραδον duobus tantùm locis apud Hippocr. legitur, vno lib. 4 de Diæta acutorum, cùm de glande mentionem iniicit. Glans (inquit) tumultum affert. In Commentario Galenus tumultum excitari ait, cùm alimenta ingesta variis facultatibus prædita sunt, & dum vnum faciliùs coquitur, alterũ ægriùs: immò dum in eodem alimento & substantia media, & externa, non sunt analoga: vt de glande & brassica Galenus docet comment. in particul. 18. lib. 1 de Diæta acutor. Locus alter est is de quo superiùs dictum lib. 1. de Diæta, cùm de ptisana loquitur. Atque vt res in angustum reuocetur, legenda maior pars commentarij in eum locum. Nam adducto exemplo athletarum, & eorum qui probè educantur & nutriuntur, docet quantoperè noceat varietas ciborum, varietas facultatum, vel etiam in vno & eodem edulio. Nam cùm vna mordet, alia soluit, alia inflat, non dubium est quin chyloseos officina perturbetur, & naturæ plurimùm negotij afferatur; quæ cùm vniusmodi sit in officiali parte, ventriculo nempe existens, non facilè subiget tam varia quæ ingeruntur. Hinc eò loci Galenus ait solitos athletas in arenam descendere volentes, 3 solo pane vti manè, solis carnibus vesperi. Ac eum tumultum à ciborum varietate afferri solere obseruauit Horatius in Satyris.

Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaque secum
Afferat: in primis valeas benè. Nam variæ res
Vt noceant homini credas: memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. Ac simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachóque tumultum.
Lenta feret pituita.

4. Itaque iis & escarum habendus delectus, & fugienda varietas quibus sanitas studio est. Ac hæreditario iure calculum vt & alios morbos ad posteros peruenire posse vulgò constat. Nam semini impressa sæpe vis est, quæ vt valet ad speciem, genus, & ideam retinendam, & ad prolem deuehendam; ita latente impetu morbosam διάθεσιν transfundit, traducitque. Hinc ex macrocephalis macrocephalos Hippocrates obdeciduum ab omnibus partibus semen gigni asseuerat.

Sed his positis, in rei propositæ arcem libentiùs inuadamus. Dicendum quæ lapidis materia, quæ efficiens causa, qui ei obnoxij, quæ præcautio. Tandem nõnulla ex eis quæ vulgò vsur-

pantur remedia afferentur. In aſsignanda materia multi varia, multáque cenſuerunt. Ac primùm, nomine calculi peculiariter intelligimus eum, qui aut in veſica, aut in alterutro rene generatur. Qui enim in aliis partibus corporis humani tanquam fodinis conglomerantur, coguntur que, ad præſens inſtitutum nil pertinent. Quidam lapidis nomine eum qui in veſica continetur intelligi volunt, quòd ſæpe grandiuſculus ſit: calculi autẽ, eum qui in renibus cogitur. Sed quoniam λιθιῶντας & calculoſos vertit Celſus, & lapidoſos, curioſa hæc de nominibus quæſtio valere iubeatur.

Calculorum materiam quidam volunt eſſe aliquod puſulentum, & pituitam quandam putrem. Hollerius annotat obſeruaſſe ſe in quodam Præſide Rhotomagæo pituitam putrem, & pus craſſum falsò calculum retuliſſe. Antequam aliorum opiniones recenſeamus, expendere licet an pus, aut materia purulenta in lapidem cogi poſſit. Nam quod pus in veſicam illapſum, aut in eadem concretum non referat calculum, nemo dubitat: quicquid enim aliquâ ratione anguſtos canales, per quos vrina præterfluit, obſtruere, obturaréque poteſt, id calculum mentiri poteſt. Sed quæſtio eſt, num pus in veſica calculus efficiatur. Nonnullis non videtur: Galeno id fieri poſſe videtur. Illorum rationem huc referemus, ne indictâ causâ illos arguamus, quamquã à Galeni partibus ſtare conſilium eſt.
" Primùm ita ratiocinantur: Sanguis, ſaniesve dum putredinem concipit vt in pus vertatur, putredine fibras amittit: at fibrarum ope concretio fit: nam damarum ſanguis non concreſcit, quòd fibrarum expers ſit: Ergo pus in calculũ cogi non poterit. Deinde, illud obſeruari ſolet in abſceſſibus renum: Purulenta materia quę à renibus abſceſſu tentatis excernitur, toti permiſcetur totæ vrinæ: & ſi in imo vrinæ reſidis ſubſideat, paruâ agitatione rurſus toti vrinæ remiſcetur. Quod arguit pus corpulentum ſolidumque nil eſſe, ſed aliquid diuulſum: Ergo in calculum non cogitur. Contrà verò apparet in ſemine & pituita. Nam vtrumque vt fibrarum particeps cohæret, partéſque vnitas habet. Vnde aut tanquam ſeparatim aliquid vrinæ ſupereminet, aut in fundo reſidet: ne ratione ſui lentoris & partium cohærentium ita miſcetur vrinæ toti, licèt moueatur: ſed ſuam cohærentiam conſeruant. Atque ita conficere ſe putant ex præſentibus rationibus, pus in calculum concreſcere non poſſe. Adducuntur

tamen victi ratione & autoritate Galeni, vt credant calculi rudimentum pure induci, incrustarique posse. Sed id subterfugere est, non rationibus & autoritati subscribere. Nam quantumuis obducatur calculi rudimentum pure, si quia fibrarum expers est non agitur, adaugeturque, nihilo maior calculus inde futurus est, quàm si aquâ allueretur. Pus enim iis autoribus non concrescit. Sed antequam eorum rationes conuellamus, Galenus audiatur. Verba eius sunt: *In animalis corpore ex purulento humore, aut ex purulento pituotosoque composito tophus nonnunquam creari potest: quemadmodum & in articulorum morbis accidere consueuit. Eodem enim prorsus modo in his & renum affectibus lapides concrescunt.*

Com. in part. 6. sect. 1 lib. 6. Epid.

Ad primam autem rationem quâ contendunt illi neoterici ideò pus in calculum cogi non posse, quòd humores per putrediné fibras amittant: at fibrarum ratione concretio fit, ita respondere consilium est. Aliud est aliquid corrumpi, aliud in pus abire. Nam in corruptione partium fit alienatio, & materia tota præter naturam est, & causa efficiens tota quoque præter naturam. Partium quoque fit diremptus, & per eam partium diremptionem fibrarum dissolutio fit: hinc nulla cohæsio, hinc dissolutio continuitatis. At cùm ex materia laudabili, intráque naturæ limites contenta, pus fit, etsi pus illud naturæ non cedit in alimoniam: satis tamen est si aliquam eius gratiam recipiat. Hoc autem fieri dicitur si aliquid sit vniusmodi, si albor adsit, si læuor, si nil grumosum, nil inæquale. Idem enim opifex versatur circa pus, & circa alimentum: hoc differunt, quòd alimentum cedat in naturam, pus autem excretionem sui præmoneat, quod antecedenti, primariáque origine eius materia laudabilis fuerit, sed ex euentu illaudabilis extiterit, quod fortè extra locum sibi destinatũ ab aliqua externa causa euocata fuerit. Quod in contusionibus apparet.

Satis autem est si in pure character naturæ imprimatur, vt eas dotes & facultates retineat, quas Hippocrates & Galenus puri laudabili tribuerunt. Cur enim toties Galenus in vlceribus commendat pus album, læue, æquale, vt æqualitas vim significet caloris naturalis sese in omnes materiæ partes æquabiliter inducentis? læuor materiæ εὐήθειαν, ingenium interpretor? candor vim partium solidarum, quę quàm fieri potuit maximè, sibi assimilare annitantur pus? Et cùm perfectè id assequi non possent, saltem quem à natura sortitæ sunt partes solidę candorem,

eum in pus contulerunt. Si per putredinem fibrarum fit deperditio, quomodo ſanguis qui putreſcit in vaſis, aut extra vaſa, vertitur in ſedimentum (de febribus putridis intelligo) album, læue, ęquale? Aut in laudabile pus iiſdem dotibus illuſtre in abſceſſibus? Immò ex generibus puris aliud videtur contra naturam eſſe, vt quod in morituris apparet, liuidum eſt, ſubuiride, fœtens, diuulſum, inæquale, non lęue: In iis qui è natura habēt contrariis omnibus dotibus pręditum eſt. Quinetiam licèt materia diuulſa fuerit, virtute partium ſolidarum vnitur, laboratur, id quod ἀπεργῶδες & alienum ſecernitur. Et cùm ex Hippocrate quædam vrinæ ſint grumoſę in morbis, quæ poſteà tenues fiunt, quid aliud per tenues intelligit, quàm pro grumoſis confuſiſque vrinis redditas à natura chymoſi, conſiſtentia, & contentis laudabiles: vt pauca ſit hypoſtaſis, ſed ea alba, læuis, & æqualis? Ergo alienum eſt ab experientia, & ratione puri adimere cohęſionem, & eam tribuere ſolis pituitę & ſemini. Nam & ſedimentum & pus laudabile cohęrent: Immò licèt antecedens vtriuſque materia ſeroſum tantùm fuerit aliquid, & diſſolutum, multiplici elaboratione & coctione (quæ omnis incraſſandis partibus fit) acquirit fibras, lentoréſque, cuius ope concreſcat. Et falſum eſt illud, quod pituitę tam curioſè tribuitur: nam ſępe videas phlegma & miſceri toti vrinę, & poſtquam reſederit remiſceri, pręſertim cùm coctum non fuerit, & nondũ gratiam naturæ receperit. 5. Pus autem ſi à renibus refundatur, non eſt mirum ſi miſceatur, quia longo viarum anfractu liquore vrinę diſſoluitur ac dirimitur; vnde ſępe puris formam non referat. Falsò itaque puri eâ ratione vnionem & cohęrentiam adimunt vt conficiant in calculum non cogi. Verum enim pus cogitur, quod ſenſui notiſſimum. Nam & empyicos ſæpe grandinoſa ſputa extundere à concreſcente in grandinem & tophulum pure obſeruauerunt: In abſceſſibus tardiùs ruptis aut naturâ, aut arte, pus ita ſępe cogitur, vt iam lapideſcere videatur. Nouerint itaque aliud eſſe corrumpi, aliud putreſcere. Per corruptionem vnio, vinculum ac cohęſio tollitur, diremptis videlicet partibus: per putredinem aut retinetur cohęſio: aut ſubactis elaboratíſque partibus nouarum fibrarum fit acquiſitio, vnde nexus & copula conſequatur. Ergo ex pure lapides cogi poſſe intelligentiùs ſcripſit Galenus. Quod primus annotauit Hippocrates lib. 2. de natura humana. *6. Quibus, in-*

quit, *in lotiis ſubſident areneſa, vel tophi, iis per initia circa venam craſſam tubercula extitêre, verſáque in pus fuère: ac deinde ipſis tuberculis haud celeriter ruptis pus in tophos conuerſum eſt, qui foras per venam cum lotio exprimuntur.* Tamen quoniam & huius orationis idioma Hippocratem non ſapit, & libellus ille falsò adſcriptus illi eſt, fit vt nullam vim id loci afferre poſſit. Sed ea in re audiendus Galenus, enarrans illam particulam, ſcribit: *Excretiones eiuſmodi vrinarum arenoſarum poſſunt fieri à cauſa quam ſtatuit Hippocrates: item & rene obſtructo citra venam magnam. Maxima autem parte ſine tuberculis fiunt, cùm ſuccus craſſus vel glutinoſus exitum retardans concreuerit à calore loci arefactus.* Ergo agnouit Galenus arenoſas vrinas naſci poſſe à pure concreto, quanquam non ita frequenter.

Ac materiam lapidis & eò loci quem ſuprà ex lib. de natur. humana ſecundò adduximus: Galenus craſſum glutinoſumque humorem vias obſtruentem præpedientemque conſtituit. Et comment. in particul. 13. lib. eiuſdem, apertiùs multò deſignat, & cauſam efficientem, & materiam de puerorum calore locutus. *Pueri multi, quia admodùm ſunt voraces, cumulant ſuccum qui propriè crudus appellatur, à quo facilè calculi generantur. Is autem humor vt materiæ rationem habet, ita & calor efficientis cauſæ.* Ac mirum quomodo Hippocrates, aut quicumque eum librum ſcripſerit, dicat, Puerulis naſcitur lapis ob veſicæ caliditatem & totius corporis. Viris ob corporis frigiditatem haudquaquam generantur.

Multa in eum locum inquiri poſſunt, quorum explicatio ad ſeriem continuationemque diſputationis apprimè pertinebit. Conſtitutum enim erat de lapidis cauſa, tum quæ efficiendi, tum quæ materiæ rationem habeat, diſputare: de loco: de ætatibus, & iis qui magis minúſve obnoxij forent. Primùm itaque dubitari poteſt an caliditas & veſicæ, & corporis totius ad generationem calculi faciat. Et quoniam Hippocrates meminit caloris multo humore perfuſi, cuiuſmodi eſt humidum primum, & calidum primum; an calor puerorum halituoſus, ἀτμώδης, ſpirituoſus, humidus, blandus, minimùm mordax minimè ad generationẽ lapidis pertinebit? Nec enim probabile videtur, vt paulò poſt abundè demonſtrabimus. Secundò quæri poteſt, an caliditas veſicæ tanquã vnius partis eôdem pertineat, calculúmque creet. Nam Ga-

lenus alio loco frigiditatem vesicæ constituere videtur causam generationis làpidis. Tertiò, an viri, quòd frigidi sint calculum non generent? Quarum quæstionum examen & euolutio non minimùm habebit & voluptatis & vtilitatis. Voluptatis quidem, quòd animus noster iis explicatis aliqua ex ratione satiabitur ac explebitur: Vtilitatis verò, & ad præcauendum, & ad curandum, & ad opem miseris mortalibus afferendum. Nam si, vt quidam volunt, immò maior Medicorum pars, calor qui ad generationem lapidis tanquam causa efficax & efficiens concurrit tenuitate partium, & acrimoniâ præditus esse debet, immò veluti febrilis, quod Hippocr. 6. Epidem. θερμὸν absolutè aliquando vocat; vt dum ait, *Qui ventre calido, carnes habent frigidas*: aliquando πῦρ, ob igneam vim, seu potiùs (vt cum Arculano loquar) igneitatem; curtoties in calculosis affectibus ad oxypora, ad ἐκφρακτικὰ, & calidissima remedia concurrimus; nam causæ efficienti neruos & robur addimus. Atque ita, vt plerumque fit, aberramus. Si calor lapidis autor & parens temperatus est, halituosus, blãdus, naturalis, qualem Hippocrates aut scriptor libelli illius, & cum eo Galenus constituit, cur θρυπτικὰ præscribuntur temperata, dulcia, muccosa, blanda; nam & ea fouent calorem naturalem lapidis auctorem, & materiam reddunt viscidiorem, muccaginosam, lentiorem. In quo plurimùm aberratur. Ac credibiliùs, ab aliquo acri calore, aut saltem non à nostro blando & naturali concretionem fieri. Nam calorem potentem debere esse, tumque resoluentem satis ex mente Galeni apparet. Illius hæc verba sunt: *Lapis propria passio est puerorum, qui ob edacitatem non paucos crudos humores generant, ex quibus pars craßior cum vrinis ad vesicam perueniens fit lapidum materia. Accedit altera causa, vehementia caliditatis. Nam & senes aceruant crudum non paucum, non ob voracitatem, sed facultatis coctricis imbecillitatem. Non validũ tamen calorem habent, qui crassam materiã resoluens lapidẽ generet.* Vtitur participio διατμίζον, id est, exiccãs, arefaciẽs, exhalare faciens, & tenuẽ substantiã eliciens è materia crassa, vt fæx tandem remaneat. Ergo & calor validus requiritur, & calor qui resoluendi vim habeat. An verò tali vi præditum est calidum primum & radicale, quòd si fluens est, erit ἀτμὸς tantùm, & ἀπόρροια τῆς ὑποκειμένης οὐσίας: si fixum, partium solidarum ἐντελέχεια. Hic calor quandiu aliquid habet præsto in quo ver-

setur

ſetur coquendo, ſecernendo, alterando, non ſeſe ad aliud accingere ſolet; vnde non eſt credibile calorem blandum & mitem in pueris exercere vires ſuas in crudis humoribus digerendis, & in lapidem conuertendis. Nam digeſtio illa, arefactio, reſolutio quæ requiritur vt materia craſſa lapideſcat, ſoli calori febrili tribuenda eſt. Et quoties ἰσχυρὸν θερμὸν legitur, videtur de calore acri & febrili intelligi, cui paſſim Galenus ob igneitatem in apoplexiis, tetano, morbíſque frigidis reſoluendi vim, digerendi tribuit, immò & coquendi; quanquam in illo loco vbi legitur de calore febrili quòd concoquat, legitur, frigiditatem concoquendi vim habet, non abſolutè, coquendi vim, ſed frigiditatem coquendi, id eſt, corrigendi, mitificandíque ſummam, quæ in crudis ſuccis ineſt, frigiditatem. Sed hæc per tranſennam. Nam ſi calor naturalis vim habet reſoluendi, & in lapidem vertẽdi in pueris, cùm alioqui ſit blandus, humidus, & multo humore obrutus. vnde ſæpe impeditur Hippocratica illa ἔκλαμψις; an tanta in ſenibus frigiditas, vt, cùm ob facultatis coquentis imbecillitatem multa congeratur materia cruda, illa non poſſit obſtruere, vias impedire, ſicceſcere, à calore acriore quàm ſit in pueris, quantuluſcunque is ſit, lapideſcere? Credibiliùs eſt. Vnde mirari ſubit cur autor libri de natura humana ſcripſerit, *viris calculos non generari ob frigiditatem.* Item Galenus loco ſuperiore, In ſenibus quidem ſuppetere materiam generando creandóque lapidi idoneam, ſed præ infirmitate caloris non cogi. Nam Galenum contradictionis poſſumus conuincere; *Aſthmata in ſenibus ex deſtillationibus ortum habent, cùm & reſpirandi inſtrumenta ſæpè habeant, proprium ſui algoris principium, quando & in ipſis multæ & craſſæ ſuperfluitates generantur: Et prætereà præſente virium imbecillitate renes obſtruuntur, & lapides generantur; cùm tenax & craſſa ſuperfluitas in ſimilem callo ſubſtantiam tranſiuerit.* Antequam doceam contradictionem Galeni, de ſerie contextus dicam, iſtam periodon, καὶ προσέτι τῆς δυνάμεως ἀσθενοῦς οὔσης. non ſoleo cum Leoniceno cum ſequentibus connectere in eo ſenſu, Et præſente imbecillitate virium renes obſtruuntur, & lapides generantur: ſed totam periodon refero ad diſputationem de aſthmate, quam peculiariter Galenus explicat; ſiquidem Hippocrates in ſuo contextu non meminit vllius obſtructionis renum in ſenibus. Quaſi dicat Galenus, imbecillitatem

Com. in Aph 31. lib. 3. Aph.

viriũ vnam ex causis esse quæ asthmaticos senes reddunt. Nam sequens periodus tota sibi cohæret in textu græco sine vno puncto, nec colo, nec inciso, vt malè fit in textu latino: ἐμφράττονται πολλάκις οἱ νεφροὶ καὶ τοὺς λίθους γεννῶσιν ὅταν, &c. Obstruuntur autem renes sæpè, & lapides generant. Non autem legendum cum Leoniceno, imbecillitate virium præsente renes obstruuntur: lapides autem generantur quando, &c. Nam hoc scriptoris est nec Galenum intelligentis, nec verba græca an benè maléve cohæreat scientis. Quanquam hoc verisimile esse videtur ab imbecillitate renum tanquã ab adiuuante causa lapidem nasci posse. Nam concretio quæ fit in parte quapiam, infirmitatem partis agnoscit nequeuntis à sese amandare id quod molestum est. De verbis hactenus. Nunc ad rem redeamus.

Quòd in mentem venit Galeno vt tam paucis literis contradictoria complectatur? Nam in vno Lithiasin propriam affectionem puerorum scribit quod & cruditas, voracitas, & calor ingens in illis concurrant. Accedit quod partes puerorum famelicæ à ventriculo nondum satis mitificatum alimentum rapiãt. Raptus autem ille eò fit, quòd idem alimentum & ad auctionẽ, & ad nutritionem faciat. Et quæ partes augeri debent, id quo augeantur appetunt: quæ nutriri, id quo nutriantur. Diuersum est partium studium, diuersum desiderium, quod vno & eodem alimento debet leniri ac temperari. Nutritio quidem fit non quatenus alimentum quantitate est prȩditum, sed quatenus substantia est quȩ in alendæ rei naturam multiplici alteratione prȩeunte mutari debet. Auctio verò contra. 7. Eandem lithiasin ibidem à senibus remouet, quòd licèt materia idonea sit, tamen causa efficiens desit. Sed alio loco obstructionem renum senibus contingere posse ait, vnde viscida superfluitas σύστασιν πωρώδη, callosam concretionem aut coagmentationem interpretor, cõtrahere possit. At concretio fit resolutâ parte tenuiori virtute caloris difflantis. In senibus, autore Galeno, frigiditas dominatur. Quænam ergo causa efficiens? Nec est quod quis conetur defendere Galenum, quòd magna sit senum latitudo: vt quidam sint virides, quidam decrepiti. Cùm vno in loco ait: In senibus ob frigiditatem calculum generari non posse, de decrepitis intelligit. Cùm autem alio loco scribit viscidum & crassum humorem callosam substantiam & naturam induere vnde lapis, non de decrepitis capularibúsque senibus intelligit, sed de viri-

dibus, in quibus non ita languidus, paucúsque calor ſit naturalis. Contra tamen colligere licet ex eiuſdem commentario. Nam dum de lithiaſi, & aſthmate, & ſtranguria affectionibus ſenum diſputat contra ſententiam aliorum Hippocratis interpretum, aſſerit ſenes eò loci ab Hippocrate intelligi τοὺς τὴν ἐσχάτην ἄγοντας ἡλικίαν, καὶ ἐν αὐτοῖς καταπαύει τὸν λόγον ὡς ἁπάσας ἤδη διεληλυθώς. Eos inquam, ſenes intelligit, qui extremam ætatis partem exigunt. Atque in eiuſmodi ſenibus orationem ſuam finit tanquam iam ordinatim ſingulas ætatum partes emenſus. Si itaque in extrema ætatis periodo σύστασις illa πωρώδης fieri poteſt, cur non magis in iis quæ antecedunt? Itaque non videtur conſentaneum à ſenibus & viris iam grandioribus reiicere calculorum generationem, præſertim cùm materia in promptu eſt, cùm non ſit tantum frigus quin calor naturalis paulò acrior in anguſtis viarum quodammodo præfocatus (nam in anguſtis locis maximã partem lapides generantur) ſufficiat ad cogendum compingendũque temporis progreſſu. Vt id quod ſimul & ſemel, aut breuiore tempore in calidioribus fit, idem in non ita calidis, ſed tempore longiore fiat. Quod alienum à ratione non videtur: immò rem ita eſſe credendum eſt. Eámque ob cauſam Hippocrates 6 Epidem. ſcribebat, *Poſt mictum concretio magis, an quòd calidiores?* Cur dubitat? Cum aliis locis calorem puerorum cauſam concretionis poſuerit. Reuerà libro illo multa ad memoriæ ſubſidium conſcripſit. Nec abs re fortè dubitando ſcripſit, an quòd calidiores? Dubium enim eſſe oſtendimus, & paulò poſt plenius aperiemus, an calor naturalis mitis & blandus, concretionis cauſa.

Nunc quod mihi videtur probabile dicam de ſenibus & pueris: necdum enim explicabimus an ante mictum, an poſt mictũ concretio fiat. Lapides generantur in veſica, generantur & in renibus, & aliis locis anguſtis. Qui in loco ampliore generantur, & caloris vbertatem & materiæ declarant. nam cùm materia alia loca in quibus cogi potuiſſet pertranſierit, in veſica calida tum per ſe, tum locorum vicinia, vt ex Hippocrate docebimus, nanciſcitur copiam nouæ materiæ; vnde concretio fit. Qui in loco anguſtiore fiunt, quodam obſtructionis modo fiũt, dum videlicet ſicca, aut viſcida, ſed terreno modo affecta ſuperfluitas diù in renibus & viis anguſtis hæret; vnde obſtructio, & ab obſtructione, loco, tẽpore fit concretio. Itaque in calidis

naturis propria dicitur esse generatio lapidum tum in ratione lapidis, quia propriè lapis fit; tum in loco, quia in vesica; tum à causa efficiente propria, nempe calore; & in tempore, quia pauco tempore; & in effectionis modo, quia tenuioris partis resolutio fit; vnde propriè concretio. Sed in non ita calidis, immò iam ad frigidum temperamentum vergentibus generatio lapidis cernitur, sed non propria. Quia non per modum coctionis per incrassationem & tenuium partium à calore consumptionem, sed per modum obstructionis, à qua res impeditur, & dum materia retinetur calor difflatione prohibetur, hinc longo tempore concretio impropria tamen fit. Item generatio ista fit in renibus. At non tam elucet vis caloris in generando lapide in angusto loco, quàm in capace: quia angustia loci quasi apprimè ad concretionem confert. Non præterea digestio fit tenuis partis, quia non multus calor. Atque vtrumque modum explicat Galenus abundè. Nam dum de senibus agit, (ἐμφράττονται οἱ νεφροὶ καὶ γεννῶσι λίθους καὶ σύστασις πωρώδης ἐργάζετ). Non dicit, In senibus materia subigitur à calore, digeritur, vnde concretio: sed obstruuntur renes, inquit, & generant lapides: Ergo in generationis forma desideratur efficiens causa propria calor, sed obstructio per se videtur statim causa. Deinde συστάσεως πωρώδους meminit; ac si dicat, non verè lapis est, sed per obstructionem humor παχὺς καὶ γλισχρὸς coagmentatur, adipiscitúrque callosam naturam. Sed dum de propria lapidum generatione loquitur, vt ea quæ fit in pueris, aliter multò loquitur; nam non meminit obstructionis, immò reiicit angustiam vt causam aliquam 6. Epid. sed voracitatis, copiæ humorum & validi caloris, & resolutionis. Hîc tria maximè considerantur, calor validus (qui in senibus deest) copia materiæ (quæ adest quidem, sed ob coctricis facultatis imbecillitatem, ergo penuria caloris) & resolutio. Quæ efficit veram legitimamque lapidis generationem. Itaque mihi videtur sibi quadrare Galenus.

Sed nunc quasi è portu paulùm remigrantes, quoniam longius soluimus, redeamus ad disputationem de calore; quoniam, vt suprà diximus, Hippocrates dubitauerit, an ideò quòd calidiores pueri post mictum in iis συνάγμα fiat? Et si calor, an sit mordax & acer, an naturalis, vt suprà attigimus. Ac calorem quidem esse causam generationis lapidis certum est, siue calor sit in parte ipsa in qua reapse generatio fit, siue in partibus vici-

nis quæ parti adiaceant. Quod fortè nouum videtur, ſed id primus Hippocrates animaduertit libro de aëre, locis & aquis. *Quorum aluus ſatis fluida eſt ac ſana, non ardens, nec ſtomachus veſicæ coardeſcit, hi facilè vrinā eiiciunt, & nihil in veſica congregatur. Quorū aluus ardens ac feruida fuerit, in his neceſſe eſt veſicam idem pati. Cùm enim magis quàm pro natura fuerit calefacta, ſtomachus ipſius inflammatur. Cùm hoc patitur, vrinam non dimittit, ſed in ipſa coquit atque adurit: quod tenuiſſimum, excernitur; quod puriſſimum tranſit ac emeïtur. Quod craſsiſſimum ac turbidiſſimum, coaceruatur, ac primùm concreſcit parum, deinde magis dum voluitur ab vrina, quicquid craſſum compactum fuerit ad ſeipſum aptat, augetur, & in tophum concreſcit. Cùm vrinam emittit, ad veſicæ ſtomachum allabitur ab vrina impulſum, vrinæ emiſſionem impedit, & dolorem affert. Quare pueri fricant ac trahunt pudenda. At videtur cauſa mictionis eo loco eſſe. Signum autē quod hæc ita ſe habeant, hoc eſt, vrinam ſplendidiſſimam calculoſi meiunt ad ſimilitudinem ſeri, quia id quod craſsiſſimum ac biliosum iſthic manet, coaceruaturque. Pueris autem lapis fit ſi lac non ſalubre fuerit, ſed valdè calidum ac bilioſum. Ventrem enim percalfacit & veſicam.* Tria hîc obſeruatione digniſſima ſunt. Primum, quomodo æſtus, calórque & veſicæ & partium vicinarum calculi prouentum faciat: vnde aduſtio fit, & orificij veſicæ inflammatio. Ergo de calore acri locus intelligitur. Secundum, quod contra neotericorum ſententiam primaria in veſica coagmentatio fiat, nec ſit ad renes recurrendum. Tertium, quòd lac in pueris calculum generet. Quartum addo de vrinis ſplendidiſſimis. nam hoc non videtur probabile. Neque enim veri ſimilitudinem habet ita ſplēdidas & tenues vrinas, & albas reddi, cùm æſtus ſit & in veſica, & in inteſtinis ratione aſtrictionis & ardoris. Sed hoc mihi propterea videtur contingere, quòd multa copia lenti viſcidique humoris ſubſideat, à qua reſudet tenue ſerum, quod tanquam paratum magis ad excretionem, emingitur: ſed quod craſſum eſt ac bilioſum (hoc eſt quod in mole iſta calidum eſt ac æſtuās, tanquam ſummoperè conferens ad generationem lapidis) remanet: & quod excernitur tenue eſt, incoctum; quia licèt calor ſit multus, hic naturalis non eſt, ſed æſtuans, vt vult Hippocrates hoc loco (quanquam in aliis recurrit ad humidum calidumque primum, quod in pueris multum eſt) & propterea vrina cocta non apparet, ſed diluta multùm, & albicans ob eam impreſſionem quam habet à materia in fundo veſicæ contenta:

Tamen hoc controuersum esse potest maximè. De tertio, nempe de lacte, dicemus posteà. De secundo, nempe de concretione lapidis & arenularũ, an in vesica primò fiant, pleniùs posthac. De primo disputemus, quoniam instituta est quæstio de calore, an sit naturalis, & blandus, an verò contrarius. Id quod hoc loco ab Hippocrate dicitur aliquod problematicum habet. Nec enim absolutè verum est inflammari vesicam, & os eius nec intestina ardere vt inde generetur lapis. Tamen vt nihil effictitiũ temerè, nil ab Hippocrate imprudenter pronunciatum, ita eius verba problematica quidem, sed vera tamen cum reuerentia sunt capienda. Stultum est tanto autori falsum aliquid affingere, quod fortè eius verba quæ aliquid secretius in se continent, non intelligamus. In ea re enim inscitiam nostram potiùs explicaremus. Illo loco de aquis agit, earumque commoda & incómoda explicat, prout aliis atque aliis ventis afflantur. Ac inter cetera docet in nonnullis aquarum à Borea perflatarũ vsu arenulas in vesica generari, in aliis non item, prout nimirum cuiusque aluus bene aut malè affecta est. Nam in cuiusque morbi generatione, non modò dispositio materiæ & eiusdem copia requiritur, sed subiecti ipsius; alioqui nihil generaretur. Itaque illo loco Hippocrates vult eos calculis fore obnoxios quibus inferior aluus calidior est, & vesica ipsa. Quod quanquam problematicum, tamen verisimilitudinem habet. Nec Hippocratis verba vbique ad vnguem sunt exquirenda. Nam nihil aliud videtur innuere quàm eos calculis obnoxios esse, siue in renibus generentur, siue coagmentatio prima & rudimentum fiat in renibus, perfectio verò in vesica per materiæ nouæ appulsum, quibus aluus astricta est, arida, sicca. Ac si dicat Hippocrates: Illud in arte Medica receptum est, & communi prudentiâ notum, calorem lapidis efficientem causam esse. Ergo quibus illa causa præstò est, in iis credibilius est lapidem potiùs generari quàm in aliis in quibus deest, etiamsi par materiæ congeries adsit. Quo fit vt vesicæ ardor, alui durities, siccitas, calor plurimùm generationem lapidis promoueant ac adiuuent. Vt enim calor hepatis & partium vicinarũ facit ad meliorem chylosin tum in coctione, tum in facili alteratione, immò & digestione, ita intestinorum vesicæ vicinioris calor facilè communicatur & renibus & vesicæ; vnde in iis partibus augetur calor per aliarum partium viciniam, auctus calor ad rudimentum &

Notandus locus Hippocrat. de generatione arenularum in vesica, contra neotericorũ sententiam.

perfectionem lapidis facit plurimùm. Sic nimirum quæ sunt vicina, & quæ propinqua, ea primùm ac maximè affici solent, vt Hippocrates scripsit. Sic inflammatio recti intestini vrinæ stillicidium afferre potest: & vesicæ inflammatio tenasmum adducit, vt in Aphorismis Hippocrates testatum reliquit. Et vterus recto intestino tenasmum patiente laborat per consensum: immò & abortionem facit Hippocrati. Itaque fieri potest vt quibus ardens aluus est, ij præsente materiâ calculosi fiant; quod communi experientiâ percipitur. Nam & qui præcalido sunt hepate, iis maximam partem aluus astricta est, & arenulas patiuntur: & qui nephriticis tentantur, & calculosi sunt, iuuantur plurimùm eductione stercoris; tum quia induratum stercus opprimebat partes iam calculo pressas & fatigatas: tum quia breuissimo tempore aluus ita astricta, & ob astrictionem seipsâ calidior effecta potest calorem suum communicare partibus propinquis, & eas adiuuare ad nouarum arenularum generationem. Nam & dolores, & vigiliæ, & astrictio alui facilè corpus febriens reddũt: immò quibus naturâ præsertim biliosis durior, sicciórque aluus, iis maxima ex parte & capitis dolor, & renum φλόγωσις (de ea enim conqueruntur sæpè) immò & rudimenta febris apparent. Calor itaque siue partibus ipsis insit, siue ab aliis partibus emanet, calculorum parens est. Vt non iterum prætereundus videatur locus ille Hippocratis suprà citatus, pueris arenulæ cum lotiis excernuntur, tum propter vesicæ, tum totius corporis caliditatem. Vt non solùm partium calorem in quibus solent nasci lapides considerarit, sed & totius corporis. Quod animaduersione dignissimum est. Ceterùm subtiliùs & breuiùs de calore agendum. An calor sit acer & mordax, an calor blandus & mitis, an vterque. Nam in iis quæ antè dicta sunt, & docuimus probabile esse non à calore blando cogi posse calculum, quod ad coagmentationem, digestio tenuis substantiæ requiratur, & à frigiditate non iuuari coagmentationem. Vtrumque ampliùs excurremus, & tandem quid sentiendum aperiemus. Audiatur Hippocrates.

Post mictum concretio pueris magis, num quia calidiores?

Aliquid intus reconditum obscuris verbis designat, sed non exprimit Hippocrates. Et vt anteà monuimus, non audet absolutè pronũciare an quòd pueri calidiores, ideò eis fiat magis cõcretio (σύναγμα Græcis, ἀπὸ τοῦ τὸ γλισχρὸν χυμὸν συνάγεσθαι. eáque concretio

Hippocr. lib. de humori.

Apho 58 lib. 5.

Apho. 27 lib. 7.

post mictum. Nam tacitè tectèque indicat duplex σύστημα, vnum ante mictum, alterum post mictum: Ita enim Græcis est, μετ' οὔρησιν, καὶ πρὸ οὐρήσεως. Pro nomine οὐρήσεως positum aliud est lib. 2. de nat. humana οὔρημα, sed malè; nam ponendum erat οὖρον. Aliud est enim οὖρον, aliud οὔρημα, seu οὔρησι. Quæramus igitur cur Hippocrat. dubitet & hanc particulam ambiguam scribat ἄρα ὅτι θερμότεροι, id est, an quòd calidiores? Duabus de causis videtur hoc adiectum esse: vna est, quia adiecerat particulam illam μᾶλλον videtur magis consentaneum, vt in iuuenibus, in quibus calor qualitate maior cernitur potiùs generetur lapis, quàm in pueris. Nam si calor coagmentationis autor est, vbi maior calor, ibi coagmentationis & coalitus occasio maior. Si itaque iuuenes calidiores, cur non in illis σύμπαγμα μᾶλλον. Tamen in Aphorismis absolutè pronunciaret pueros calidissimos esse, & nouerat illos & humidi primi & caloris primi vbertate fretos esse, à quo calido primo vere dicuntur calidi homines. Quanquam θερμοὺς Græci Medici appellitauerint aliquando: immò sæpè quibus acer & mordax in aluis calor est. Nec mirum si dubitauerit, an quòd calidiores essent, in iis concretio post mictum fieret.

Secunda ratio videtur cruditas humorum, & superfluitas, præsertim in vesica coagmentationis lapidis causa est materialis: Vbi calor multus, ibi non est credibile crudos & superfluos multos humores coaceruari, vt res quoque se habet, præsertim ex parte caloris. Nam si magna sit ingluuies, ibi licèt calor multus, tamen non est satis coquendo, & mitificando. Si pueri calidi sunt, calor superfluam humiditatem & humores mitificabit, & nihil erit quod vim potentiámque caloris effugiat. Ita nimirum in prognosticis Galenus scripsit, sedimentum multum esse in vrinis, quòd multi humores crudi, qui ratione copiæ effugerint vim caloris natiui, vnde eos necesse sit posteà cum vrinis secedere, quòd naturæ gratiam non receperint, id est, in alimentum non facesserint. Itaque dubitat Hippocrates, an quòd calidiores? quasi dicat: An non alia causa est coagmentationis post mictum? Si enim calor validus esset in pueris, vt est, & humores coquuntur, & mitificantur, & ad facilem exclusionem comparantur; ideóque non est verisimile in vesica resistere, ac illic in calculum cogi; dilatantur enim multo calore vasa. Ergo alia causa est (dicere possit Hippocrates) nimirum propter ingluuiem humorum cumulus qui hoc efficiat, vt nimirum fiat concretio

concretio poſt mictum. Accedit quod non dixit abſolutè, *Pueris magis concretio fit, an quòd calidiores?* Nam ſi de concretione & ſynagmate ſolo ageretur, nõ eſt dubiũ quin à ſolo calore repetẽda eſſet cauſa, & nõ ambigeret, an quòd calidiores. Nemo dubitat enim à calore σύναγμα hoc fieri: ſed adiecit, μετ' οὔρησιν: poſt mictũ: vt ſi ita quæreretur; An quia pueri calidiores, ideò in iis fiat cõcretio lapidis magis poſt mictum quàm ante mictum? Et particula hęc, *an quòd calidiores*, dupliciter referri reducíque ad ea quæ pręceſſerunt poteſt: vel, An pueris concretio magis (ſupple) quàm aliis in ætatibus, quòd ſint calidiores: quod videtur Galenus velle colligere. Vel, An in ipſis pueris fiat concretio potiùs poſt mictum, quàm ante mictum, quòd calidiores ſunt. Etenim hoc probabile videtur, in pueris lapidem in veſica concreſcere præeunte aliquo rudimento ob copiam excremẽti viſcoſi & craſſi: quod renes quidem præteriit validâ exiſtente puerorum naturâ, ac vaſis ſatis dilatatis, ſed quia graue eſt, facilè remanet & reſidet in puerorum veſica vt molli & flaccida, exeunte tenuiori parte: ſed in viris in renibus. 8. Cùm in veſica fit, dicitur poſt mictum fieri, id eſt, poſt ſecretionem ſeri à ſanguine, & eius in veſicam influxum; ita enim nomen οὐρήσεως intelligi poteſt. Cùm in renibus fit, dicitur ante mictum fieri, id eſt, antequam ſecreta à ſanguine ſeri pars ſit, & illapſa in veſicam ſit in renibus. Nam quidam volunt mictionem eſſe non cùm actu à veſica excernitur vrina: ſed cùm in veſicam illapſa eſt vrina. Niſi fortè dicat quis meliùs poſt mictum dici, id eſt, poſtquam excreta eſt à veſica vrina, vt excretâ tenuiori parte humoris remaneat ſpiſſior & denſior in veſica. Sed ſi hoc verum eſſet, quis eſſet ſenſus? quæ ratio dictorum Hippocratis? Nam ſi ideò dicatur concreſcere lapis poſt mictum in pueris, quod id fiat poſt excretam à veſica vrinam: an probabile eſt in aliis poſſe generari lapidem in renibus ante mictum, id eſt, dum contenta adhuc eſt in veſica vrina? Non videtur veriſimile. Nam contineatur vel non vrina in veſica, non propterea tamen in renibus generabitur lapis. Ergo credibiliùs eſt, poſt mictum dici, id eſt poſtquam illapſa eſt in veſicam vrina: Ante mictum, dum adhuc in renibus continetur. Niſi fortè dicat quis, & defendat in hoc ſenſu dici concretionem fieri in veſica poſt mictum, quòd fiat poſt mictionis actum, & nihil referat de renibus, ſiue antè, ſiue poſt id fiat, cùm Hippocrates nullam mentionem ea de re

iniecerit. Nam si ita dixisset, Post mictum in pueris concretio magis, quàm ante mictum, aliis potiùs ante mictum; videretur reuerà per comparationem loqui voluisse de viris & pueris, vt in his aliter fiat quàm in illis. Sed secus est. Tamen & Galenus in comment. & Arnaldus, & ex veteribus plerique solent assignare distinctionem inter generationem lapidis in pueris, & in viris: quòd in iis in renibus fiat, in illis potiùs in vesica. Cuius rei demonstrationem petiisse videntur ex hoc Hippocratis Aphorismo.

Tamen coniectura à nobis priùs proposita non videtur à ratione aliena, vel quòd Hippocrates quæsierit, an quòd calidiores, quòd nimirum si hæc ratio valeret, quia calidi sint, idem de aliis ætatibus, præsertim iuuenibus intelligi possit. Vel potiùs, quòd cùm nosset copiam excrementi parentem lapidis esse, & eius præsertim qui in vesica fit, non abs re dubitauerit, an caliditas eius lapidis causa sit, cùm alia causa, eàque præcipua esse videatur. Quod autem de iuuenibus intelligi hoc posset potiùs, Galenus in comment. indicat, dum ait, Calidum in iuuenibus absolutè calidius est calido naturali quo abundant pueri: quocirca probabilius erat (siquidẽ caliditas concretionis autor sit) in adultis generari lapidem quàm in pueris. Sit ita sanè. Caliditas autor est causáque efficiens lapidis: sed an ea sit primigenia (quod nos demonstraturos sumus polliciti) aperiamus. Quicquid eiusmodi est vt materiæ aliquam æqualitatem afferat quæ ad coagmentationem, quam læuitas adiuuat, conducere possit, & de materia educere aliquid tenue, id ad generationem calculi facere potest: nam, vt suprà docuimus, requiritur aliquod agens ad coalitum istum. At calor naturalis, & quiuis calor mediocris id præstare potest: quod ratione, ac experientiâ doceri potest. Autoritas Galeni est: *Vrinarum crassitudo creandorum calculorum in pueris prima potissimáque causa est, caliditas etiam mediocris ad spissandam materiam satis esse potest. Nam & in sponte aquis calidis, etsi moderatis tepidiores sint, tophi concrescentes apparent. Itaque Hippocrates adiecit particulam* NONNE, *quoniam & tanta caliditas, quam ingenitam pueri habent ad coagmentandum aliquid facit: verùm non ipsa præcipuè, sed materiæ ex qua fit lapis, qualitas, ipsius compactionis causa existit.* Quo ex loco apparet ea nostra coniectura verisimilis esse, quâ paulò antè nobis videri dicebamus. Dubitandi par-

Com. in aphor. 15. sect. 3. li. 6. Epid.

ticulam ab Hppocrate additam esse, *an quòd calidiores*? Ac si dicat Hippocrates συνάγματος istius non tam causam esse calorem quàm materiæ spissæ, crassæque qualitatem. Quod & Galenus apertè demonstrat: licèt in omnium rerum productione habeatur potiùs ratio causæ efficientis quàm ipsius materiæ. Et addebat, *post mictum*; siquidem post excretam vrinam, vel post delapsam eandem à renibus tanta est in fundo superfluitas, vt minimo negotio cogi, aptaríque possit.

Quæstio esse possit an tam facilè generari possit? Nam plerique putant necessarium esse calorem ingentem qui retorreat materiam, retostam in lapidẽ cogat. Tribus modis fieri potest, vno per modum obstructionis, vt in senibus fieri antè ex Galeno docuimus. Quia enim multa restant excrementa, ea tempore vel per se, vel à calore siccata non simul & semel, sed progressu temporis callosam acquirunt consistentiam, & vias angustas obstruunt. Et parùm probabilè ostendimus esse id quod à Galeno dictum est, in senibus non cogi calculos, non quin adsit materia, sed quòd calor sufficiens desit. Altero modo per modum coctionis, in qua requiritur multus calor, & qui tempore cogat vt materiam non lentam, viscidã efficiat, exhausto sero, quem Galenus in Aphorismis constituit dum loquitur de lithiasi propria puerorum passione: & eundem modum agnouit Hippocrates libro de aëre & locis, dum scribit eos calculosos fore quibus aluus exæstuat, vt paulò antè demonstratum est. Tertium modum ex hoc loco constituimus, in quo & Hippocrates & Galenus non tam recurrunt ad causam efficientem, quàm ad materiam, vt in pueris solam, vel præcipuam saltem vrinarum necessitudinem lithiaseos causam ponant. Immò (vt ad quæstionem reuertamur an facilè generetur lapis) Galenus exiguum tempus ad coagmentationem requirit, pręsertim cùm materia præsto est. Ita enim scribit, quod annotandum: *Crassities eiusmodi vrinarum collecta, & in vnum coiens* (*supple in vesica, contra Fernelium*) *cùm semel aliquando non apto tempore excreta intùs diutiùs remanserit, concrescendi initium capit: principio facto facilè quicquid crassi in vesicam illabitur, priori agglutinatur, vt in spontenatis aquis cernitur, & in vasis in quibus aqua quotidie calfit.* Notanda illa particula, *cùm semel aliquando non apto tempore, &c* Nam & facilitas generationis & incrementi apparet, præsertim vbi materia idonea. Vt non sit requirendus tantus calor, non diathe-

Commẽ. in aphorism. 15 lib 6. Ep sect. 3

ſis aliqua parentum, ad quam tanquam ad aſylum confugiunt qui potiùs morborum cauſas rimantur, quàm eaſdem amoliantur. Quis enim dubitat vſu caſei primo quoque tempore non poſſe cogi calculum?

Redeamus ad noſtrum calorem. Calor naturalis coquit, vnit, ad æqualitatem adducit, craſſefacit; nam coctio incraſſando fit: craſſities illa in æqualitate ſpectatur, cùm ſeparatio eſt omnium partium ἑτερογενῶν. Nam ſæpè quod vltima in coctione apparet, tenue magis apparet quàm quod in prima: craſſius tamen eſt, quia ſeparatis heterogeneis partibus æqualius eſt. Si calor naturalis illud præſtat, tantum abeſt vt non concurrat ad lapidũ generationem, vtplurimum faciat, quâ præſertim ratione incraſſat. Quod Galenus conceptis verbis demonſtrat: *Craſſam materiam in pueris tenaciorem eſſe, quoniam magis ab inſito calido elaborata eſt, rationabile eſt. Nam quæcumque à calore coquendo mutantur temporis progreſſu lentorem acquirunt, licèt ab initio illum non habuerint.* Tamen contra id quod à Galeño modò dicitur obiici poteſt ea ratio qua paulò antè eodem in commentario niſus eſt docere cur pueri in renibus calculum non generent. Pueri, inquit, in renibus calculos non generant, quia cùm in iis omnes actiones naturales validæ ſunt, humorum craſſitudo funditur atque diſſoluitur. Et paulò infrà: In pueris cùm multus calor ſit inſitus, & actiones firmæ, materia attenuata ad renes fertur, facilè in veſicam percolatur. Ex quibus locis apparet calorem naturalem attenuare, fundere, diſſoluere, nedum cogere, ſpiſſare, coagmentare. Immò paulò infrà, coagmentationis cauſam in pueris, illius præſertim materiæ quæ à calore attenuata fuit, percolata per renes, & ad veſicam protruſa, vult veſicæ eſſe frigiditatem. Si frigiditas coagmentationem promouet materiæ alioqui à calore attenuatæ, ſi calor fundit, liquat, cur ergo & calor natiuus craſſitudinis autor exiſtit, & coagmentationis, cùm contraria ei qualitas, nempe frigiditas, autore Galeno, id efficiat? Hæc herclè ſubtiliora ſunt. Nam Galenus adduxit primam rationem, nimirum in pueris facultates validas & calorem attenuare, vt euertat eorum ſententiam qui dicebant in pueris lapides gigni ob meatum in renibus anguſtum. At Galenus; Si anguſtia hoc efficeret, potiùs in renibus cogerentur: At contrà fit: immò dubitando ponit ne in aliis quidem ætatibus anguſtiã iſtam cauſam eſſe, ſed cruditatem, & infirmitatem: quæ cùm

Commẽ in part. 15. ſect. 3 lib. 6. Epid.

non ſit in pueris tanta, non eſt mirum ſi in renibus non cogatur materia: immò eatenùs eorum vis appareat quatenùs validè depulſa eſt materia in veſicam, quæ ibi cogitur iuuante quadam veſicæ frigiditate. Nam primùm per comparationem tantũ vult tam validas facultates in pueris: nec vult calorem omninò fundere & attenuare: nam cùm primùm per modum digeſtionis cogit, tunc fundit, liquat, attenuat: ſed cùm per modum coctionis, craſſefacit. Sic in vno loco intelligi debet calor ille æqualitatem craſſitiemque efficere cùm coquit. In altero fundere, liquare, dum per comparationem cum aliis ætatibus in quibus vires nec calor tantus eſt, hoc dicitur, & dum digerendi partes tenet. Quod autem veſicæ frigiditas coagmentationis cauſa dicitur eſſe, id tamen non excludit munia caloris naturalis in coquendo & incraſſando. Nam frigiditas tantùm ex euentu cogit, præſertim ſi adſit inanis capacitas in qua materia diu reſideat; quod vult Galenus. Calor per ſe craſſefacit & cogit, dũ videlicet ἑτερογενῆ ſeparat, & ὁμογενῆ congregat. Et licèt materia attenuata ſit, vt per renes percoletur, non propterea tamen efficitur quin diutiùs verſando circa eam materiam præſertim excrementoſam, nõ illam cogat. Nam ſi illam aſſimilare poſſet vt in alimentum cederet, non vbique in calculum cogeretur: ſed cùm ſit excrementum, diutiùs reſiſtens eam naturam acquirit. Ex his patet calorem blandũ, mitem, mediocrem concretionis lapidis autorẽ eſſe poſſe, quod autoritate & ratione confirmatur.

Experientia eſt de aquis: in iis tepidiuſculis aliquando lapides generãtur: & in vaſis noſtratibus in quibus vulgò aqua incoquitur. Et Galenus earum aquarum duobus in locis meminit: priore quidem: *Itaque ſi ex ſola pituita craſſa & viſcida ſubſidentia facta ſit, color cinereus erit, aliorum tophorum colori ſimilis, qui in aquis ſponte calidis multis in regionibus lapidibus adnaſci accreſceréque cernuntur, & in vaſis alioqui vbi aqua caleſit.* Poſteriore verò, *In calidis aquis ſponte naſcentibus calculi & tophi generantur. At dicet aliquis, non generantur niſi in aquis calidiſſimis.* Falſum eſt, & autoritate Galeni refutatum. ita enim eodem in loco ſcribit: *In ſponte calidis aquis etſi moderatis tepidiores ſint, tophi concreſcentes apparent.* Eo autem loco conceptis verbis Galenus docere vult non neceſſariũ eſſe vt aquæ calidiſſimæ ſint, nec calor admodum vehemens vt lapis generetur.

Commẽ in aphorism. 6 sect. 1. lib. 6 Epid.

Com. in part. 15 sect 3. lib. 6 Epid.

Itaque vt oratio nostra terminetur: nec eorum placet opinio qui in generandis lapidibus calorem acrem requirunt: nec quià solo calore naturali. Est enim vbi calor acer & mordax causa est efficiens, vt in picrocholis, & θερμοκοιλίοις αὐτῷ. Est vbi calor blandus & mitis id efficiat longiore quidem tempore, & per modum concoctionis: alius calor acer per modum digestionis. Est vbi potiùs habenda sit ratio materiæ, quàm vllius causæ efficientis; tametsi illa quoque concurrat. Sed cùm materia est multa, vt humor crudus & lentus, non est mirum, nec dubitandum (quicquid dicat Galenus loquens de senibus: nam posteà sui memor sententiam suam temperauit) quinetiam exiguo præsente calore lapis concrescat. Est enim sedimentum multum, est & gluten aliquod, nempe pituita cruda, vt doctissimè annotauit Hippocrates. Quod glutinum quod adest tantam habet vim, vt materiã alioqui diuisam diuulsamque coire cogiq; faciat, licèt paucus calor sit. Et is quantuluscum que est calor longo tempore facit, id quod breuiore angustioréque vegetior & potentior calor moliretur. 9. Itaque non vbique accusandus calor acer, & propterea temperatis vtendum, non ideò renibus applicanda refrigerantia, cùm potiùs obsint, quàm prosint. Nam in pituitosis & præpinguibus in quibus concrescunt lapides, sed non frequentiùs quàm in biliosis (contra veterum sententiam id dico) non est verisimile calorem illum acrem, quem lapidis parentem constituunt, abundare. Sed vno verbo inquiramus, an calor acer & febrilis iuuare possit ad generationem lapidis. In tetano, epilepsia, apoplexia calor febrilis coquit, digerit, euacuat, dissipat, frigus corrigit, & materiam frigidam ad æqualitatem reducit; item attenuat, & in halitum digerit. Et apud Hippocratem; *Quibus adsunt coryzæ, si cum febre fuerint quæ superuenerit, eæ soluuntur, nec relapsum habent; quæ cum febre non sunt, relabuntur.* quomodo id fit? Quia calor febrilis promouet coctionem. verba Galeni hæc sunt: ἀπυρετὸς ἐπιγινόμενος κορύζαις καὶ βράγχοις βεβαιοτέραν αὐτῶν ποιεῖται πέψιν. Est ergo minimè consentaneum cogere, densare, & pituitosam materiam in calculum conflare. Videtur quidem hoc probabile, verum tamen non est. Nam actio illa caloris præter naturam non minùs pro se suadet & facit ad generationem lapidis, quàm ad eiusdem prohibitionem; Siquidem positum est di-

Lib. 4 de morbis.

6. Epid. part. 10. sect. 3.

gerere, attenuare, id quo tenue est elicere: at hæc requiruntur ad generationem lapidis. 10. Probatum enim est ex sententia Galeni, τὸ θερμὸν τῶν λιθιώσιν ποιεῖν debere ἐξατμίζειν, id est, discutere, & exhalationem procurare. Quod si non sit multùm contumax materia, procul dubio eam attenuabit, & in halitum digeret: alioqui conabitur quidem educere id quod tenuius, sed remanebit crassa pars; hinc calculorum prouentus. Ergo eâ ratione conferet ad calculos generandos. Præterea aliud est materiam in venoso genere aut neruis contentam esse, vt in morbis frigidis, & in conuulsionibus; aliud in capacitate aliqua, & angustiis. Nam in venoso genere, aut neruoso, quia non est coactus humor, per halitum tandem digeritur: sed dum in capacitate aliqua contentus est, diutiùs maiore copiâ residens cogitur. Declarant arthriticorum tophi. Nam quandiu humor in genere neruoso est, vagus est: cùm in pyxidem abiit, tum concrescit.

Ac disputationis continuata ex superioribus serie, agamus de reliquis partibus; de calculo an in renibus solùm concrescere possit, & num omnis calculi rudimentum à renibus: item an ex hominibus aliqui obnoxij sint magis calculo, & quinam illi sint. Accedit & id, cur in hominibus & viris in renibus magis, in pueris in vesica potiùs concrescant. In renibus non concrescere calculum solùm testatur experientia: nam nulla est corporis capacitas in qua calculus cogi non possit. Quod non est pluribus explicandum, & exemplis illustrandum. Siquidem & ex corde, intestinis, pulmonibus cysti cholidocho, immò ex cerebro ipso excreti visi sunt lapides. Est enim illud verum quod à Galeno scriptum est (dum loquitur de concretione lapidis in vesica) *capacitatem, eamque inanem conferre ad generationem lapidis*, sed an rudimentum fiat in renibus ignoramus. Si in partibus reliquis corporis agnouit Fernelius primus illius opinionis assertor, quæ defendit lapidis in vesica contenti rudimentum à renibus esse, lapidem concrescere posse, immò & in venis ipsis; cur ergo tam absurdè contra omnium veterum opinionem asseueranter affirmat omnis calculi generationis principium à renibus esse? Si veteres credidissent futuros quosdam esse, qui præiudicatæ suæ sententiæ pertinaces defensores assererent in renibus rudimentum fieri, probauissent credo, necessariò cogi posse in vesica: & vt solent, firmis rationibus suam opinionem roborassent. Probauerunt quidem & ratione caloris, & mate-

Comment. in par. 35 sect. 3. lib. 6. Epid.

riæ, & capacitatis ipsius vesicæ coagmentari in vesica; sed non elaborarunt in eo vt probarent primum rudimentum à vesica ipsa esse. At quis vnquam putasset fore quempiam ita à ratione alienum, qui negare ausit labefactando omnia veterum decreta cogi per se & primò in vesica lapidem posse? Si in aliis partibus cogitur, non repetitâ primâ origine à renibus, dicat cur non in vesica cogi possit & per se & primò, rudimento à renibus non mendicato? Non potior ratio videtur, immò probabilius est in vesica cogi posse faciliùs, quòd excrementorum corporis sit receptaculum, & muccosa substantia per se frigida, & caloris vim effugiens, omnium facillimè in vesica cogatur, coeat, ac coagmentetur: immò credo & faciliùs & promptiùs cogi, quàm in renibus, & breuiori multò tempore. Primùm enim materia est, & sicubi alibi in vesica & redundat, & apparet: ac probauimus antè & ratione & experientiâ copiam materiæ muccaginosæ in loco etiam mediocriter calido cogi ac coalescere, & ex minima re tanquam fundamento aut semine per accessionem nouæ materiæ aliquid ingens cogi posse. II. Præterea & locus calidus est, immò & ratione suæ substantiæ frigidus: ad lapidis autem coagmentationem, transpirationem, concursumque caloris & frigoris vt ad lateres cogendos, plurimùm conferre, veterum autoritas iampridem confirmauit. Præterea fieri potest vt in vesica & digestio fiat, & dissipatio tenuis substantiæ, tum ratione caloris, tum ratione excretionis quæ sæpè fit: nam id quod exclusioni paratum est magis, cum vrina excluditur. Quanquam abundè suprà docuimus ex sententia Hippocratis & Galeni, in vesica calculos non cogi tam per modum digestionis (vt in renibus fit) quàm per modum coctionis, id est, elaborationis, & crassefactionis, præsertim dum diutiùs in vesica vrina retinetur, vt annotat Galenus.

Com. in Apho. 15. sect. 3. lib. 6. Epid.

Nec est quod respondeat, illud crassamentum inæquale facilè à liquore vrinæ dilui, & per os vesicæ, quod Galenus ipse fatetur amplum in pueris, excludi; sic coagmentationis occasionem tolli. Nam & ex sententia Galeni superiùs demonstratum est, etiam in aquis αὐτοφυέσι calculos & tophos concrescere. Itaque aqua suo liquore non impedit generationem tophi. Quid illud est? Si lapis in vesica à rene deturbatus augetur, & illud quod apponitur verè lapis sit & crassitie, & colore, omni denique ratione: immò durior sit quàm qui in renibus cogitur, vt nos experientia

perientia docet; cur non primò cogi poterit, vt rudimentum à renibus non repetatur: Eadem enim ratio videtur incrementi & principij, vt si materia & causa efficiens sufficiat ad augendã arenulam in tantam molem qualem in vesica videmus, eadem sufficiat ad generationem lapidis primò & per se? Præterea in articulis pituita lapidescit, nullo repetito à renibus principio, in vesica non cogetur, loco ad id apto, & quia veluti corporis sentina, & quia calidus locus? Quæ vrinæ grumosæ sunt, crassæ, multitudine paucæ, muccaginosæ, confusæ, à vesica excernũtur, qualium meminit Hippocrates in suis distinctionibus, diutiùs in vesica retentæ non generabunt tophulum, & ab hoc sæpiùs aucto, calculum; illud credibile, scilicet. At dicet, si crassæ ita sint, grumosæ, paucæ, renes non transibunt, & ita in illis restitabunt, & stranguriam facient, & lapidem generabunt? idque maximè in pueris, in quibus credibile non ita ampla esse vasa vt sunt & in viris. Ratio hæc probabilis est, & autoritate Galeni confirmata. *Non absque ratione* (inquit) *crassæ vrinæ paucæ sunt multitudine, vt quæ nimirum vix renes pertranseant.* At bifariam respondere possumus: primùm quidem, si ita crassæ essent vrinæ quales paulò antè descripsimus, præsertim ita crassæ dum renes pertranseunt, verisimile esset puerorum renes non posse præterfluere, & ita illìc cogi: sed crassamentum illud in pueris apparet, maximè in vesica ipsa; quod dicebat Hippocrates, *post mictum concretio.* Ac si dicat; post elapsam à renibus vrinam crassamentum apparere. Posterior ratio melior est, & autoritati Galeni adscribenda: nam commentario toties citato scribit puerorum actiones validissimas esse, calorem multum, qui fusos per venas humores attenuet, & ad excretionem per renes præparet, & actionum vim magnam esse quæ ad exitus celeritatem facit plurimùm. Idem negat angustiam viarum causam posse esse in pueris cur in renibus lapis concrescat, immò ne in adultis quidem (quod fortè minus probabile videtur, & notandum est propter sequentem de viris disputationem) quo fit vt quantumuis illæ vrinæ sint crassæ, percolentur tamen: quanquam neget in pueris crassitiem esse quæ hoc efficiat in renibus; sed crassamentum ipsum attribuit corpori vesicæ frigido.

Aphor. 69. 70 lib. 4.

Cõm. in Apho 69 lib. 4.

Itaque ne Galenus rei veritate motus cogeretur fateri illuuiẽ istam humorum remanere in renibus angustis, nimirum ratione ætatis, asserit & eos crassos humores attenuari; & nullam angu-

ſtiam eſſe quæ hoc efficiat. quod alienum videtur.

12. Sed ne indictâ causâ Fernelium condemnemus, licebit illius rationes in medium adducere, ac illas ad vnguem exigere. *Cauſam calculi* (addit ille) *omnes tradunt craſſum ac frigidum ſuccum, qui cum vrina per venas in veſicæ capacitatem influit, in qua tanquam fæx ſubſidens loci calore exarefactus ſtatim lapideſcit. At verò quid limum iſtum (niſi fortè admodùm anguſta veſicæ ceruix) tandiu poßit remorari non video, cùm & ſanguinis grumus, & pus, & alia multa craßiora facilè illinc profluant cum vrina. His argumentis adductus, cepi aliam cauſam inueſtigare, ac tandem comperi omnem calculum in veſica concluſum quoddam rudimentum è renibus traxiſſe, è quibus per nephriticos dolores excidens, ſi grandiuſculus eſt in veſica plerumque perſiſtit, ac illic allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, cùm perfectus fiat lapis. Et quicunque lapide veſicæ laborarunt, ij priùs nephriticos dolores experti ſunt. Et quoſcumque calculos obtriui, in eorum medio nucleus repertus eſt, verum rudimentum è renibus exturbatum.* Hæ rationes paulò debiliores ſunt quàm vt à tanto Philoſopho profectæ videantur: Immò niſi eas tanquam probabiles tantùm poſuerit, videtur omnis fides eis deroganda. Quod his ratiunculis conficimus. Tribus argumentis nititur probare generationem lapidis primam fieri in rene, non in veſica. Primum eſt: Non videtur quicquam remorari poſſe craſſum frigidumque ſuccum lapidis parentem, in veſica, vnde concretio fiat: Eſt itaque probabile in rene coagmentationem fieri, quandoquidem materia facilè veſicam pertranſit: quòd autem probabile ſit non poſſe remorari illum ſuccum in veſica; hoc docet, quod & pus & grumi ſanguinis ab interna capacitate excernantur: Ergo multò magis ſuccus crudus. Egregiam rationem quæ propterea Fernelium adduxerit vt credat calculum in veſica contentum primum ſui rudimentum à renibus traxiſſe. Pus, ſanguis concretus, & ſimilia ab inani capacitate veſicæ excernuntur: ergo limus, & humor viſcoſus non poteſt cunctari in eadem capacitate, & adhærere ſpiris veſicæ? Hoc verum ſcilicet. Nam eadem ratione tuus nucleus, ô Ferneli, qui à rene deturbatur, & eſt futuri lapidis per allatarum ſordium adhæſum, rudimentum à veſica excernetur: ſiquidem & ceruix veſicæ, Galeno autore, & præſertim in pueris ſatis patens eſt, & non minùs natura ſollicitatur ad excretionem arenularum à renibus excluſarum; quàm puris, aut rei alterius alienæ. Et hoc argumentum contra Fer-

nelium ipſum nititur: item & hoc: Ideò per te non remoratur glutinoſus humor in veſica, quia eum vt pus, & alia craſſiora probabile ſit excerni: Ergo nec in renibus ipſis idem humor continebitur. Immò quia renum lapis magis fit per adhæſum arenularum, arenulæ autem non fiunt à tam glutinoſa materia quàm ille lapis qui in veſica fit, cur non quotidie exeunt arenulę à renibus, cùm ab his & pus craſſum, ſiue ab abſceſſu renum excernatur (vt ferè fit) ſiue à pulmonibus, vt Hippocrates 1. Epid. annotauit, & Galenus lib. de locis affectis, in ruptione vomicæ ſequatur, item & ſanguis grumus exeat? Nec enim potior videtur ratio vt remoretur potiùs in renibus viſcoſus humor, quàm in veſica: aut dicat cur à renibus carunculæ, pus, grumus ſanguinis, vrinæ abſceſſum aliarum partium ſoluentes, craſſæ, grumoſæ excernantur, arenulæ autem non excerni poſſint?

Ac de pure quòd à renibus excernatur, ita ſcribit Hippocrates; *Si ſanguinem, aut pus quis meiat, aut veſicæ, aut renum exulcerationẽ ſignificat.* De carũculis & capillis, poſteà: *Quibus in vrina craſſa existente carunculæ paruæ ac veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excretio fit*: Et Galenus in comment: *Quidam excreuit eiuſmodi capillos longitudine dimidij cubiti: quia toto anno vſus fuerat fabis, orobo, caſeo tenero, ac ſicco. Item hoc fit aduſto humore in renibus, & vocatur hic morbus, capillitium.* Et paulò infrà, *Paruæ carunculæ excernuntur cùm hypoſtaſes in vrinis ſimiles orobo excernuntur, & hoc contingit in febribus in quibus craſſus ſanguis in hepate, aut renibus exuritur.* Quid aduerſum dicat Fernelius? Nam conceptis verbis declarat Galenus aduri in renibus craſſum ſanguinem, pus contineri, grumos, & excernuntur tamen; arenulæ autem non excernuntur? Itaque idem de renibus & veſica neceſſe eſt intelligi. Niſi fortè reſpondeat: At ideò non exeunt arenæ, quia gluten eſt aliquod in rene, cuius operâ coagmentatio fiat. Cur non & idem gluten in veſica erit, immò maius? Siquidem totum recrementum in veſicam profluit, & renes corporis quidem ſuperioris (vt ita loquar) excrementum excipiunt: ſed veſica & corporis, & renum & ſuum denique continet. Accedit quod cùm ſpermatica ſit pars, & frigida, dum nititur conuertere in ſui nutrimentum humorem, & voluptuatur vrina, neceſſum eſt multum lentum frigidum craſſumque humorem cunctari. Et ſi ventriculus ipſe quatenus ſpermatica pars multam pituitam coaceruat ex laudabilibus alimentis, cur veſica ex excrementis tota natura alienis

Aph. 75. lib. 4.

Aph. 76. lib.

non multùm coaceruabit? 13. Nec eſt quod recurrat ad anguſtiam renum, nam ſi anguſtia renum id efficeret, non ea excernerentur tam craſſa ac glutinoſa, quæ ſuprà ex Aphoriſmis Hippocratis excerni probauimus. Pręterea ſi ratio Fernelij aliquid haberet ponderis, quod nimirum ſi pus, grumus excernatur à veſica, eadem aut potiore ratione fæx excernatur, & ſic tollatur occaſio generandi in veſica lapidis primò ac per ſe: ſimili modo ageremus de pulmonibus, quòd nimirum non concreſcerent capilli, vt grando (quod ab eodem Fernelio obſeruatum eſt.) Nam à pulmonibus pus craſſum glutinoſumque excernitur, excernitur grumus craſſus ac magnus; ergo potiùs debuit excerni quædam pars materię glutinoſæ, quæ in grandinem verti in pulmone nata eſt? Atque vt reſpondeamus (veritatis ſtudio, non contradicendi deſiderio moti) Fernelio ita in rebus his cæcutienti, & pus, & grumus, & craſſę vrinæ, & carnes, & furfuracea, & χιώδεα (vt 6 Epidem. obſeruauit Hippocrates) cum vrina excerni poſſunt; non propterea limus & muccoſus humor lapidis parens futurus non excernitur. Non quin excernatur aliquando pro conditione veſicę, quæ aliàs atque aliter affecta eſt, ſed etiam aliquando ſubſiſtit. Quemadmodum etiã iſtud pus (ô Ferneli) & grumus, & tua craſſiora corpuſcula aliquando excernuntur, ſed etiam aliquando ſubſiſtunt. Vnde Galenus docet ſæpe ſupprimi vrinam à grumo ſanguinis eius, præſertim qui à renibus excernitur, qui poſtquam in veſicam illapſus eſt, ibidem concreſcit eidem Galeno) à pure, à carunculis, & ſimilibus, ſiue à veſica ſint, ſiue à ſuperioribus partibus: At eadem, vt experientia docet, poſſunt & facilè expelli, nec vllam aut ἰσχουρίαν, aut στραγγουρίαν, aut δυσουρίαν efficiunt. Itaque non eſt neceſſe illum limum excerni, ſiue anguſtum ſit oſculum veſicę, ſiue amplum. Accedit quod fieri poſſit vt pus, grumus, & ſimilia facilè excernantur, non fęx iſta limoſa & muccaginoſa propterea, nam etſi & limus, & pus, & grumus, & alia id genus pręter naturam ſunt, tamen nec omnia eodem modo pręter naturam ſunt, ſed alia atque alia magis. Nec alienum à veritate hoc loco dicemus, ſi limum glutinoſumque, ac pituitoſum humorem probauerimus non tam moleſtum ſæpe eſſe vt eſt aut pus, aut grumus, aut caruncula, aut capillus (quæ omnia à veſica excerni videmus) immò pus etiam mediocris conſiſtentiæ ſępe potiùs & citiùs, & faciliùs excernitur quàm phlegma admo-

2. de loc. aff. cap. 1.

ibid.

dum tenue; quoniam pus molestias maiores vesicę affert quàm phlegma. Si quod pungit, acre est, hinc dysurias, stranguriasque à pure & alia re præter naturam in vesica contenta oriri videmus, à phlegmate, aut pituitoso humore non ita (nisi salsum sit): quod si ita est vt reuerâ est, non est dubium quin & vesica magis laboret in puris & similis rei excretione. Nam in partibus omnibus aceruātur humores frigidi ac crassi, plus, minúsve pro natura & conditione partis, qui aliàs diutiùs in illis resides sunt, aliàs excernuntur, presertim si quam sortiantur qualitatem alienam quę facultati expellenti calcar ac stimulum addat. Itaque ratio Galeni de generatione lapidis in vesica multò potentior ac validior quàm recentiorum. Secunda ratio est de colicis, nephriticisque doloribus, qui calculum vesicæ precedere solent. Nam si omnes qui è vesicæ calculo laborant, nephritici dolores necessariò exercuerunt, nec sine his visus vnquam cui in vesica lapis cogeretur, magnam vim id habet, & plurium neruorum ad rationem istam stabiliendam ac roborandam. At quot pueris lapis excisus, qui nihil tale experti sint, sed residentis in vesica lapidis etiam incipientis signa edita sunt, nullo prę eunte signo affecti renis? Et vt plerisque in renibus lapides reperti, quibus immunis à vitio & calculo erat vesica: ita & in vesicæ capacitate repertus lapis quibus erant sani renes, & qui nihil lapidosum prætenderent. At si omnis lapidis rudimentum esset à renibus, fieri vix posset vt lapis ingens in vesica reperiretur, quin in renibus aut arenulæ, aut aliquid simile continere-tur. Quod ergo dicit Fernelius, nunquam in vesica repertum calculum, qui ante nephritica non sit passus: id multâ obseruatione eget, diligenterque sigillatim interrogandi essent calculosi, an aliquid simile passi fuerint. Nam de viris quidem, & iis qui in constante sunt ætate, constat quod maxima ex parte calculos in renibus generent ob causas supradictas, & quas paulò post fortè explicabimus; quos non mirum nephriticis doloribus cruciari. At pueri non ita in notitiam venire possunt, num nephritica sustinuerint: & nondum obseruatum à quoquam vidi conquestos esse pueros de renum doloribus, qui eos tamen non effugerent, si à renibus prima vesicæ calculi rudimenta deturbarentur. Sic dubito de illa generali propositione Fernelij quam fortè ad fucum rationibus suis fulciendum confinxit; Quicunque vesicæ calculo laborant, eos priùs dolores nephri-

tici exercuerunt. At viros fortè multos interrogauit: at iam diximus aliam longè rationem esse virorum ac puerorum.

Tertia ratio Fernelij aliquid probabile habere videtur vt conuincat omne calculi rudimentum à renibus esse: Quia, ait, quotquot calculos manibus obtriui in eorum medio nucleus repertus est: at nucleum istum à renibus manasse putat. Primò non est verum in omnibus nucleum istum apparere: Reuerâ in quibus à rene principium lapidis est aliquid subrubeum & coactum, in medio calculi apparet; quod arguit renem primum hoc rudimentũ suppeditasse. Nam si id quod medium est, diuersi coloris & substantiæ est ab inuolucro, credibile illud à rene esse, vt hoc à vesica. At non vbique ista & coloris & substantiæ varietas apparet. Nam etiam vidimus lapides, quorum inuolucrum durissimum erat, grandinosum, lapidosum, non album (quod necessariò esset si à vesica coagmentatio alba est Fernelio) sed tendens ad fuscum: An non hæc omnia à vesica sunt, id est, & à calore vesicæ, & à materia vesicæ, non mendicata aliunde occasione? Nam quibus corpus biliosum est & æstuans, iis in vesica cogitur lapis ardore & vesicæ & totius corporis, vt autor lib. 2. de natura hum. scripsit. Quam sententiam Galenus probauit. Respondeat huic rationi Fernelius, si vesica crementi autor est & ratione causæ efficientis, & materiei, cur non principia, causasque primas dabit? Quid respondeat Galeno de vrinis crassis puerorum loquenti, cùm vrinæ crassæ sunt, vrina non apto semel tempore reddita, initium fit coactionis ac coagmentationis in vesica. Quasi verò hoc initium subacta, attenuatáque materia non possit alia in parte fieri quàm in renibus? Erroneum hoc planè, & anile. Quoties verò obseruamus in febribus longis & quartanis, & in iis qui vino gulæque indulgent excerni vrinas confusas, crassas, quarum contenta susque déque lata rubent, ac si sanguinis fæx quædã ac limus esset? 16. Et in vesica tale rubens recrementum moram aliquã traxit antequam egeratur. Cur non in vesica calidiore cogi poterit, agglutinari, coagmentari, cohærere, vt inde aliqua moles exigua fiat? Quod si fit, cùm materia illa fæculenta, limosa, rubensque appareat, non est dubium quin lapis, aut quicquid sit aliud, à tali materia ortum habens, referat colorem ac characterem illius materiæ. Ruboris itaque in cal-

Part. II. lib. 2. de nat. hum

Com. in part. 15. sect. 3. li. 6. Epid.

culo occasio non est repetenda ex renibus ipsis; quod placet Fernelio, sed sæpe à materiei ipsius qualitate. Quanquam non negamus & arenularum, & ruboris generationem à renum substantia dependere.

Hinc quæri potest, si per se & primò in vesica lapis generatur, an arenularum excretio fieri debet; & si fiat, an à renibus, an à vesica ipsa oriuntur? Plerisque persuasum est non posse oriri lapidem sine arenulis; contrà & sabulum & arenulas oriri posse nullo nec præeunte calculo, nec sequente. 15. Vnde meliùs esse putant excerni arenulas, quod συνάγματος & coagmentationis occasio tollatur. Arenularum generatio accepta ferenda est renibus, vt ex sententiis Galeni & Hippocratis conclusum est suprà. Autor libri de natura hum. secundi, arenularum generationem ad calorem magnæ venæ cauæ descendentis videtur retulisse: quod obscurè fortè renes ipsos videtur indicasse. Nam quibus vena caua continet sanguinem ardentem, his renum intemperies comes est. Tamen si in vesica lapis cogi potest non solùm tendens ad albedinem, sed ad subrubrũ & subcruentum, vt ex materiei distinctione paulò antè explicuimus, potest aut arenula, aut aliquid simile generari, & præcedere calculi τὴν γένεσιν, & eandem sequi, fortè non alienum erit à veritate tales vrinas sabulosas dicere, vt & quæ venis calfactis excernuntur, at quæ renales sunt (id est declarant lapidosam calculosamque τὴν νεφρῶν διάθεσιν) arenulosæ propriè vocabuntur. Ita enim distinctionis gratiâ distinguentur hoc loco sabulosæ ab arenulosis.

par. 18.

Cur ergo in viris calculus potiùs renes occupat, & maxima ex parte nephritidos sæuissima tormenta experiuntur; in pueris autem vesicam occupat potiùs? Quæstio hæc difficillima est, & hactenus multos exercuit. Ac operæ pretium est audire rationes veterum Medicorum, quæ prætextu pulcherrimo sese nobis ostentant, cùm erroneę, ac falsitatis sint plenissimæ. Nam recurrunt ad angustiam vasorum, quam in viris maiorem esse censent, quàm in pueris: ac propterea materia calculorum in pueris ad vesicam vsque penetrat, vnde calculorum illic prouentus: in viris autem resistit, ac hæret in renum viis, vnde illic arenulę, coguntur glutino quodam, & lapis generatur. Alij, in quorum numero est Galenus, recurrunt ad naturę infirmitatẽ: & hoc fortè minus est verum. Quis enim dicat eos qui iam pro-

uectiores sunt, quos Galenus in comm. in particul. 6. Epidē. *Pueris post mictum*, &c. τελείους vocat, ita esse imbecillos, vt eâ ratione in renibus hæreat materia, nequeunte naturâ in vesicam vsque deturbare. In pueris autem cùm & instrumentorum magna sit mollities, infirmitas, multus humor, superfluitas magna, ecquæ illa tanta vis vt potiùs pellat in vesicam, quàm in ipsis viris? Si tanta ei vis est pellendi in vesicam, cur non & foras vnà cum vrina, cum Galeno in pueris adeò ampla sit vesicæ ceruix, vt cuiusque materiei crassities facilè excerni possit. Quod si obiiciatur Galeno sua ipsius opinio, scribit enim, *Alterantur puerorum dispositiones citissimè propter corporis humiditatem, & naturalis potentiæ infirmitatem* Non est itaque cur recurrat Galenus ad firmitatem actionum naturalium in pueris, quę in viris deest. Tametsi enim concedamus in pueris facultatem coctricem vegetam esse ob caloris naturalis vbertatem, quæ illis plurimum inest, tamen facultas expultrix quę siccitate iuuatur ac roboratur, in illis deficit; at pellere, deducere vsque ad vesicā id quod ob infirmitatem in renibus subsisteret, facultatis expellentis munus est. Nisi dicat quis cum Galeno, non ad robur facultatis expultricis referri id, sed ad virtutem caloris multi qui, autore Galeno in comm. prædicto fundit atque dissoluit, quod in declinantis ætatis hominibus non fit; quia enim calor non ita multus, ideò cogitur atque coagmentatur. Sed contra Galenum retorqueri potest quod eodem loco scribitur, caloris naturalis virtutem contrarium potiùs effectum producere. Tantum enim abest vt dissoluat atque dissipet, vt contrà ad æqualitatem reducat, cogat, inspisset: crassam materiam, ait, tenaciorem in pueris fieri liquidò constat; quoniam magis ac magis ab insito calido elaborata est. Sic calor naturalis multus cogit potiùs quàm dissoluat. Tam[illegible] quidquid sit, ex sententia Galeni apertè constat in viris lapidem in rene generari, in pueris in vesica potiùs. Ita enim illemet interpretatur, *post mictum*, &c, *ante mictum*: vt in viris ante mictum generetur lapis, supp. in rene; id est, antequā secreta omninò sit vrina à sanguine: post mictum in pueris, id est, in vesica: postquam percolata est vrina, & in vesicam lapsa est. Nam οὔρησις hoc significat, non autem actum meiendi, vt falsò quidam putauerunt. Itaque ex sententia Galeni videtur probabile esse, si lac non conferret ad lapidem, si adeò crassæ non essent vrinæ, si tanta non esset edacitas, futurum esset vt ratione

Commēt in part. 15. lib. 6. Epid. sect. 3.

ratione roboris facultatum naturalium in pueris, & caloris, patente vesicę ceruice, nullus esset prouentus calculorum. Et illa virtus in eo elucescit, quod saltem impediat quo minùs in renibus cogantur: sed victa à crassitudine materiei, ab edacitatis occasione, iuuante quoque vesicæ frigiditate ob substantiam neruosam, vt antè dictum est, in hac coagmentatio fit. Quanquam qui calor fusionis ac dissolutionis causa est per se, idem quasi aliud agens coagmentationis ac coalitus causa esse potest.

Itaque angustiam vasorum Galenus eò loci causam coagmentationis lapidis in renibus reiecit: non quin angustia non adiuuet, sed hoc vult dicere, non propterea in viris potiùs in rene generari lapidem quàm vesica, quòd meatuum adsit angustia. Nam & in pueris angusti quoque satis sunt meatus. Accedit quod inter eos qui calculis obnoxij sunt, eos numerare soleamus qui biliosi sunt, & quibus calor acer & mordax est, & aridus. At horũ venæ amplæ satis sunt, ex Galeni libris de Temperamentis: & Aphorismus de iis ab Hippocrate conscriptus videtur in Epidemiis.

Lib. 1. de aliment. admittit Gal angustiam vasorum cap. de panetoio

Lib. 2. partic. 4 lib 6. Epid.

Qui ventriculo calidi, carnes habent frigidas, & graciles sunt. Isti venosi & iracundiores. Nisi fortè quis dicat venosos non appellari illo loco, quòd amplæ sint venæ, sed turgentes tãtùm & conspicuas præ praui sanguinis copiâ. Quę interpretatio consentit Galeno: sed priore etiam modo accipi potest ex opinione Galeni in lib. de Temperamentis.

Itaque cùm Galenus reiiciat vasorum angustiam, causam potiùs coagmentationis lapidis in renibus virorum, recurrit ad infirmitatem, addens sub finem commentarij: *Porrò & in adultis caseo frequentiùs vtentibus lapides in renibus crebrò generari conspeximus* Sed hoc nihil ad rem. Vt autem liberè dicam quod sentiã, mihi admodùm mancus & minutus videtur Galenus in ratione exponenda cur potiùs in renibus generetur lapis in viris, in pueris in vesica. Hoc commentatione & dignissimum est, & cognitu difficillimum. Et cùm hanc aggreditur disputationem Galenus aureos montes pollicetur, sed inde nascitur mus ridiculus. Nonnullam enim operam impendit in refellendis aliorum rationibus: sed sensa mentis non reclusit. Causari enim imbecillitatem vnam & cruditatem, idque dubitando tantùm, in viris vt potiùs renes calculo obsideantur, iuuenile hoc est, & tanto indagatore & demonstratore indignissimum. Ego verò cau-

ſarer potiùs acrimoniam calo ris in viris, quàm quicquam aliud. Nam cùm arefactionis & digeſtionis modo cogatur lapis in materia craſſa & cruda, cauſa efficiens eſt calor acer, mordax, digerẽs, arefaciens, qui quoniã in adultioribus viget magis, 16. (in pueris enim eſt halituoſus & blandus) & preſertim in magnis venis, & in renibus; ideò ex facili & cruda materia coagmentatio fit. Quoniam verò iſta acrimonia in pueris non adeſt, elabitur materia fuſa à blando calore; ſed quoniam craſſitudo magna vrinæ, ſepoſitis partium excrementis in veſicam, quod fit ab acrimonia caloris in renibus virorum, non tantâ exiſtente materiâ, idem fit non tam ratione cauſæ efficientis in veſica puerorum, quàm occaſione materiæ. Sic in illis habenda potiùs ratio cauſæ, quàm materiæ: in his, contrà. Accedit quod viri vino vtentes multa in renes deuehunt: item varietate ciborum delectantur, caſeis, leguminibus, & id genus aliis vtuntur: hos autem calculis obnoxios videmus. Quanquam & διάθεσις à parentibus orta latenter & clam nobis multùm iuuat.

Horum examen diligentiùs à nobis factum eſt, quoniam & ad diagnoſin, & prognoſin, & therapiam apprimè videntur pertinere. Nam cùm & locus ſit diuerſus in quo generetur lapis, & materia diuerſo modo affecta ſit, & cauſa efficiens, aliàs calor moderatus, aliàs calor acer dicatur: item & in aliis atque aliis corporibus generentur, inquirendum de iis fuit antequam legitimè medicina adhiberi poſſit. Accedit quod diuerſa ſunt tempora lapidis, pro quorum diſtinctione alia atque alia remedia vſurpantur. Nam niſi hæc omnia diſtinguantur, eo modo quo circunforanei & periclitatores vitam in diſcrimen adducemus. Nemo eſt qui audito lapidis nomine, non ſtatim ad diuretica, & decoctum apij, petro. canis-rubi, bardanæ, argentariæ, ſeu argentinæ recurrat, & in his magnum vitæ ac curationis præſidiũ collocet. At ſi corpus bilioſum, ſi renes præcalidi, ſi corpus excrementis ſcatet, ſi lapis factus iam eſt, quid proficient? Indurabitur lapis, corpus in febrem coniicietur, deuehentur ſordes ad locum patientem, & aliis incommodis corpus grauabitur. Quo loco ſubit mirari errorem Fernelij, qui omnis lapidis originem à renibus repetat per generationem arenularum, arefactionem, calefactionemque maximam; quaſi verò in pueris eodem modo cogatur; quaſi verò in ſenibus ita fiat & in pinguibus? Diuerſa ratio, diuerſi loci: ergo idea remediorum diuerſa. Ac ne quis

parui momenti hoc esse putet, nihilque interesse siue primò in rene, siue in vesica generetur, errat si id credit. Et aliis topicis, aliisque remediis agendum, ne temerè pars remediis fatigetur, quæ nihil vitij contraxit. Si enim omnis à rene lapis, huic primò occurrendum. At quis adeò iuuenis & hebes, qui in obœsioribus, & pueris ad renes currat, & non potiùs de vesica sit sollicitus, déque toto corpore in quo multa excrementa congeruntur? Ergo explodi debent eæ rationes quæ tam turpiter nos in ignorantiam traducere possunt: ac potiùs in veterum vestigiis manendum, quàm cum nouis neotericorum inuentis errandum. Non quin posterorum labor meritâ laude fraudandus sit: sed iis aut est cum veteribus sentiendum, aut firmioribus rationibus noua dogmata sunt stabilienda.

In calculo spectatur generatio, transitus, & mora; Græcis, γένεσις, διέξοδος & διαμονή. Rursus aut curatio, aut præcautio. Sæpe cùm formatus lapis, irrita sunt remedia, quod dum frustrà aut deturbare, aut comminuere lapidem volumus, sæpe malum augemus, fusâ, liquatâque nouâ materiâ, eáque ad renes deuectâ. Cùm præcautioni locus est, blandis ac lenientibus agendum, ne dum materia impetu mouetur, dolores qui priùs erant aut exigui, aut nulli, excitet ac irritet. Cùm curationi, videtur Hippocrates vehementioribus vti, vt veratro. Quanquam dicat quispiam, non proinde sequi vt vehementius medicamentum vsurpemus, quod Hippocrates huius meminerit. Nam lib. 6. Epidem. etiam dum de puellis repurgandis agit, meminit elaterij. Sed verba Galeni satis indicant, etiam intelligi posse satis validum medicamentum, alioqui reiecisset, & de leniente medicamento præscribendo cogitasset. *Iuuenes*, inquit, *veratro purgandi, consilio Hippocratis, cùm antiquus affectus est, & quasi vectibus extrudendus.* Quanquam idem hoc præceptum etiam ad omnes affectu renum laborantes extendit: immò duo momenta curationis omnium morborum renum præscribit; tametsi, ait, veratrum non detur ob crassorum humorum attenuationem, & corporum in renibus contentorum, vicinorumque solidorum mollitiem & laxitatem. Quod diligenter notandum.

Commẽ. in aphorism. 6. sect 1. 6. Epid.

Porrò non per omnia tempora lapidis dolor est: sed dum generatur, & transit, dolor acutus, dum manet grauis. Vtrumque dolorem explicat vno verbo communi Hippocrates: *In renem dolor grauis*. Nam Galenus argutè ὀξεῖαν ὀδύνην, & propriè βαρεῖαν, cum

Vide cap. 4 lib. 2. de loc. aff Item cap 2. lib. 6.

ſenſus cuiuſdam ponderis eſt, ſub nomine τῆς βαρείας ὀδύνης complectitur. In eodem corpore renis & grauis eſt dolor, & acutus. Grauis, cùm caro eius afficitur aut obſtructione, aut inflammatione: obſtructione, vt cùm infoſſus illi eſt calculus. Si, inquit Gal. *carnoſa renũ inflammatur ſubſtãtia dolor grauis eſt ac ſi ſenſus ponderis adeſſet.* Quod mirum eſt. Nam ſine tunica non videtur inflammari poſſe ren. Quòd ſi tunica patitur, eodem teſte Galeno, acutus eſt Nam propriè acutus aut cum arteriæ, aut oſcilla vaſorum, aut venter renis, aut tunica patitur. Idem cenſet de affecto hepate, contra multorum ſententiã, exiſtimantium quomodocumque affectum ſit hepar, ſenſum tantùm grauitatis ineſſe: ſed toto aberrant cælo.

Commẽ in aphor. 5. lib. 6. Aphor.

Eod. Cõment.

His ita poſitis, videndum quàm aberrent qui omnibus calculoſis omni tempore diuretica pręſcribunt, ſanguinem fundentia, & liquantia, omnibus corporibus, omnibus ætatibus, omni tempore, nullâ factâ obſeruatione eorum quæ dicta ſunt. Ac primùm ſententiâ Galeni docendum quàm grauiter peccent plerique, qui promiſcuè omnibus calculoſis calida, acriáque præſcribant: Primùm eo in capite contra omnium opinionem cenſet nihil eorum quæ valdè calfaciunt, calculoſis vllo modo conferre. Et notat hiſtoriam cuiuſdam hominis bilioſi calculo laborantis, cui cùm Medici calida præſcripſiſſent, tandem in maraſmum coniecerunt. Et ita contrigit, vt motus digitorum & manuum quodammodo præ ſiccitate impedirentur, ita vt oſſa cauum ſonarent. Quod cùm contigiſſet, alij multò imperitiores Medici paralyticon eſſe putabant. Galenus in craſſis & pinguibus attenuantem victus rationem quidem admittit: ſed quibus contrario modo affectum corpus in iis contrariæ ſunt indicationes: vna à corpore ſqualido, ſiccóque, altera à poro ſeu calculo. Hic attenuans & incidens requirit, illud tum ratione totius corporis, tum ratione intemperiei renum, contrariam rationem demonſtrat. At iam demonſtratum maximam partem θερμοχόλους, & bilioſos eſſe calculoſos in renibus, ſi quid deliquerint, & à calore igneo vrentéque renum calculos cogi, vt duobus locis præter ceteros demonſtrat Galenus libris de Alimentis. Quodnam ergo operæpretium facturos putamus eos qui ſpecioſè ſua diuretica venditant? Itaque optimum conſilium Galeni, in lib. de ſanit. tuend. vnâ eâdemque ratione & affe-

Cap. 11. lib. 6. de an. tuẽd

Cap. de paneloto lib. 1. & cap. de caſeo, l. 3

Cap. 11. lib. 6.

ctui & corpori est prouidendum. Affectui, non præscribendo ea quæ viscosi sunt succi, vt etiam sunt carnes volatilium domi nutritorũ. Quod notandũ. Valent autẽ hordeata, volatilia, pisces saxatiles. Omni à lacte temperandum, præterquam ab asinino: omnisque victus ratio ambiget inter impinguantem & extenuantem. Quod optimum consilium cui si omnes adhæreremus, non ita turpiter in multorũ caput ignorantia nostra redundaret. Satis est hæc notasse. Nec enim consilium est omnẽ tradere rationẽ præcauendi, curandique calculi.

Tantùm illud narrare oportet, cur Galenus statuens distinctionem inter arthritica & diuretica medicamenta, dixerit nil eorum quæ vehementer excalfaciunt, vllo modo calculosis esse præscribendum. Nam parum sibi omninò constare videtur. Nam diuretica esse vult quæ & acrimoniam & calorem habent plurimum, vt smyrnium, petro. daucus, seseli, phu, azaron, acorus; quibus omnibus magna inest acrimonia. Omne diureticum fundit, & secernit, quod absque immenso non fit calore, ait Galenus: & propterea illa thoraci inimica, quòd crassiorem redderent materiam ac contumaciorem. Sic tribus de causis aduersa sunt ea quæ vulgò diuretica; primùm quia calidiora & sanguinem fundunt, secundò quia idem in renibus præstabunt quod in pulmonibus, nimirum secernendo serum, cõtumaciorem reddent materiam; propterea interdixerat 6. sanit. tuend. calculosis valdè calida & acria. Tertiò si Galenus acutè quidem dixerat ideò menses mouentia calidiora, acrioráque esse debere, factâ comparatione cum lac prouocantibus; quòd in mammas & mittatur sanguis, & attrahatur: 17. vterus autem non attrahat, cùm renes ex ceteris partibus attrahendi facultate plurimùm polleant, quid opus tanto calore & tenuitate? At hæc discutienda sunt, alioqui errore non vacaremus: Quæ si à plerisque intelligerentur, non ita passim peccaretur ab iis qui quòd audiuerint ab anubus aliquid diureticum esse, ideò id putant cõferre posse calculosis. 18. Aliud est absolutè dicere diureticũ esse aliquid, aliud conferre mouendæ vrinæ, & deturbando aut deterendo lapidi, aut materiæ lapidis incidendæ. Quod vt intelligatur, audiendus Galenus. Ille quodam loco ait: *Cùm plurimam vrinam ducere nitimur, acrioribus & excalfacientibus magis quàm quæ sint ἐκφρακτικοῖς vtendum.* Nimirum fun-

Gal. 13. 5. de simpl.

Gal. 13 lib 5. de simpl.

dentibus & liquantibus & ſecernētibus, an hoc propterea vult, vt dicat hæc calculoſis conferre? Nequaquam. Sed ex hypotheſi loquitur, ſi vrinam multam ciere volumus. Propterea eadem interdicit aſthmaticis. Item cùm alio loco loquens de acribus tenuis ſubſtantiæ collatis cum iis quę ſunt craſſioris ſub-

Cap 19. lib. 4 de ſimplic.

ſtantiæ (quorum vis pernicioſa) ait, *Acria tenuis ſubſtantiæ vim habent mouendi vrinas, ſudores prouocandi, conferunt expuitionibus;* an ea vtenda conſulit? Nequaquam; ſed vires eorum docet. nam

Nota.

alio loco illa non cenſet vſurpanda in aſthmaticis, niſi cum ſorbitionibus. Et hæc ratio colligendi, venandíque authorum con-

Cap. 22. lib. 5.

ſilij. Nam aliud eſt vrinam prouocare velle, aliud expurgare velle, aliud calculum incidere, aut materiam tenuare. Quod Galenus ita abundè docet, Quæ renes expurgant, ea incidunt, verùm largâ humiditate non egent. Quæ calloſas conſiſtentias, πωρώδεις συστάσεις vocant, incidere ſunt idonea, & ipſa incidunt quidem, ſed minimũ caloris habere debent. Nam caliditas poron exiccando contrahit, non incîdit, nec diuidit. Et apertiùs alio loco hoc explicat. Quæ non deſiccant, & modicè excalfaciunt,

Ibidem.

lac generant; Quæ plus calfaciunt, non tamen valenter ſiccant, menſes cient. Vtraque vrinas prouocant. Item & ea quæ calfaciunt & deſiccant: Et propriè quæ calfaciunt & deſiccant, Diuretica vocantur; non quia ſola moueant vrinas, ſed ſolas, non etiam lac & menſes, vt dictum eſt. Qui locus notandus eſt. nam paulò poſt ea diuretica quæ & calfaciunt, & exiccant, ratione facultatis exſiccandi pulmonum morbis, & renum calculis non conferunt, ait Gal. quia nec calculi, nec aſthmatici ſiccitatem poſtulant iſtam. Eſt ergo vbi diureticis locus eſt cùm mouendarum vrinarum occaſio poſtulat: eſt vbi aliis diureticis vtendum cùm de incidenda attenuandáque materia cogitatur: Eſt & vbi iis quæ θρυπτικὰ dicuntur propriè, non διουρητικά locus eſt, quorum vis paret in leniendo, vt eſt quatuor ſeminum frigidorum maiorum, maluæ, biſmaluæ: quibus omnibus magna vis eſt in calculorum obſidione, vel potiùs renum. Nam cùm calor eſt igneus, acerque, ad ea potiùs recurrendum, quàm ad ea quæ & calfaciendi & ſiccandi vim habent, propriéque Diuretica dicuntur.

Hæc omnia eo conſilio à me dicta ſunt, vt ratio conueniēter cuique medendi teneatur: ne temerè periclitatorũ more iis nos vitã dediſſe exiſtimemus, quibus noſtris temerariis auxiliis non

ademerimus. Illud enim dolendum ac miserendum ita sæpe contingere vsu auxiliorum nostrorum, vt cùm frustrà pollicemur exturbationem calculi vsu calidiorum medicamentorum, arenulas multas excernentes, hac inutili fortuitáque excretione ægros recreantes, contumaciorem multò calculum reddamus. Carè enim emitur tantula hæc excretio, quam natura per se moliri posset. Multa porrò remediorum exempla statuemus, quibus non est temerè in quibusvis vtendum: sed ad eas regulas & canones sunt reuocanda, quos longâ orationis serie sumus commentati.

Cùm dolores vrgent, valet id quod sequitur.

℞ succi amygdalar. dulcium sine igne extracti ℥ ij. emulsionis semin. 4. frigidorum maior. cum aqua & vino albo extract. ℥ ij. ſ. fiat potus.

℞. syrup. de raph. de 5. radicib. & capill. ven. an. ℥ j. pulu. triasant. simpl. ʒ j. pulu. lumbric. præparator. ʒ ſ. cum triplo decoctionis radic. aper. fiat potus.

℞. semin. milij solis, bipin. bardanæ an. ʒ ſ. lapid. iudaici ʒ j. nucleorum mespil. herbæ Iudaicæ, spinæ burg. an. ℈ ij. cinn. ʒ ſ. sacchar. ros ʒ j. fiat puluis.

℞ vini mal. ℥ iiij. olei nucum ℥ iij. confect. de baccis ℥ j. cum decoct. remoll. fiat clyster.

℞ rad. bard. asparag. gram. cypp. an. ℥ ſ. beton. bismal. totius, an. m. ſ. sem. milij solis, aspar. melon. cucum. an. ʒ j. ſ. passul. ℥ j. ficus num. 6. fiat decoct. ad quart. tria. In colat. dissol. syrup. de raphan. oxymel. scyl. an. ʒ j. sacchar. ℥ iiij. fiat syrup. in modum apozem. aromatis. ʒ j. ſ. cinn.

℞. rad. gramin. & petros. siccatarum & puluerís. an ʒ ij. nucleor. mespil. ʒ iij. sem. melon. cucum an. ʒ j. ſ. sem. mal. bard. & milij solis an. ʒ j. sacchari candi ℥ iij. liquir. ʒ ij. florum beton. ʒ ij. fiat puluis. Capiat ʒ ij. post vsum cassiæ.

℞. aq. destillationis terebint. ℥ ij. vtatur cum aqu. bipin.

℞. rad. cypp. gram. an. ℥. ſ. summit. alth. vrtic. herniar. beton. an. m. j. sem. melon. cucum. an. ʒ ij. sem. milij solis ʒ j. gran. alkek. ʒ j. fiat decoct. in qua dissol. syrup. de alth. & capil. ven. an. ℥ j. ſ. fiat apozema.

℞ ol. de sem. lini & lilior. & amygdal. dul. an. lib. ij. decoct. sem. lini, alth. melilot florum viol. sisymb. aquat. qu. suff. pro semicupio.

℞. medull. cass. ℥ iij. axungiæ cunicul. ol. amygd. dul. & de scorpion. cum medul. panis dissolutæ in lacte. fiat catapl.

In summo dolore inferioris partis spinæ & lumbarũ in colica nephritica.

℞ paleæ hord. roſ. rubr. an p ij. tapſi barb. p. j. fiat decoct. in lacte. In colatur. diſſol. vitellos ouorum.

℞. malu. biſmal. flor. chamæm. meliloti ſiſymb. aquatic. foliorum raphan. petroſ. macedo. an. m. j. rad. lilior. alth. gram. petroſ. an. ℥ ij. ſem. lini, fœnugr. alth. raphan. an. ℥ ſ. fiat decoct. paſſetur. In paſſatura adde axung. cunicul. anat. an. ℥ j. ſ. olei ſcorp. qu. ſuff. fiat catap. pro pube & renibus.

℞. aqu. deſtill. terebinth. & parietar. an. ℥ j. ſ. ſacch. candi ℥ j. Cap.

℞. mith. ʒ ſ. conſer. bugloſ. & capill. ven. an. ℈ j. Capiat bolum.

℞ conſer. capill. ven. ʒ j. electuar. lithont. diatrag. an. ℈ j. Capiat parum vini vnà.

℞ rad. petro. aſpar. fœnic. gram. rub. tinctor. an. ℥ j. polypod. ℥ ij. ſem. melon. cucum. bard. baſiliconis, ſaxifrag. milij ſolis, alkek. an. ʒ ij. conſeru. capill. ven. cichorij, ceterach, bugloſ. an. ℥ ij. puluer. diamarg. diatrag. raſ. ebor. cornu cerui, an. ʒ j. aquæ decoct. duarum perdicum, & caponum duorum, cum mica panis quant. ſuff. Fiat deſtillat.

Citria inciſa duo aut tria miſceri poſſunt.

℞ ſucci corticum, raphani ℥ j. ſ. ſucci limonum ℥ ſ. ſyrup. de althea ℥ j. vini albi ℥ ij. terebinth. vſtæ & pulueriſ ʒ ij. fiat potus.

℞. rad. rub. maior. gramin. acetoſæ, aſpar. raph. petroſ. fœnic. macerat. in aceto, an. ℥ ſ. beton. adianth. ceterach, ſaxifrag. argent. an. m. j. ſummitatum vrtic. agreſt p. j. cicer. rub. milij ſolis, an. ℥ ſ. alkeken. gr. 15. ſemin. raph. vrt. mal. an. ʒ ij. fragorum mororum rubi. idei, an. ℥ ij. ſucci ceraſorum ℥ iij. Fiat decoct. In colatura diſſol ſacchari albi lib. j. ſ. fiat ſyrupus.

℞. ol. ſem. lini lib. j. terebinth. ʒ j. ſ. mellis roſ. ſacchar. rubr. an. ℥ j. Fiat clyſter.

℞ parietar. beton. fœnic. alth. gallit. alk. an. m. j. rad cypp. petroſ. macedon. bard. flor. geniſ. an. ℥ j. ſ. milij ſolis, rad. altheæ, glyc. an. ℥ j. fiat decoct. ad lib. j. In colat. diſſol. ſyrup. de biſm. de raphan. & oxymel. ſimplic. & ſcyllit. an. ℥ j. ſ. Fiat apozema. Itẽ catapl. ex pariet. berul. petroſ. maced. caulibus malu. biſm. ſemin. lini, fœnugr. rad. lilior. floribus mel. chamæm. contuſis, additâ axung. gall. porci, cum ol. amygdal. dul.

℞ corall. vtriuſque, cinam. margar. elect. cornu cerui, an. gr. iij. ſyrup. de limon. oxyſ. ſimpl. an ℥ ſ. aqu. bugloſ. & card. ℥ iij. fiat. pot.

℞ ſyrup. de raph. & alth. an. ℥ j. aquæ acetoſ. & chamæm. an. ℥ i. ſ. fiat doſis.

℞ Enul. camp. mund. ℥ iij. coque in duabus libr. vini albi, donec ad ℥ xij redeat. Capiat quotidie vnc. duas pro doſi, cum ℥ ſ. ſyrup. de raph.

℞ Con-

℞ conser. rosar. symphy. an. ℥ ß. margar. elect. cinam. cornu cerui, coral. rub. an. gr. iij. trochisc. alkek. ʒ ß. cum sacch. ros. fiant tabellæ.

℞ alth. tot. foliorum acetos. an. m. j. sem. melon. genist. gallit. asp. an. ʒ ij. sem. milij ʒ j. ß. rad. lapat. acut. cichor. an. ℥ ß. pulp. tamarind. ℥ ß. hordei p. j. florum genist. p. ij. fiat decoct. ad ℔ 5. In colat. infunde caß. non mundatæ ℥ ij. ß. bulliant parum. In express. colat. per setaceum dissol. syrup. de alth. hys. & oxymel. scyll. an. ʒ vj. sacchar. cand. ℥ ij: fiat apoz. clarif. aromatis. ʒ ij. cinam. pro duabus dosib.

Litus ex muccaginibus & adipibus prædictis in magna quantitate valet. Et quia imbecillior redditur ventriculus, sub horam somni valet syrup. de absynth. cum aqu. card. & scabiosæ, iteratus sæpe.

℞ succi granat. succi lymon. & vini albi an. ℥ ß. ambr. gris. gr. vj: fiat potus: Item bolus cum theriaca & mithridat. & syrupo de papauere.

℞ terebinth. ʒ iij. zedoar. pulu. ʒ j. cum diatrag. frig. fiat bolus.

℞ mal. vtriusque, pariet. florum genist. an. m. ij. nasturt. capill. ven. m. ß. calamenth. an. p. j. cicer. rubr. ℥ ß. fiat decoct. ad ℔. ß. In col. dissol. syrup. de althea & de 5 radicib. an. ℥ j. ß. milij solis puluer. ʒ i. ß: fiat iulep: capiat in exitu baln.

Limatura ligni sancti non est aliena ab vsu in lapide, præsertim ad tenuandam crassam materiam quæ eum committit. Ideò olim hic syrupus commodè præscriptus est. ℞. limaturæ ligni sancti quart. j. corticis eiusdem ℥ j. macerentur per horas duodecim in aquæ fluuialis lib. iiij. deinde adde polyp. ℥ ij. rad. enul. camp. siccæ & contusæ ℥ ß. fiat decoct. ad medietatis consumptionem. In colatura depurata infunde folior. senæ ℥ iiij. fructus alkekengi in vino albo per noctem temperatos num. 20. turbith ℥ ß. bulliant: seruentur ad vsum.

℞ sem. saxifrag. glyc. an. vnc. ß. sem. carui, genist. petros. macedon. dauci brus. aspar. leuist. anisi, iunip. rutæ, sesel. siler. mont. acor. baccar. laur. an. ʒ ij. azar. carpobal. caß. lig. granorum hederæ, sanguinis hirci præpar. xylaloes an. ʒ j. ß. lapid. lyncis ʒ ij. zinzib. turbith. an. ʒ ij. folio. senæ ℥ j. Fiat puluis, de quo fiet electuarium per tabellas pondere vnc. ß.

℞ rad. intyb. oxal. gram. aspar. brus. polypod. sem. carth. vuarum damasc. an. ℥ j. bipinel. adiant. trichom. lupul. aspar. mal. pariet. an. m. j. agrimon. beton. boleriane, borag. buglos. an. m. j. fructus halicac. nu. 12. semin. 4. frigid. maior. apij, saxifrag. petro. milij solis, altheæ, an. ʒ ij. florum spart. violarum, anthos. an. p. ß. florum chamæm. p. j. Elixentur omnia artis ordine. In colat. ad lib. j. dissol. syrup. de radicibus de alth. & raphan. an. vnc. j. Fiat apozema in 4 doses: adde my-

xariorum zizyph. an. nu. 14.

℞ rad. althea, acetosæ, petro. an. ℥ j. ſ. corticis burg. ſpinæ ramuſculorum eiuſdem, limaturæ ligni ſancti an. ℥ j. cort. rad. capp. ℥ ß. aniſi, fœniculi, lithoſper. hypericonis, ſem. cucum. cuſcutæ, citrij, an. ʒ iij. ſolior. alth. m. 4. beton. violar. malu. vtriuſque, adianti albi, aſplenij, cuſcutæ, an. m. j. intyb. ſatiui, latifolij, ſeridis, eupatorij, an. m. ſ. paſſul. integr. zyzipho. num. x. fructus halicacabi num. xxx. florum beton. hyper. mal. alth. vel cichor. an. ℥ ij. fiat decoct. ad lib. duas. in colat. diſſol. ſacchari albi lib. j. ſ. ſyrup. de lymon. acetoſ. ſimpl. an. ℥ ij. fiat ſyrupus.

℞ rad. maratri petroſelini an. ℥ j. ſ. glycyrr. ℥ ſ. paſſ. mund. cicer. rub. an. ℥ j ſ. ſem. aniſi macedon. ameos, milij ſolis, an. ʒ iij. fiat decoct. in vini albi veterrimi, & aquæ an. partibus æquis, ad tertiæ partis conſumptionē: dulcoretur oxymelitis diuretici ℥ iij. Capiat ſingulis matutinis.

ANNOTATIO.

1 Non omitti debet illud quod Gal. ſcripſit in comm. lib. 4 Aphoriſm. de grumo ſanguinis, & capillamentis, præſertim quibus fuit eſus fabarum & orobi.

2. Non ſolùm alimentorum varietas confert ad cruditatem, & proinde ad generationem calculi, ſed etiam aquarum. Quod minùs probabile videretur; ſiquidem aquæ nil corpulentum habent cuius occaſione concretio fieri poſsit. Tamen eam aquarum varietatem conferre ad generationem calculorum, Hippocrates primus ſcripſit lib. de aëre, locis & aquis, cùm ſcribit eos calculo obnoxios fieri, qui aquas bibunt de magnis fluuiis, in quos deriuantur alij. Nam, inquit, aqua aquæ ſimilis eſſe non poteſt: ac neceſſe vnam præcellere præ aliâ. Vnde concludit ex ea varietate magnum ſequi incommodum. Et quod de aquis dicitur, idem de eſculentis intelligi poteſt. Itaque magnus debet eſſe delectus aquarum & ad præcautionem, & ad curationem calculi.

3. Cùm hoc ſcribat Galenus, miror quod in mentem venerit Gorræo Medicarum Definitionum autori, vt interpretans τὴν ἕξιν ἀθλητικὴν dixerit athletas vt robuſtiores euaderent, ſolitos aſſumere cibos quoſlibet, nullo ordine, nullâ lege. Hæc enim pugnant iis quæ dicuntur à Galeno.

4 Attendere oportet ad locum qui ſcriptus legitur lib. de flatibus, apud Hippocratem, quo explicat quâ ratione fiat vt ciborum inæqualitas ſeditionem & tumultum in ventriculo faciat.

5 Pus quod à renibus & ſuperioribus manat partibus, & à veſica, in hoc diſtinguitur, quòd pus à renibus manans totum, toti vrinæ confuſum eſt

& refractum in partes ob viæ longitudinem. Quod à vesica, vt à loco propinquiore quodammodo est integrum & totum, & in se conglomeratum coactúmque, quod Græcis dicitur ἄθροον, siue ἀθρόως ἐκκριθέν. *Ita Galenus in libris de locis affectis distinguebat deiectiones dysentericas à superioribus aut inferioribus intestinis, quæque ab his forent, pus contineant non admistum: Contrà iis sese habentibus quas superiora intestina excreuerunt. Hoc prætereà abundè explicat Galenus comm. in Aphoris. 35. lib. 7.*

Quibus insidens pingue & simul totum, ἀθρόον *Græcis*, iis renum vitium acutum significatur. *Comparatur enim vrina colliquatiua partium superiorum, cum vrina colliquatiua renum, & vesicæ, si ita lubet. Nam quando adeps cum vrina à partibus rene superioribus excernitur, is paulatim nec simul totus excernitur; sed cùm à renibus est, quia breuiter fit excretio, simul totus est. Et hoc est signum* διαγνωστικόν.

6 Galenus comm. in partic. 6. sect. 1. lib. 6. Epidem. textum hunc probat, & conceptis verbis exponit eo modo calculos in renibus gigni posse, qui ab Hippocrate est præscriptus. Quanquam probat magis ab arefacta pituita cogi ac concrescere.

7. Aphrodisæus vult & senes & pueros calculis magis obnoxios, problem. 41. sect. 2. sed hoc minùs verum est præsertim de senibus. Inter cetera occurrit locus in Coacis aduersariis quo scribit Hippocrates à quadragesimo anno ad 63. non fieri strumas in senibus, nec lapidem in vesica, nisi priùs existat. Vbi vtitur verbo γίνεσθαι, *quod fieri, generarique significat. Ergo contra Fernelium, lapis fit in vesica.*

8. Si quis putet illud μετ' οὔρησιν *intelligi cū vrina è vesica excreta est, nimirū reliquo excremento in vesica remanēte tanquam lapidis materia, illud probabilitatem habet. Sed magnā habet difficultatē quomodo intelligatur illud* πρὸ οὐρήσεως. *Si enim nomen* οὐρήσεως *sumatur pro actu meiendi, in vtroque loco, videtur hic sensus minùs quadrare. Nam dicere ante mictū fieri concretionem in viris (vt Galenus vult) id est ante actum meiendi; hoc vt nil verisimile habet, ita nec dignum est ingenio Hippocratis: ideò meliùs interpretari oportet vtrumque, vt hoc loco sumus interpretati.*

9. Quis enim dubitat quin quidam in renibus calorem habeant ex euētu, quòd carne sint densâ, compactâque: Atque impedimentum difflationis, caloris est augmentum. An tunc refrigerantium vsus tutus est.

10. Et Galenus 9. Method. cap. vlt. citra calorem non potest digeri in halitum corpus vllum manente substantiâ compactâ. Non tamen per calorem omne, sed quod aptum est in halitum digeri, vt humidum.

11. Nam Galenus vltimo cap. lib. 9. Method. lapidum substantia constans stabilisque propter siccitatem, & frigus est. Sic & materiæ ipsius fri-

giditas, & aliquantula vesicæ frigiditas non potest non conferre ad generationem lapidis. Sed de renibus potest dubitari. Nam in calidißimis coguntur lapides tantùm, vt omnes volunt.

12. Non est æquum vt aliquis videatur doctior aggredi clariores & doctiores sine causa, vel vt detrahatur eorum laudi, vel vt ambitioni nostræ satisfiat. Itaque si quando excusare nos velimus quòd in Fernelium scribamus, accipiendum erit exordium libelli Gal. aduersus Iulianum, inter libros extraordinarios.

13. Hac in pagina docemus in multis corporis humani partibus calculos posse generari: quod tamen impugnat Galenus. Et mirum, tantum virum hoc non obseruasse. Ille cap. 5. lib. 1. loc. affect. disputans de iis affectibus qui his aut illis solis partibus contingunt, ait suffusionem solis oculis contingere, & lapidem solis renibus & vesicæ: quamquam ex quorumdam opinione dicit in colo nonnullis lapidem repertum esse.

14. Quidam appositè & contra sententiam Fernelij dicunt colorem arenuiarum & lapidis non indicare locum in quo generatur lapis, sed potiùs materiam ex qua. Fieri enim potest vt in vesica rubens materia cogatur.

14. Contrà Gal. cap. 5. lib. 1. de locis affect. vt ramentum vlceris signū dat, ita & sabulosæ vrinæ lapidis sunt argumentum.

15. Dicimus in vesica fieri lapidem, in renibus calculum & arenulas. Lapis, quia quod est durius & grandius, locum tenet medium inter arenulas & calculum. Nam materia lapidis durior est quàm arenularum & calculi.

16. Mirum cur hîc dicat Galenus vterum non attrahere. Nam Hippocrates lib. de vet. med. ait vesicam, caput & vterum semper attrahere, & plena esse humiditatis.

17. Disputationem de diureticis, menses mouentibus, & lac generantibus, Manardus prosequitur epist. 5. lib. 11. Epistolarum.

CONSILIVM XXXIII.

De Epilepsia.

ADMIRABILES naturæ conatus sunt in morbis profligandis. Nec enim solùm depulsa longè materia natura solatium quærit, sed sepe excussâ in partem ipsam affectam materiâ. Quod ne cui mirum videatur, huc celebris historia Equitis

Torquati pertinebit. Hic cùm crudelissimis Epilepsiæ insultibus sæpe decuteretur, suppetias nulla ex parte nactus est.[1]. At quod suâ prudentiâ & consilio ars medica non consequitur, id instinctu solo bruto natura aptissimè contigit. Nam eum furibundum reddidit, furendi tandem & breui tempore finis fuit. Ab eo tempore epilepsiæ molestias non sensit. Et illud est quod scriptis celebrauit Hippocrates, *Epileptici fiunt melancholici, & contrà.* Sed illud maiore admiratione dignum videtur, quod ab Hippocrate scriptum est, *A furore difficultas intestinorum, vel aqua intercus,*[2] *vel mentis alienatio, bonum.* Quomodo fieri possit vt mentis alienatio furori succedens, bonum sit, & furendi finem faciat? Nam alienatio mentis furoris videtur, & reverâ est incrementum, vt etiam asseuerat Galenus. Item mentis alienatio, continuus definitur & vehemens furor: Ergo tantum abest vt bonum signum existat, vt contrà, pessimè ægrum furentem afficiat. Mentis alienatio ἔκστασιν Græci vocant, fit confertim lato humore bilioso per omnes partes cerebri. Et cùm aliqua ex parte affectum esset cerebrum, vnde furor simplex adesset, conatu ipsius naturæ, orgasmo ipsius materiæ ἀντὶ τῆς μανίας succedit ἔκστασις, quod quodammodo criticum est. Nam si natura valida est, si cerebri temperies bona, & quæ ab impetu pessimi illius humoris tantùm sit alterata, non autem alienata; futurũ est vt breui tempore sequatur solutio furoris. Ita nimirum in morbis acutis (ait Galenus) terrifica symptomata ac vehementissima subitò oborta crises salutares inuehunt. Sæpè enim id quod imperitæ stoliditati terrori est bonâ spe nos consolatur. Hoc notatum voluimus, quōd Commentarius Galeni ea de re scriptus admodum obscurus sit, & mancus.

Aphor. 5 lib. 7.

ANNOTATIO.

1. Simile quid in Coacis. In furiosis conuulsio accedens solutionem facit.

2. Mirum quomodo aqua intercus furori succedat. Nam materia furorem faciens pauca est & biliosa, quomodo hydropem accersit? Notatu dignum hoc est. Quemadmodum & nos epilepticum piscatorem factum obseruauimus, qui esset hydropicus, à translatione materiæ ad caput. Nec interiit tamen; quamquam dicat Galeni præceptor Hippocrates, Ab hydropicis epileptici, perniciosum, in Coacis. Tamen in libro de locis, in homi-

ne apud Hippocratem legimus à cerebro hydropis generationem aliquãdo pendere, quod ſit materia quædam in cerebro contenta, in eo quædam excitans ſymptomata, in partes inſeras feratur, poteſt in his aut hydropen, aut quid ſimile accerſere. Non quòd inde hydrops propriè dictus conſequatur, ſed ſpecies hydropis, aut tympanites, materiâ nimirum exiſtente furibundâ & flatuosâ. Quidam vt iſtum aphoriſmum excuſent, dicunt non legi ὕδρωψ, *ſed* ἱδρώς, *id eſt ſudor. Et Hippocratis locus eſt præclarus, ſect. 5. lib. 2. Epid. vbi annotat quomodo epilepſiam mania ſoluit.*

CONSILIVM XXXIV.

De Alui fluore.

IN morbis multa contingunt, quorum obſcura ac implicita eſt adeò cognitio, vt acutiſſimorum Medicorum aciem eludat. Quod non modò in acutis vſuuenit, in quibus exiguis interuallis magnæ mutationes incidunt, ſed & in longis, immò in longis tantæ ſæpe occurrunt difficultates & latebræ, vt licèt eorum, autoritate Galeni, cauſa ſit fixa ſtabiliſque, ſub obtutum tamen oculorum non cadant, nec mente comprehendantur. In eiuſmodi autem, meo quidem iudicio, plus natura quàm ars poteſt; vt non ſit mirum ſi olim Chirurgiam licèt artem mechanicam, præclaræ arti Medicæ prætulerint, immò hanc præ illâ nihili duxerint. Quinetiam Chirurgiæ euidentem profectum eſſe volunt, quòd ea quæ manu adminiſtrantur ſeſe offerant ac promittant. In medendi arte, quæ ratione & agitatione aſſiduâ mentis nititur, fortunam dominari contenderunt, quòd in longis morbis ſi quid voto reſpondeat, id naturæ, quæ temporis flexu curſúque morbi victrix eſt, attribuendum ſit. Nam quod ars vno veluti impetu agit, id natura cunctando ac tardando fœlici ſucceſſu conſequitur. Tamen vt arti nimis multùm attribuere, cùm in multis manca ſit, ac deficiat, vitio non caret: ita tantum ei detrahere vt nil poſſit ipſa per ſe, errore non vacat. Atque vt quæ paulò antè dicuntur generaliùs, in anguſtum cogantur, exemplis appoſitis magis elucebunt. Eorum autem explicatio ac enodatio magnum ad bene medendum adiumentum afferret. Ita enim & morbi longitudinem artificiosè prædicemus, & non fruſtrà medicamentis ægros exercebimus, cùm materiæ

mitificatio expectanda sit. Miratus sum sæpe ægros conqueri de dolore ad orificium stomachi, cuius doloris circunscriptio breuis admodum est, nec explet latitudinem duorum digitorum. Purgationibus non iuuantur multùm: vomituriunt: pulsum habent languidum: corpus pigrum ac iners: noctes insomnes ducunt. Ventre plurimùm sunt astricto, immò præ dolore superior pars hiat: inferior astringitur. Superioribus paginis annotatum est de quodam, cui dolor fixus erat ad regionem stomachi, quem nullâ ferè arte sedare ac compescere potis fuit. Plura illò loci sunt legenda. Non ita pridem Piscator post ærũnas aliquot & labores incidit in febrem ferè typi expertem. Sæpe leipothymiâ prehendebatur. Quadraginta penè dies laborauit: summa virium ruina: partium extimarum refrigeratio. Hinc aluus subducta est excrementis modò liquidis, modò chylosis, & muccaginosis. Incredibile dictu. Tribus aut quatuor diebus tres & quinq; pelues satis capaces implebat. Non alleuabatur. Perpetuò aluus, siue ventriculus ei laborabat. Profluuiũ hoc aluinum nobis videbatur veluti leientericum à muccaginosis humoribus, corrupto chylo, ac fortè totum corpus exonerabatur modò roborato ventriculo, modò rhabarbari vsu alleuabatur. Et cùm cogeretur ad prima munia redire ob egestatem, agebat quidem sine decumbendi necessitate: tamen & pallor, & sitis, & partium imbecillitas remanebat, immò & deiecta appetentia. Quæ omnia morbi relapsum ob reliquias designant. Percipiebatur dolor ad eam stomachi regionem quam prædiximus. Tandem prouocato vomitu, & aliàs sponte naturæ excitato, excreta sunt biliosa, viridia, glutinosa admodum, & quę in longum ducerentur facilè. Sic alleuatus est. Vbi locorum tanta materiæ copia continebatur? an in ventriculo? fieri non potuit: sed in partibus vicinis ventriculo, à quibus tandem à natura victus, cùm alioqui coërceretur in angustiis, ad eam capacitatem raptus est humor; hinc doloris sedatio aliqua cõtigit.

Robertus Sangermanus Regi à secretis, dolore intolerabili cruciabatur: colicam falsò putabant. Erat conclusa materia eo modo quo in superioribus æruginosa, acris, præsertim ærumnas & mæstitiã secuta: dolores repetebant ex interuallis: nõ eos ferendo. Medici rati colicos esse dolores, calidissimis illũ frustrà exercebãt: & quoniã vemebat perpetuò, styptica forisadmouebant. Alij posteà mitiùs egerunt, & materiam illam efferam

sibi aliquam cystin machinatam fuisse crediderunt: ita blandis ac temperatis vtentes medicamentis, educta vomitione est bilis vitellina, putris. Alleuatus est, & sanitati restitutus. Eum morbum rarissimè in homines inuadere dicebant. Tamen Fernelius tale aliquid sub finem febrium & morborum typicorum contingere asseuerat. Item vidua in claustro Ecclesiæ Parisiensis commorans, mater D. Ellenij clarissimi collegæ, cùm ægrè coniugis sui vicem doleret, præ mœrore in morbum incidit qui clarissimis Medicis admirationem excitauit. Expers erat febris: Ex interuallis sentiebat aliquam auram venenatam ab infimis partibus tibiarum: deinde stuporem: tum dolores ad ventrem superiorem à ventriculi regione ferè ad vmbilicum paulùm ad lienem declinando: tunc sine voce & respiratione decumbebat: cum sudoribus, defectione pulsus, palpitatione. Duodecim horas paroxysmus perseuerabat. [3] Morbus hic annum & plus eo afflixit. A paroxysmo erat satis alacris, sapor & gustus toto morbo aderat quasi æruginē & æs degustaret (quod notandum). Difficilis admodum fuit inuestigatio illius morbi. Quidam ex Medicis affectionem hystericam putabant: alij relictum esse aliquid ex purgamentis ab aliquo partu. Alij contorsionem vteri esse. Consultæ obstetrices. Tentata & explorata res est: nihil omninò alienum in illis partibus inuentum est. Tamen quotidie per metrenchyten iniecta sunt vterina. Per os, aqua vitæ aromatizata cinamomo. Nil profectum est. Ex Medicis oculatior fuit vnus, qui primam mali originem ab vtero non repetebat: sed aut dicebat suspicionem melancholiæ hypochondriacæ, aut conclusam putrem, malignam & venenatam materiam in hypochondriis & partibus vicinis ventriculo, quæ non ita citò, sed tempore vomitione excludenda foret. Nec aliter contigit. Nam cùm diuturnitatis morbi omnes pertæderet, consultum tandem est, vt recreatis paulùm viribus manè iniiceretur clyster acris: tribus post horis, cassia daretur. Natura irritata, sursum deorsum excreuit. Sursum quidem æruginosam, pallidam, ac varij coloris bilem, & mixtos alios humores adeò insigniter corruptos & fœtentes, vt nemo odorem ferret; immò locus totus inquinatus est. Ab eo tempore alleuata. Tamen perseuerauit alui fluor continuis decem diebus. Ac plerosque alios pari modo affectos vidimus, præsertim de orificio ventriculi conquerentes. An vbi dolor, ibi morbus? Nequaquam

quaquam. Id est, non est existimandum in illa tantùm parte latere humorem: sed cùm humoris pars in eam partem sese insinuet, alia hæreat in vicinia, in illa maximè parte sensus tristis percipitur, in qua exquisitior sensus est. Nam ferè fit vt eadem causâ partem vnam occupante, eius partis non tota moles patiatur: sed in ea maximè particula dolor viget, in qua exactius sensus iudicium. Ac (vt curationis earum rerum momenta attingamus) in eiusmodi morbis duo maximè videntur præstanda, vt leniter & blandè cum ægris agamus, & per interualla tantùm. Quoniam quantò magis annitimur eam materiam amoliri, tanto contumacior redditur materia: immò id consequimur quod doctè admodùm scribit Hippocrates 4 de Diæta acut. Qui inflammationem medicamentis nititur demoliri, tantum abest vt aliquid agat, vt & partem inflammatam irritet magis, & partibus sanis vicinis colliquationem cōciliet. Quid agas igitur? Sequendum est Hippocratis & Galen. consilium: Illius quidem, *cocta, non cruda monere oportet*. Huius verò: *Cùm natura causis morbificis obruitur, estque humorum cruditas, non potis est quicquam salutariter excerni.* [4]. Quod vtrumque consilium hodie nihili penditur: quia ne nihil agere videamur, remediorum inutilium, id presertim temporis, copiâ miserè ægros torquemus. Sensim atque sensim progrediendum. Et tametsi in illis morbis fixis magnam vim demolientem requirat, id doctè dictum est, sed bifariam intelligi debet. Magna vis demoliens requiritur, tempore & loco, nimirum præparato & tentato priùs corpore, & meatuū libertate comparatâ. Quod consulit vbique Galenus. Immò in calidis etiam morbis non videtur omittere decoctum hyssopi & origani. Vel alio modo, id per comparationem intelligi debet. Nam illo loco loquitur de illis morbis qui eadem horâ sæpe repetunt, quorum cùm certa sit sedes, & fixa in illa materies, non est dubium quin validioribus medicamentis vtendum sit, supple, quàm in illis morbis in quibus orgasmo incitatur materies, & nondum loco se conformauit. Ita nimirum melancholicos ἁδροτέρως, id est, validâ manu, expurgandos, incitandósque consulit Hippocrates. Et tamen in febribus quartanis, & aliis morbis, quos nemo negauerit esse melancholicos, consulit idem Galenus mitissimè agendum initio, ne si irritetur materia, efferetur magis, & morbus augeatur. Quod nos sæpe experientiâ obseruauimus. Alia ratio medendi est, vt vomitu excludatur,

si fieri possit, materia. Nam quoniam ventriculus afficitur, & materia tenet obsessas modo indicibili partes vicinas ventriculo & lieni, non est dubium quin vomitus multùm conferat. Et sensim atque sensim parandus est humor, vt excludatur vomitione: Vt non sit mirum, si veteres sæpe vomitiones præscripserunt ad primæ regionis euacuationem, cùm illarum magna sit opportunitas, ne tam commodè materia angustis viarum conclusa per intestina non referatur. Nec ad vnguem capienda Hippocratis verba, *Qui dolores supra diaphragma, &c.* Nam & ventriculus infra diaphragma est, & gibbæ hepatis, & tamen sæpe magno profectu vomitione iuuantur, exclusâ materiâ quæ in illis partibus continebatur. Sed accuratiùs aliquo loco mihi visus est Galenus philosophari, qui totum corpus in duas partes partiuit: vt vna dicatur superior, cuius maior est dignitas; alia inferior, cuius minor excellentia. Inter partes superas censet gibbas hepatis ob excellentiam: inter inferas, eiusdem hepatis sinus. Vt ab authoritate & decretis Galeni non discedamus, si dixerimus per partes diaphragmate superiores (vt vocat Hippocrates) paulò latiùs intelligere nos posse eas partes quæ à Galeno dicuntur superiores, inter quas & ventriculus totus, & gibbę hepatis censebuntur. Itaque illæ partes vomitione exonerabuntur. Etsi enim Hippocrates dicat diaphragmate superiores per superiora purgandas, quis dubitat tamen ophthalmiam fluore alui non iuuari: & nos ad imitationem naturæ aluum solicitare posse. Item licèt melancholici propter inclinationem humoris per inferiora purgandi sint, quis dubitat & fanaticos, & quartanarios, & elephanticos non & curari, & iuuari plurimùm vomitione? Quod & Paulus, & Galenus, & Aëtius asseuerarunt. Itaque non ita ad vnguem exquirenda dicta Hippocratis, quamquam non ab eo temerè dictum scriptumve sit: sed in plerisque communis sensus versatur, tamen & ratio, & experientia aliud fieri docent. Quamobrem non abs re summus Hippocrates dicebat similitudines & dissimilitudines morborum bonis & eruditis Medicis sæpe imponere: Nam symptomatum varietate ludimur, & excrementa morbum alium pro alio supponunt. Vt in prognosi instituenda præcipites nimiùm esse non oporteat, nec in eadem securos & tardos. E medio enim quempiam tolli non prędicto morbi exitu, cùm præsertim historia morbi integra cognita est, Medico dedecori vitioque

verti debet: vt & calumniâ non vacat metu ægros terrere, & omnia periculi plena asseuerare. Quamquam propter ægrorum nostrorum intemperantiam vereri potiùs debemus, quàm imprudenter esse securi. Extare potest historia nobilis mulieris. Illa ad mensem Februarium in tertianam febrem infestissimam, & grauissimis symptomatis fœtam. Concutiebatur admodum. Corpore erat bilioso, parum carnoso. Vndecima accessio non ferè apparuit, amuletorum vsu intercepta. Ab eo tempore sitis ingens, vomitiones bilis meracæ. Lingua prærubra: deiectiones liquidæ. Aluus nonnisi & clystere & medicamento simul exhibito mouebatur. Virium prostratio: iectigationes: satis placidus somnus ex interuallis: à refluxu bilis in ventriculum animi defectiones. Exhibitum medicamentum validum: eodem die iniectus clyster: nocte consequente interiit.

6 Fallebantur plurimùm Medici: Et eiusmodi error in multis contingit idem. Nam sæpe subesse glutinosum, viscidum, viridemque humorem in cauis hepatis falsò comminiscuntur, vnde febrem foueri existimant. Sed errant fœdissimè, & in commoda ægrorum pessimè peccant. Dum enim hoc commento decipiuntur, miserè exercent ægros validis medicamentis, & ita capitis periculum creant. Nam dum subest exiguus humor, qui tempore naturæ gratiam recuperet, non est quod ita ægros nostros conflictemus, & de iis ita pessimè mereamur. Et multos ita obseruauimus iisdem ferè diebus mortuos quibus medicamentũ sumpserunt: immò sit ita: lentus est humor, an propterea ita agitandus? Nam non est dubium quin ex sententia Hippocratis ducatur medicamento id quod tenuius est, remanet quod crassum, & contumacius redditur multò.

Medici ita putabant illam mulierem reclusa continere pituitosa excrementa, quibus nisi eductis, non cõsequeretur sanitas. Lingua squallida erat & prærubra, luridi dentes, quod incendiũ summũ denotabat, & sitim vix in extinguendã. Paucus erat humor, & erat talis, qualis est rubra bilis. Quidam dicebat lentæ huius febris materiam in parenchymate & venis hepatis cõclusam, & tunc dolor non sentitur nisi grauis: quod si externam potiùs faciem hepatis occupat, dolor tunc sentitur; hinc œdematosum quodammodo fit hepar, & à solutione huiusmodi œdematis sequitur hydrops, aut simile aliquid. Quod in plerisque verisimile est fieri, qui de repente in hydropi similem affectum

incidunt. Et hoc in morbis longis vsuvenit. Nec desinunt multùm meiere. Resoluente hepate humorem, qui, si per squallorem cutis non possit excuti sudore, per vrinas secedit. Et hæc mulier multũm meiebat. [7] Et nihil alleuabatur. In tribus peccabant vrinæ. Plures erant, crassiores quàm pro natura morbi biliosi. Nam in hoc non est bonum ita crassas apparere vrinas: item ardentissimę & admodum confusę, [8] quod colliquationem designabat. Deiectiones exhibito medicamẽto erant colliquatiuę, non fœtentes, quod pessimum fuit signum. Nec longè post secuta mors. Cùm vidissent eiusmodi deiectiones Medici, à medicamento abstinere debuerunt: quanto plus curę impenderetur in purgando, tanto maius colliquationis periculum afferebatur.

Ego verò tam subitò mortem obrepsisse coniicio ob medicamentorũ vim & efficaciã. Nec enim probabile fuit multos subesse humores, cùm corpus ita aridũ esset, excalfactũ, & parũ caperet alimenti. Auocare à medicatione debuit marcor, squallor. Tota cura in alteratione impendi debuit. Et quoties tale aliquid contingit, pręparcos in medicamentis nos esse oportet. Afferimus enim tantùm colliquationem partibus, illudque contingit quod scribit Hippocrates; *Si quis inflammationem amouere nititur medicamento, non proficit quicquam, & συντῆξιν partibus affert.* Non est itaque negligenda animaduersio illa corporis ęgrotantis, ne falsò aliud pro alio supponentes, miserè ægros in mortem coniiciamus.

ANNOTATIONES.

1. *Sæpe multa audenda sunt cum ratione, quia sedes & idea morborum sensum fugit: & nosse oportet illud verum esse quod scribit Hippocrates lib. de lege:* Timiditas in medendo, impotentiam; audacia, ignorantiam artis significat.

2. *Cùm conclusa materia aliqua æruginosa, aut eiusmodi alia dolores colicos excitat, & inanes vomitiones, prudenter astringentibus vtendum est, quia eorum vsu coërcetur magis, & obstructionis occasio maior est. Vide pag. 16. lib. 1. Epid. meorum.*

3. *Ab vtero excitari putabant Medici, & in eo humorem melancholicum conclusum esse. Et Hippocrates lib. de morbis mulier. vocat atram bilem in vtero. Datis vterinis remediis, meliùs habuit.*

4. Mirum est quod hodie in duobus grauiter peccetur, in quibus tamen veteres admodum accurati fuerunt. Nam & sine ordine, & assiduò purgamus cocta, incocta, aut qualitercumque affecta. Item diebus criticis & secamus venam, & purgamus; vt mirum non sit si ægros sæpe in vitæ discrimen afferamus. Quod diligenter annotauit Hippocrates 4 de morbis: & ille locus memoriæ mandari debet. Quòd humor, inquit, diebus imparibus moueatur, certa sunt indicia quod iisdem diebus dolor maximè affligat, & vlcera inflammentur. Et quòd quicumque à febre continua correpti, pharmaco purgatorio in diebus paribus vsi sunt, hi nimiũ purgati sunt nunquam. Qui verò diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimiùm sunt purgati, & multi perierunt. Proinde priores Medici in hoc aberrarunt; nam quia humor turbatur, & ad ventriculum affluit, & protruditur, afflicto datur afflictio.

5. Nuper agitabatur consilium de muliere laborante melancholiâ hypochondriacâ, dictum est in illa obseruari debere aphorismum illum, Melancholicos per inferiora ἀδεστέρως purgare oportet. Vbi disputatum est de illa particula. Nam illud receptum est quo magis morbos melancholicos & corpora melancholica agitaueris, eo minùs profeceris, incidunt sæpe in leipothymias. Quod ostendit Domina ab Insula, quam non credibile est exerceri affligique cùm repurgatur. Item docet illud illius mulieris quæ quartanâ laborabat. Nam cùm desiisset sæpe febris assumpto medicamento ex foliculis, statim sepulta febris suscitabatur. Ego obieci Dureto febres quartanas: respondit febres quartanas non indigere purgatione. Sic intelligendus aphorismus Hippocratis, Melancholicos validè purgabis (si modò purgatione indigeant.) Quartanæ autem sunt morbi melancholici, sed purgatione non egent. Itaque de iis non intelligitur aphorismus. Præterea intelligit aduerbium illud ἀδεστέρως multùm & sæpe, vt frequentia compenset maiorem vehementiam. Validum reuerâ debet esse medicamentum, quod humori melancholico purgando destinatur. Nam cùm sequax est humor, & pellenti naturæ cedit, non requiritur magna demoliendi vis (vt loquitur Galenus quodam loco) sed cùm abstrusus est humor qualitate malus, quantitate paucus, non requiritur magna agitatio. Sed vbi est magna copia talis humoris, & non potius vrget dispositio & mala qualitas (vt fit in atrabilariis morbis) validis medicamentis locus est.

6. Pulsus in illa muliere non videbatur esse febrilis, nisi quòd paulò frequentior esset. Sibi æqualis erat, & nullam mutationem repræsentabat. Nam reuerâ febris quodammodo hectica erat, & pulsus hecticus, vt verè loquamur. At diligenter videndum ne nos iste pulsus decipiat: Quia enim

ferè sibi æqualis est, non videtur febrilis. At contra est, sed non apparens; siquidē nec in humoribus, nec in spiritibus malum est contractum, sed in partibus solidis.

7. *Deiectiones illæ colliquantes erant & syncere. Quæ quoniam educta sunt à medicamento, significabant nihil subesse ampliùs quod purgaretur. Atque in hac muliere verum illum aphorismum percepi.* In morbo diuturno cibi fastidium, & deiectiones syncerae, malum. *Aphor. 6. lib. 7. Cibi fastidium malum, cùm contrà, appetentia magna esse deberet in longitudine morbi. Syncera autem deiectiones exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant. Praeterea obseruauimus illud verum; Quibus cutis circumtenditur arida, & sine sudore, illi moriuntur. Nam nullo praeunte sudore inopinantibus omnibus nobis erepta est. Tamen quidam interpres Hippocratis vertit* πελευτᾶν, *quod mori, vertitur,* ἀντὶ τοῦ κρίνεσθαι, *sumi vult. Sed nil interest; nam & crisis vna est ad mortem, altera ad salutem.*

CONSILIVM XXXV.

De Scabie, & Pustulis.

IANVS Memmeus annos natus duodecim, toto corpore scatet scabie, pustulis, & iis quæ à Celso epinyctides vocantur. Vrinę aquosę. Aluus fluit, reddit putria: dolores ad vmbilicum ac si dysentericus fluor esset. Non proficit edendo. Metus aut hydropis, aut consumptionis. Pruritus erat insignis. Initum est consilium, vt quâ arte consuleretur huic corpusculo diu noctúque prurienti, & nihi proficienti, prouideretur. Ac primùm de illo fluore actum est. Primâ quidē fronte videretur aluinus: tamen non est Aluinus non est, licèt albicans; quia, quæ deiiciuntur, cocta sunt, nihil aut parum crudum est, quod indicat ventriculi integritatem: sed totum hoc consistit ἐν ἀναδόσεως ἀπολήψει, in distributionis interceptione. Ita enim rapitur cremor crassior, & deuoluitur ad interiora. Sic augetur fluor, quia augetur obstructio mesaraicarum per quas deberet ferri cremor ad hepar. Deiectiones satis indicant non ferri cremorem ad hepar: Item quia corpus non nutritur: Tertiò dolores qui ad vmbilicum excitantur, vbi debet fieri secretio chyli & stercoris. Nam chylus in ea parte cunctatur, & quia non rapitur, acrimoniam & corruptionem acquirit: sic pręter naturam delabens in crassiora intestina in loco separationis dolorem excitat. Et te

nues vrinę satis indicant vias obstructas plurimùm, vt allicia-
tur tantùm quod est magis aqueum. An nil attrahit hepar? At-
trahit aliquid tenue: & quia pręcalidum & siccum dum non ha-
bet vnde exsatiari possit, recoquit illud, retorret, calfacit supra
modum; hinc corruptio, & ab ea corruptione tuberculorum
prouentus. Non est magna phlogosis, tametsi ariditas & calor
corporis hoc indicet satis, quia non febris, non rubor, non ama-
ror oris, non deiecta appetentia; contrà, appetit plurimùm. Et
his argumentis coniectum est, calorem, qui in hepate plurimus
quidem est, hæc symptomata non attulisse: nisi quod attractum
tenue aliquod per obstructas vias retorruerit: sed id tribuen-
dum interceptioni distributionis. Nam quotiescumque in calo-
re, siccitatéque hepatis obstructio venarum est mesaraïcarum,
non est dubium quin hepar attrahat aliquid tenue & serosum,
quod cùm alendo non satis sit idoneũ, in prauum abit humorẽ.

Ergo cùm quicquid hic sit, accusanda sit obstructio vena-
rum mesaraïcarum, vnde prauorum humorum prouentus, tol-
lenda est illa omni ratione. Dubitatur autem an lenienti medi-
camento sit locus, an rhabarbaro. Læuor intestinorum & laxitas
impedit quominus leniens medicamentum vsurpetur. De rheo
maior dubitatio. Nam siccitas & calor hepatis impediunt quo-
minus tutò illud vsurpemus. Sed hæc ratio nos inducit ad vsum
illius. Cùm viarum libertas est, visque medicamenti peruenit
ad hepar, tutum non est rheum: sed si obstructio sit mediocris,
vel sesquipedalis (vt sic loquar) eo vti debemus, & tantò auda-
ciores esse debemus quantò obstructio est maior. Quod dili-
genter notandum cùm de medicamentis calidis mentio iniici-
tur. Ita enim dicimus aloem non calfacere hepar, licèt impensè
calida sit, quòd priùs intestina pertranseat quàm ad hepar rapia-
tur. Sorbitiones liquidæ valent, sed non succulentæ & glutino-
sæ, quòd limosas deiectiones fouent & augent. Et hoc notan-
dum est. Ter aut quater rèpurgatũ corpus hoc medicamentulo.

*℞ folior. cardui p. j. absynthij pontic. p. ſ. passular. integr. ℥ ſ. Fiat
decoctio cum floribus. in colat. infunde rhabarb. ʒ j. ſ. cinam. gr. 4. Fiat
express. in qua dissolu. sacch. candi. ʒ iij. fiat potus.*

Cogitatum est præterea de sectione venæ. Quia enim in ma-
cilento illo corpore turgebant vasa, oppletáque erant prauo
sanguine, necnon calor in hepate acer. præterea ecthymata &
pustulæ quodammodo arderent cum pruritu magno, in eam

concurſum eſt opinionem vttutò ſecaretur vena.

Præterea tabellæ hæ ſunt inſtitutæ.

℞. raſuræ eboris, cornu cerui, margarit. elect. oßis cordis ceru. an. ℈ j. puluer. Elect. diamargarit. frig. & triaſantal. ſimpl. an. ℈ j. raſuræ unicornis gr. 10. cum aqu. card. infuſionis ℥ j. ſacchar. roſat. Fiat per tabellas Electuarium.

ANNOTATIO.

1. *Admirationi fuit excretio vrinarum tenuium & aquearum in bilioſo hoc iuuene. Nam cùm Hippocrates in pueris tenues vrinas omninò damnet, non eſt dubium quin in paulò grandioribus vrinæ tenues, aqueæ, non coloratæ, damnandæ ſint quoque. Et dubitari poſſet an hoc obſtructionem ſignificet. Tamen occurrit locus inſignis apud Hippocratem dum loquitur de vrinis tenuibus, eas ſplenicas fatetur. In febribus longis (ait) tenuibus erroneis vrinarum tenuium mictiones ſplenicæ ſunt. Aegrotabat, tamen febris perſpicua non erat. Omnium Medicorum conſenſu is erat ſplenicus, & toto habitu melancholicus: Ita in eo ſi quo alio veritas Aphoriſmi deprehenſa eſt, tamen in quibuſdam ſplenicis vrinæ ſæpe craſſæ & grumoſæ apparent, præſertim cùm ſimul & ſemel fæculentus humor per vrinas excernitur.*

CONSILIVM XXXVI.

De Febre tertiana.

PVELLA annos duos cum dimidio nata, corpore bilioſo, non ita pridem ablactata, incidit in febrem tertianam. Incredibile dictu qualia primùm apparuerint ſymptomata. Nam toto corpore conuulſa eſt ac concuſſa, ac eò res redire videbatur, vt de eius vita deſperaretur. Tamen exactis tribus aut quatuor diebus cùm febris typum ſuum ac ordinem ſeruare cepit, omnia mitiora placidioráque fuerunt. Vermes ſuſpicabantur, fruſtrà tamen, cùm nihil tale toto febris curſu apparuerit. Ex ſimplice tertiana, facta duplex tertiana. Sæpe febriles paroxyſmi non apparuerunt, & præſertim diebus criticis. Multo ſudore diffluebat corpus; character faciei non concidebat: ſanitati tandem reſtituta eſt.

Tria

Tria hoc loco iure quæri possunt, quorum enodatio plurimũ afferet adiumenti & voluptatis. Primùm, ecquid fuit, cur tam subitò symptomata hæc funesta apparuerint, cùm tamen nihil posteà tale contigerit. Vnde hoc? Secundò, an cùm febres periodicæ finiunt diebus suis criticis, & non apparet paroxysmus quartus, septimus, vndecimus, hoc sit tutum? Prætereà, an quarta accessio, aut septima, aut alia similis, cui aliqua decernendi vis tributa est, breuior, mitiórque esse debeat quàm aliæ intercalares? Tertiò, an sudores ita conferti, & frequentes in febribus intermittentibus longitudinem designant; illud in omni morbo terrificum esse debet, cùm morbi initio prehendunt cum prauis symptomatis, declarant enim latens aliquod venenum. Nec enim credibile tam subitam esse causæ morbum efficientis generationem, vt est prompta & facilis ipsius morbi generatio & inuasio; quod sæpe experientiâ deprehenditur. Quoties enim comitati prauis symptomatis morbi inuadunt, ferocíntque, de his vereri oportet. Et commemoratu dignus est locus qui legitur scriptus apud Galenum, comment. in historiã 4. section. 3. lib. 3 Epidemior. quo scribit Galenus interpretans cur quidam initio statim morbi phreneticus factus fuerit, & interierit tertio die. Scribit (inquam) *delituisse in illius ægri corpore humorem lethali veneno similem, qui agens moram, & opportunitatem nactus statim funestum symptoma excitauit.* Esse itaque debet venenati humoris suspicio, quoties citra causam vllam manifestam cum tanta symptomaton sæuitia morbi quamprimùm inuadũt. Quod suspectum fuit in ista puella, cuius nunc historiam explicuimus. Conuulsio ista & terrifica symptomata, aut summam neruorum imbecillitatem declarabant, aut malignæ materiæ ferociam & translationem ad genus neruosum, aut vtrumque. Contulerat autem ad huius morbi generationem puellæ ingluuies, & subita ad noua edulia conuersio post ablactationem. Vnde etiam mulierculaarum crebris sermonibus vsurpatur, necesse esse cuique puello ablactato grauissimè laborare. Omnis enim ad contrarium victum conuersio, immò & mutatio omnis, licèt non ad deteriora, suspecta esse debet.

De periodis febrium dicam vno verbo: In nonnullis obseruaui accessiones criticas (voco autem criticas, factâ comparatione cum acutis) vt quartam, septimam & ceteras eius generis euanuisse planè, & tamen relapsi non sunt. Non quin restiterint

aliqua quæ ægrum non immunem planè redderent. Sed an hoc tutum est? Reuerà tutum non videtur esse. Nam si ex sententia Galeni in lib. de diebus decretoriis, analogia est & proportio inter particulares accessiones morborum redeuntium typo, & acutorum morborum criticos dies: cur si septimus dies in acuto morbo criticus nihil ostendens, immò sine excretione euanescens suspectus est, maléque fidam crisin facit, cur septima periodus non apparens suspecta non est? Et tamen videmus tertio paroxysmo finiri tertianam, aliquando quinto paroxysmo. Bifariam respondere possumus: In acuto morbo quò magis tenditur ad septimum, aut vndecimum, eò magis ad crisin tenditur, id est, subitam mutationem ad salutem, aut ad mortem. Hæc autem subita mutatio, quia litem controuersiámque morbi dirimere debet, non potest fieri citra euacuationem aliquam; ideò si dies ille dispareret, infida crisis foret, quia crisis necessaria est: At in morbis interuallũ quietemque habentibus non ita fit. Nõ enim κρίσις, sed λύσις hîc spectatur. At lyseos ratio ea est, vt non desideretur aliqua subita mutatio. Satis est si tempora adsint, vt sit vigor, incrementum, & declinatio. In febre autem tertiana (quę etiam cum acutis morbis aliquid commune habet) fieri potest vt quarta accessio sit valida, vigoris rationem obtinens: Sic septima periodus quæ in exquisitis tertianis vixdum expectanda est, erit mitis, blanda, nihil molestiarum ægro afferens: immò videmus eos sæpè quos periodicis febribus defunctos vocamus, tum cùm solita munia obeunt, iis diebus quos suspectos habere deberent, nonnihil prioris morbi persentiscere, cùm tamen verè non febricitent. Altera ratio: Apud Hippocratem, tertius, quintus, & nonus dies nonnullam iudicandi vim habent: immò qui sudores illis diebus apparent, boni iudicantur ab Hippocrate: cur non febris tertiana cum sudoribus non desinet tertiâ accessione; quinta & nona, quod & sæpe obseruatur? Tertium accedit, quod nimirum si verum est, vt iam antè docuimus, & verum esse deprehendimus, tum cùm à febre nos immunes esse credimus, nonnihil etiam sentire prioris morbi, aliquando leniter perhorrescere, aliquando siti vexari, declarat hoc non necessarium esse morbos periodicos eodem sclui modo, quo & soluuntur critici & acuti morbi: id est, non esse necesse criticas periodos sæuiores grauiorésque aliis, præsertim cùm de vltima periodo quæ criseos videtur, nonnullam habere

rationem, intelligitur. Tamen in puella nostra obseruauimus septimam & vndecimam periodon non apparuisse, vnde recurrit posteà. At in Domino Magno Sangermano tertiana febris tertiâ periodo finiuit, cùm tertia vehementissima fuisset. Abundè repurgatus fuerat: sudores conferti, & quamplurimi: immò primâ accessione, illâ etiã ineunte, ita corpus diffluebat, vt planè videretur exolui. Vnde tertia quęstio oboritur de sudoribus. An non tuti salubresque illi sudores, qui tantâ copiâ apparent ineunte morbo? An longitudinem portendant? an non aliquid aliud? Ea de re paulò pleniùs dicemus. Copia sudoris, ex sententia Hippocratis sect. 4 Aphorism. aut copiam alimenti, aut humorum superuacuorum expurgationem sui requirentiũ docet, aut morbi longitudinem. De tribus his aperiundum est. Cùm quis à somno multùm sudat, vt non sit aliqua ἐφίδρωσις ἀλλ᾽ ἱδρὼς πολὺς καὶ καθόλου τοῦ σώματος ἐπιχεόμενος; siquidem ἐφίδρωσις sumitur pro particulari sudore, κατὰ τὰς κλινίδας, declaratur assumpto multi alimenti nequeunte naturâ subigere ac domare tantum alimenti. Sin autem ὑπὸ τοῦ ὕπνου, (quod non significat finem somni, sed dum quis iam somno comprehensus est) aliquis sudat, ἱδρῶν τι πολλῷ, non præsumpto multo alimento, hoc purgationem significat. Sed Hippocrates aliam distinctionem affert; scribit enim; *Sudor multus febri superueniens, qui febrem non soluit, longitudinem morbi significat*; quasi dicat: Sudor plurimus per se longitudinem non declarat, vt plerique sine diorismo solent affirmare; sed si febrem, aut alium morbum in quem incidit non soluat. Atque ex hoc loco erui potest distinctio quæstionis quam hoc loco afferimus, *An sudor multus ineunte morbo tutus & salubris*? In plerisque morbis initio erumpunt sudores multi, qui longitudinem morbi non significant. Nam cùm symptomaton alleuatio sequitur, non est dubium quin sudorum copia ad morbi breuitatem appareat. Etenim & meatuum libertatem designat, & materiæ præparationem, & vim naturæ maximam. Si autem non sequitur sedatio symptomaton, sed post sudores, si partium imbecillitas quædam & veluti perfractio quædam, sudores boni non sunt, sed imbecillitatem naturæ, & contumaciã materiæ significant. Expirat enim quod tenue est, remanet strigmentum quoddam, quod morbi parens est & author. Itaque quod peculiariter dicebat Hippocrates, scribens, *Sudor multus febri superueniens, febrem non tollens, morbi*

longitudinem significat, id in omnibus intelligi potest. In omnibus enim morbis excretionis omnis ea debet esse ratio, & æstimatur, vt inde sequatur alleuatio aliqua, aut nulla. Si illo modo, bonum, hoc, malum est; immò verò plerique Medici secuti Hippocratem, qui ephidrosin vbique damnat, cùm partem tantùm sudare vident, hoc in bonis non ducunt. Errant autem plurimùm: nam si vbi morbus, ibi sudor; & vbi sudor, ibi morbus: cur in capite solo emanans sudor non erit dicendus in bonis? Et hoc experientiâ notum est, sæpe particularis sudor plurimùm confert. Quod autem Hippocrates in parte manantem sudorem damnet, illud debet intelligi, vbi generalis sudor esse debet, & in parte tantùm apparet, non est dubium quin malus sit. Sed si pars aliqua peculiariter laboret, quid obstat quominus circum partem illam sudor manet optimâ ratione apparens? Ceterùm videndum ne mador nos decipiat; nam in plerisque morbis mador apparet opinionem faciens veri sudoris, sed perperam. Itaque cùm de sudoribus pronunciandum, temerè id non præstandum.

ANNOTATIO.

Antè de sudoribus abundè diximus, ac nodum istum explicare enixi sumus, quî fiat vt quartanariis iam valdè siccis, squalidis, ac strigosis redditis tantis sudoribus corpus diffluat. Id quod M. Guillelmo Archicoco contigit. Primùm iis qui febre laborant quartanâ, vt iam febris hecticæ impropriè dictæ sit rudimentum aliquod, partes internæ iam aruerunt, & ignem conceperunt: & more propriè dictorum hecticorum, cùm ab alimento humectantur incalescunt; quoniam caliditas arida ab humida substantia humectatur: sed rationem eandem fortè adducere oportet tam copiosi sudoris quam in hectica Empyicorum febre attulit Galenus ad part. 60. lib. 2. Prognost. Copiosi sudores eliciuntur (*ait*) in empyicis ob virium debilitatem, eo quòd diductum ac distributum alimentum discutiatur. *Leonicenus scribit, eo quòd alimentum deiiciatur. In Græco legitur* διαφορουμένης τροφῆς. *Legatur iste commentarius Prognosticon.*

CONSILIVM XXXVII.

De Febre purpurata.

CVM paulò antè nobilis puellæ historia ob oculos poneretur, iniecta est mentio de horrifico symptomate quod illam ineunte morbo non sine veneni suspicione inuasit. At in ea re Galeni sententia explicata est. Narratum est quomodo venenatæ qualitatis suspicio esse debeat, cùm sine vlla manifesta causa morbus adoritur symptomatis grauissimis comitatus. Nil enim tale contingit nisi aliquid subsit latens & deses quod virulentiam suam statim explicet. Quod non ita pridem in quodam apparuit manifestò. Cùm paulò liberaliùs genio indulgeret in aulico comitatu, in morbum incidit. Valetudinarius degebat: lateris doloribus erat obnoxius. Paulùm recreatus Lutetiam venit: liberaliter satis vixit, & consuetudinem cum vxore habuit. Circa mediam noctem febricitauit. Horâ diei octauâ matutinâ febriebat admodum, facies intumebat: dolitabat hypochondrion sinistrum: oculi feroces. Circa meridiem abdomen totum de repente intumuit: labascebant vires: tumor pedum disparuit. Sectâ venâ maleoli exiit sanguis putris. Octaua serò cùm suffocationis periculum immineret, ne quid in capite nostro cuderetur, initum est consilium quoquò res euasura esset, de aperienda vena. Circa quartam nocturnam interiit. Extinctus statim intumuit. Corpus exaratum erat & defœdatum pustulis, aut maculis potiùs liuescentibus Cardiacis pugnatum est. Memoratu dignissima hæc historia, tum ad prognosin, quæ hîc maximè commendatur, tum ad declinandam calumniam. Occultum in corpore venenum delitebat.

CONSILIVM XXXVIII.

De Melancholia hypochondriaca.

DE Melancholia hypochondriaca antè disputatum est, ac quæsitum an in eiusmodi affectu vehementi cathartico

locus foret. [1] Vbi per diorismum dictum est in nonnullis affe-
ctibus melancholicis vehementer purgandum, in aliis clemen-
ter. Ac multi melancholiæ hypochondriacæ meminerunt, &
huius morbi nomen crebrò vsurpatur, sed quod propriè signi-
ficet, quis locus affectus, cur ita appelletur, cùm non sit necesse
melancholicum humorem in vitio esse, an intemperies sola sit,
an morbus in conformatione nondum satis definitũ. Magnâ
tamen dignum est commentatione, quod id plurimùm ad cu-
rationem conferre videatur. Affectus ille Melancholia Hypo-
chondriaca vocitatur, morbus flatuosus, & dispositio hypo-
chondriaca. Quod videtur indicare focum sedemque mali in
hypochondriis existere. Hypochondriorum autem nomine in-
telligitur hepar, lien, mesenterium, epiploon. Galenus 3. locor
affector. scribit, *Affectus Melancholia vocari solet, indicante nomine
humorem qui morbum committit.* Si nomen indicat cuiusmodi hu-
mor sit, dubium esse non videtur quin aut atrabilarius hu-
mor sit, aut melancholicus simpliciter; quasi dicas sanguinis
fæcem. Tamen in contrariam partem potest adduci id quod à
Galeno scribitur eodem loco: *Circa ventriculum prima incipiunt
accidentia, & ipsis auctis melancholica sequitur affectio, & alui deiectio-
ne, & vomitu, proba coctione & ructibus is leuatur qui laborat.* Si circa
ventriculum prima rudimenta apparent, si cruditas multa quæ
correctione & mitificatione indigeat, non videtur consentaneũ
vt aut atræ bilis, aut humoris melancholici copia adsit, quæ fla-
tuosum morbum generet. At bifariam responderi potest: Cru-
ditas illa tantùm ex euentu fit; fit enim ob obstructionem: ob-
structio autem ob calorem: sic in angustiis viarum hęret humor,
qui tempore recoquitur & aduritur. Secundo loco ita respon-
deo: Cruditas illa non constituit hyparxin melancholiæ hypo-
chondriacæ, quæ & flatuosus affectus à veteribus nuncupatur:
sed flatus qui generantur, tum à calore præter naturam in hypo-
chondriis contento manant, tum à materia semicocta quod
commisit obstructio. Et quod dicitur circa ventriculum prima
apparere accidentia, non est hoc dicere vitio ipsius ventriculi
melancholiam hypochondriacam incipere: sed cùm obstructio
sit primarum venarum quæ pyloro proximæ sunt, sese primùm
ostendit & exerit morbus in ea parte. Accedit quod pars ea sit
exquisito sensu prædita, hinc fit vt in ea facilè appareant dolo-
res, & excitentur symptomata. Sed ne absque autore quicquam

in medium adducamus, confirmanda prima est ratio, qua dicebamus cruditatem tantùm ex euentu fieri, quod nimirum ratione obstructionis contingeret: obstructio autem præ calore in partibus illis contento. Audiendus est Diocles 3. locor. affect. cuius sententiam probat Galenus, in eo tantùm imminutum Dioclem ostendit, quod cùm præclarè sentiret de melancholia hypochondriaca, eiusque naturam & ingenium ostenderet, non dixit tamen quomodo fiat vt in melancholia hypochondriaca fugacia sint in cerebro spectra & phantasmata. [2] *Oritur à ventriculo morbus, qui flatuosus & melancholicus dicitur, quem sumpto cibo maximè coctu difficili & caustico sputum multum idemque humidum comitatur; item ructus, status, æstus in hypochondriis: interdum ventriculi dolores vehementes, qui nonnullis ad dorsum vsque procedũt, concoctis cibis mitescunt, mox aliis ingestis recrudescunt; interdum ieiunos, interdum à cœna molestant: euomunt crudos cibos, phlegmata, acria, acida, vt eis dentes torpedine afficiantur. Ceterùm flatuosos istos necesse est habere plus caloris in his venis, quæ alimentum à ventriculo excipiũt, & sanguinem crassiorem factum esse, &c.* Item & addit illud Diocles 3: Aiunt nonnulli os ventriculi quod intestinis continuatur " in hoc morbo inflammari, ac ob inflammationem obstrui, ac " prohibere ne alimenta statuto tempore ad intestinum descen- " dant, & ita diutiùs in ventriculo quàm decet manentia, timores " & æstus, & reliqua similia efficiunt. Hæc sunt quæ à Diocle scripta sunt. Vbi notandum est velle Dioclem in hypochondriaca melancholia affici ventriculum, & primam mali labem ab eo esse. Verba enim hæc sunt; *Oritur à ventriculo morbus*: Ac si diceret, & in ventriculo, & à ventriculo eum manare. Quod tamen verum non est; siquidem ventriculus integram suam habet temperiem, & quæ cruditas adest, non est ad ventriculum referenda vt innocentem, sed ad prohibitionem distributionis alimẽti ab inflammatione & obstructione. Sed Galenus eodem loco rem paulò pleniùs explicat. nam conceptis verbis ita scribit; *Circa ventriculum prima incipiunt accidentia, ac iis auctis melancholica sequitur affectio.* Ac si dicat: Elucent in ventriculo & partibus vicinis melancholici flatuosique morbi prima rudimenta, quod illic primum mali seminarium, non à ventriculo ipso, sed à venis pyloro vicinis, inflammatis & obstructis: non quin afficiatur aliqua ex parte ventriculus, sed non tam affectus est initio ad generationem mali, quàm progresso morbo afficitur ad mali

incrementum. id est: Cùm in hypochondriis malum figitur, & confirmatum est, ac tum verè vocatur Melancholia hypochondriaca, malum serpit ad ventriculum, & tunc cruditates multæ fiunt ob contractum in consortium ventriculum: & sic malum malo additur. Sed in principio hypochondriacæ melancholiæ, ventriculus quidem in sese non laborat, sed tantùm ratione obstructionis viarum quæ à ventriculo excipiunt chylum & cremorem: Et dolores maximè excitantur dum natura molitur ἀνάδοσιν illius cremoris. Itaque tametsi & prima rudimenta circũ ventriculum appareant, & coctione, mitificationéque alimenti in ventriculo malum & dolores sedentur, item à Diocle dicatur à ventriculo natus morbus, non est accusandus ventriculus tã quam primus melancholiæ hypochondriacæ autor.

Alia maior oritur difficultas, quid velit Dioclis oratio hæc, Inflammatur os ventriculi quod intestinis continuatur. Opinio quidem aliorum est, sed illam Diocles sequitur, & Galenus. Et quoniam maioris autoritatis est sententia Galeni, vtpote singula exactiùs ęstimantis, in eius verbis hæreamus. Duobus ex locis, aut tribus potiùs conuincere possumus hypochondriacam affectionem à phlegmone (ita enim φλεγμονῆς nomen vsurpauit Galenus) pylori, & partium vicinarum: vt inde obstructio fiat, & ab obstructione alimenti distributio impediatur. Primus locus est is; *Videtur quidem in pyloro ipso inflammatio esse, sanguis autem in parte inflammata contentus, & crassior, & magis melancholicus fit.* Locus alter est, dum rationem reddit cur affectiones & perturbationes melancholicæ eorum mentem percellant, qui hypochondriacâ passione detinentur, scribit, *sublatâ euaporatione ab atrabile fuliginosa, melancholicáque in cerebro accidentia pullulare.* At atrabilarius humor non illic generatur nisi per assationem & adustionem. Adustio autem ab immodico fit calore. Tertius locus est: Melancholiam hypochondriacam, & melancholiam cerebralem (ita enim loquar clarioris Doctrinæ gratiâ) cùm nimirum per se & primò melancholicum est, dum explicat Galenus, eandem generationis rationem esse vult, sed diuerso loco constitui. nam illic in hypochondriis fit, hic in cerebro. At dubium non est quin ea passio melancholica, quæ cerebrum primò ac per se occupat, generetur per immoderationem caloris in parte frigida, cerebro nimirum. Quod si ita sit, cur non idem continget in hypochondriaca? Audiatur Galenus de cerebri melan-

cholica

cholicâ paſſione loquens: *Fit melancholica cerebri paßio affecto priùs calidis diſpoſitionibus cerebro, aut æſtuatione, aut phlegmonosâ paßione, aut phrenitide, interdum à ſolicitudine, mæſtitia, cum vigiliis.* Quæ cùm ita ſint, paulò accuratiùs videndum quomodo intelligatur ea periodus. De phlegmone pylori & partium propinquarum, vt eam neceſſe ſit adeſſe duabus de cauſis, tum ad aſſandum, recoquendumque alioqui pituitoſa affectio eſſet tantùm (ſi ſola obſtructio foret) non autem atrabilaria, tum ad obſtruendum, vt & Galenus & Diocles explicuerunt.

Sed ſi phlegmone ſit aliqua, aut phlogoſis, cur hîc apoſtema non fit, cur non adeſt febris? immò neceſſe eſſet morbũ acutum eſſe, cùm fieri non poſſit quin inflammatio pylori non afferat febrim acutiſſimam. At Melancholia morbus longus eſt, & lento gradu procedens, maciem & mortem tandem afferens. Quæ cauſa eſt cur ex recentioribus Rondeletius, & Dioclis & Galeni opinionem reiiciat. Nam ſi inflammatur pylorus, & ob inflammationem ſequitur obſtructio, & ab obſtructione prohibitio diſtributionis illius cremoris, qui à ventriculo decidit diſtribuendus in venas meſaraicas, neceſſe eſt illam ſatis inſignem eſſe.

Atque vt quo animo, eo certè beneuolo veteres aliquid ſcripſerunt, quo tanquam nobili hęreditate poſteritatem carere noluerunt, eodem illud ipſum excipiamus. Honorarji arbitri vices obeuntes, veterum opinionem cùm poſterorum ſcriptis conciliabimus, vt plus veritatis ratio & nomen apud nos poſſit, quàm pręiudicata cuiuſquam opinio.

5. Qui ſunt corpore ſquallido, macro, ſicco, pulſu ſatis infirmo, aut qui prærubri ſunt ἐξερύθρους Græci vocant (de quibus etiã Galenus 3 locor. affector.) ij melancholiæ hypochondriacæ ſunt obnoxij. Item qui curis, ægritudinibus, perturbationibusque animi concutiuntur, qui generoſis vinis dediderunt ſeſe, eos in melancholiam hypochondriacam præcipites ruere teſtatum ſatis eſt. Quò fit vt mirum non ſit ſi deſideretur inflammatio aliqua in partibus illis, quæ & retorreat in hypochondriis humores, & ita obſtruat. Inde hypochondriorum æſtus, inæqualitas in calore & frigore, vincente victóque calore, & materiâ ſuperante calorem, & ab eodem ſuperatâ. Itaque nomen phlegmones non ita ſtrictè accipiendum, vt illic tumor ſit, ſed pro phlogoſi vſurpandum Non quin ille calor qui eò loci exu-

berat, & materiam contumaciorem reddat, exucto tenui quodam humore in tetrum vaporem degenerante, tandem coaceruet aliquid quod proximè in flatus facesset, partimque tumorem aliquem in partibus illis excitet. Accedit quod dominatu illius caloris quodammodo febrilis vasa quadãtenus cõniueant & concidant; hinc maior coaceruatio, hinc obstructio, hinc alimenti impedita distributio. Sic nimirum hypochondriaci fadum vel minimum alimenti sumpserunt, videntur impleti, satiatíque, nequeunte distribui alimento ob viarum angustiam.

Itaque cum recentioribus statuendum est vitio splenis, mesenterij, & intestinorum melancholiam hypochondriacã contingere: Intemperies enim est mesenterij, vel venarum mesaraïcarum, quæ ad intestina & ventriculum deducuntur. [6] Et intemperies illa potiùs iuncta est cum caliditate & siccitate aliqua; item cum obstructione à crassiore sanguine, cuius pars tenuior halitus modò à calore adurente excitata summittitur in cerebrum, crassior autem deses, ignauáque resistit, & calorem obruens, & grauitatem in partibus illis afferens. Itaque vt de Curatione verbo dicatur; Temperatio illius caloris acris, obstructionis libertas omni ratione est procuranda. Optima autem victus ratio primas hîc tenet: quandoquidem in omnibus illis morbis qui partes illas obsident quæ nutritioni dicatæ sunt, præcipuum curationis momentum in optima victus ratione consistit.

ANNOTATIONES.

1. *In melancholia hypochondriaca vnum quoque obseruandum est, ne similitudinis errore decipiamur, nimirum quod in thorace dolores sentiuntur ac si pleuritidis argumenta aliqua forent. Et ignari Medici ad remedia malè confugiunt pleuritidis, cùm dolor iste per hypochondrij sympathiam oriatur. In mercatore de Montargis hoc est obseruatum. Vide pag. 15 huius libri.*

2 *Nota sputationem multam in iis quibus est affectus hypochondriacus, quon an cùm istam sputationem vident Medici, sæpe ad caput catarrhosum recurunt.*

3. *Delirare melancholicos non est dubium, cùm melancholica passio definiatur per delirium febris expers. Quanquam si materia acrior sit, & adusta, vt sæpe fit, suppreßaque in corpore, non potest non adesse febris, vt*

annotauit Aëtius: ſed illa febris erit concluſa, laténſque, prout natura humoris morbũ efficientis efflagitat. Idẽ humor videtur & melãcholicã & epilepticam affectionem efficere: quod annotauit Hippocrates 6. Epidem. dicens, Melancholici fiunt epileptici, & contrà : *prout humor vel in hunc, vel in illam partem repit. Nam ſi in corpus, epilepſia fit; ſi in mentem, melancholica paſsio. Mentis nomine temperamentum intelligitur, & cùm dicitur lædi, actiuarum qualitatum* κρᾶσις *læditur. In qua craſi & temperatione ratiocinatio conſiſtit, & ratiocinandi partes probè exercentur. Sic læſo hoc temperamento ab humore prauo, delirium fit. Hîc duo quæruntur præclara. Prius, ſi idem humor, ſed diuerſis partibus contentus, Epilepſiam & Melancholiam inducit. An humor melancholicus & atrabilarius vtramque affectionem inducere poteſt; Galenus cap. 7. lib. 3. de locis affect. hoc vult ex Hippocratis ſententia. Sibi itaque conſentiat Galenus, qui narrans illud,* In febribus ex ſomnis timores, & conuulſiones, malum. *aphor. 67. lib. 4. ſcribit:* Si vaporum, humorumque multitudo ad atræ bilis naturam vergit, pauores fiunt; ſi talis non fuerit, labores ac conuulſiones. *Ergo magna humorum diſtinctio melancholica pathemata & conuulſiua efficientium. Niſi fortè dicat quis conuulſionem illam non eam verè dici quæ Epilepſia dicitur: ſed communi nomine pro quauis contractione. Hæc autem contractio non ita fit ab humore atrabilario vt ab aliis, quod tamẽ falſum videtur. Nam atrabilariјs humoribus abundantes vidimus ſæpe conuulſos. Melius eſſet ſi diceremus verba hæc Galeni per comparationem eſſe intelligenda,* κατ᾽ ἧττον καὶ μᾶλλον. *Nam cùm humor atrabilarius eſt, potiùs melancholicas affectiones quàm* σπασμώδεις *efficit.*

Poſterius quod quærendum dicebamus, ſi ideò melancholici delirant, quia in his obſidetur anima, id eſt, pars in qua anima, ratio & iudicium verſatur, quâ parte læsâ, alteratáque ratio ceſſat, illæſa verò conſtat. In Epilepticis verò non afficitur temperamentum cerebri, ſed læditur cerebrũ vt pars organica, non vt ſimilaris. Quare Epilepſia definitur Conuulſio non perpetua cum mentis & ſenſuum oblæſione. Quæſtio hæc pulcherrima. Item, Si carus lædit actiones potiùs quæ ſunt in cerebro; Apoplexia quæ ſunt à cerebro, quod de Apoplexia dicitur, aliqua ratione de Epilepſia dici poteſt.

4. *Ratio hæc eſt Rondeletіј, ſi ſit phlogoſis, febris adeſt, eáque acuta. Errat tamen. Nam Galen. comment. in partic. quandam 2. Prorhet. ait:* Neque ventre, aut hepate, aut ſepto inflammato febris maligna eſt: forſan acuta eſt, ſed ne hoc quidem perpetuum eſt: *Sic ratio Rondeletіј nulla eſt.*

5. Galeni verba sunt cap. 7. lib. 3 locorum affect. & petita sunt ex Epidem. vt monet Gal. comment. in Aphor. 14. lib. 2. Prorhet. vbi docet quomodo εὔχροια malum sæpe signum sit: & vt qui sunt prærubri, sint melancholici.

6. In mania, quæ affectui melancholico est affinis, hic syrupus est præscriptus.

℞. rasuræ lign. sancti quart. j. cortic. eiusd. ℥. j. infunde in aquæ fluuialis lib. iiij. per sex horas, addendo polypod. ℥. ß. enulæ camp. ℥ j. folior. sennæ ℥. ij. turbith gummosi infusi in vino albo cum pauco Zinzib. ℥. ß. colocynthid. ℥. j. Bulliant omnia in vase fictili luteato ad consumptionem mediæ partis. fiat col. ad lib. 1. Capiat ℥ iiij. pro dosi.

CONSILIVM XXXIX.

De Hydrope.

DE aqua intercute olim à primariis Medicis disputatum est: ac præsertim quomodo vel primò fieret, vel alteri morbo succederet 1. At disputatiōis huius prima hæc pars est, An nullus hydrops contingat quin affectum sit hepar per se, aut vi per sympatheian: id est, quacunque in parte conceptum sit vitium, quod hydropis parens esse possit, nisi illud ad hepar perueniat, hydrops necdum generari, dicíque potest. Nam cùm illius ὕπαρξις in ἀποτυχίᾳ τῆς αἱματώσεως consistat, hepar autem prima illius officina est, necesse est affectum in se iecur vt hydrops causam principiumque sumat. Posterior pars est vt inquiratur de modo quo aqua in ventrem abdomenque repit, vt inde tumor fiat. Vt de priore dicatur aliquid: In commentario in Prognostica, vbi ex professo de hydrope agitur, [2]. Galeni ea constans est assertio, vt nunquam hydrops generetur quin affectum sit hepar ipsum. Tamen duo genera hydropis constituere videtur; Et vnum quod ad splenem pertinet: alterum quod ad hepar. quoniam (ait Galenus) in Prognosticis ceptum est agi de acutis morbis, non autem de splenicis morbis, ideò de hydrope per affectionem ventriculi agitur. Vt Galenus videatur inducere alium hydropem per vitium ipsius splenis non affecto hepate. Nam si omnis hydrops fit affecto hepate, ómnis hydrops ad acutorum morborum classem pertinet, vt quoties de hydrope

agatur, toties de hepate, ſi modò vera eſt **Galeni opinio. At** commemorabilior eſt locus lib. 3. de ſymptomat. cauſis: illic Galenus docet *tympanitem vitio proprio ipſius ventriculi generari:* immò & ibidē, hydropis generationē venarū ipſarū vitio tribuit. Quod ſi ita eſt, non accuſandū eſt hepar perpetuò, nec temerè noſtris remediis exercendum, cùm ſæpe in vitio non ſit. Fruſtrà enim adhibentur remedia, niſi primā mali ſedem illis oppugnemus. Quoniam tamen communis ea eſt omniū veterū conſenſio, vt citra affectum ipſius hepatis hydrops non fiat, quicquid contrà afferri poſſit, in eo eſt conſiſtendum.

De poſteriore parte pleniùs paulò dicendum, quod & plus habeat vtilitatis, & voluptatis. Quóque difficilior eſt illius explicatio & exàmen, cò vberior fructus qui inde manare poteſt. Galenus non dubitat quin intemperies frigida hepatis hydropem generet: ſed de obſtructione maior dubitatiò. [3] Si obſtructio aliquid facit, erit villorum & tenuium ſtaminum quibus intertextum eſt hepar, quorum beneficio tranſumptio fit à ſimis ad gibbas, alimenti & ſanguinis. Nec enim dubitat quin " communicent extremitates venarum & villorum illorum, ſed " quâ ratione per ora ſua coniungantur, non facilè intelligi poſ- " ſe aſſeuerat. Sit ita ſanè; obſtructio omnis impedit tranſitum humoris, ſiue illa ab inflammatione ſit, ſiue à ſcirrho. Quod cùm animaduerterent veteres, rationi conſentaneum eſſe dicebant, vt pars quæ in ſanguine magis tenuis & aquoſa eſt, trāſmutatur, atque vehatur per vniuerſum corpus: ſyncerus autem ſanguis propter ſuam craſſitudinem in caua viſceris parte permanet. Et in hanc opinionem facilè ſecederetur, niſi abſurdum aliquod contingeret. Non eſt dubium quin aquoſa pars ſanguinis deuchatur in venam cauam, & ab ea in abdomen rapiatur: " ſed non eſt veriſimile remanere limum ſanguinis, aut potiùs pu- " riorem ſanguinem. Nam ſi interceptus ſanguis remaneat in an- " guſtis viarum, morbus aliquis ſequeretur à plenitudine ſangui- " nis, cum tempore multus cumuletur ſanguis. Præterea contin- " get craſſiorem illum ſanguinem in viſceris venis præ illarum " anguſtiâ retentum ad inteſtinum ieiunum, tenue, colon & cæ " cum deferri, fortaſſe & per aluum. In leucophlegmatiis, & ana " ſarcis, & tympanite nil cruentum per aluum excernitur: ſed ſpa " tium abdominis aquâ impletur. Hoc itaque abſurdum contin " geret, quod nimirum in hydropicis cruentæ eſſent deiectiones. "

Gal cap. 7. de loc. aff lib.

Sed dicet quispiam: An ignorauit Galenus hydropem contingere & ab inflammatione & à scirrho hepatis? Si ignoraret, summæ inscitiæ arguendus foret. Quid ergo sibi vult hoc loco, dum contendit docere per refrigerationem hepatis, & intemperies humidas, aut siccas, aut frigidas hydropem generari? Reuerâ non ignorauit à scirrho, & obstructione hepatis nasci hydropem, alioqui contra eum ageremus ipsiusmet verbis tanquam obsignatis tabellis. Sed qua de causa & consilio id dicatur, breui aperiendum.

Veterum de hydrope ea duplex fuit opinio. Quinto locorum affect. quidam putauerunt hydropem generari cùm obstructio, aut inflammatio, aut tumor est in hepate præter naturam, & horum ratione præterfluit tenuis & aquosus humor in abdominis spatium, remanet, hæretque mediis viis sanguis. Altera opinio fuit eorum qui à solo scirrho, tumoréque hepatis hydropem fieri putarunt: in quorum albo fuit Erasistratus, vt videre est lib. 2. de natur. facultatibus. Qui priorem sententiam sequebantur, non eiusdem planè opinionis (meo iudicio) fuerunt, cuius fuit & Erasistratus; nec enim à solo tumore & scirrho hydropem oriri voluerunt, aut saltem Galenus non id in iis reprehendit: sed aliqua ex parte admittit eorum opinionem, alia ex parte non admittit. Negat enim illam fieri transcolationem aquosæ substantiæ, remanente sanguine crassiore, quod duplex absurdum sequeretur: prius quidem, quòd ille sanguis remanens suppressus, morbũ aliquem à plenitudine efficeret: posterius, quòd cruentas in hydropicis deiectiones apparere esset necessum. At neutrum in artibus operibus apparet. + Quòd autem illi non crederent à solo scirrho nasci hydropem, vt Erasistratus, ex eo credibile, verisimiléque fit quod meliùs cum iis multò agat quàm cum Erasistrato. Nam hunc inscium, ignarum, imprudẽtemque vocat: illos autem excipit, & eorum sententiam conciliare, ac subleuare nititur. Nisi quòd sub finem demonstrare voluerit à refrigeratione hepatis potiùs quàm à scirrho aut tumore nasci hydropem. At debuit potiùs in eo laborare, an ille generationis modus hydropis, quem veteres fingebant in inflãmatione, obstructione, scirrhóve hepatis esset verisimilis, non autem in eo, vt probaret non probabile esse à timore hepatis eum nasci: adducto tanquam obiectionis loco, & mulierũ profluuio suppresso, & hæmorrhoïdibus suppressis, cùm vtrumque

(ait) hydropem afferat, non præsumpto conceptóque tumore vllo in hepatis parenchymate. Sed meo iudicio voluit vnâ eademque operâ illorum veterum fundamentum positum in opinione quæ ab Erasistrato fluxerat, euertere; nimirum de tumore hepatis, qui aut præcipua causa, aut sola (vt Erasistrato visum est) hydropis crederetur. Huiusce rei coniecturam facit id quod scriptum est apud Galenum cap.1.lib.6 de locis affect. vbi ex professo eorum explodit refellitque opinionem, qui crederent à solo tumore lienis hydropem fieri, non attracto hepate: item & icterum solo hepatis vitio, citra lienem. Vtrumque falsum est, ait; nam & vitio vtriusque visceris icterus fit. Et non solo vitio tumoréque lienis hydrops. Quod vt apertiùs ostendat, exemplum eorum affert qui acuto morbo laborant, qui vt explerent sitim magnam egelidæ copiam hauserunt: hi hydropici euadunt nullo in liene vitio concepto. Sed per modũ obiectionis respondet pro illis veteribus, quorum maiorem partem Erasistrati opinio imbuerat. Ea autẽ erat eiuscemodi. Nulla pars afficitur (dicebat Erasistr.) nisi vel tumor aliquis, vel vlcus in ea consistat. Sic nullum ab intemperie morbum nasci putabat. At debuit Galenus in aliena sententia redarguenda non ita esse industrius. Si quid duriùs, aut indoctiùs ab Erasistrato dictum sit, conari debuit illud polire, illustrare, & malè cohærentem sententiam adaptare. At mirum in modum conuellendæ, labefactandæque opinionis Erasistrateæ desiderio detinebatur Galenus. Nam si turpiter lapsus est Erasistratus, statuens nullam partem citra aut vlcus, aut tumorem laborare, reprehendatur & Hippocrates, qui omnem morbum, vlcus constituat. Quam tamen à veritate alienam sententiam temperauit Galenus lib. de inæquali intemperie. Multa quidem à multis veteribus dicta sunt, in quibus magis videndum quid sentiant, quàm quid dicant. Quod maximè apud Hippocratem obseruari debet. Et cur non eodem iure cum Erasistrato agetur?

Itaque Galenus putat se abundè euertere dogma Erasistrati asscribentis omnem hydropem à tumore & scirrho hepatis causam, principiúmque ducere. Quod vt faciat, proponit suppressas hæmorrhoïdes, proponit profluuium muliebre. Hæmorrhoïdes (inquit) suppressæ hydropem inducunt nullo præeunte in hepate tumore. Erronea itaque est Erasistrati opinio, existimantis sine scirrho hepatis hydropi locum esse non posse. At

Galenus suâ ipsius sententiâ se conuincit; nam interpretans aphorismum 12. lib. 6 Aphorism. dum reddit rationem cur suppressio hęmorrhoïdωn priùs fluere consuetarum metum hydropis afferat, iuxta Hippocratem, scribit, sanguinem hæmorrhoïdalem refluere, & hepati duritiem inducere, multitudinéque calorem partis obruere, hinc hydrops. Ergo non est, ô Galene, cur occurras de hæmorrhoïdibus vtpote hydropem afferentibus, cùm ipse scribas; ideò suppressam hæmorrhoïdam metum hydropis afferre; quod & hepati, & lieni (nil enim differt) duritiem inducat, & calorem obruat. Non sibi constat Galenus: nisi dicamus vtrumque contingere posse, & suppressionem hæmorrhoïdωn sine tumore visceris hydropem euocare, & eandem suppressionem tumorem priùs inducere, & à tumore hydropé.

Paulò obscurior videri possit ea periodus, quâ scribit, vt euertat eorum sententiam qui tenuem humorem aqueum præterlabi substantiam hepatis assererent ad generandum hydropem, restitante in ipsius visceris angustiis crassiore sanguine; scribit, inquam, consequi necessariò vt deiectiones cruentæ sint: Nihil autem cruentum vlla in specie hydropis (inquit) obseruatum est à nobis. Non est dubium quin si illo modo fieret hydrops, aliquid cruentum secederet: sed videndum an non in speciebus hydropis aliquid secedat cruentum; siue hoc modo, siue alio generetur hydrops. hoc enim obseruatione dignum existit.

[5] Hydrops maximam partem coniunctam habet hepatis imbecillitatem: hæc non modò in αἱματοποιητικῇ consistit, sed & in attractione, & retentione attracti alimenti. Nequit enim fieri vt diu temperies iocineris labefactetur, quin actiones lædantur. Quanquam contingit vt vna actio lædi possit, illæsâ integrâque alterâ. Itaque cùm constet ob refrigerationem & imbecillitaté hepatis excerni excrementa liquida, hepatica, & illius officinæ characterem aliquem præseferentia, non dubium esse potest quin excerni non possint cruenta loturę carnium simillima: propterreáque illud Galeni decretum experientiâ confirmatum minùs constans est, quo scribit nihil cruentum excerni solere in hydropicis affectibus. Quinetiam si cruentæ vrinæ virtute naturæ aut symptomaticè potiùs in hydropicis excernantur, vt experientia sæpè docet; cur non & deiectiones tales apparebunt nequeunte hepate ob imbecillitatem, aut tumorem aliquem probè hæmatosi incumbere.

Duo ista diligenter inquiri debuerunt, nempe an à solo scirrho nascatur hydrops: posterius, an nihil cruentum hydropici excernant. Nam magni interest an à tumore, an ab inflammatione, an à scirrho; item an tantùm ratione lienis, vt quidam volebant, an tantùm à vitio hepatis, cùm variet curatio pro ratione horum omnium. Item an nihil cruentum excernatur, an cōtrà, ne dysenteriæ falsâ persuasione & opinione seducti, aliud remedium pro alio supponamus. Sed horum diligentiùs examen in aliud tempus reiicietur.

ANNOTATIONES.

1. *De aqua intercute hoc notari potest. Videmus hydropicis quibusdam aluum fluere, aliis astrictam admodum. Vtrumque malum: & pessimum, si aluus cùm libera sit, abdomen non detumescat: quod in seruo quodam obseruauimus. Illud autem quod diximus malum esse scribit Hippocrates in Coacis:* Quibus hypochondria eleuantur aluo suppressa, malum, maximè in morbis tabidis, & quibus alui humectantur, (*supple*) malum est, dum videlicet aluo fluente tumor remanet.

2. *Cap. 7. lib. 5. de locis affect. conceptis verbis explicat Galenus. Ac inter cetera, annotat quarum partium vitio afficiantur partes gibbæ hepatis ad hydropis generationem: & quarum partium vitio simæ ad eandem generationem. Hippocrates lib. de morbis primo, hyposarcidion vt & tabem inter morbos necessariò interimentes numerat.*

3. *Quia enim hepar est continuum, si sit inflammatio in sima, aut gibba, non distinctè & exactè cognoscitur ob carnium hepatis continuationem.*

4. *Argumentum hoc validum. Et miror cur Fernelius disputans de Ascite dicat necessariò rupturam fieri aliquam vasorum: & propterea, aut supra, aut infrà excerni sanguinem. Quod falsum, & Galeno repugnat. Et Fernelius ita in errorem Erasistrati incideret, qui nullam partem labefactari credidit, nisi aut à tumore, aut ab vlcere. Quasi ipsa intemperies frigida causa non sit.*

5. *Vt liberè dicam quod sentiam de iis quæ hoc loco continentur, an in nulla hydropis specie aut deiectiones, aut vomitiones cruentæ appareant. Quod placuit Galeno. Ita distinguere oportet: Si quo modo voluerunt veteres, hydrops fieret percolato sanguine, & remanente crassâ sanguinis parte in mediis viis, oporteret cruentum reiici aut per os, aut per aluum, immò initio etiam. At hoc non fit. Et ita debet intelligi locus Galeni: Non quin in hydropicis deiectiones cruentæ, aut vomitiones apparere possint,*

duabus de causis: Vno, progressu temporis adducto in summam imbecillitatem hepate, vnde hepaticæ fiant deiectiones, non ratione transsumpti tenuioris seri ad generationem hydropis, & refluentis sanguinis ab hepate ad os aut aluum. Altero modo per ruptionem, aut exesionem, aut ab aquis acribus & ferè purulentis, aut ab vsu medicamentorum acrium quæ vsurpari solent in hydropicis. Quod nos obseruauimus in Renato de Sequeuille hydropico, cui & vomitiones & deiectiones cruentæ contigerunt. Si autem hydrops fieret eo modo quo voluerunt veteres, quod Galenus exagitat, de essentia ferè esset hydropis vt sanguis excerneretur. At potest hoc accidens illi esse, sed non pathognomonicum. Vide quid de Ascite sentiat Fernelius, cùm explicat quinam Ascitæ sint obnoxij.

CONSILIVM XL.

Pro muliere grauida, quæ peperit, & conuulsiones passa est.

NOBILIS mulier nunquam dolores partus experta, cùm legitimum pariendi tempus iam elapsum foret, decimique mensis pars prima aduentaret, grauissimè laborat. Exactis horis duodecim partus sese offert. At quia primus erat propter dolorum insolentiam, & ossium pubis angustiam, mirum in modum diuexatur [1]. Interim dum enititur, aut translato sursum humore affatim, aut latitante eodem in cerebro, sed magno impetu diffuso, incipit toto corpore concuti ac conuelli. Idem patitur ac si morbo caduco laboraret. Facies tota in molem intumescit, horrendáque visu sese ostendunt symptomata. Vix sex hominum nisus impediunt quominus concuteretur ac conuelleretur. [2] Repetit ante partum, præsertim dum fœtus mediâ viâ sinus pudoris hæreret, subsisterétque, epilepticus paroxysmus quinquies, aut sexies: edito partu bis aut ter cum grauissimo mortis metu. Dum res ita vrgerent, cogitaretúrque potiùs de sepulchro quàm de lauacro; dubitabant Medici num iuuandus esset partus, an potiùs conuulsioni occurrendum. Item, an occasione partus conuulsiones prehenderent, an verò eiusmodi dispositio priùs in cerebro deses latitaret, quæ occasione minimâ sese prodidit. Ac mors imminebat proxima nisi conuulsiones illæ substitissent. Meo qui-

dem iudicio, si illa conuulsioni obnoxia foret,[3] non tantopere periclitabatur, quàm si nunquam aliquid tale experta fuisset. Etenim qui epilepsiâ corripi solent, licèt sępiùs eodem in paroxysmo conuellantur, non propterea tamen decedunt: At illud obseruatum sæpe, eos sæpe fato fungi, qui aut propter ingentem plethoram conuelluntur, aut à maligno explicato, suscitatóque tetro humore qui deses restagnansque imo præcordiorum delitescebat. Et qui morbis eiusmodi corripi solent, exiguâ admodũ occasione tentãtur, immò solo forinsecus vapore feriente. At qui nil dum tale senserunt, non ita facilè paroxysmo prehendũtur; vehementem enim causam esse oportet, quæ insolens hoc symptoma afferre possit: nec enim facilè cerebrum nunquam epilepsiâ tentatum eam labem contrahit. Eadem itaque operâ & partus iuuabatur, & conuulsioni epilepticæ manus porrigebatur, ne illius vi citò interiret.

Causæ hæ tanquam procatarcticæ facere poterant ad inducendum horrendum symptoma nunquam anteà visum: Plethora corporis summa, & vsus vini hippocratici tempore grauiditatis: suppressio alui quinque aut sex dierum ante partum: Enixus quoque ipse, qui etiam in habitissimis mulieribus solet semper aliquid terrificum inducere. Accedit quod nunquam peperisset. Subiecto acriusculo enemate ex hiera substiterunt conuulsiones, & ab eo tempore nil sensit eiusmodi. Larga admodum copia sanguinis fluxit per sinum pudoris: quod suadet facilè nõ tam occasione dispositionis & impressionis cuiusdam quàm copia materiæ, orgasmo, raptu, & nisu maximo inter pariendum hoc contigisse.[4] Itaque cùm Medici animaduerterent euacuato humore repressum esse symptoma, immò suppressum omninò, ducti sententiâ Galeni lib. de locis affectis, cùm quid excernitur in morbis, & ab excretione morbi cessant, credibile illud causam fuisse morbi, cogitauerunt de purgatione. Itaque tale medicamentum institutum.

℞. expreßionem ℥ ijs rhabarb. electi infusi in decocto passul. glycyrr. semin. frigid. maior. endiuiæ, scariolæ, in qua dissol. syrup. rosar. pallid. ℥ j. diaphœn. ℈ iiij. fiat potus.

Quidam putabant vtendum valdè calfacientibus, etiam inter purgandum: cuiusmodi sunt ea quæ vulgò epilepticis præscribuntur: alij contrà refrigerantibus ad domandum, sedandúmque ferociam humoris. Et posterius hoc consilium melius. Nam

quoties paroxyſmi epileptici aut ſimiles morbi occurrunt, non ſtatim ad vulgaria remedia veniendum, ac ſi vnius morbi in ſpecie eadem cauſæ eſſent ſpecie: ſed ſæpè nouum captandũ conſilium. Alij Medici hoc poculum præſcripſerant.

℞. rad. dictamn. ariſtoloch. an. ℥ ſ. biſtortæ ʒ iij. ſem. pæoniæ maior. ʒ ij. rad. pæoniæ ʒ iij. flor. cardui p. j. conſeru. anthos & ſaluiæ an. ʒ j. raſuræ eboris, cornu cerui, an. ℈ ij. fiat decoct. ad lib. ſ. In colat. diſſolu. theriaces optimæ ʒ ij. raſuræ vnicornis ℈ j. ſyrup. de ſtœchad. ℥ j. ſ. fiat potus pro duabus doſibus, aromatizatis cinamom. & nuce moſc.

Poſtridie partus propinatum medicamentum, deiectiones multæ: primùm effuſiones quædam. Vocat autem Dominus Magnus effuſiones ex ſententia Hippocratis cum excernuntur talia qualia excernere ſolent vaccæ: item & vliginoſæ fuerunt deiectiones. Quieuerunt omnia: non propterea tamen iuſſerunt Medici ſecurè dormire. nam ita res agitata eſt: morbus hic tametſi ſuppreſſus videatur, non propterea de eo ſecuros nos eſſe oportet, tum ratione partis obſeſſæ, afflictæque prioribus paroxyſmis: tum ratione morbi ipſius. Pars cerebrum eſt. Si ad illum morbum affectum procliue diſpoſitumque fuit: maior relapſus metus eſſe debet, minimâ enim lochiorum ſuppreſſione, aut reliquâ materiâ prioris paroxyſmi facilè morbus recurret. Si non erat diſpoſitũ, meliùs quidem agitur, ſed ſecuritas tamen magna eſſe non debet. Nam morbus is (vt de eo tàquam de poſteriore diuiſionis noſtrę membro dicatur) relapſus ferè particeps eſt. Et duabus de cauſis facilè recurret. Prior eſt: In prima lunæ quadratura prehendit paroxyſmus, lunaris morbus eſt, ergo tutos nos eſſe non oportet, niſi ſecunda quadratura relapſa fuerit, donec luna ſit διχότομος: in eiuſmodi enim quadraturis mutationes, inclinationésque fiunt. Sic omnia tuta timere oportet. Accedit altera cauſa: Quarto die lac ad mammas rapitur, fertur, & attrahitur: ratione duplicis motus; & quia calidum eſt, & ſupprimetur in hac muliere vtpote non lactanti; metus eſt ne fumi ſummittantur qui paroxyſmum reuehant. In confeſſo enim eſt quod ſcriptum ab Hippocrate, à ſanguine in mammis collecto furorem contingere, præſertim cùm ſanguis ille in lac non vertitur, aut propter abundantiam nimiam, aut propter feruorem; quod diligenter annotandum eſt. Si furor itaque eam ob cauſam imminet, cur non & conuulſiones, & aliquid ſimile contingere poterit, eo præſertim tempore quo lac

ad mammas deferetur? Ratio hæc vrget admodum.

Itaque prouidendum vt aluus libera ſemper ſit, raptus ſanguinis ad mammas cohibeatur, malignæ qualitati conſulatur, vitentur omnia fumida, graueolentia & ſuaueolentia, ne caput impleant, feriantque. Videndumque vt purgationes à partu citentur ſemper. Atque in eam rem comparata hæc ſunt.

℞. rad. rubiæ tinctor. aſparagi, gram. oxylapat. an. ℥ ſ. angel. m. j. paſſular. mundat. ℥ ſ florum comm. p j. ſemin. pæoniæ ʒ ij. bugloſ. borag. omnium capill. an. p. j. fiat decoct. ad lib. j. In colat. diſſol. ſyrup. capillor. ven. ℥ ij. Fiant tres doſes aromatiz. pauco cinam.

Item ℞. conſeru. anthos ℥ ſ. conſeruæ roſar. ʒ iij. ſem. pæoniæ ʒ j. ſ. fiat opiata cum ſyrupo conſeruat. citrij. additus eſt ℈ ſ. pulueris ſcobis vnicorn.

Item ℞. raſuræ eboris, margar. elect. an. ℈ j. raſuræ vnicorn. ℈ ſ. ſpuluer. Elect. triaſantal. & diamargar. an. ʒ j. cum ſacchro diſſol. in aq. angel. aut decoction. eiuſdem. fiant tabellæ.

Item ℞ aquar. ſtillatitiar. angelicæ & morſus, aut decoct. angel lib. ſ. aromatizet. parum cinam. ad vſum ex cochleari.

Intereà fotu aquæ tepidæ procuratum eſt vt citarentur lochia. Omnia odorata vitata ſunt.

Puellis recèns natis mel deglutiendum aut lambendum porrigitur optimo vſu, vt prouocetur aluus, & vitentur tormina. Item ad vitandam conuulſionem cui obnoxij ſunt, cum pulte miſcetur corallium & puluis margaritarum.

Purgationes à partu cumulatè, & vt decuit, exierunt. Magna copia toto illo tempore ſanguinis exiliit. Interiectis diebus iniecti clyſteres. Tamen ne quid alienum contingat, deinceps de purgatione cogitatum. Ac dubitatum an lauacro vtendum ſit, vt à partu noſtrates mulieres ſolent. Repurgata eſt rheo & catholicone. Quanquam ſuſpectum ſit catholicon, quod in ſuſpicione Epilepſiæ & caſſia & catholicon ſuſpectum ſit, vt doctiſſimè à Rondeletio & Hollerio annotatum. Idque annotatum puto aut communi quadam prudentiâ cui experientia ſuffragatur. Et vt cùm è lecto ſurrexerit, repurgetur adhuc, viſum eſt è re fore ſi apozema per decem dies vtendum præſcriberetur.

℞. rad. fœniculi, petroſ. aſpar. cichor. acetoſ. an. ℥ j. enulæ camp. ʒ iij. meliſſæ, omnium capill. an. m. j. bugloſ. borrag. glycyrrh. paſſul. an. m. j. ceterach, ſcolopen. an. p. j. ſemin. pæoniæ & radicis eiuſd. an. ʒ j. ſ. ſem. ſeſeleos ʒ j. florum, p. j. agripalmæ m. j. ſ fiat decoct. ad lib. j. In colatur.

dissol. syrup. capill. ven. ℥ *iiij. cinam.* ʒ. j. *Fiat apozema clarificatum & aromatizatum.*

Quod attinet ad vsum balnei, ne quid fortè contingat præter opinionem, præsertim si muliercularum balneum vsurpetur ex fæce vini albi aut rubri, ex alumne, & similibus, visum est interdici debere vsu eiusmodi balneorum. Nisi fortè balneo dulcis aquæ recreari velit: & pro omni detersorio fiat pults ex amygdalis contusis & hordeo contuso, quâ corpus leuiter fricetur. Ita enim detergebitur corpus, & nihil incómodi afferetur. Nam cùm balnearũ vsu caput vaporibus impleatur, & grauiter in iis vsurpandis peccetur; si quid peccatur, facillimè autem omnium hîc peccatur, contentos nos esse oportet simplici frictione. In quibus autem paroxysmi epileptici metus est, in iis cautos esse oportet in balneorum vsu. Quod enim veteres epilepticos & melancholicos ad lauacra miserint, id factitatum esse asserimus cùm, corpus, aut caput intemperie aliquâ calidâ siccâque affectum est, cùm in partibus omnibus squallor. Hîc enim dubium esse nó potest quin balneis locus sit ad correctionem calidæ siccęque intemperiei, quæ multorum, magnorumque malorum autor est, & parens.

ANNOTATIONES.

1. *Quod à translatione potiùs sit, declarat eius accidentis repreßio ac cessatio cùm primùm aluus descendit.*

2. *Non est dubium quin mulieres affectionibus capitis magis sint obnoxiæ, cùm multis de causis, tum propter capillorum exactam nimiùm diligentiam & studium; quod annotat Cælius Aurelianus in Chronicis.*

3. *Nam qui à dispositione cerebri epileptici fiunt, & concidunt, minimâ occasione & prehenduntur, & releuantur: sed cùm quis nunquam aliquid tale sustinuit, magnam oportet adesse causam quæ hoc symptoma afferat: nam vel est summa plenitudo, vel summa corruptela, vt contigit de eo qui primo die phreneticus contigit, & tertio interiit à maligno, vt Galenus doctißimè interpretatur. Itaque cùm quis epilepsiâ prehendi solitus est, minùs morte periclitatur, sed aut nunquam, aut ægerrimè eo morbo defungitur. Si nunquam expertus est, periclitatur morte ob dolores acerrimos, & virium casum: & quia pars princeps occupatur. Si semel hoc sustineat, non ita facilè relabitur. Quod autem periculũ aliquando creet*

cum non contigit, videtur Celſus indicaſſe lib. 3. cap. 23. Interdum (ait) cùm hic morbus recens eſt (id eſt nunquam adorſus) hominem conſumit. Hippocrates lib. 2 Prorrheticωn differentias magnas morbi ſacri proponit, vt in iis, quàm in illis periculoſior, ſolutúque difficilior exiſtat. Ac inter cetera ait ſolutu difficillimum morbum ſacrum qui à puero ad virilem ætatem peruenerit. Quod abſurdum videtur. Nam aphoriſ. 45. lib. 2. mutatione ætatis pueros adorta Epilepſia curatur, & mutatione viuendi rationis: præſertim cùm puellis menſes erumpunt, & maribus cum venerem agnoſcunt, vt Celſus ait cap. 23. lib. 3. At hoc accidit cùm attingunt virilem ætatem. Ergo ſibi diſſimilis videtur Hippocrates. In illo loco vtitur verbo συνανδρωθῆναι *Hippocrates, quod nõ ſignificat ad virilem ætatẽ peruenire. tunc enim, ſi vnquam alias, ſoluitur morbus: ſed vocat* τὴν ἱερὰν νοῦσον συνανδρωθῆναι, *quaſi dicas conuireſcere, id eſt corroborari, confirmari cum ætate virili. Alias hæc falſa ſunt.*

4. Quo excreto ilicò dolor ſiſtitur, hoc doloris cauſam cenſeri par eſt. Galenus cap. 2. lib. 1. loc. affect. Tamen hoc poteſt eſſe fallax. Sæpe enim in torminibus clyſter educit recrementum, cùm tamen hoc doloris cauſa continens non ſit. Nam poſteà educitur doloris cauſa.

5. Notandum quoque hoc loco vnum eſt, & tempore grauiditatis, & tempore partus, & poſt partum multa multis mulieribus inſolentia contingere poſſunt. Nam audiuimus multas mulieres epilepticas concidiſſe dum grauidæ eſſent, quæ liberatæ fœtu nil vnquam tale ſenſiſſent, ſiue id fiat ob ſuppreſſos menſes, ſiue ob collectam multorum prauorum humorum illuuiem, quæ de repente horrendum hoc ſymptoma inuehit. Quemadmodum quoque aliis in mulieribus contingit vt cum vtero geſtant, immunes ſint à ſæuis doloribus, quos prius dum vtero non gererent, ferebant. Ita enim nouimus mulierem hemicraniâ conflictari ſolitam grauiſſimè dum vtero non gerit. Cùm primùm vtero concepit, nil tale ſentiebat: Quod mirum eſt. Et id primus Hippocrates 5. Epidemior. obſeruauit de muliere cui caput circumdolebat, nec alleuabatur niſi cùm vterum gereret. De illis mulieribus epilepticis tempore grauiditatis (cùm ab eo affectu planè immunes eſſent) Fernelius cap. de Epilepſia in Pathologia.

CONSILIVM XLI.

Ad fœtorem oris & anhelitus.

MVLIER annos nata quinquaginta leui de causa in morbum incidit. Ab eo releuari recreari que vix potuit. Inæqualiter corpus afficiebatur, modò calidiusculum, modò temperatum. Noctu, ac præsertim vesperi febris recurrebat. Eò tamen ventũ est, vt cõtabescere videretur. Sed paulò pleniùs res tractanda, & à capite arcessenda, vt id quod instituti est nostri clariùs elucescat.

Illa ferè à primis vnguibus, teneráque ætatula fœdo tetróque anhelitu laborauerat, vt vix quisquam in os loqui auderet fœtore oris territus. Et cùm illi incumberet propter eum quem in republica locum tenebat, cum primariis hominibus consuescere, eam tantæ molestiæ sæpe pertæsum est. Nil non in eam rem excogitauit ascito illustrium Medicorum concilio, præscriptis eò variis formulis quę in parato forent ad fallendas, leniendasque eas molestias. Quidam eam vsu carnium omninò interdixerunt, alij aliud consuluêre, quorum cùm lubenter consiliis paruisset, nihil præter fucatam oris tantùm suaueolentiam retulit, cùm frustrà in oris gratia concilianda fuisset elaboratum.

Nos ab eo fœtore contumaci auspicari voluimus, quod quæ causa eum primis annis fouerat, ac aluerat, ea non minore liberalitate sui extrema senectute copiam fecit. Immò morbum aut morbos potiùs fœcundâ sobole parturiit, quibus in depellendis multùm operæ insumptum est: sed hæc omnia frustrà. Itaque cùm leui quodam morbo tentata esset, efficacibúsque remediis contra pugnatum esset, nihil-dum sensit solatij: immò ægrescere medendo videbatur. Recruduit ille vetus oris fœtor, palatum, gingiuæ, faucésque ipsæ limoso cœnosóque humore tanquam vligine quadam erant oblitæ: & cùm is humor aut muccor potiùs teter detersus esset, citiùs dicto alius aderat qui detersas illas partes retineret, ac occuparet. Vrinæ velut purulentæ profluebant: ex interuallis ardor vrinæ eam exercebat. Febris aderat è genere hecticarum putrium: inappetentia magna: virium amissio, mox earundem recuperatio: marcor totius corporis: squallidus habitus. Edendo nihilum proficiebat, tametsi

metsi euchymis vteretur. Dubitatum est de sede huius mali, de affectibus, aut implicitis, aut disiunctis: de marcoris tanti causa, de remediis: & quis tandem foret euentus illius morbi ita occulti ac inueterascentis. Morbus omnis cùm actionem primò ac per se lædat, tolli, exscindíque debet: nunquam tolletur nisi causa continens, quæ eum fouet, adimatur. Nec tantùm in causa continente adimenda occupatos nos esse oportet, quòd hæc morbum proximè foueat, sed per analysin quandam continuatione quadam ad alias causas sensim progrediundum, quæ morbum primum fouere dicantur. Tametsi enim & causa morbi continens sublata, & affectus ipse sublatus primam Medico laudem tribuant, & nil posteà repullulet, non propterea aliarum præcedentium causarum tanquam continentis causæ parentum inuestigatio negligenda. Quoties enim longior quædam continuatio seriesque causarum existit, vt alia ex alia nasci & existere videatur, & omnes inter se aptæ connexæque videbuntur, tanquam conspirantes in causæ continentis affectúsque ab ea nascentis generationem, tanquam in commune quoddam opus, suo quæque ordine excutienda ac demenda, & ab ea curationis exordium duci debet, quæ ortu prima, sed inuentione postrema videatur. Nam in curatione, ratione, & ordine suscepta ita captari debet consilium, vt sæpè id negligatur quod postremo loco duxeramus faciundum. Alioqui frustrà in tollenda continente causa laborabitur, cùm ea nimiùm occulta, contumáxque sit, & cùm à primis aliis causis pendeat, harum demolitio illius euersioni anteponenda est.

Ita coniectura artificiosa, quam στοχασμὸν Galenus vocat, assequi oportet, primum mali fontem, & in eum digitum immittere. Quod vt exemplo pateat, esto aliquis, cui æstuans sit ventriculus, & præterea acribus, piperatísque, & semiputribus caseis sæpè vtatur; vnde putrium biliosorumque humorum colluuies: ab ea obstructio, ab obstructione putredo, à putredine quoque febres. Sit ita sanè, vsu medicamentorum putredinem emendes, obstructionem liberes, an propterea febris illius scaturiginem, primumque principium tolles? Itaque ad ventriculi intēperiem corrigendam erit veniundum, immò prauum illud alimentum causæ externæ eatenus rationem habens erit adimendum; frustrà alioqui de tollenda febre sudabitur.

In hac nostra muliere affectus qui occurrunt, sunt summus

oris fœtor, febris hectica putris: renum abſceſſus quidam: totius quoque corporis præter rationem conſumptio. Hîc analyticâ methodo vtendum ad ſedium affectarum notitiam. Hæ autem dignoſcuntur aut ſignis ſyllogiſticis, aut pathognomonicis, aut conſequentibus, aut excretis. Excreta autem vel partium ipſarum partes ſunt quæ ab iis deſecantur, vt pulmonis fruſta; vel quæ in ipſis continentur, nonnunquam aliquid quod morboſam diſpoſitionem ſequitur, vel ſolam, vel ſemper, vel vt plurimùm. Ac in affectorum locorum inueſtigatione tria maximè ſunt aduertenda, & tanquam canones proponendi ob oculos, quos ſemper intueamur: *Locus, Affectio & cauſa, Accidentia.*

Quæ tria cùm animo comprehenſa erunt legitimo ordine ad affectarum ſedium cognitionem deueniemus. Ac locus ita ſeſe nobis inſinuat. Si affectio eſſet in cerebro (exempli gratia) vel per conſenſum fieret, vel per protopathian. Si per conſenſum, fugacia eſſent ſymptomata; ſi per protopathian, vel intemperie laboraret, vel ſolutione continui, & ſic talia aut talia occurrerent. Idem de hepate ſentiendum, & ſuis ſe ſignis oſtentaret morbus, tum ſedem, tum affectionis ideam indicantibus. Affectus & cauſa ita veniunt à nobis excutienda. Si inflammatio eſſet, quæ ſeſe offerrent eius eſſent generis; inflammationis enim conſequentia hæc ſunt: ſi ſcirrhus foret, talia ſequerentur; ſi inflammatus eſſet pulmo, eiuſmodi eſſent ſymptomata & ſigna, quibus notitiam ipſam conſequeremur. Ab accidentibus autem ita eruitur cognitio rei: Dolor eſt eiuſmodi, hoc itaque denotat: Aphonia eſt, neceſſe igitur id ſubeſſe, morſus eſt orificij ventriculi, illinc aut inde contingit.

Quod in noſtra muliere exerceri debet: fœtor eſt oris, ergo aut à cerebro eſt, aut à pulmonibus, aut à ventriculo, aut à præcordiis. Si à cerebro eſt, à deſtillatione & rheumatiſmo eſt; ac credibile eſſet tuſſiculam adeſſe. Nam quæcumque materia eſt quæ fœtorem habet, ea putris eſt; ſi putris, exulceraret, ac proinde moleſta foret aut œſophago, aut tracheiæ arteriæ. Si huic, tuſſis eſſet; ſi illi, praua chyloſis fieret, à praua chyloſi fluores alui, deprauatio omnis alimenti, extenuatio. Si à pulmonibus eſt, aut vlcus, aut ſiderationem thoracis ſignificat. Si vlcus, argumenta iampridem innotuiſſent: at nulla hactenus. Si ſideratio eſſet, non tam diu eum affectum pertuliſſet. Si à ventriculo eſt, per deprauationem alimenti, aſſumpto cibo ceſſaret fœtor,

vacuo ventriculo appareret. Nam inanito ventriculo fumi sursum efferuntur, qui graueolentiam afferunt. Quod multis contingere Aristoteles in Problematis scribit. Credibilius est eum fœtorem & à thorace esse, & à ventriculo. A thorace esse potest, non concepto vlcere vllo in pulmonibus. Etenim verum id est quod scribitur à Galeno, in partibus ipsis citra inflammationem, tumorem, aut obstructionem vitium concipi, quod à tota substantia dicitur. Quod & in pulmonibus verum esse potest, cùm fieri possit vt proprio quodam pulmonis vitio, & ob coaceruationem humidioris materiæ spiret aura fœtens. Tamen si vitium esset totius substantiæ in pulmonibus, credibile non esset eam tandiu vixisse. Ac Gordonius annotauit oris fœtorem à pectore nunquam curabilem esse. Quod bifariam potest intelligi, aut quòd fœtor à thorace vlcus, aut quid simile significet & iam inueteratum, vnde necessariò interitus consequatur. Nam sputũ fœtens, mortem in propinquo significat: Aut quòd cùm fœtor est à pectore, ob remediorum difficilem ad pulmones penetrationem, causa illius fœtoris immedicabilis manet. Idem autor communem quandam fœtoris oris causam memorat humorem phlegmaticum. Nam nec humor biliosus ita aptus est, nec melancholicus, cùm ille suâ acrimoniâ & calore putredinem facilè arceat, hic suo acore contra fœtorem istum sese quodammodo obfirmat. Vnde quibus fœtor oris est, iis & palatum, & dentes quodam muccore sunt obliti & infecti. Quod huic mulieri contigit. Incredibile enim dictu est quanta copia cœnosi humoris quotidie in os recurreret: quod tetrum humidumque halitum à pulmone aut ventriculo potiùs elatum indicaret. Nam qui à pulmone est, exhalationem refert potiùs: qui à ventriculo & præcordiis, vaporem & halitum. Credibile in hac muliere à vapore potiùs quàm exhalatione, declarat satis copia excrementi. Ac quinque de causis phlegmaticus humor omnium facillimè fœtorem inducere ita colligitur: Prima, quia frigidus, & ideò facilè suo genuino calore destituitur. Secunda, quia humidus, quòd facilem ad putredinem concipiendum inclinationem affert: Tertia, quòd omnium facillimè (ratione copiæ, est enim multus, & superfluus in corpore) rheumatismum faciat: Quarta, Quòd omnium facillimè ratione prauæ dietæ, quam quotidie instituere videmur, accumuletur ac succrescat. Quinta, quòd post sanguinem abundet maximè.

Et annotat idem Gordonius, fœtorem à ventriculo non esse continuum, quòd assumpto cibo paulùm quiescat: Cùm à pectore continuus est, & vlcus pulmonis significat, & lethale est. Quod non probabile esse satis abundè paulò antè indicauimus. nam fieri potest vt in pulmonibus putrescat materia exitum nó habens, quæ oris fœtorem afferet.

Mirum tamen esse possit, cur in febribus halitus non fœteat, cùm pituitosus humor sit, qui putris sit, hinc efflatio putris esse debet, & anhelitus: si quæ priùs dicta sunt, vera existant. Respondet Gordonius, bifariam fieri putrefactionem; vno modo per ebullitionem & incendium quoddam à calore præter naturam: & ea putredo non inducit fœtorem, cuius generis esse solet in febribus: Et alia est per substantiæ corruptioné. Sic in febribus cùm fœtor anhelitus est, mors significatur; quòd non solùm humidæ substantiæ ebullitio significetur, sed propriæ substantiæ corruptio. Sed pace tanti autoris dicam, hęc minus congruè, veréque dicta sunt. Nam quis dubitet in febribus continuis, putridis, aut intermittentibus non simplicem esse ebullitionem? Nonne excretos humores sursum deorsúmve in putridis febribus fœtidos, corruptósque videmus? Et tamen in iis facta est simplex ebullitio, per Gordonium: Quasi verò cùm fœtor aut à pulmonibus, aut à vẽtriculo est, maior sit (manẽte præsertim vita) propriæ substantiæ corruptio, quàm in febribus putridis in quibus excretiones sæpe cadauerosæ & putres admodum apparent? Non est credibile. nam si halitus fœtens à ventriculo manans, tantam corruptionem significat, quomodo tandiu maneret vita? Respondeat Gordonius de sudoribus, in febribus præsertim pituitosis manantibus, tam graueolentibus, vt vix quisquam eos ferat? & tamen non fœtet anhelitus. Itaque alia quærenda est distinctio. Nam non est dubium quin humores, si præsertim pituitosi sint, à calore præter naturam multùm corrumpantur, & non tantam acquirant malam qualitatem quanta requiritur ad fœtorem oris. Cur ergo, inquies, non fœtet os? an quia simplex ebullitio, vt vult Gordonius? Nequaquam, sed quia humor qui febres committit, conclusus est in visceribus, non autem in partibus thoracicis, aut capite, aut ventriculo, aut ore: E quibus partibus necesse est spirare aliquid ad fœtorem oris. Quod si qui humor febres committit, in iis partibus contineretur, dubium non esset quin fœtorem oris ac-

cerseret. Nam si conclusus humor in præcordiis leipothymias ob tetrum vaporem, cardiogmos mortem denique inferat, cur non in superioribus partibus contentus fœtorem afferre possit? Si per sudores erumpens tenuis eius pars, aut per vrinas, quæ sæpe fœtentes sunt admodum, tetro vapore feriat sensus nostros, cur idem humor sursum repens, & thoracicas partes occupans, non tetrum odorem oris inferat? Hydropici graueolentissimos in abdomine humores continent, nec tamen tetrum spirant: Ergo quia humor in partibus ventris conclusus est, & non partes superiores capessit. Vnde videmus mulieres quibus suppressi sunt menses, aliquando tetrum spirare, & colligimus eas grauiter ægrotaturas, quòd tanta sit humoris putrentis copia, vt non solùm partes inferas, sed & superas occupet: in superis tetrum halitum, in inferis febres accersit. Ergo idem humor, & eius putredo non distinguitur. Quod autem in febribus maximam partem nec sudores graueoleant, nec halitus propterea fit, quia maxima febrium pars à bile est; quod Hippocrates non minùs breuiter quàm verè scripsit; quanquam hoc ab eo dictum plerique malè feriati homines non intelligunt. Bilis autem aut flaua, aut acida: neutra tetrum spirat ex se, aut illud paucum admodum. Contrà in quotidianis & pituitosis, & vetularum febribus, & malus gustus est (vt vocant) ob tetrum halitum & putrentem in ventriculo humorem, & fœtentes sunt sudores. Quod arguit non modò magnam humiditatem requiri ad tetrum halitum, sed & occursum materiæ ad partes oris, siue cerebrum sit, siue pulmo, siue ventriculus. Quod autem humores biliosi, aut melancholici non ita tetrum ex se emittant, vt & pituitosi, satis apparet sensui, ex alliis, cępis, pipere, synapi. Nam & allia & cępæ, & piper ferè eodem gradu calida esse veteres autumarunt: cur tamen ex iis alia tetrum spirent, alia non? Id fieri propterea asseuerant veteres, quòd allia, & cæpę multâ humiditate prædita sint, quę facillimè digeratur ac corrumpatur, nequeunte calore illam coërcere ac mitigare: ideóque graueolent: à pipere autem & zinzibere nihil fœtidum exhalet, quòd non tanta insit humiditas, & quantula estcumque facilè superetur à calore. Quod idem humoribus contingit. Nam biliosi humores analogiam quandam habent ad piper & zinziber, pituitosi ad allia & cępas: & quę humidiore sunt temperamento, & calore mediocri, maximam partem hircum re-

dolent. Et mulieres vetulæ, quibus superfluit multa humiditas, spirant malum odorem, & anhelitu asthmaticos pueros faciunt: Et quibus gingiuæ & os humidius est, iis teter odor est. Quo fit vt concludamus multam humiditatem requiri ad fœtorem oris, & præsentiam illius humoris in partibus ori vicinis, alioqui conclusus manebit humor, & nil tetrum in os mittet; vt malè concluserit Gordonius in febribus putridis non tetrum esse halitum, ob simplicem humoris ebullitionem: & quia qui illum halitum commissurus est, aliá malam qualitatem ab ea quam febrilis materia nacta est, concipere oportet. Idem est putredinis modus, vt diximus. Quã quam non negamus fieri posse vt in fœtore oris, præsertim à malè affectis pulmonibus non adesse solùm putredinem simplicem, sed alienationem planè à temperamento, & perfectam διαφθοράν. Quod nos obseruauimus in auriga ad ripam Sequanæ, cuius ex ore fœtor (incredibile dictu) totam domum inficiebat, & cadauerosum olebat. Vnde non ita longè post fato concessit, siderato toto pectore. Et hæc sunt quæ contra Gordonium agitari potuerunt: cui tanquam homini doctissimo habenda gratia, quòd disputandi fenestram aperuerit.

Atque vt ad rem redeatur, de remediis illius fœtoris pauca dicenda. Gordonius causam maximè constituit humorem pituitosum. Mesuæus cholericum quoque constituit; vnde pro materiæ biliosæ conditione instituit ea quæ humectandi vim habēt, & contemperandi; vt est syrupus de pomis, & rob, de acetositate citrij, diacytonites: At in corporibus biliosis, siccis, in quibus abundat calor febrilis, videtur potiùs in cõ temperationem versandum. In materia phlegmatica, ea quę calfaciunt, instituuntur; vt confectio trypheræ quæ ex aromaticis constat, caryophylli, cypperus, lignum aloës, calamus aromaticus, & quæ sint eius generis.

Ergo cùm febris illam mulierem exerceret, fœtor oris, inappetentia, vrinæ ardor quidam, atque vrinæ veluti purulentæ funderentur, quanam methodo vtendum? cum quo agendum priùs? An affectus est compositus, an complicatus? de iis breuissimè dicendum.

In morbis omnibus aliquid est quod sub sensum cadit, aliquid verò quod sensum fugit. Id quod sub sensum cadit, sym-

ptoma est; quanquam sæpe est inuolutum ac implicitum, vt an huius, an illius morbi sit certò definiri non possit. Si symptoma sub sensum cadit, nullo est opus signo quo sese nobis detegat Sensus enim fidem facit. Id quod sensum fugit, causa morbi est, & morbus ipse: Morbus quidem generali quodam modo sese nobis ostentat, nimirum actionis læsione: sed quia occultus sæpe est, & causa recondita, intúsque latens, ideò concurrere debet signum quod vtrumque detegat, atque demonstret. Signum enim est id quod sensibus nostris obuium factum, aliud quippiam latens & occultum comitatur; id enim illius signum censetur. Symptoma autem, quia conspicuum est, interioris, occultique morbi ex quo fluxit, expressum est signum. Quia autem similitudines bonis & eruditis Medicis imponunt sæpè, ob morborum, causarumque complicationem, ac confusionem; ideò in signorum ac symptomatum dignotione accuratos esse oportet: item in morborum aut connexione, aut complicatione Maximum autem momentum habent signa insalubria in morbis, quod & speciem morbi, & sedem, & causam alia atque alia designent.

Porrò morbus aut vnus est, aut multi: vnus simplex, aut compositus. Simplex aut solitarius, cùm nulla efficiens causa adest, nullumque graue symptoma quod curantis consiliũ ad se reuocet; vt Intemperies simplex, Comitatus, quem continens causa intus fouet; vt obstructio, aut quem horrendum symptoma comitatur, vt cum morbo dolor ingens assistit. Compositus morbus est, qui ex multis eidem parti connexis constat. At multi morbi sæpius vnà nos exercent. Eos autem aut implicitos, aut connexos, aut coniunctos, aut disiunctos vocamus. [2] Connexi, coniuncti, & consequentes idem significant. Disiuncti coniunctis sunt contrarij. Impliciti & Coniuncti distinguntur. Impliciti dicuntur cùm variæ quidem partes afficiuntur, sed quæ in communem actionem omnes conspirent; implicantur enim, & communia elucent symptomata, quæque vix distinguas an id potiùs quàm illud laboret. Vt cùm difficilis est respiratio & tussis, quia hæc & in pleuritide, & in peripneumonia promiscuè incidunt, ea per se non satis indicant an costa, an pulmo afficiatur. [3] Sunt enim ὁμογενῆ, siue ὁμοειδῆ, vt loquitur Galenus: item & sputa, quæ tanquam aliquid indicatura excernuntur, sæpe difficultatem

Com. in part. 2. li 1. Prorrh.

iudicandi afferunt, an hæc potiùs quàm illa pars afficiatur, quòd promiscuè indicent & costarum, & pulmonis, & asperæ arteriæ affectus, vt Galenus loco suprà adducto probè censet. Affectus autem complicatos indicat hoc exemplũ, si quæpiam sit ceratoïdis erosio, rhagoidis exitus, pupillæ distortio, & apparens suffusio, tametsi omnes hi affectus vno eodemque tempore consistant, non tamen morbum oculi compositum efficere dicuntur: sed sunt morbi impliciti, id est variis partibus insident, quarum tamen in vnum opus est conspiratio. Sed cùm morbus compositus dicitur, in eadem parte sunt multi morbi simplices: vt cùm hepar intemperies sicca & calida cum tumore aliquo occupat, quia vni eidemque parti illi multi morbi inhærent, morbum compositum constituunt, non simplicem. Proptereáque impliciti & compositi morbi eo tantùm discrimine distinguntur, quòd cùm simul simplices & multi sint morbi, si variæ partes in vnam communem actionem conspirantes occupantur, tunc morbi impliciti vocabuntur: Si autem vna tantùm pars afficitur (nomine partis tamen non ita in angustum structumque adducta) tunc compositus morbus dicetur. Vt pleuritis & asthma simul existentia morbos implicitos efficiunt, quod vni eidemque functioni incommodent. Et ex recentioribus quidam morbos compositos ab implicitis accuratè distinxerũt, quòd à paucis obseruatum viderent hoc discrimen: quod tamen magni interesse existimarent. Nam quod ad curandi consilium & indicationes pertinet, in composito morbo scopum vnum curationis proponi volunt, in complicato & inuoluto morbo diuersum: Exempli gratia, in tumore præter naturam & intemperies est, & vitium conformationis, & solutio continui. Huius tumoris cùm cura suscipitur, tametsi varia sese nobis offerant, vnus tamen scopus est curationis, nisi fortè quosdam particulares effingere velis. At cùm luxatum est brachium, & iuncta est inflammatio, & partis conuulsio, non hunc morbum compositum dices, sed implicitum; proptereáque diuersi curationis scopi proponuntur. Hoc discrimen non agnouit Galenus disputans de morborum differentiis, confunditque morbos compositos & complicatos. Rectè quidem distinguit morbum partis similaris à morbo partis organicæ, siue simplex, siue sit compositus. Vt tunicæ ad-

natæ

Quid propriè implicitus morbus.

Cap. 13 de morbor. differ.

natæ inflammatio, non oculi morbus per ſe tanquam totius inſtrumenti dicitur, ſed primùm & per ſe tunicæ adnatæ dicitur, ſecundò totius corporis ipſius oculi tanquam inſtrumenti. Nam partium ſimilarium morbi per ſe, ex euentu tantùm toti inſtrumento accidere dicuntur; ſiue morbi ipſi ſingularum partium ſint ſimplices, ſiue compoſiti; vt cùm in pupilla eſt contortio & inflammatio: Et morbus compoſitus totius inſtrumenti bifariã dicitur: vel cùm vna tantùm pars morbo compoſito afficitur; tunc enim totius oculi affectus dicetur, ſed tantùm ſecundariò: vel cùm partes omnes oculum conſtituentes ſimplici morbo laborant; tunc enim ij omnes affectus morbum vnum compoſitum oculi totius dicuntur conſtituere. Sed recentiores non cõpoſitum morbum, ſed contra Galeni mentem morbos implicitos vocant. Galenus de ea re nil primum ſtatuit, ſed aliorum affert opinionem. Nam cùm vnguis & lippitudo eſt, cùm eroſio corneę, cùm vuea prolabitur, hoc totum vocant quidam morbum oculi compoſitum, alij diuerſarum partium diuerſas affectiones. Et vtrorumque probabilem ſententiam aſſerit, mirumque eſt quomodo dicat Galenus nihil intereſſe ſiue hoc totum morbus compoſitus dicatur, ſiue plures morbi diuerſis auxiliis egẽtes, quoad pertinet ad curationẽ. Falſum enim hoc eſt. Cùm autẽ ſatis abundè demonſtrauerimus intereſſe plurimùm ad curationẽ ſi morbus compoſitus dicatur, & ſi morbi complicati; in his quippe & illis diuerſi omninò ſcopi ſunt. Sed Galenus non ita exactè intelligendus. Nam ex eo appellandi morbum oculi compoſitum occaſionem ſumi vult, quòd cùm oculus vna ſit pars ex particulis multis conſtituta, quæ omnes ita congruunt vt in vnum opus conſpirent; propterea hæc ſimplicium morborum congeries & ſyndrome non ineptè compoſitus oculi morbus dicitur. Sed clarioris doctrinæ & intelligentiæ cauſa appellentur multi morbi particulares & impliciti: Vt nomen [impliciti] diuerſas morborum ideas per ſe exhibeat: quomodo Galenus aliud eſſe docet febres compoſitas, & implexas, ſiue implicitas. Galenus autem in illo libro de differentiis morborum, poſtquam aliorum ſententiam propoſuit, vt eos inter ſe conciliet, videtur quid ſentiat aperire. Quod vt faciliùs præſtet, à morbis ſimplicibus incipit, quorum quidam totius oculi primò eſſe dicuntur, alij ſecundariò tantùm, & κτ συμβεβηκός. Exẽpli gratiâ: Suffuſio totius inſtrumenti morbus eſt per ſe: at cera-

2. de diff. ferent. febr.

toïdis exulceratio, instrumenti morbus esse dicitur ex euentu tantùm; per se enim ad corneam tanquam similarem partem refertur. Sed longè aliud statuit discrimen de morbis compositis. Nam ex compositis morbis quidam sunt proprij totius instrumenti, nempe oculi, primò & per se: alij ex accidenti; vt, adnatæ inflammatio propria est tunicæ affectio, ideò ad totum oculum non refertur, nisi secundariò: Ergo, vt vult Galenus, ponamus plures oculi partes simul vnáque affici, vel vnam tantùm partem, vt patet in inflammatione tunicæ adnatæ: cùm vna tantùm pars, ea affectio dicitur morbus compositus vnius partis per se, & totius instrumenti secundò tantùm: cùm multæ simul oculi partes, morbus dicitur totius instrumenti primò & per se, ait Galenus: quod falsum videtur. Nam ceratoïdis erosio, rhagoïdis exitus, pupillæ distorsio, morbi sunt singulares, multas oculi simul partes (si sors ferat) occupantes, primò per se, an quia in cumulo sunt, propterea dicentur primariò referri ad totum instrumentum; quod vult Galenus? Si ceratoïdis erosio per se ad partem vnam refertur, & pupillæ distorsio per se ad alteram partem, secundariò autem vterque affectus ad instrumentum totum referatur; cur potiùs cùm singulæ per se æstimantur ad partes suas primò & per se attribuuntur, coniunctæ autem ad oculum totum reuocantur? Sed dicet quispiam: Cùm Galenus vult morbum compositum totius instrumenti vocari, cùm multæ simul partes afficiuntur ipsius oculi; non hoc est intelligendum cùm partes multæ afficiuntur affectu sibi proprio, peculiaríque: sed affectu qui per se & primò & simpliciter ad totum oculum referatur. Nam suffusio per se ad oculum refertur, sed si ad suffusionem alius morbus generalis oculi, vt vnguis, & rhœas accesserit, hi omnes morbum compositum efficient totius oculi primò & per se, quia singuli per se morbi priùs in se se considerati ad totum oculum referebantur. Sed Galenus non vult tantum morbum totius instrumenti vocari, cùm omnes, aut multæ simul partes afficiuntur morbis, quorum singuli primò erant totius instrumenti; vt suffusio, vnguis, rhœas: sed cùm morbis quoque detinentur, qui singuli in se spectati peculiarem ad partes singulas rationem habent, & secundariò tantùm cùm soli spectarentur, ad totum instrumentum referuntur. Verba autem Galeni hæc sunt loco supraposito: *Cùm plures eodem tempore partes oculi morbo aliquo afficiuntur, morbi ipsi primò totius instru-*

menti esse dicuntur, atque eo magis si vnusquisque morbus antè erat primò & per se totius instrumenti. Hæc verba, *atque eo magis*, indicant affectiones aliarum partium peculiares, vt distorsionem, exitũ, erosionem commixtas inter se posse totius oculi primò & per se morbum compositũ efficere. Vnde anteà dixerat nihil interesse an quis dicat eas affectiones (quarũ vnaquæque propriè & primò ad oculi partes, non autem oculum totum referretur) morbum compositum oculi efficere, aut multos morbos aliarũ partium. Sed tandem vt hanc nos disputationem terminemus, quoniam fortè noluit Galenus rem tam exactè disquirere, dicemus quid nobis videatur de morbis cõpositis & complicatis. Quod tametsi non expressit Galenus, licèt tamen idipsum ex illius scriptis elicere & venari: vt non sit cur ea in parte recentiores sibi palmam decîdi oportere existiment, ac si eorum hoc esset inuentum, & huius tantæ rei autores essent ac principes. Cùm multi morbi occupant varias oculi partes, siue per se sint simplices, siue compositi, vt tunicæ inflammatio, aut illi morbi cùm simplices considerabantur ad partem hanc aut illam peculiariter referebantur, aut generaliter ad oculum ipsum totum. Putà vnguis simplex morbus, & rhœas ad totum oculum attribuitur, nomenque dat: Ergo si multi tales morbi complicentur, morbum compositum totius oculi primò per se efficient. Sed pupillæ contorsio, rhagoïdis hic aut ille affectus, cùm secundò tantùm ad instrumentum totum referatur, si multi tales morbi peculiares in hac aut illa parte, peculiarémque denominationẽ inducentes, complicentur, morbum efficient compositum totius oculi: sed vel dices istum morbum compositum non propriè & primò totius oculi dici, sed secundò tantùm, quòd seorsim spectatæ affectiones has aut illas partes attingerent: vel potius vocabimus multos morbos multarum partium, vel implicitos morbos vni oculi functioni generaliter officientes. Sed hæc sufficiunt. Ergo morbi multi aut impliciti dicuntur, aut connexi, seu consequentes, aut disiuncti. Impliciti, vt dictum est, sunt, quorum ea est ratio, vt per se distinguantur: sed qui tamen ita inter se conspirant, vt vni eidémque actioni incommodent: vt de morbis vnam vnius oculi actionem lædentibus dictum est. Item pleuritis & asthma, quia duo sunt affectus partium respirationi dicatarũ impliciti morbi dicũtur (cùm simul inuadũt) quia communia quædã habent symptomata, vt tussim, & diffi-

cilem reſpirationem. Connexi, & conſequentes idem ſignificant recentiorum opinione; quanquam nomen *Conſequens* paulò latiùs manat quàm *Connexum*. Exempli gratiâ: Morbi cõſequentes ſeu connexi dicuntur, quorum vnus poſterioris eſt cauſa & autor, & vterque morbus ſimul manet: Vt cùm affectus eſt ventriculus, & ei affecto caput condolet, & morbi conſequentes, & connexi dicuntur. Quod fit aut propter morbi naturam, vt cùm pleuritis neceſſariò febrem continuam aduocatam habet, & dicuntur morbi conſequentes & connexi: Aut ex partium conditione, quia quæ ſunt propinqua, quæque communia, ea primum & maximè affici ſolent, idque aut generis ſimilitudine, aut vaſorum communione, aut operis ſocietate, vt paſſim annotauit Galenus. Cùm itaque ea eſt morbi ratio, vt vnus alterius cauſa ſit & autor, atque ita vt niſi adempto vno, alter non tollatur, propriè connexi morbi illi dicuntur: ſed in ratione conſequutionis, quia euenire poteſt vt commutatione quadam morbus alteri ſuccedat: vt cùm peripneumonia pleuritin ſequitur, hîc non connexi, ſed conſequentes dicentur. Obſeruatur ſiquidem conſecutionis ratio, ac connexionis nulla eſt. Sic nomen *Conſequentis* longiùs patet quàm *Connexi*.

De connexis, conſequentibus hæc dicta ſint. Sed vt ſcrupuloſis è cotibus tandem oratio noſtra enatet, de diſiunctis ſeparatíſque morbis nihil dicemus, quod ſatis diſiuncti intelligantur, qui in ſeparatis partibus verſantur, quarum non eſt ea communio quam ſuprà diximus. Qui morbi in ea muliere, cuius gratiâ hoc ſuſceptum eſt, ſatis innoteſcunt. Nam & in ore fœtor erat à prolapſu putris pituitæ à capite, adiuuante quoque tetrâ exhalatione à partibus inferis: & renum male affectorum ac purulentorum magna quoque fuit ſuſpicio. Atque omnia ita erant occulta, vt morbus potiùs in diaphthora conſiſtet, quàm in manifeſta aliqua intemperie diceretur. Febris erat lenta, cuius ſeminarium aut renes malè affecti erant, aut meſenterium ſemiputre. Illud obſeruatum in ea quod 6. Epid. ſcripſit Hippocrates: *Omnis extenuatio laxat cutim, deinde diſtendit: Refectio verò diſtendit, deinde laxat.*[4] Extenuationis cauſæ, alimenti penuria, exercitationes plures, vigiliæ, agitationes, dolores, morbi colliquantes, euacuationes, prauitas humorum in vaſis, vt narrat Galenus in hiſtoria de muliere extenuatiſſima, 6 Epid. In hac muliere corruptionem eſſe aliquam teſtantur omnes ex-

cretiones omni ex parte. Accedit quod in omnis morbi diuturnitate per Galenum, comment. in aphor. *Acuti morbi in quatuordecim diebus, &c.* est obsidio partis alicuius, cuius occasione fouetur tam longus morbus. Et cùm caloris & frigoris magna sit vicissitudo, declaratur vaporis suscitatio è materia corrupta. Sic Galenus docet in Epidemiis. Sic morbus latens est ex insidiis inuadens, & corpus frangens. Immò annotauerunt quidã ex veteribus, in vetulis sæpe ita humores corrumpi, vt expiret ab iis teter vapor, qui puellos teneros asthmaticos reddere possit. Quæstio est, an esset febris hectica. Aliquando refrigeratio contingebat, sed recalfactio illa solemnis, quæ in nutritis hecticis apparet, non aderat. Si recalfactio non aderat, an non hectica? Erat hectica putris, à qua non excluditur leuis perfrigeratio, quæ περίψυξις ϗ ἀναδίρμασις dicitur. Aut dicemus manifestam calfactionem in iis apparere in quibus viscera sunt robusta, non autem si vieta & effœminata sint. Hæc omnia indicabant cogitandum potiùs esse de prognosi, quàm de vita protrahenda. Salutis enim exigua admodum spes supererat. Nam cùm morborum securitas aut ex parte ipsius affectus petatur, aut corporis subiecti, aut vtriusque: quodlibet horum spectaretur, de salute nil sperabatur. Morbus autem sui indicationẽ exhibet, aut τῇ συνηθείᾳ, aut κακοηθείᾳ. Subiectum, cùm vis aliqua est restibilis: nam cùm specie & ingenio morbus malus est, & subiectum malè constitutum, malè præsagiendi occasio sese offert. Et cùm omnia in ancipiti forent, dèque funere potiùs quàm de vitæ fœnore cogitaretur, in eam itum est discessum que sententiam, vt oppugnanda in putredine laboraretur, & viribus adaugendis. Itaque ratione putredinis breues & faciles ex rheo purgationes sunt institutæ. Vt autem corpus & vires recuperaret, serapiũ instaurans ex testudinum carne est præscriptum.

His ita institutis, domitâ paulùm putredine, ne contagione putrium humorum lactis asinini bonitas superaretur, consultum est vt exactis aliquot diebus ad ipsius lactis vsum veniretur. Hoc ita factum est. Recreata natura surrexit, morbúmque occultum tandem vicit, & præter omnium Medicorum opinionem superfuit; Vt mirum non sit si præiudicata Medicorum iudicia sæpe non ita magni fiant, cùm ab iis prouocare & liceat & conueniat.

ANNOTATIONES.

1. *Comitatus morbus, vt cùm febrem fouet atque alit obstructio contumax, comitatus est morbus.*

2. *Quanquam multi morbi consequentes dicuntur, qui necessariò connexi non dicuntur, vt pleuritin sequitur peripneumonia. At propterea connexi non dicuntur morbi.*

3. *Cùm signa sunt communia, & hæc & illa significantia, oportet Medicos diligenter suam intelligentiam excutere, ne decipiantur.*

4. *Si corpus capit multùm alimenti, & tamen non bene nutritur, vel corrumpitur alimentum, vel non distribuitur, vel consumitur ob ingentem calorem naturalem.*

Consultabant Riolanus, Magnus, anno 1575.

CONSILIVM XLII.

De pulmonum affectibus, in quo quæritur, an ad pulmonum morbos quadret tenuis diæta.

HIPPOCRATES optimus instituendæ diætæ architectus, in libris de Diætá acutorum, disputans de pleuritide, exactam diætam præscribit: Immò primis diebus ita accuratam illam esse vult, vt quandiu morbus siccus manet, tenuissimè viuendum censeat. Siccum autem morbum vocat, cùm nil dum excernitur materiæ morbificæ, cùm sputum in os nondum occurrit. Quinetiam tantum periculi creari vult vsu solius cremoris ptisanæ, sicco manente morbo, vt inde homines suspiriosos fieri asseueret. Et quod de pleuritide dictum est, idem sanciri debet de omnibus morbis acutis. Pleuritis enim pro omni morbo acuto in exemplum subiicitur. Item cremor hordei pro alimentorum ceterorum examine proponitur. Et quoniam inflammatio pulmonis ex acutissimorum morborum numero censeri debet, quæstione digna res proponenda, an ea lex quam Hippocrates in pleuritidis cura sanciuit, tenenda, confirmandáque in inflammatione pulmonis? Duabus enim de causis idem iuris

esse videtur. Prior est, quoniam Peripneumonia acutissimus morbus est, citò litis controuersiam dirimens: Posterior, quoniam, ex sententia omnium veterum & recentiorum, eadem diætæ ratio & therapias seruatur in curanda peripneumonia & pleuritide: immò eorum plerique leuiter tantùm attigerunt de peripneumonia, & peculiare caput non descripserunt, volentes peripneumoniæ curandæ rationem ex capite de Pleuritide depromi. Atque hoc non ita relinquendum est intactum, cuius explicatio & enodatio plurimùm profectura est ad curationem morborum, quam omnes diligenter, & prout nostri muneris est prosequi debent.

Galeni locus obseruatione dignus est. *In pulmone*, (ait) *spiritus tenuis est, & leuis, & quem coërceri oportet, sanguis verò crassus, & quem in singulas pulmonis particulas dimitti opus sit.* Nam pulmo copiosiori alimento eget quàm partes ceterę, tribus aut quatuor de causis: Prima est motus perpetuus: secunda, caliditatis copia. Caliditas autem & propter cordis viciniam, & propter motus assiduitatem & constantiam. Addo & natiuam, vernaculamque caliditatem, cùm & spirituosa sit pars, & rara. Et paulò post, tria adiuuenta (ἐπικουρίας Græci vocant) ad affluentiam alimenti ad pulmonem ipsum, idque necessariò. [1] Primum copia vernaculæ caliditatis, quæ efficit vt alimentum omne in partes minimas comminuatur, diffundatur, ac citiùs euaporetur. Alterũ, pulmonis dilatatio est in inspirationibus, quæ efficiat vt ex densissimis instrumentis (cuiusmodi est vena arteriosa) violenter quippiam arripiatur. Tertium ac omnium maximum ab eo sanguine qui soli pulmoni à corde mittitur priùs in illo planè confecto atque extenuato. Tertia hæc periodus implicita est atque obscura, nec intelligi potest. Nam propositio illa, *Ab*, in textu Græco non reperitur, & interpres malè conuertit genitiuum Græcorum absolutum. Ita enim legitur in Græco, τρίτη καὶ μεγίστη πασῶν ἀπὸ τῆς καρδίας ἀποπεμπομένου μόνῳ τῷ πνεύμονι τοῦ αἵματος ἀκριβῶς ἐν ἐκείνῃ κατειργασμένου καὶ λελεπτυσμένου. Ita interpretor, Tertium autem, idque maximum (supp. ad affluentiam alimenti ad pulmonem pertinens) est quod sanguis à corde mittatur ad solum pulmonem exquisitè in illo priùs elaboratus ac attenuatus. Et cùm dicit tria esse præsidia ad affluentiam alimenti ad pulmonem, hoc bifariam potest intelligi, vel quòd tres illæ causæ recensitæ hoc efficiant vt multum alimentum affluat; vel potiùs cum præcedentibus

hæc connectantur, hoc efficiunt, vt multùm affluere debeat. In vtroque ſenſu periodus hæc intelligi poteſt. Redeamus ad rem. *In pulmone* (ait) *ſpiritus tenuis eſt, ſanguis craſſus & grauis, quem ad omnes pulmonis partes ferri oportet; ſiquidem pulmo ob cauſas tres multo alimento præ ceteris partibus indiget.* Quorſum hoc ſcribit? Vt occurrat obiectioni eorum qui tueri velint fruſtrà à natura conſtitutam eſſe venam arterioſam, & arteriam venoſam. Nam ſi ſpirituoſus halituoſúsque ſanguis in pulmone contineatur, neceſſe eſt eum arteriâ durâ robuſtâque contineri, alioqui efflueret vt in aliis partibus continetur. Item ſi craſſus ſit ſanguis, & grauis, vtpote nondum elaboratus, quid attinet venam arterioſam architectatam fuiſſe, cùm ſimplex tunica, vt in partibus aliis fuiſſet ſatis? Tacitè autem fatetur Galenus eas rationes probabiles eſſe, vt conuincatur fruſtrà machinatam fuiſſe naturam iſta vaſa ab aliis eiuſdem generis diuerſa. Nam in partibus aliis arteria dura eſt, ne citò effluant ſpiritus per corpus arteriæ: mollis vena, ne diutiùs inſiſtat ſanguis (ſiquidem per tunicam venæ nutritio fit, ex ſententia Galeni) & ita nutritio retardetur: tamen natura neceſſitate adducta arteriam venoſam, & venam arterioſam eſt machinata. At ampliorem diſputationem de vena arterioſa in locum alium non longè reiiciemus, explicantes an legitimè, optimâque ratione vena arterioſa à natura ſit inſtituta. Nunc autem quod inſtituti noſtri eſt explicemus, nimirum copioſiore alimento vti debere pulmonem quàm partes ceteras, & ratione caloris tum ſui natiui, tum alieni à corpore cordis mendicati, tum conſtantis perpetuęque agitationis. Si enim hoc verum eſt, exquiſita diæta in pulmonis inflammatione non eſt tuta, licèt morbus ſit acutus, quod & à ratione alienum non videtur. At dicat aliquis: Quid tum verò pulmo copioſiore alimento egeat quàm ceteræ partes, an propterea tamen exquiſitæ dietæ locus non eſt in pulmonis inflammatione, vt & in pleuritide ab Hippocrate ſancitũ eſt? Nam cùm Galenus vſum venæ arterioſæ docet, neceſſariámque pulmoni alimenti copiam non vt affectus eſt pulmo, ſed vt ſanus, ſermo habetur. Nos autem non negamus quidem iniici mentionem de ſano pulmone, ſed tamen ex ea ſententia deſumimus poſtulatum ac hypotheſin ad id quod inſtituimus maximè pertinentem? Etenim diætæ inſtituendæ ratio reuocari quoque debet ad naturalem ſymmetriam partium. Nam ſi in vſurpandis medicamentis dum pars

labora-

laborat diligenter ſanæ partis naturã ac ſymmetriã inquirimus, vt quoad fieri poteſt maximè parti conſulatur: idem in diæta factitari debet. Illud enim eſt quod Hippocrates monebat, dandum conſuetudini, quod non ſolùm de conſuetudine intelligitur, ſed de priſtina natura partis. Vt ſi cerebrum laboret intemperie humidâ, & ſiccam victus rationem inſtituimus, quæ à nobis ſiccandi vi prædita diæta præſcribitur, non talis eſt, qualis in aliis partibus ſeruaretur, quæ minùs humidæ forent. Nam etſi intemperiem humidam in parte humidiſſima corrigere conſilium eſt, tamen intra limites conſiſtimus. Sic in calida intemperie partium calidarum natura, impensè refrigerare non debemus. Idem quoque in diæta inſtituenda obſeruari debet. Nam poſitis in hypotheſin duabus partibus, quarum vna copioſiore alimento eget, altera non item: In paribus affectibus non par diæta præſcribi debet. Nam in affectibus eius partis cui copioſius alimentum natura conceſſum eſt, liberaliores paulò nos eſſe oportet. In affectibus autem eius partis cui minùs alimenti ſuppetit, pauco nos contentos eſſe oportet. Nam vt multum alimentum in aliis requiritur, ita paucum abundè eſt. Quod & in vniuerſi corporis noſtri nutritione dum morbo detinemur, obſeruari debet. Nam qui pauco contenti cibo dum integrâ fruuntur valetudine, viuunt, in iis nos accuratiores, parciores, reſtrictiorésque eſſe oportet: ſin minùs multo copioſóque cibo vitam propagarent, in iis dum infirmi iacent liberaliores ſimus ratio poſtulat. Immò Hippocrates iis congruentibus dum de qualitate cibi ſcribebat, monuit in diætę præſcriptione deteriorem paulò cibum conſuetum, ſuauiorem eſſe ęgris magis bono non conſueto: adeò nos ſollicitos eſſe oportet, vt & conſuetudini, & temperamento, & vitę inſtituto aliquid tribuatur.

Itaque ſi ſanus pulmo copioſiore cibo dum ſanus eſt, eget, quàm partes ceteræ, vt hepar, & ventriculus, dum inflammatione tentatus eſt, minùs exquiſita diæta definiri, deſcribíque debet inflammato pulmoni, quàm aut hepati, aut ventriculo. Cuius rei confirmatio & fides deſumi poteſt ex Galeni autoritate, ſi huic ea in parte fides abroganda non eſt: *Non ſicut in iecinore & ventriculo, ita in pulmonibus tenuiſſimo victu vtendum eſt. In ventriculo enim & iecore alimentum coquitur, metusque eſt ne ipſis plegmone laborantibus nutrimentum ritè non concoquatur, & phlegmone augeatur: in pectus verò tantum alimenti iam cocti peruenit, quantum vni*

ipsi particulæ nutriendæ conueniat. Hic locus admirationi esse possit: Etenim Hippocraticæ disciplinæ è directo contradicere videtur. Si enim ideò exquisitissimo victu vtendum non est in pulmonis inflammatione, qui locus morbum acutum producit, quod tantùm alimenti ad pulmonem affluit, quantùm ipsi conuenit tantùm, cur non idem continget in tunicæ costas succingentis inflammatione? At in pleuritide accuratam multùm victus rationem præscribit, & dolore præsente, & dum siccus manet morbus, non multùm dare ptissanæ iubet, ne natura à coctione auocetur, ne dolores augeantur, ne anhelosus æger reddatur. Ita enim scribit: *Quibus cibus*, (id est stercus) *statim inclusus, si quis non vacuato eo sorbitionem dederit, dolorem, si adest, augebit; si non adest, protinus inducet, frequentiórque reddetur spiritus; quod malum est: nempe pulmonem exiccat (quia augetur respiratio ab vsu cibi) & fatigat hypochondrium, tum ventrem imum, tum septum transuersum. Et ob similes causas qui totâ vtuntur ptissanâ septimo die, vel celeriùs moriuntur: alij mente læsi, alij ob difficultatem spirandi stertorem-que præfocati.* Sed hic locus an alteri superiori contradicit, quo negat Galenus locum esse tenuissimo victui in pulmonis inflammatione (quod idem de pleuritide intelligi debet, cùm Galenus & in peripneumonia & in pleuritide siccitatem ex eo iudicet, quòd sputum humidum non procedat) cùm hoc loco ne ptissanæ quidem locum esse neget? Nequaquam hæc pugnant. Sed ex collatione locorum intellecta conceptáque esse oportet. Vtrumque conciliabimus, si priùs vnum explicuerimus.

Part. 32. Comm. 1 in lib de Diæta acutor.

Causa hæc est cur pulmo inflammatus respuat exquisitum victum, non autem iecur & ventriculus, quòd in ventriculo & iecore cibus coquatur: si plenius nutrimentum ingeritur, nec benè coquetur ratione morbi, & augebitur inflammatio. Hęc ratio Galeni est. Altera ratio petita ex eodem Galeno, vt anteà abundè monuimus, pulmo ob motum perennem, calorem, copiosiore eget alimento quàm partes ceteræ: si dum sanus est copiosiùs cibandus pulmo est quàm partes reliquæ, ob eas causas, dum laborabit ea consuetudo, & temperies pulmonis erit inspicienda. Nam Galenus consilio nisus Hippocratis, non vult quicquam peccari nec in commoda vniuersalis nec particularis naturæ. Et quæ ratio vnius partis, eadem & totius corporis; & quæ totius corporis, eadem & vnius partis. Ita enim scribebat Hippocrates: *Qui bis die cibari consueuerunt, bis ptissanam dare, &c.* Con-

Part. 20. comm. 1 in lib. de acutis.

fert statum ægrum cum statu sano (vt ita loquar) Et paulò post: *Inter initia neque multam, neque crassam ptissanam dare oportet, sed quantum & ob consuetudinem, & ne multa fiat vasorum inanitio, ingerere conuenit.* Ac si dicat Hippocrates: Etsi principium morbi, aut adiectionem magnam suadeat, nimirum si vigor longè abesse videatur, vt coger in vigore morbi sufficiat ne in illo cogamur pręter rationem accedere ad nutritionem, aut detractionem alimenti, si vigor nempe in procinctu sit, & non est metus læsionis magnę virium: tamen ita se gerere oportet vel in substrahēda ptissana, vel in eadem aut simpliciter danda, aut augenda, vt consuetudinis ratio habeatur: Huius enim magna vis est, ne aut temerè inaniamus, aut repleamus. Ita enim veteres quidam magnis mutationibus magnas opponere volentes, aliquando perfectam inediam pręscribebant, aliquando tantillùm dabant alimenti, vt cogerentur tandem cibum in medio vigore morbi adiicere non citra damnum ingens.

Ergo pulmo sanus multo eget alimento. Cùm itaque erit inflammatus, habita ratione consuetudinis, non ita exquisita dięta erit præscribenda. Scitum enim illud Hippocratis 6. Epid. *Attractio pulmo incendium, euacuatum siccat somnus multus.* In eius textus enarratione cœcutire mihi videtur Galenus; vult enim coniungi eas duas voces, pulmo incendium; quasi dicat Hippocrates: Attractio fit cùm in pulmone est incendium. Hoc quidem verum, sed non est sensus Hippocratis. Itaque sic legendum, Attractio, pulmo, incendium: id est, incendium per se attractionis causa est: pulmo autem vna est ex partibus quę attrahit maximè vndelibet, à capite, à partibus inferioribus, ob calorem, & motus perpetuitatem; quæ duo pulmonem reddunt attractionis capacissimum. Pulmo itaque inflammatus seipso propter phlogosin calidior effectus expetet copiosius alimentum, alioqui arescet motus perpetuitate, & maiori celeritate propter idem incendiū ichores attrahet à partibus inferis. Quo pacto libris de sanitate tuenda scribit in hominibus biliosis ob inediam capitis dolores oboriri, attractis sursum missisque vicissim vaporibus. Præterea facilè colligi licet vim potentiamque pulmonis excalfacti ex eo loco Hippocratis in libris de differentiis morborum, aut potiùs de morbis, pręsertim cùm agit de erysipelate & inflammatione pulmonis. Docet enim tenuissimum sanguinem à magna vena attrahi cùm ardet pulmo, vnde

inflammatio fouetur: at blandâ anathymiasi, id est halitu, vapo-
réque succulento cibi humectatur paulùm pulmo, ac proinde
refrigeratur. Atque huc facit maximè quod dictũ à Galeno,
tantum attrahi alimenti ad pulmonem, quantum vni parti
sufficit. Vt propterea ei non sit metuendum à paulò pleniore
diæta.

Nunc autem locus postulat vt locorum Galeni & Hippo-
cratis sensum venemur ac colligamus, ne temerè aut adiicia-
mus, aut detrahamus: quod vtrumque cauit Hippocrates, vt
mirũ nõ sit modò adiectioni, modo detractioni attẽdendũ esse
cẽseat. Locus Galeni est, *In inflãmationibus pulmonis tenuissimo vi-
ctui locus non est, quod in pectus tantùm attrahitur alimenti cocti, quan-
tum vni parti tantùm satis est* Alter prætereà locus dum de vsu
venæ arteriosæ disputat, quo scribit præ partibus ceteris cor-
poris pulmonem largiore alimento frui debere: Hippocra-
tes autem in pleuritide & inflammationibus thoracis, id est,
& membranarum & pulmonum exactam admodum ac statã
diætam imperat. *Si*, ait, *lateris dolor assiduus est, calidis fomentis
non remittitur, sputum non procedit, sed citra coctionem glutinosum est,
nisi dolorem vel alui subductione, vel sectâ venâ solueris; si hîc ptissanam
das, ægrum iugulas.*: Immò si totâ vtuntur ptissanâ, vel septimo,
vel citiùs intereunt. Et paulò ante dixerat: *Si quis sorbitionem
dederit non vacuatâ aluo, dolorem, si non adest, inferet; si adest, augebit:
maior difficultas spirandi orietur, & pulmonem exiccat, &c.* Vbi vide-
re licet accuratum admodum esse Hippocratem in præscri-
benda diæta pleuritide laborantium, immò ne cremorem
quidem ptissanæ concedit: & vt à præscribẽda ptissana auer-
tat, proponit terrifica symptomata quæ talis ptissanæ vsus est
statim allaturus. Si per Galenum tantùm affluit ad pectus ali-
menti quantum vni parti satis esse potest, quorsum & in peri-
pneumonia & pleuritide plenior cremoris hordei vsus perti-
mescitur? Quorsum reformidatur vaporum, flatuosique spi-
ritus sursum reciprocatio, & praua ad partes thoracicas di-
stributio, quod annotauit Galenus in quodam commenta-
rio? Immò si pleniorem victum in acutis morbis tenuiori, ex-
quisitóque anteponit Hippocrates, curiosa illa sollicitáque
ptissanæ præscriptio locum in medendo est habitura?

Part 33 comm 1 in lib. de Diæta acut.

Com. in part. 32. comm 1 in lib. de Diæta acut.

Vt res tota decidatur, ac lis controuersiáque dirimatur,
dicimus non abs re exquisitissimam diætam in inflammatio-

nibus thoracicis ab Hippocrate præſcriptam ac ſancitam, & non abs re à Galeno in inflammationibus iſtis pleniorem cibum requiri. Sed quo nexu hæc inter ſe cohærere copularique poſſint; paucis explicamus.

Hippocrates aliàs pleniorem diætam præſcribit, aliàs tenuiorem, pro robore, natura, temperamento, morbi temporibus, in eodem morbo circunſtantiis & occaſionibus, morbi natura, conſuetudine ægrotantium: Etiam eodem tempore morbi aliquando accuratus victus conſulitur, aliquando paulò plenior: immò in vno loco adiectionem in morbis cōmendat, in alio eandem reiicit, habétque rationem vniuerſalis & particularis naturæ. Quæ omnia ſi minùs attentè audiuntur, auidâque aure non minùs accipiuntur, quàm prudenti ſagacique mente exiguntur, in infinitorum errorum ſyllam non præcipites delabemur. Atque id tantæ difficultatis in vnius diætæ præſcriptione oboriri mihi videtur duabus de cauſis. Vna eſt, quòd difficilis admodum coniectura quam quiſque prudens Medicus habere debet de morbi ingenio, vigore vel ſtatim futuro, vel longè poſt, item difficilis cognitio naturæ vniuerſalis & particularis cuiuſque, conſuetudinis, anteactæque vitæ, ne temerè ab otio ad negotium, aut contrà, conuerſio fiat. Quæ in primis omnia magnum iniciunt ſcrupulum prudenti Medico omnia ex arte facturo. Vt exempli gratiâ, ſi intra triduum futurus vigor ſit morbi, non eſt dubium quin tridui, aut bidui inediam ferre poſſit, & ita in exquiſitiſſima diæta perſeuerandum: ſin longiùs abſit, quis dubitat ineunte morbo plenius alendum eſſe ægrum, vt morbum ferendo eſſe ſatis poſſit, ne quod canet Hippocrates ſub vigoris tempus pleniorem cibum offerre magno incommodo cogamur. Item, ſi quis ter cibum capere conſueuerit, cum morbo præditus fuerit, eodem iure velit agere ac cum eo qui ſemel aut bis ceperit? Ille cùm ęgriùs alimenti ſubductionem ferat, hic eiuſdem adiectionem non bene fert.

Altera ratio tantæ difficultatis eſt, propter veterum in ea re ancipites, ambiguáſque controuerſias: Nam nullo ferè adhibito iudicio, nullóque dioriſmo, modò abſolutam tridui quatriduive inediam præſcribebant, & ſic fame ægros miſerè necabant: & ſub vigoris tempus cibum offerre cogebantur, aut cùm intelligerent ineuntibus morbis adiectioni po-

tiùs attendi debere ægros ſaturabant, pleniúſque cibabant;
vnde incommoda ſequerentur, quę nulla ferè ars corrigeret
ac emendaret. At Hippocrates ſingulari iudicio præditus,
neutris calculum additurus, exquirit diligentiſſimè & maxi-
mè artificioſè diætam in acutis ex ratione temporum morbi,
conſuetudine ægri, morbi indole, priuatâ, vniuerſâque cu-
iuſque natura, cuius maximum eſt in medendo momentum.
Itaque ſententiam ſuam ita protulit; *Non intempeſtiuè oportet*
fortes vaſorum inanitiones moliri, nec cùm morbi vrgent feruentq́; cibum
offerre, nec repentè in hanc illamve partem mutare licet. Quę ratio pri-
mùm conuellit ac labefactat veterum ea de re latas ſentẽtias.

Part. 32. comm. 2. in lib. de Diæta acutor.

His itaque poſitis, an ſine diſtinctione & temerè Hippo-
crates in inflammationibus thoracicis, vt ex illius verbis cõ-
ſtat, exquiſitiſſima diæta retinenda? Nequaquam. Sed primũ
hoc cenſeri debet, ineunte morbo, aut in principiis morbo-
rum (nomen autem principij latè funditur) dum ſicci manent
potiùs in curam eorum incumbere debemus, quàm paulò
pleniore victu naturę conſulere. An propterea inedia pręſcri-
benda, vt quidam volunt? Nequaquam. Nam cùm dicimus,
potius, aut magis, non excluditur omnis cibi adiectio. Primũ
enim in Aphoriſmo 5°. *In tenui victu ægri delinquũt*, ait, *& error qui*
committitur magnus, maior fit in tenui victu, quàm in pleniore, dua-
bus de cauſis, ait Galenus; Quia natura à tali victu debilita-
tur plurimùm, & quia ad inſuetam diætam tenuem conuer-
ſio fit. Nam cùm ita tenuis diæta non præſcribitur perſpectâ
morbi naturâ, & viribus ægri, contingit nos vires eas tridui
inediâ frangere, & cibi acceſſionem adiungere affecto iam
morbo, cùm minimè ſit opus ac deceat. Cùm enim grauiores
ſint mutationes quæ fiunt ab otio ad negotium, quàm con-
trariæ, ſic grauiùs in ſe peccat qui defraudato genio repentè
ciborum pleniore manu indulget, quàm qui à ſaturitate ad
cibi abſtinentiam ſeſe conuertit.

Præterea idem Hippocrates 1. de Diæta acutor. ſatis aper-
tè docet non ita amplecti ſe ineuntibus morbis exquiſitam
diætam; *Qui in morbis ptiſſanà vtetur, ne vno die vaſa inaniri permit-*
tat, nec ab vſu deſiſtat, niſi propter medicamentum, aut clyſterem, aut ſe-
ctam venam. Tunc loquitur de morbis nondum validis. Nam
ſi dolor vrget, vt locus ſit medicamento, aut ſectioni venæ,
non ita plenâ manu cibandus æger. Sed dandum vult conſue-

tudini; vt si bis cibum capere consueuerit, bis detur ptissana, vt duabus vicibus, propter consuetudinem tantũ expleatur, quod semel si morbus non adesset, expleri deberet. Paulò post subiicit, initio non multam & crassam ptissanam dari oportere; sed videndum qualis consuetudo, tum ne magna vasorum inanitio fiat. An illud est tam accuratum esse in diæta præscribenda? Nam dum de morbi siccitate paulò post loquitur, quę videatur alioqui abstinentiam suadere, quoniam cruditatem significat, scribit, si morbus siccior sit, non multùm dare oportet. Aliud est dicere, in morborum cruditate, de qua hoc loco mentio iniicitur, non multùm dari alimenti oportere, aliud est dicere omnimodam abstinentiam à cibo præscribi, vt Prodicus & Diatritarij Medici factitabant. Hippocrates enim illâ superiore ratione, & quia vtitur in hoc morbo (de cæteris idem iudicetur) alimento medicamentoso nec tenuiùs nec pleniùs alit: sed mediam quandam formam, & æquabilem retinet, tametsi Tessalus cum hoc loco ęgros implere asseueret, & Erasistratus eodem fame & inediâ necare. Est enim in morbis thoracicis cibo consulendum, viribus & ad eductionem, & ad actionem: est & naturæ consulendum, subducta alimenti portione ad mitificationem, materiæque præparationem.

Cautiones autem istæ, cibare oportet in morbis, nisi vel clysteri, vel medicamento, vel venæ sectioni locus sit, indicant apertè detrahendum quippiam de cibo, si dolor absit, vt eius occasione aliquod illorum præsidiorum vsurpandũ sit. Nam ita occurrimus obiectionibus quas prius mouimus, quasque educat quis ex duobus illis Hippocratis locis quos paulò antè enarrauimus: si incluso cibo, id est, stercore diu retento, vt ait Galenus, sorbitionem quis det, statim dolorem augebit, si adest; si non adsit, inferet: Nec enim hoc impedit quominus adiiciamus aliquid alimenti, sed cum aluus astricta est, quoniam assumptæ ptissanę exhibitę distributio prohiberetur, vult præmitti clysterem, aut secari venam, priusquam de nutritione cogitetur. Si enim in sanis aluo minimè liberâ ingestio esculentorum sępe tormina ac contorsiones afferat, multò magis dum aut morbus adest, aut imminet. Alter autem locus videtur vrgere paulò ampliùs; Si lateris dolor assiduus est, calidis fomentis non cedens, si sputum non procedit, nisi quis vel subductione alui, vel medicamento dolorem laxauerit, ptissanam autem dederit, in perni-

ciem prçcipitat ægrum. Itaque, dicet aliquis, in peripneumonia, in pleuritide cùm dolores adſunt, cibum dare nocentiſſimum, ſed omninò inedia præſcribenda eſt. Non hic eſt animus Hippocratis. Atque eum locum bifariam intelligimus, obiectionemque diluimus: Prior quidem ratio, illic de vigore morbi agit Hippocrates in ſuperioribus textibus, vt demõſtratum eſt, plus minúſve ptiſſanæ exhibuit ineunte morbo, docens non multùm dari oportere ſi ſiccus manet morbus, nunc autem omnium dolorum & ſymptomatum vehementiam proponit, & vigorem morbi deſignat, quis adeò hebes ſit, qui cùm dolores vrgeant ad nutriendum ſe conuertat, cùm præmonuerit alendum ægrum plus minúſve pro re nata.

Altera ratio, ſcribit, Niſi quis dolorem vel medicamento, vel phlebotomiâ ſoluerit, hoc ſatis indicat vrgentibus doloribus vigentibúſque ſuccurrendum eſſe præſidiis artis cum illis ſymptomatis vires deterreãtur, priúſque ptiſſanã exhibeamus, præſertim iulepum, id eſt, priuſquam pleniùs cibemus. Præmiſſo autem clyſtere, & ſectâ venâ, tum de cibando conſuletur. Ex quibus manifeſtò patet eam nunquam fuiſſe Hippocratis mentem, vt velit etiam in pleuriticis exactam admodum diætã obſeruari, præſertim initio morbi. Cùm dubium eſſe non debeat, in omniũ morborũ vigore ac ſtatu, cùm dolorum ſumma ſunt omnia, tutius eſſe morbi depellendi prouinciam naturæ committere, quàm adiectis cibis eandem ab inſtituto auocare.

Hæc ſatis ſunto, ac priuſquam diſputationis finis fiat, conciliare locos duos Hippocratis in animo eſt, qui planè diſſentire videntur. Prior eſt Aphoriſmorum lib. 1. vbi in morbis adiectioni ciborum attendendum eſſe vult, ac in tenui victu delinquere ægros potiùs ſcribit quàm in paulò pleniore: Alter ei planè contrarius eſt. In libris acutorum ciborum adiectioni intendendum multò minùs. *Nam ſubtrahere omninò ſæpe expedit, cùm æger ſufficere poßit, donec morbi vigor matureſcat.* Huic & ſimilis eſt apud Galenum: *In quibus morbis vigor primo quaternario adeſſe debet, modò natura fortior ſit, integram inediam ſeruare debemus: In quibus non vltra primam ſeptimanam forti naturâ exiſtente ſolo vtendum melicrato. Si naturæ robori non fidimus, ptiſſanæ vtemur ſucco.* Quaſi verò ſuccus ptiſſanæ multùm ad robur naturæ addendum ſit collaturus. Ex aduerſo pugnant duo illi loci. Sed ſi mens Hippocratis intelligatur, ſatis abundè omnibus factum putabimus. Docu-

Aphor. 5 lib. 1.

Parti 37 com 2. in libr. de Diæta acut.

mus antè non abs re Hippocratem aliàs paulò pleniorem cibo-
rum adiectionem concedere, aliàs eandem planè dissuadere, ob
grauia quæ inde sequerentur incommoda. Atque id duabus de
causis: priore quidé, quòd ex veteribus medendi magistris qui-
dam absolutè plenam diętam instituerent, alij verò omninò ci-
bum substraherent: quos vtrosque vt errare ostenderet, est vbi
paulò pleniùs in morbis cibet, est vbi tenuissimè. Sic modò v-
num consulit, modò alterum, non immemor, ac dissimilis sui;
sed vt ostendat quàm erroneum sit aliquid ea in re statum ratũ-
que statuere. Posteriore autem, quod cùm cognosceret præsi-
diorum singulorum quantitatem artificiosâ egere coniecturâ,
hanc autem assequi coniiciendi vim difficillimum esse, & ad
eum pertinere, qui omnium quæ in arte sunt vires norit, maluit
in ea re ancipitem, dubiamque sententiam suam proponere,
quàm aut hoc, aut illud certò definiendo, multis errandi oc-
casionem porrexisse.

Commẽtario præ dict. verba hæc scribũtur

Itaque dum primo Aphorismorum paulò pleniorem victum
laudat, vniuersalem planè non proponit regulam, vt hæc est
quam in libro Acutorum scripsit, cùm ciborum adiectioni in
morbis multò minùs attendi oportere dixit. Nemo enim dubi-
tat corpus ægrum non tam indicare refectionem sui, quàm ab-
lationem morbi quo occupatur. Vt enim cibus sano corpori
præsidio est & robori, ita ægrum morbosumque corpus offen-
dit, ac lędit. Sed offensio est maior minórve, prout plus minús-
ve cibi offertur. Itaque 1. Aphorismorum vult euertere dogma
eorum qui magnis mutationibus magnas mutationes opponere
in animo habentes, initiis morborum sine vllo delectu inediam
absolutam pręscribebant, & quod citra damnum fieri non po-
terat, tempore vigoris cibum adiicere cogebantur. Satius autẽ
esse vult Hippocrates, initio morborum alimento vires recrea-
re, vt cùm ad vigorem ventum sit, absolutâ inediâ minùs æger
offendatur: ita tamen vt si breuì vigor futurus sit, tantum dema-
mus de cibi adiectione quanto propinquior is videatur. At libro
acutorum præceptũ generale ponit in morbis dum multò mi-
nùs adiectioni attendi debere opinatur, quod adhuc per com-
parationem dicitur, vt nil temerè & absque ratione dicere con-
sueuit. Quoniam, vt dictum est antè ex comm. Galeni in hanc
particulam, artificiosa coniectura quam consequi debet quis-
quis quantitate remediorum rationem ad vnguem tenere velit,

difficillimè omnium attingitur. Accedit quod ſcribit Galenus ibidem. *Quod plus eſt* (ait) *& exuperat, noxas inemendabiles facit, quod verò minus eſt, facilè emendatur: nempe ſi virtus labaſcere videatur, cibi exiguum miniſtrare debemus. Quod in ventrem iniectum eſt, tollere eſt difficillimum.* In illis locis conciliandis & ad legitimam medendi formam reuocandis diligenter laborauit Manardus epiſt. 2. lib. 5.

Id quod in quæſtione erat poſitum nunc abſoluamus; nimirũ an in inflammationibus pulmonis, quod vult Galenus, tenuiſſimo victu vtendum non ſit. Iam docuimus in pleuritide, quam pro exemplari & typo morborum acutorum proponit Hippocrates, quatenus adiectioni, aut detractioni ciborum ſtudere oporteat. Cùm Galenus non vult tenuiſſimo victu vtendum in pulmonis inflammatione, notari primùm debet quod tantùm per comparationem loquatur. Ait enim, non eſt tenuiſſimo victu vtendum in pulmonis inflammatione, vt & in iecoris & vẽtriculi phlegmone. Nemo enim negauerit duos hos morbos accuratiſſimum victum exigere, quod ratione inflammationis iniectum alimentum corrũperetur: & quia officiales ſunt partes, & in quas alimentum integris viribus iniicitur, magis offenderẽtur. Pulmo autem pars naturalis non eſt officialis ſaltem, & ad eum, autore Galeno, tantum alimentum aduehitur quantum vni parti alendæ ſufficit. Quocirca non ita incommodum ſequeretur ex pleniore cibo. Dicemus autem ad hanc controuerſiam dirimendam, aliud eſſe conſiderare pulmonem inflammatione laborantem tanquam morbo acuto, aliud eſſe eundem laborantem conferre cum ventriculo & iocinere. Priore enim modo cum acuto morbo affligatur, non eſt dubium quin quãdiu morbus ſiccus erit, diæta reuocari debeat ad eam quam de pleuritide Hippocrates explicauit: Poſteriore autem, reuerâ accuratior victus eſſe debet in ventriculo inflammato ac iecore, quàm in pulmonis inflammatione.

Duplex tamen dubium hoc loco eſſe poſſit: Prius, an hoc verum ſit in ventriculi & iecoris inflammatione tenuiſſimo victu vti nos debere, quod pars officialis & naturalis. Immò, dicet aliquis, quia penu eſt & promptuarium omnis alimenti, & quo niſi agente, & alimentum partibus ceteris miniſtrante animal breui concidat, pleniùs eâ ratione alendũ eſt: alioqui aliæ partes quæ mutuas ad opus curationis tradunt operas, fatiſcerent,

ac laberentur. Pulmo autem & cerebrum, & partes aliæ; quia naturales non sunt, nec ciborum promptuaria, parciùs cibandum, quòd ventriculus integer sit, & alimoniam ad tempus sustinere possit. Aut sit ita sanè alatur pleniùs corpus, aut tenuiùs, quid intererit? Dicimus ideò tenuissimè hîc alendum in inflammatione hepatis & ventriculi, quòd morbi omnium sint acutissimi, proptereáque extremos habent labores. Vigor enim in propinquo est. Et hîc plus occupatos nos esse oportet in oppugnatione morbi qui plurimi est momenti, quàm naturæ corroboratione, tametsi magna virium iactura sequatur. Prætereà ex euentu tenuissimæ diætæ occasio sese profert. Cùm enim partes illæ extremè laborent, dubium non est quin in eis alimentũ corrumpatur: corruptio autem illa ægris damnum est magis auctura, quàm si in totum alimento abstineatur.

Posterius dubium, an omninò verum hoc sit, nullâ factâ cõparatione cum inflammato ventriculo, in pulmonis inflammatione morbo alioqui acutissimo, & suam historiam statim absoluente locus sit tenuissimo victui? Videtur ita, quia in iis morbis qui extremos statim labores habent, extremè tenuis diæta conferat: Item quia exhibita etiam ptissana homines πνευματίαι fiant anhelosi. Prætereà cùm à corde nutriatur pulmo, si multùm ingeritur cibi, plurimùm ad cor sanguis deferetur: & ita ad pulmones attrahentes adinuicem, sic inflammatio augebitur: in omni autem inflammatione iis abstinendum quæ multùm sanguinis generant. Videtur quod non, dum sanus pulmo multo copiosóque alimento eget comparatione cum partibus aliis, ex mente Galeni. Ergo, vt antè docuimus, consentaneum erit vt non ita parcè ac duriter peripneumonicos nutriamus. Prætereà calfactus pulmo multùm consumit, multùm attrahit etiam ratione caloris & motus aucti, si desit ob inediam alimentum pulmoni vndelibet rapiat, immò potiùs ichorosos humores ex quauis parte; sic augebitur peripneumonia, præsertim biliosa: venæ enim arefactæ biliosos & ichorosos humores ad se ex aliis partibus attrahunt, sic & pulmo: prætereà arefiet cor raptis & sanguine, & spiritu ob incendium pulmonis, vnde peripneumonicos animo deficere videmus. Etsi autore Mesuæo peripneumonia fit aut à pituitoso, aut à bilioso humore: si à pituitoso, tanquam ab excremento; si à bilioso, tanquam à nutrimento: in biliosa peripneumonia pleniùs cibare oportebit: & quòd

nutrimentum adesse parti oporteat, non tantùm quantum quidem si sana esset, sed vt in sanis robur alimento augeamus, saltem in ægris seruare quoad possumus, debemus. Item quòd biliosi ichores ferociunt magis, proteruiuntque detracto alimento: nutrimentum enim temperat eos, humefacit, & expectorationem promouet humectando. Sed horum omnium explicationem venari possis ex ea longa oratione quam nos de industria habuimus.

Quod paulò antè sumus polliciti nos præstaturos, illud nunc exoluendum. Cùm enim de vsu venæ arteriosæ, ac arteriæ naturam & conformationem venæ referentis, mentio iniiceretur, ne disputationis ordo euerteretur, pleniorē ea de re disputationem in tempus ac locū aliquāto commodiorem reiecimus. Ad quam nos accingemus, quoniam plurimùm habet vtilitatis & voluptatis. Vtilitatis quidem ad cognitionem eorum quæ dicta sunt de obseruatione diætæ in inflammationibus pulmonum, quòd pulmones multo vberéquē alimento ad recreationem sui indigerent. Voluptatis autem in inquirendis contemplandisque naturæ operibus, quę cùm cœca, bruta ac temeraria videatur, tanquam mirus & ingeniosus artifex in iis condendis apparet: siue quòd ei mentem tribuere nos cogat diuina operū præstantia, quæ citra rationem, intelligentiam, ac consilium temerario fortuitóque nisu talia euadere nequiuerunt, seu potiùs quòd Deum & numen in iis suam vim ac potentiam explicuisse necessariò fateri cogamur. Quòd si renuerimus, id nobis inuitis extorquebit admirabilis & naturam superans effectio, quæ quotidie in oculos nostros incurrit.

Res autem quæ proponitur eiusmodi est, cur non vt in partibus reliquis eam venam quæ à dextro cordis ventriculo deriuatur, non autem oritur non vt ceteras effinxerit, sed arteriæ conformationem ob tunicæ crassitiem quæ quintuplo aut sextuplo crassior est sortita fuerit: contrà verò arteriam quæ sinistro cordis sinui implantatur, raram, subtilemque, & proximè venam referentem esse voluerit. Si rationem conformationis venarum & arteriarum perstrinxerimus, earum quæ partibus ceteris inseruiunt, facile causam sumus reddituri, cur in pulmonibus vtrumque vas contrariam suæ naturæ conformationem nanciscatur. In partibus quidem ceteris venæ simplex est tunica, arteriæ verò maior crassior quàm quæ venarum est. Huius ratio hęc

est, quoniam si qui in arteriis continetur spiritus tenuis, calidissimus, ac incitatus maximè, crassis, compactisque vasis nō coërceretur, euaporaret statim, ac euolaret. Sanguis autem quoniam piger, crassus, & grauis est, nisi vase maximè perspirabili contineretur, non bene nutritio fieret. Nutritio porro fit non modò per venarum oscilla, sed per tunicas, trāsumpta scilicet materia quæ partes irroret, adhæreat illis, & propter adhæsum tandem in earum naturam cedat atque facessat: Ac contrariam multùm in effingendis pulmonum vasis rationem habuit. Nam & aliam nutriendi rationem notā perspectamque habuit, & alimenti copiam superesse pulmoni oportuit, & spiritus communicationem non ita difficilem vt est in partibus ceteris. Itaque crassæ venæ conformandæ & arteriæ raræ ac simplicis consilium hoc fuit.

Vnumquodque simili nutritur apposito cibo: pulmonis autem carnem raram, mollem, spirituosámque esse nemo nescit: Eóque factum consilio, vt vena crassior esset, vt diutiùs sanguis restitaret in ea, & sic elaboraretur. Si enim mollis fuisset tunica qualis à corde manaret sanguis, talis perspiratione & transsumptione celerrimâ in nutritionem pulmonis concederet. Accedit quod in aliis partibus non est ea motionis agitationisque perpetuitas, & continuatio, quę efficit vt calfactus impensè pulmo vi quadam vel ex densissimis vasis sanguinem arripiat. Tamen ea crassities validam pulmonis attractionem quodammodò retardat atque eludit, vt nihil nisi quod tenuissimum est, è vena arteriosa elabatur.

Arteria autem rara effecta est duabus maximè de causis: Tertiam ac quartam in orationis ractu explicabimus; vt nimirum suppetias venæ arteriosæ ferat. nam quoniam non ita multum promptúmque alimentum vena arteriosa prę sua crassitie & opacitate tribuit, id arteriæ tenues, raræ resarciūt ac compensant. Secunda ratio, quoniam ceteris partibus nō ita confertim affatimque concedi sanguinem arteriosum cōuenit. ideò crassæ effictę sunt arteriæ, pulmo cum ex superioribus rarus ac spirituosus esse dicatur, oportuit arterias non ita crassas, vt quæ perpetuò sinere debeant effluere sanguinē eum ad pulmonem reficiendum, qui multùm consumit. Tertiò ob motum perpetuum, & attractionem aëris externi, eiusdémque exclusionem obœdientes esse arterias fuit necesse. Prę-

cipuum autem hoc munus in pulmonum arteriis ſpectatur; nam nobis inſpirantibus expirantibusve continenter ac facilè vehi, reuehíque ſputum oportuit: quò maximè contuliſſe videtur vaſorum arterioſorum mollities & obſequium. Venas autẽ non neceſſe fuit contrahi & dilatari vt & arterias, quod notandum.

Præterea craſſities venæ hoc affert adiumenti, quod non ita facilè effluit ſanguis è vena arterioſa præ craſſitie, & quia diutiùs remanet, duo affert commoda; vnum antè dictum eſt, quòd nihil niſi elaboratum ſinit elabi: alterum quod dum diutiùs manet, diutiùs fruitur pulmo, minùs quidem habet alimenti ea ratione, ſed habet diuturnius: ſi enim rara eſſet tunica, abſumeret ſtatim ac exorberet: plurimo enim egere alimento demonſtratum antè eſt.

Sed dicet aliquis: Ergo commodè non eſt efficta iſta craſſities, quoniam minùs effluat alimenti, propter eáque ſuo defraudatur pulmo genio. Huic inopiæ (id eſt quod non multum alimentum ſimul, ſed paucum paulatim, ſenſim, & quod Græci dicunt ἐκ παρέργου) duabus rationibus occurſum eſt: Vnâ quidem, quoniam arteriæ ſupplent id in quo deficit vena arterioſa propter ſuam craſſitiem; hæc enim impedit quo minus trãſportet alimenti à vena arterioſa ad pulmones nutriendos; arteria autem venoſa raritatis ſuæ ratione redimit hoc, reſarcitque tenuem vaporoſúmque ſpiritum tribuendo. Alterâ ratione, natura occurrit dum conſtruxit venas in pulmone maximas: ita enim effectum eſt, vt quantum iuſtæ nutritioni propter tunicarum craſſitudinem detrahitur, id venarum magnitudine expleatur. Oſtenſum enim eſt craſſitiem venarum, quatenus talis conſideratur, efficere vt minùs quidem alimenti ſimul & ſemel affluat, ſed diuturnius eſt & elaboratius.

Dicat aliquis: Si arteria venoſa ſupplet id in quo ob ſuam craſſitiem deficit vena arterioſa, ſatius fuiſſet venas naturales eſſe, vt quæ luculentum dediſſent alimentum ratione tenuitatis, & arterias quoque craſſas & compactas vt in aliis partibus, vt quæ tenuem & vaporoſum alimentum dediſſent, non ita affatim vt faciunt cùm tenues ſunt & venoſæ; ſiquidem venæ ipſæ ſuppleuiſſent. Nam & pulmo calidiſſimus & mobilis facilè ex arteriis craſſis attraxiſſet etiam ſequacem ſanguinem ſpirituoſum, quod ex rationibus Galeni patet, qui dilatationem pulmonis ſufficientem cauſam eſſe ait ad attractionem, etiam ex den-

fissimis venis. Eę quidem rationes satis per se virium & ponderis habere videntur ad efficiendum naturam frustrà architectatam esse aliam conformationem venarum & arteriarum in pulmonibus, aliam in aliis partibus. At illa flexilitas & obœdientia quę desiderabatur in arteriis ob continuam inspirationem & expirationem, vnde deductio spiritus & exhalationis foris, intrò, intúsque foras impedit fortaſsè quominus idem artificium in vasis pulmonis appareret, ac aliarum partium. Quod paulò pòst pleniùs demonstraturum recipio.

Quicquid sit: Natura conformando & arteriam venosam, & venam arteriosam, id semper pensi propositique habuit, vt pulmo & vbere alimento abundaret, & conuenienti. Conueniens appello spirituosum, vaporosumque. Diu enim sanguis in vena arteriosa resistit vt attenuetur, & ita familiare reddatur alimentum: arteria autem venosa fit vt & luculentè & in promptu pulmo fruatur spiritu & vapore. Quod non ita liberum fuiſset, si arteria sextuplo maior, id est craſſior fuiſset.

Atque quoniam huc disputatio nostra adducta est, vt de qualitate sanguinis qui continetur in vena arteriosa diceretur, quęrendum nunc an talis sit vt sit subtilis, vaporosus, tenuis; an verò craſſus, in craſſo corpore contentus, & minimè alendo, reficiendóque pulmoni idoneus, qui subtili attenuato sanguine refocillatur & delectatur? Quęstionis huius prima disputatio tanquam leuioris armaturæ excursio facta est, nunc eam pleniùs excutere ac elimare lubet.

Pulmo nutritur sanguine halituoso tanquam familiari proprióque alimento. Omne autem alimentum cùm tribus quatuórve modis ab Hippocrate dicatur, illud demum alimentum dicitur quod nutrit proximè, quodque iam nutriendæ parti aſsimilatur. Ita nimirum id quod ingeritur nunc potulentum ac esculentum reapse simile non est rei nutriendæ, sed cùm initiò absimile sit, multiplici alteratione tandem aſsimilatur, idemque fit. Eadem ratione qui in vena arteriosa sanguis continetur affluens à dextro cordis ventriculo non necessariò est spirituosus initio, sed cùm craſſus sit, & in craſſo opacóque vase cõtentus, nempe in vena arteriosa, quia non citò effluit & transbibitur ob vasis craſſitiem, datur spatium attenuandi, comminuendíque in partes minimas. Dubitatur autem an cùm à corde rapitur sanguis, non iam attenuatus sit & craſſus. Occurrunt enim loci

contrarij apud Galenum in lib. 6 de vſu part. Prior locus eſt:

Cap. 10. 6. de vſu part.

Omninò, opinor, in pulmone ſpiritus tenuis eſt & lenis, & quem coërceri oportebat, ſanguis craſſus & grauis, & quem in omnes pulmonis partes ferri oportet, vt qui copioſiore vtitur alimento quàm partes ceteræ. Hîc abundè patet Galenum docere velle ſanguinem rudem ac craſſum eſſe, dum probat veriſimile eſſe venam debuiſſe eſſe ſimplicem in pulmone, vt in partibus ceteris. Atque vt verè dicã, vas craſſum redditum eſt non ratione ſanguinis tenuis ne foras exiliat, ſed vt diutiùs retineatur in vaſe, nec effluat quin elaboratus ſit: eo accedit quod pulmo ratione & motus & caloris attraheret ſanguinem incoctum, niſi vaſis craſſities impediret. Locus alter eſt planè contrarius eodem capite. Nam dum reddit rationem Galenus cur pulmoni copioſum ac vberrimum alimentum conueniat, tria affert locupletiſſima argumenta. Primum copiam caliditatis vernaculæ, vnde alimentum facilè cõminuitur, ac diffunditur: alterum, pulmonis dilatationem in aſpirando: vnde attractio fit alimenti etiam ex denſiſſimis corporibus: tertium ac omnium maximum, quòd mittatur ſanguis à corde ipſo priùs attenuatus ac elaboratus. Itaque priore loco vult ſanguinem rudem ac craſſum, & indigentem craſſo vaſe vt attenuetur: Poſteriore hoc vult à corde attenuatum ac elaboratum mitti. Ergo inutilis conſtructio venæ arterioſæ in eum præſertim finem vt nihil ab ea effluat & reſiliat quod non ad vnguẽ extenuatum ſit. Ita conciliare oportet eos locos. Cùm dicit indigere multò alimento, quoniam à corde mittitur elaboratus & attenuatus, vnde facilis eius fit & alteratio, & diſſipatio à parte præſertim calida, illud per comparationem debet intelligi cum ſanguine aliarum partium. Nam ſi ab hepate immediatè mitteretur ſanguis, non eſt dubium quin diutiùs nutriret: minùs alimenti daret ob craſſitiem (vt abundè docuimus antè) ſed diuturnius. Oportet autem diuturnius alimentum eſſe, alioqui pulmo contabeſceret. Nunc autem quò magis ſanguis procedit, eò magis elaboratur, præſertim ſi non attingat ad venas (vt de lacte conſtat) qui in dextro ſinu continetur, elaboratus eſt comparatione cum ſeipſo dum ab hepate fluit, nondum eſt elaboratus, ſi comparetur ſecum poſtquam moram traxit in vena arterioſa: Etſi liberè dicam quod ſentio, ego exiſtimo venam arterioſam ita craſſam effictam eſſe, non tam vt ſubtilior accuratiórque reddatur ſanguis ad nutritionem pulmonis, quam vt non ita repente

pente à pulmone arente, calente, & dilatante se rapiatur, atque consumatur. Quod mihi videtur probabilius. Ita enim vena arteriosa non sinens ob conformationem citò exugi, abripique sanguinem est veluti penu & promptuarium sanguinis ad nutritionem pulmonum. Quanquam & ad hanc rem magnitudinem & copiam vasorum effictam esse vult Galen. vt quod iustæ nutritioni ob tunicarum crassitudinem detrahitur, ipsarum venarum magnitudine compensetur.

Quod autem sanguinem qui continetur in vena arteriosa sit necesse paulò crassiorem esse, & paulò crassiore vase coërceri, satis abundè apparet ex his incommodis quæ consequi solent, quæque apparent in iis qui sanguinolentum sputum è pectore extundunt. Omitto casus, vlcuscula, diauroseis, quę sæpe αἵματος πτύσιν promouent, persequor tãtùm cõmentationis ergò eos quibus aut arteriosa vena tenuior, delicatiórque est, aut sanguis qui è corde ad venam arteriosam confluit spirituosus halituosúsque magis. Positum enim antè est, quod diligenter debet annotari, nutritionem per tunicas vasorum fieri, si per tunicas fit, si vas rarius, pulmo continenter attrahens potest facillimo negotio id educere quòd tingat sputũ: præsertim cùm aut exercitatio violenta præcesserit, si generosiori vino indultum fuerit. An eiusmodi cruenta excretio formidanda? Non herclè; Siquidem tenuitas sanguinis, & vasis raritas facilè hoc inducunt. Vnde frustrà fatigantur venæ sectionibus, frustrà incutitur metus tabis ab vlcere: quod cruẽtam expectorationem sequatur necessariò vlcus: vt cùm meiitur cruentum falsò comminiscuntur vlcerationem secuturam. Tantum enim abest vt illi iuuentur sectione venæ, vt contrà illis eò pulmones debiliores reddantur, & sanguine tanquam fræno in eius generis hominibus detracto bilis proteruit, ferocitque magis, vt placuit Arabibus, quicquid contra dicant veteres aliquot, & recentiorum nonnulli. Tametsi enim obiiciant in ardentissimis febribus Galenum misisse sanguinem, cùm in illis vberrimæ bilis impetus atque impressio appareat. Respondemus in illis febribus ardentissimum sanguinem detraxisse Galen. non simpliciter, id est, non parcâ manu, ad euacuationem tantùm nonnullæ materiæ, & refrigerationem nonnullam, sed ad animi vsque deliquium, vt refrigerationis ratio omninò habeatur. Quod diligenter no-

tandum. Nam qui in biliosa febre parcè detrahit sanguinem, is furentem magis bilem reddit: at si liberaliter, non est dubium quin sequatur magna refrigeratio, & bilis temperatio. Atque cùm in biliosis hominibus cruentum expectorantibus ob sanguinis tenuitatem sanguis mittitur, parcâ manu mittitur; vnde ex superioribus patet eos offendi non leuiter. At dices, iuuantur tamen? Quid tum si id temporis iuuentur? Sæpe enim sectio venæ, & calfactio, & dolorum per narcotica sedatio vno tempore tentatur, & fit cùm clam, occultè & furtim lædatur plurimùm æger: & læsionis argumenta non nisi longo tempore apparent. Vnde videmus eos quibus pro aliquare nata sãguis mittitur ad obeũda munia ineptos, pulmones habere imbecillos. Iuuabãtur quidem olim his remediis, sed pleniorem fidem faciunt quæ sequuntur. Prætereà in prauam consuetudinem corpus adducitur, vt Galen. lib. de consuetud. doctissimè annotauit. Itaque quibus ea hæmoptysis cõtingit, consuli deberet humorum potiùs temperatio, cùm ab eis potiùs sit metuendum ab ariditate pulmonum quàm ab vlcere, vt falsò plerique comminiscuntur ex reiectione sanguinis, quàm vt anteuertant, statim sanguinem mittunt.

4. Ariditas autem sequetur, & ex sanguinis tenuitate, & vasorum non legitima conformatione, vt si vena arteriosa sit rarior: prætereà ex frequenti sectione venæ quæ celebratur falsò & erroneè. Illud enim confirmari potest experientiâ, omnem venæ sectionem partium propinquissimarum parti à qua detrahitur sanguis, imbecillitatem afferre. Ita enim cùm vena puppis aut temporum aperitur, multorum iudicio & imminutio memoriæ, & imbecillitas partis aliqua consequi solet. Et quibus in malleolo mittitur sanguis, non ita liberi gressus sunt potentes vt anteà. Quare? quoniam detractio sanguinis imbecillam reddit partem in qua feritur vena, & eas quæ sunt propinquissimæ. At cùm hepar remotum sit à vena gibberi, non ita infirmatur. Pulmo autem quoniam proximus est venæ mediæ & basilicæ, siquidem immediatè ferè mittitur sanguis (vt testatur subita sedatio, quiesque doloris secta in pleuritide vena) nemo inficias eat crebrâ frequentique detractione sanguinis & spirituum, & laterum robur, & neruos, & pulmonum vim relaxari ac debilitari. Vnde quibus in pleuritide liberaliùs detractus san-

guis, i sæpè dolores lateris experiuntur, & illis paulùm sæuientibus è vita abripiuntur.

Itaque vt redeat nostra oratio, de his meliùs natura meruit quibus sanguis paulò crassior est, quàm quibus ita tenuis. Cùm enim tenuis est, promptius sufficitur in locum deperditi, & alimentum ad manum dat, sed breuiùs nutrit: cùm crassior, diuturniùs, sed minùs; Hoc autem optabilius est.

Et vt de vase arterioso dicatur, adhuc aliquid, dicimus venam arteriosam non affatim quidem præbere alimentum, sed continenter: & crassities venæ facit vt tenuissimus detur sanguis: raritas arteriæ venosæ vt copiosus spiritus, & affatim: quod huic parti necessarium in primis fuit.

Est & aliud notandum, nimirum quod subiungit Galenus, commodum non visum fuisse naturæ vt à vena caua statim & immediatè sanguis ad pulmones ferretur: vel quia in caua vena crassior sanguis est quàm qui alendo pulmoni sit idoneus. At in cordis dextro sinu elaboratur aliquantùm: aut quia necesse aliquandiu retineri antequam ad pulmonem affluat, ne statim absorbeatur, & propterea à sicco pulmo laboret. Item si ita immediatè ad cor ferretur per continuationem quandam vasorum, nulla vena arteriosa fuisset, & nullæ epiphyses membranarum, sed vena quæ vulgò arteriosa dicitur, verarum venarum naturam expressisset.

Posset quis obiicere, frustrà naturam machinatam fuisse venam arteriosam. Prima ratio: Sanguis qui à corde ad pulmonē affluit, tenuis & elaboratus est; non necesse itaque fuit crassam fuisse venam, & arteriæ similem, ne inelaboratus sanguis ad pulmonem allabatur. Sed huic rationi validissimæ ante responsum est. Altera ratio: Sit ita sanè, sanguis qui in venis continetur pulmonis, esto crassus, & grauis, non propterea tamen necessaria fuit vasorum densitas ad elaborationem: pulmo enim quia calidissimus est & per se, & ratione viciniæ cordis, & quia mouetur perpetuò, comminuit facilè sanguinem quantumlibet crassum & grauem: quin si crassus, transsumatur ante tempus, quia diutiùs in partibus hærebit, minùs siccabitur pulmo, sed præsens habebit alimentum circa quod sese exerceat. Huic rationi ita respondebitur: Non fuisset necesse pulmonem in eo occupari vt crassum illum sanguinem in vena simplici contentum, & ab ea assumptū comminueret; grauior enim eâ ratione

fuiſſet, ſuóque muneri defuiſſet, quod in eo verſatur vt refrigerium cordi afferat, & inſpirationi, expirationíque inſeruiat.

Ad duas rationes accedit hæc de euertenda arteria venoſa. Si arteria talis fuiſſet qualis naturaliter in aliis partibus exiſtit, id eſt craſſa, meliùs pulmoni conſultum fuiſſet; nam & non ita ſpiritus exinaniti fuiſſent, & ſatis abundè ſuppetiiſſet ſpiritus, quia pulmo calidus ex denſo corpore arteriæ attraxiſſet, & per ſe ſpiritus ſatis ſequax eſt. Perperam enim id fit quod ſcribit Galenus, arteriam venoſam ſuâ tenuitate ſupplere id in quo arterioſa vena propter ſuam denſitatem deficit. Nam ſi vena naturalis fuiſſet, ſuppleuiſſet id in quo arteria propter ſuam craſſitiem defeciſſet. Vera quidem hæc ſunt, & quæ pro euertendo naturæ inſtituto ſufficiant: ſed aliud eſt prætereà conſiderandum. Nam quòd arteriam venoſam inſtituit natura, non eo conſilio id fecit, vt ſuppleat aliquid pro vena arterioſa; id enim tantùm ex euentu fit. Sed cùm pulmo ſit pars ſpirituoſa, & quæ ſpirituoſi inſtrumenti rationem habeat, oportet illam abundè ſpiritum ſuppeditare: non poteſt autem commodiùs id fieri, quàm ſi receptaculum ſpiritus rarum feciſſet. Alterá ratio potior eſt, quæ eò naturam induxit, nimirùm quòd neceſſarium fuerit arterioſum vas obſequens & flexibile eſſe ob inſpirationes & expirationes. Nec enim dubium eſt quin niſi ea ratio impediret, arteriam venoſam optimum fuiſſet craſſam eſſe vt diuturnius eſſet alimentum, & diutiùs ſpiritus ſuppeteret. Quæ omnia à nobis exagitata pertractatáque ſunt vt in veterum libris: ſi quid ſit ſcrupuloſum, eruatur, ac innoteſcat. Abundè autem id fit expanſis orationis velis.

ANNOTATIONES.

1. *Ergo perperam faciunt qui in morbis thoracicis multùm ſanguinis detrahunt, quia fraudant alimento.*

2. *Nam quemadmodum in generali diætæ præſcriptione non ad vnguem obſeruatur dictum Hippocratis, vt cùm extremi labores fuerint, extremè tenui diætâ vtamur; ſed ſæpe, & temporis, & ideæ morbi, immò & peculiaris naturæ ægri ratio habetur: Ita in ſpeciali diætæ præſcripto peculiaris ratio harum aut illarum partium initur.*

3. *Venæ arterioſæ, ait Fernelius, nil intercedit cum vena caua: quoniam duplex ſimplici non continuatur, nec cohæreſcit. Sic totam hanc ve-*

nam arteriosam ex corde nasci oportebat.

Arteria venosa sic condita, quoniam qui aër attractus in cor irrepit, nondum spiritus modo attenuatus est.

4. Item in iis quibus spirituosus sanguis, fatiscit pulmo, arescit, & adhæret costis, vt experientia docet. An quia aliquando cruentum spuunt, sanguis mittendus? error est fœdissimus.

CONSILIVM XLIII.

De ventriculi gangræna & syderatione.

Abunde alio loco docuimus verum esse quod scribit Hippocrates, similitudines bonis & eruditis Medicis fraudem facere: quod artem Medicam coniecturalem admodum facit. Etsi enim in plerisque ratiocinationi locus est, demonstrationisque leges sunt certissimæ: in aliis multis ita ambigit ac fluctuat ratio ipsa ob signorum complicationem & verisimilitudinem, vt quod tenendum vix explicatum exploratumque sit. Id cùm aliàs à nobis expositum est in variis morbis, tum in hoc vno quē explicandum suscipimus à nobis præstandum est.

Iacobus Gallus annos 50 natus, melancholico temperamento præditus, cùm olim biliosus fuisset, conqueritur de dolore ad vmbilicum. Solemnis illi erat excretio cuiusdam materiæ purulentæ per anum, quòd in recti intestini extremo pene vlcusculum ibi conceptum putaretur. Duodecim penè annos post illatā vim recto intestino illatā eo fluore recreatus est aliquātum. Restitit ille, aut non eodem modo perseuerabat. Doloris illius ad vmbilicum desidentis causam referre poteramus ad illam suppressionem. Clysteribus, medicamentisque est alleuatus. Non ita paulò post deiecta appetentia, vomitiones, langor, partium extimarum quædam leuis perfrigeratio, tamen incedebat. Et liquida & esculenta vomitu reiiciebat. Veneno infectum putabant. Ac reuerà præterquam quòd manifestâ leipothymiâ non prehensus est, assumpti veneni argumenta aderant pleraque. Tamen eum eâ suspicione liberauimus, quòd nullam de foris occasionem præcessisse videremus. Per dies quadraginta penè perseuerauit vomitio illa. Quod mirum fuit, nec vllâ ratione alleuari potuit. Digito indicabat sedem affectam, nempe

superius orificium ventriculi & pylori regionem. Sensum quendam ponderis habebat. In horas marcescebat, facies concidebat, & totus venter collapsus est, præsertim qua parte subiacet ventriculus. Quidam, vt aliquid afferre viderentur, iecur & lienem putruisse dicebant: alij ad mesenteriũ obstructionibus plenum confugiebant. Et illud commune Medicorum asylum est, sine quo vix rem, lucrúmve facere possint. Sed id non sine magna ægrotantium clade, & Medicorum opprobrio: quasi verò in illis duabus partibus solùm omnium morborum sedes existat. Ad syrupum de cichorio solemnem confugitum est: sed omnia frustrà. Tamen qui paulò accuratiùs rem inspicerent, cùm viderent tandiù perseuerare vomitionem, dolorem ad ventriculum non admodum vrgentem, nil profici fotu, litu, delectu ciborum, balneo quoque ipso, necessariò pylori vias obstructas collegêre. Satis aptè quidem. Sed vnde obstructio? an â scirrho, an ab inflammatione: Et si ab inflammatione, cur febris non erat acuta, & cur non perimebat intra paucos dies?

1. Interiit tandem planè emaciatus ac si sphacelatum corpus esset. Aperto cadauere, illud vtrumque viscus, lien & hepar, quod fomitem malorum falsò iudicabant, satis erat integrum; quanquam fortè intemperie quadam, malâque diathesi vtrumque affectum erat, non ita tamen vt mortis inde occasio nasceretur. Ventriculi facies extima erat vermiculata, pylorus talis & penè restrictus, facies interna corrupta & putris, & statim laceratus est ventriculus, adeò (quod mirum fuit) in tota sua natura erat putris & cadauerosus. Humor qui in eo erat, nigricabat. Gangræna & syderatio erat ventriculi, quod nunquam ferè contigit. Et mirum, cùm tam malè affecta esset illa pars, & eius vis deperdita, quomodo tamen facultas eius expultrix in citando vomitu vigeret. Vomitio illa planè erat contra naturam, non à facultate excretrice vegeta, sed à retentrice deperdita, agente superiore orificio ventriculi, obturata pylori via, hinc residua vi quantulacumque in ea parte, statim remeabat id quod in ventriculum iniectum erat.

Quæstio esse potest, vnde illa syderatio ventriculi, an ab inflammatione, an à veneno, an ab alia qualitate: Si ab inflammatione, febrem adesse oportuit, quod præsertim ea

pars inflammaretur, quæ locum maximum in corpore obtineret. Ille cùm genio indulsisset, & generosissimis vinis vsus esset, credibile ventriculum tandem vitium aliquod concepisse, siue per se, siue per refluxum materiæ ab hepate, aut occasione suppressæ illius materiæ, quæ solemni euacuatione excernebatur. Ita enim ventriculus vt & alia pars potest in tota sua substantia affici & corrumpi, vt & partes aliæ. Accedit quod phlogosis quædam potuit oriri in pyloro, & eius contagione affici ventriculus, citra tamen febrem continuam ardentem. Docuimus enim antè id contingere in melancholia hypochondriaca laborantibus, in quibus pylorus phlogosi detinetur citra manifestam febrem. Quod est notandum. Quod autem verisimile sit in ventriculo & partibus ei vicinis illam phlogosin conceptam fuisse, satis indicauit refrigeratio partium extimarumque viginti quinque dies perseuerauit: & quinque diebus antequam è viuis excederet febris apparuit in omnibus partibus.

ANNOTATIO.

1. Eodem penè modo interiit Dominus Vigneron, in vico Templi qui per sex hebdomadas laborauit, & de stomacho tantùm querebatur. Sentiebat pondus quoddam, nec in latus alterutrum decumbere poterat. Vomebat sæpe. Aperto cadauere hepar superiore parte adhærebat diaphragmati, & idipsum hepar putre erat, & pulmones ferè.

CONSILIVM XLIV.

De venæ sectione in febribus tertianis.

ARABVM hoc fuit decretum, In tertianis febribus non mitti debere sanguinem nisi exacto iam tertio paroxysmo, & postquam sanguis putruerit. Quod fortè non abs re dictum est: nec credibile ita veteres Arabes, aut alios aliquid sine ratione, aut experientiâ pronunciauisse. Eiusmodi autem decretorum lin.anda eruendáque ratio, vt ea boni æquique consulantur. Videmus plerisque ante tertium paroxysmum missum sanguinem magno quodam profectu: aliis non item. Sed cur expectandum donec putruerit sanguis? Nunquid satius est statim de-

mere ſanguinem, vt natura recreetur, & non expectare quoad ſanguis contaminatus fuerit? Si plethora eſt, eáque naturæ moleſta, ſoluatur is habitus, & pertundatur vena: ſi cacochymia, relicto alio ſolemni remedio, de purgando corpore cogitetur. Quanquam non deſunt ex recentioribus qui nitantur & autoritate veterum, & ratione docere non poſſe cacochymiam adeſſe, quin adſit ſimul & pleonexia ſi non ad vaſa, ad vires ſaltem, quòd ij praui humores non ſolùm ſuâ qualitate infeſti ſint (à qua cacochymiæ nomen deſumitur) ſed etiam ſuâ quantitate. Sed iis ſalebris relictis, quæramus num in febribus tertianis (quod & ad alias à putri humore natas febres extendi poteſt) tutò vena ſecetur ante tertium paroxyſmum. Materia quæ committit tertianas, extra vaſa eſt: humor eſt primùm laudabilis ſuâ naturâ, ſed qui per putredinem quæ tempore aggreditur, & per gradus quoſdam naturæ infeſtus ſit: febris eſſentia & ὕπαρξις in ignea natura conſiſtit (vnde abſoluto nomine πῦρ vocatur) materia quę accenſa calorem illum fouet, conſcripta concluſaque loco eſt, an ea educitur ſectione venæ? Hîc multa occurrunt quæ limatiùs excuti poſſent, & longiore tempore, ſed non eſt huius loci atque inſtituti. Primum, an quia in maioribus venis materia nõ continetur, quæ intermiſſionis participes febres committit, ideò locus ſit ſectioni venæ? Quod quoniam à Neotericis diſputatur, & contrà à maiore eorum qui cum nominis celebritate, & ægrotantium auxilio Medicinam factitant, agi ſolet, hac diſputatione ſumus ſuperſeſſuri. Conſtituatur enim tanquam poſtulatum in intermittentibus febribus, venam tutò ac ex arte ſecari. Quæſtio tantùm eſt de tempore, & an expectanda ſit humorum putredo, antequam aperiatur vena, vt Arabum familiæ placuit. Quod diligenter intelligendum eſt, ne quid hîc temerè fiat & peccetur. Humor qui hodie paroxyſmum committit, an putris, an imputris? ſi putris erat, quare ſuperioribus diebus non committebat febrem? ſi imputris, & intra naturæ limites contentus, quomodo febrem putrem committit? Quia putreſcit (inquies;) ergo quandiu aderit putris humor, tandiu perſeuerabit acceſſio? Verum illud eſt; nam difflatur humor qui in hac acceſſione putruerat, vnde perfecta ἀπυρεξία. Quæ non contingeret niſi diſcuteretur humor putris; hinc confuſæ vrinæ, hinc ſudores. Ergo reliqui humores imputres ſunt? Quorſum itaque expectandum donec putruerint humores? Nam tantum

tantum humoris putris, quantum vni accessioni satis est. Et sic humores non educentur venæ sectione nisi laudabiles in causa antecedente (vt aiunt) & illaudabiles in causa coniuncta. Sic multa paruo quasi suscitabulo quæstionis genera excitantur, quę non erit facile delere nisi maior occasio & otium nobis suppetat, cùm eorum alioquī euolutio & explicatio magnum sit allatura commodum iuxta ac voluptatem. Sed non possunt omnia vno loco. Vt autem paucis terminetur quæstio, quæ paucis fomitibus excitata in immensum excrescere possit, id quod ratione & experientiâ percepimus, apertè declarabimus. Non est in eo diutiùs hærendum, in quo dubitatur, si in vnaquaque accessione discutitur totum quod putret, vnde in quartanis & tertianis perfectam esse apyrexian, Galenus ostendit (nisi quòd in quartanis die intermissionis raritas & tarditas in pulsu manet.) Si totum quod putret discutitur, quid est quod expectemus hūc aut illum diem, hunc aut illum paroxysmum, donec sanguis putreat? Nam finita accessione humores reliqui expertes putredinis manent, vt videtur, contrà tamen fit. Aliud enim est humorem paroxysmi autorem putrere, aliud est massam sanguinis vitium concipere. Etsi enim humor qui accessionem committit nondum putruerat, & post paroxysmum totus discutitur, tamen aliud est vitium in sanguinis massa tanquam causa antecedente morbum diutiùs alitura, foturáque, cuius occasione demendi sanguinis captatur occasio. Quotiescumque enim in corpore febris concepta est, febrilis caloris vi humorum moles facilè corrumpitur. Vnde sæpe secundo aut tertio morbi die missum sanguinem laudabilem deprehendimus, progresso tantisper morbo apertâ venâ putrem ac virentem fluxisse: quod argumento esse debet minimis momentis magnas in corpore oriri mutationes in hanc aut illam partem. Sic ratione illius putrētis sanguinis celebratur venæ sectio. Quorsum itaque ante putredinem in massa conceptam celebratur? ratione plethoræ. Sed iuuátne expectare quousque vitium in massa conceptum fuerit? illa quæstio est de qua disputatur. Id duabus rationibus aut tribus fieri debet. Prima est, si incendij concepti in humoribus maior habetur ratio, quàm copiæ humoris morbifici in præcordiis. Nam cùm in paroxysmis vrget æstus, apertâ venâ ille præcipitatur, præuertiturque; vnde minus empyreuma, minus posteà incendium & febris: sed si maior occasio ma-

teriæ in præcordiis, ad purgationem veniundũ. Secunda, quo-
niam cùm vitium maſſæ ſanguinis communicatum aut ratione
caloris febrilis, aut ratione vaporis, paulò tum morbus dicitur
maturior, & natura irritatur magis: atque ita irritata natura per
miſſionem ſanguinis illius putris paulò poſt reficitur ac recrea-
tur. Nam poſt eiuſmodi euacuationes ſequitur aut alui fluor,
aut ſudor, qui facilè morbi reliquias diſcutit. Tertia ratio eſt
eiuſmodi, cum plethora adeſt, aut ad vaſa, aut ad vires, ſine vlla
mora ferire venam oportet: nam præſente incendio febrili, &
ſanguinis copiâ facilè ſtrangulatur calor naturalis, hinc ſuffoca-
tionis periculum: hinc raptus humorum ſurſum, deorſum, &
ſymptomatum augmentum.

Ratio quæ efficiat ſæpe vt primæ venæ ſectionis nulla ferè ſit
vtilitas, eſt quòd parcâ manu nimium ea celebretur. Si enim li-
beraliùs ſanguis mitteretur, dubio procul manifeſtior foret
vtilitas. Cetera alio loco fuſiùs poterunt explicari.

ANNOTATIONES.

*1. Ne quis fortè literæ Arabum vim afferat, imponátque, vt quidam
ſolent facere, contradicendi ſtudio, nos ipſius Principis verba referemus.
Nec enim abſolutè tertiam acceſsionem prætermittendam vult antequam
venam ſecemus. Verba autem eius ſunt dum curam inſtituit febris ter-
tianæ veræ, ſi poſsibile eſt vt non phlebotometur æger niſi poſt tres paro-
xyſmos. Non eſt itaque cur abſolutè quidam dicant Principem in fe-
bribus tertianis non ſecuiſſe venam niſi poſt tres paroxyſmos: Galenus 1.
ad Glaucon. in cura tertianæ veræ non meminit venæ ſectionem, totus
ferè eſt in alterando. Paraphraſtes ait illo loco non multùm Galeno place-
re enarrationem, quæ fit aut per venæ ſectionem, aut per vehemens me-
dicamentum. At dum ex profeſſo tractat de febre tertiana notha, memi-
nit venæ ſectionis. Sed notanda verba ſunt, quoniam circunſtantiis
plena ſunt. Sunt autem hæc: Si ſanguinis miſsione opus eſt, nec eſt ea
omittenda, ſed initio ſtatim detrahes, diſtinctis iis quæ probè noſti: ideſt,
videndo an ex collatione virium cum morbo, & huius cum illis æger ſuf-
ficere queat profligando hoc morbo: item obſeruatâ ætate, tempore, & cete-
ris. Rondeletius carpit Galenum, quòd is voluerit in febre tertiana (de
exquiſita loquitur) expectandum eſſe tertium paroxyſmum antequam
vena aperiatur. Quod falsò à Rondeletio dictum eſt. Niſi fortè ex cap. 15
lib. 11 Methodi hoc deſumpſerit. Sed hoc verum non eſt, nec de ea re au-
diendus eſt.*

2. Mirum quod scribit Galenus commen. in aphor. 43. lib. 2. de diæta quibus sanguis copiosus & nondum insigniter immutatus in naturam alterius humoris, iis detrahendus etiam audacter: quibus verò iam mutatus est, non detrahendus. Tamen contrà factitamus, liberiùs vacuamus & audaciùs cùm videmus alteratum, quàm cùm purum. Immò Galenus in melancholia audacter sanguinem mittit cùm videt sanguinem in habitu esse melancholicum. Et nisi ille locus de pleuritide & inflammatione partis intelligatur, non potest tolerari. de quo est videndus comm. in aphor. 10. lib. 2. de diæta acut.

CONSILIVM XLV.

De Lethargo.

VIDVA Domini Garnier Procuratoris annos 45 nata in morbum incidit. Habitu erat satis succulenta, alba, genis rubentibus.[1] Ægritudine aliquâ animi detinebatur quâ sese eximere facilè non poterat. Circa æquinoctium autumnale, cùm præcessisset temporis constitutio inæqualis (qualem pauci admodum animaduerterant) putredinis parens, in morbum incidit. Primùm totum corpus maculis rubris, ac si morbillis laboraret, aut si ingens æstus foret, erat defœdatum, nonnullus corporis torpor, appetentia deiecta, ignauia, rerum omnium contemptio, cùm alioqui prudenter rerum omnium satageret, & ad omnia obeunda munera esset alacris: Quod magnã morum dissimilitudinem significabat, & ad iudicandum de dubio ancipitíque exitu occasionem porrigebat. Febris continua fuit, de nocte maximè exacerbabatur, nec exacerbationis nullum signum erat quod anteiret. Sed confusa erant omnia. Magna non ita febris apparebat, vt ea nos moueret. Febres eo tempore grassabantur mali ingenij. Vrinæ fallaces erant: nam nec incendij indices erant magni: & sedimentum laudabile satis, & enæorema continebant. Comatosa erat, nec nisi interrogata respondebat: alieni tamen iudicij nullum erat signum. Capiebat satis bellè cibum oblatum: Diebus iudicibus nil natura mouit, nihílque excreuit nisi arte sollicitata. Deiectiones variæ, putres admodùm: sanguis bis missus planè putris: vires plurimùm deiectæ apparebant, præsertim animalis, cuius etsi non

magna necessitas est, in morbis, autore Galeno in Methodo medendi: tamen ad iudicandum nobis magnam præbent occasionem. Primis decem diebus exactis, omnia satis moderata, pacatáque fuerunt: sed ab vndecimo aut duodecimo die magnũ apparuit incendium, ex interuallis graueolentissimæ deiectiones, leuia deliria, oculorum lacrymæ inuoluntariæ: genarum, ac præsertim sinistrarum rubor satur admodum. [2] Tandem cùm vrinam redderet inuoluntariam, aut retineret aliquando ac si suppressa esset, inuoluntaria quoque aluus descenderet decimo quarto morbi die ab illa exacerbatione manifesta: vicesimo autem totius morbi historiæ die, cum sudore magno (nullus autem toto tempore febris apparuerat deliria, risus, taciturnitas sũma, tremores, & quasi subsultationes manuũ aderãt. Potus omnes sine discrimine admittebat, non sitiebat grauiter febriens, potus veluti in profundum descendere videbantur: cùm colluere os aquâ iuberetur, non poterat ore reiicere: bene ratiocinabatur) Interiit.

Hac historiâ intelligi volumus sæpe morbum satis securum apparere, cùm tamen per se funestus sit, nec satis prauæ diatheseos argumenta apparent. In plerisque initio morbi obseruauimus totam corporis cutim maculis rubris suffusam, quibus tamen nihil prætereà alienum contigit. Sæpe enim aut sanguinis æstus, aut cum feruore quodam iuncta malitia aliquid tale promittit: sed illum nihil periculi iunctum habet, sola aut sectione venæ, aut blando cathartico quicquid est præuenitur. Tamen tribus quatuórve argumentis malignitas & cacoethia morbi deprehendi poterat. Primum in eruptione illorum exanthematô positum erat. nam nisi ingentis incendij tanquam manifestæ occasiõis excusatio subsit, quoties apparẽt aliquid maligni subesse demonstrant: Secundum, in deiectione virium subita. Quoties enim vires nõ constãt, nulla præsertim prẽeũte euacuatione manifesta, aut simili aliquâ re quæ iacturam virium faciat, aut cùm febris vehemens non adest, malum illud est vt signum. Arguit enim aliquid aliud subesse latens ac reconditum, quod minimo momento magnam in viribus ac œconomia naturali mutationem afferat. Et, quod notandum est, quódque Medicis fraudi fuit, facies non concidebat vllo modo. Hippocrates in Aphorismis scriptum reliquit, *Febricitantium non omninò leuiter corpus idem permanere, & nihil minui, vel etiam plusquàm postulet*

ratio contabescere, malum: nam illud morbum fore longum significat, hoc autem imbecillitatem. Vbi Galenus vult non abs re adiectum esse μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως: quoniam hyeme, & cùm plenitudo magna est, non collabitur habitus corporis, & tamen malum signum non est. Sed cùm mediocris febris est, & tamen non mutatur corpus, nec in colore, nec mole, nec charactere: aut cùm in his omnibus immutatur plus iusto, dubium non est quin hoc malum non sit. Nam non concidere ac collabi, & meatuum densitatem significat, & contumaciam materiæ. Concidere autem (quod Græcè dixit Hippocrates, minùs propriè vsurpatur verbo συντήκεσθαι) plus quàm ratio postulet, imbecillitatem magnã significat; ita tamen vt collapsus illius non sit causa aliqua externa, quam φανερὰν πρόφασιν aliis locis vocauit Hippocrates: & cuius in διαγνώσει καὶ τῶν νοσημάτων προγνώσει maximam idem vult rationem haberi. Nam & ætas consideranda venit, & morbi aut breuitas, aut diuturnitas, & tempus, & regio, & notanda effatúque digna euacuatio, vigiliæ, exercitationes, muneris gestiones, aliáque id genus. Quibus non perspectis, si quis ausit absolutè pronunciare de imbecillitate aut viribus naturæ pro extenuationis ratione, aberraret plurimùm. Extenuatio illa (sic enim Leonicenus malè vertit συντήκεσθαι, contabescere, cùm sumatur ἀντὶ τοῦ λεπτύνεσθαι. Et Galenus comment. in aphorismum 10. lib. 3. Aphoris. φθίνοντας verbum ab Hippocrate positum pro ὁπωσοῦν συντηκομένους sumi ait, vtens verbo συντηκομένους, pro simpliciter extenuatis) quæ præter rationem euenit naturæ infirmitatem significat. Sed hoc ἀδιορίστως non est intelligendum. Aliquando enim extenuatio est, vt causa ad imbecillitatem relata, aliquando vt signum. Nam cùm cutis raritas, & humorum tenuitas extenuationis causa est eiusdemque celerrimæ, tunc illa extenuatio infirmat corpus: atque ita imbecillitatis causa est extenuatio. Sed cùm nec raritatis cutis, & humorum tenuitatis suspicio non est, corpus autem preter rationem collabitur, ac concidit, illa extenuatio solam agnoscit virium infirmitatem, vt ex Galeno patet.

Atque vt ad scopum redeamus: In muliere proposita febris erat ἐν παντάπασιν ἐπιπολαίως, & tamen non concidebat nec moles, nec color mutabatur, nec character: an hoc ad securitatem, & diuturnitatem apparebat, cùm vicesimo quarto die interierit? Nequaquam. Et hîc duo annotatione dignissima sunt: prius quidem, quod ille dies 24 erat decimus quartus dies ab exacer-

Commẽt. in Apho. 28. lib 2. Aphor.

batione. Nam, vt antè diximus, per vndecim dies ſatis alacriter habebat, & in actionibus naturalibus & animalibus, ac omnia pene ſecuritatem pollicebantur. Sed quod intus venenum latebat cùm natura nil mouiſſet, cepit ſuę malignitatis ſigna edere; hinc febris continua, acerrimi caloris perfuſio, mox eiuſdem contemperati ſignificatio. Atque ita morbus acutus fuit, ſi ratio habeatur exaſperationis morbi, non totius hiſtoriæ. Poſterius, dicendum eſt veriſimile fuiſſe morbi quidem ratione citiùs illam interire, ſed ætatis ratione quæ adhuc conſtabat factum, vt qui morbus antè perimere deberet, prorogaretur. Ita nimirum accuratè diſputauit Galenus in Epidemiis, narrans hiſtoriam Hippocratis de Sileno. Hic enim cùm à cauſis procatarcticis in morbum incidiſſet, non tam lethali morbo eſt implicitus ob cauſas procatarcticas, quàm quia occaſiones aliæ eſſent quæ corpus morbo oportunum reddebant: alioqui ratione externarum cauſarum in leuem febriculam lapſus fuiſſet. Sed lethalia ſymptomata quæ primùm atque ſtatim apparuerũt, iudicio fuerunt reſtagnare materiam malam, quæ à cauſis illis externis excitata lethali morbo ægrum implicuit. Ita intelligẽdus Galeni locus in lib. de febrib. cùm ait cauſas procatarcticas putridarum febrium non eſſe autores: id eſt, procatarcticæ cauſæ προφάσεις dictæ, per ſe non ſolent putridas febres concitare, ſed ſi corpus morbo ſit opportunum, ex euentu producunt & excitant febres putres. Ergo ille Silenus cùm funeſtiſſimo morbo detineretur, eius tamen vim ſuſtinuit propter ętatem ad vndecimum diem.

Comm. in hiſtor. 2. ſect. 3. lib. 1. Epidem.

Cap. 7. lib. 1. de differen. febr.

Hoc addam, antequam extremum perſequamur, de faciei charactere & mole quam in illa muliere non concidiſſe dicebamus: ſępe & optimus color, & character in ęgris apparet, cùm tamen morbus ad interitum tendat, tribus de cauſis. Primâ ratione, aliquando ipſius febris quæ ſurſum multum tenuem vaporem effert, qui viriditatem aliquam faciei, fallacem tamen, afferre ſolet: Secunda, ſi febris ea non ſit ingens, aut συντηκτική. Obſeruauimus enim aliquando febres συντηκτικὰς & peſtilentiales (quas in quodam loco Galenus vocat peſtilentiales hecticas) primo quoque tempore in ſpeciem quandam maraſmi ægros coniecisse: Tertia, ſi qui ægrotat, pulmonum vitio non ſit obnoxius. Qui enim ita affecti ſunt, rubore ſæpe ſuffunduntur, qui Medicis minimè aduertentibus imponit maximè. Quod cùm

aliàs, tum maximè in hac muliere apparuit; nam cùm paulò increuerat febris, rubore multo erant ſaturatæ genæ, præſertim verò ſiniſtra. Aperto autem cadauere, vt poſteà dicemus, reperti ſunt pulmones veluti putres, coſtis adhærentes. Accedit ad rationes ſuperiores, quòd qui præpingues ſunt ac optimè habiti non ita facilè collabuntur: aut ſi extenuentur, illius extenuationis & ξυμπτώσεως (collapſum interpretor) magna non ſeſe produnt argumenta.

Atque vt reuocemur eò vnde digreſſio facta eſt: Tribus de cauſis patuit, ſed non manifeſtò malignitas morbi & κακοήθεια. Primùm ob eruptionem papularum, quas ἐξανθήματα Hippocrates vocauit in Epid. Illa enim eruptio (niſi fortè ob cauſas alterâ paginâ dictas aliud ſignificet) malignum, & κακοήθες ſubeſſe declarabat. Et videor eorum quæ ſcripta ſunt ab Hippocratis interprete Galeno narrare hiſtoriam 4. in ſectione tertia 3 Epidemior. Ait enim, initio ſæpe morborum lethalia ſymptomata apparere, non quidem ratione ipſius morbi qui clemens & mitis apparet: ſed propter latentes prauos humores, qui virulētiæ ſuæ ſemine excitato, in lethalibus ſymptomatis eluceſcunt. Secundum argumentum eſt poſitum in tam breui virium caſu. Nam cùm alacris, expedita, robuſtáque foret, breui attonita, ſtupida, comatoſa, omnium obliuioſa reddita eſt, & delira. Tertium, quoniam in diebus criticis nil natura mouit, nullus ſudor, ſola ἐ.ιδρώσις quæ in morbis iſtis ſuſpecta eſſe ſolet. Quartum coma quodammodò vigilans, non tam ab oppreſſione fuit, vt falsò Medici putabant, tametſi multa in cerebro humiditas contineretur, quam in infirmitate facultatis nati animalis in cerebro ſedem habentis. Teſtis inuoluntaria excretio ſtercoris. Teſtis quoque eſſe poteſt quod medicamentis, & ſectionibus venæ ex arte rectè præſcriptis nil alleuatum ſit cerebrum: quod contingere non ſolet cùm ab oppreſſione tantùm laborat. Nulla enim tam valida cerebri eſt oppreſſio, quàm medicamenta & ſectio venæ commodè præſcripta non minuant. Quintum illud addā de meo. Obſeruaui enim ſæpe eos aut extreme laborare, aut interire, quibus acris caloris, & eiuſdem temperati ex interuallis viciſſitudo eſt. Nec enim viciſſitudo ſolùm caloris & frigoris mala eſt, vt in Coacis & Prorrheticis voluit Hippocrates: ſed viciſſitudo acris caloris, & remiſſi mala quoque. Et illam viciſſitudinem explicat Hippocrates, cùm vtitur vocibus τὰ πολλά,

Nec enim vertere oportet, non omninò, ſed τὰ πολλά, ex interuallis, vt modò hoc fiat, modò illud. Vel meliùs, τὰ πολλά, magna ex parte. Vt non ſentire, non ratiocinari, non ſitire τὰ πολλά, id eſt, magna ex parte: id eſt, ratiocinandi, & deſipiendi viciſſitudo eſt ſentiendi, & non ſentiendi, ſitiendi, & non ſitiendi. Quod autem multò meliùs & accommodatè magis, τὰ πολλά, vertamus, per verbum. Viciſſitudo, vel magna ex parte, illud abundè declarabit aphoriſmus Hippocrat. in Coacis: ἄκρεα ταχὺ ἐπαμφότερα μεταπίπτοντα, καὶ δίψαι τοιαῦται, πονηρόν. Vocat enim ἄκρεα μεταπίπτοντα *Extremæ partes modò refrigerantur, modò recaleſcunt*. Vel, Extremæ partes magna ex parte calidæ ſunt, & magna ex parte frigidæ. Et eodem loco δίψαν μεταπίπτουσαν vocat, ſitis, & non ſitis, ſeu potiùs ſitiendi, & non ſitiendi viciſſitudinem: ita nomen μεταπτώσεως hoc loco ſumitur pro mutatione viciſſitudinaria in contrarias partes; vt cùm quis delirat, poſteà non delirat: cùm nunc ſitit, modò non ſitit: modò calfit, modò tepidus eſt aut refrigeratur. Itaque cùm Hippocrates in Aphoriſm. ſcripſit, ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων μὴ αἰσθάνονται, &c. Idem eſt ac ſi dicat, vt τῶν πόνων ſit μετάπτωσίς τις: vel vt meliùs dicam, ſit τῆς αἰσθήσεως μετάπτωσίς τις, id eſt, ſentiendi, & non ſentiendi viciſſitudo aliqua. Vt totius aphoriſmi ea ſit conuerſio: Qui parte corporis aliquâ laborát, & magna ex parte dolorem non percipiunt, mentem his ægrotare conſtat. Hęc pluribus explicari voluimus, quoniam horum enodatio latiùs manatura eſt.

Sed quæritur, an verum quod antè diximus, non ſolùm caloris & frigoris viciſſitudinem in acutis malam eſſe, ſed ſi calor modò acris appareat, modò temperatus & tepens, quod ἀναθερμαίνεσθαι vocat Hippocrates? De viciſſitudine caloris & frigoris quòd mala ſit, non dubium eſt, præſertim in acutis. nam ſignificat hoc extinctionem caloris naturalis, qui vniuſmodi cùm ſit, partibus omnibus blandè aſpirat, & dominium febrilis caloris, qui cùm expanditur ad partes, eas calfacit; cùm ad centrum reuocatur per modum inflammationis, eaſdem partes deſerens, ex euentu refrigeret. Ita enim quidam Philoſophi frigus per caloris priuationem & abſentiam definiebant. In acutis itaque malum hoc. Nec mirum ſi in acutis tantùm meminero; ac ſi quis velit in omni morbo eam refrigerandi & calfaciendi viciſſitudinem pernicioſam eſſe: quod non ita eſt. Et ad eam rationem impulit me aphoriſm. 40. lib. 4. Aphor. *Vbi in toto corpore mutationes*

tiones (vtitur enim nomine ἡ μεταβολῆς) *etsi corpus refrigeretur, & modò calfiat, aut coloris mutatio fiat, longitudinem morbi significat.* Aliud enim est ista vicissitudine longitudinem morbi significari, aliud periculum. Nam in acutis periculo non vacat, in mitioribus morbis, longum fore morbum significat. nam & focum multiplicem significat, & materiam ἑτερογενῆ. Positum itaque & demonstratum vicissitudinem istam contrarij malam esse: sed dubitatur, an malum quoque sit modò calorem acerrimum sentiri, modò temperatum.

[6] Hac de quæstione nil vnquam scriptum reperi, eáque propter ego liberè quid sentiam enucleabo. Solemne est in multis febribus, præsertim in phlegmaticis calorem acrem apparere, & eundem temperatum pręsente febre: hoc tamen malũ non est; nam aut varietatem tantùm materiæ declarat; aut caloris in materia viridi oppressionem nequeuntis emicare, quod appositè ἀναλάμπειν vocat Hippocrates. Nec malum quoque significat in febribus cum catarrho coniunctis, in quibus sæpe obseruamus modò emicationem caloris, modò eius teporem. Item fieri potest vt calor naturalis modò superet febrilem, & contra fiat; hinc acrimoniæ perceptio, hinc teporis: & tamen hoc vacat periculo. Sed his breuì satisfiet.

Cùm de vicissitudine agitur, videndum quod corpus, quis morbus, & qualis sit vicissitudo, an frequens, an non. Nam in biliosis corporibus, in quibus calor totus acer est, non est expectanda vicissitudo caloris acris & moderati: sed si morbus perniciosus est, pro moderati caloris perceptione, frigoris sensio sufficitur. Breuì enim calor blandus si quis est, extinguitur. Sed in corpore εὐσάρκῳ, quadrato, subfrigido, muliebri (quod nunc explicandum suscipitur) frigidis aut temperatis humoribus scatenti, non est quod expectemus extimas partes refrigerari, vt in aliis corporibus biliosis fit, nisi fortè diutiùs ægrotent: tunc enim refrigerium apparet. Itaque quod apparet vicissitudo frigoris in biliosis & extenuatis, idem esse potest moderati tepidíque caloris sensio. A materia enim vapor effertur, qui cùm putris sit, sensum acrimonię affert; cùm calidus, caloris sensum. Quod autem absolutè & per se frigus non appareat, id facit cõtinuitas febris. At continua est, dices, in biliosis? verum: sed duo consideranda sunt: Vnum quod in biliosis incendium & calor intus conceptus facilè reuocat calorem diffusum ad suum

centrum: Item non ſunt humores moderati in quibus fouetur perpetuò febris. Sic videmus quadratos ſemper calere hyeme, nec multùm calere æſtate: ſiccos, macilentosque hyeme algere in extimis, æſtate ardere. Algent autem in his extima, quoniam caro multa non eſt, quæ ſit pro velamine & præſidio aduerſus frigus ambientis. Sic Galenus in comm. in 1. Aphoriſm. eos qui carnem habent multam, & ſucculentam, ventrésque calidos hyeme, & tamen non algent, vt macilenti, comparat cum iis qui niue perfunduntur: qui cùm breui frigeant, reuocato per ἀνάκλαμψιν καὶ ἐπανάκλησιν calore, calidiores ſolito redduntur. Atque idem contingit iis qui pituitoſi ſunt, & funeſto morbo corripiuntur. Non enim in iis ſenſio appareret frigoris, ſed tepor quidam, vt modò incaleſcant, breui tepeant, quod ſatis malum eſt ſignum, in iis præſertim ſi viciſſitudo iſta ſit frequens. Nam ſi viciſſitudo iſta frequens non eſt, malum non ita eſt ſignum. 7. Sed cùm frequens, inanem conatum naturæ declarat, putris materiæ copiam, à qua modò effertur vapor, modò non effertur. Idemque contingit quod in fimo putrente Nam dum teter malignusque vapor effertur, ſenſio fit acrimoniæ: cùm non effertur, febrilis calor tantùm reſtat qui partes calidas reddit. Ergo dictum eſt de corporum varietate & de viciſſitudine Nunc de morbo dicendum breuì. Cùm acutiſſima & manifeſta eſt febris in corpore calido ſicco breui perfrigerationem extimarum partiũ affert: cùm autem maligna eſt febris, in partium imbecillitate ſumma poſita, & humorum prauitate; nec acuta ita eſt, acutiei vim habens in calore, ſed toto genere maligna, minitans aut parotides, aut abſceſſum alium morbo imparem, aut puſtulas (quod contigit octauo die Sileno, 1. Epidem & tamẽ vndecimo interiit) nõ ita partes extimæ algẽt, præſertim ſi corpus carnoſum ſit (quod impreſſio caloris à ſanguine & ſpiritu facilè in carne remaneat) ſed febris perſeuerans teporis, & acrimoniæ ſenſum exhibens: tandem cum calido ſudore corpus tollit. Ita enim videmus quoſdam interire cum perfrigeratione partium & ſudore frigido (vt contingit ſiccis & extenuatis) alios cum toto febris tẽpore non ſudauerint, aut leuiter tantùm, ſine vlla perfrigeratione, cum vniuerſali ſudore, multo, calido occidere quod & huic mulieri contigit, & cuidam Flandro mercatori febre peſtilenti conflictato:

item & dominæ illustri febre quoque pestilenti laboranti: de qua abundè narrauimus pag 34. huius libri. Atque ita minimè opinantibus nobis multi moriuntur, quoniam non vident vllam partium perfrigerationem, quam in aliis quondam obseruauerunt. Nos autem obseruauimus istam partium perfrictionem in morituris, cùm corpus siccum calidumque est, calore igneo & acri, quod Hippocrates τὸ θερμὸν absolutè vocat, & eo præditos calore τοὺς θερμοὺς, καὶ θερμοκοίλους. Item in iis obseruatum est quibus in partibus internis conceptum est incendiũ. Nam & cum sudore frigidissimo moriuntur, & cum summa partium refrictione: vt vidimus in vico S. Antonij, in quodã nobili viro, cui aliquid erat erysipelatodes circum ventriculum. Quòd autem corporum distinctio afferat varietatem crisεō, siue ad mortem, siue ad salutem, siue per sudores, siue absque sudoribus; siue cum calidis sudoribus, siue cum frigidis, siue cum extimarum partium perfrigerio, siue sine eodẽ, multis & autoritatibus, & rationibus potest roborari. Vnus autem aphorismus Hippocratis hîc abundè erit, præsertim quia nos breuitatis studium recreat: Ὁκόσοισι δέρμα περιτέταται καρφαλέον καὶ ἐγκεχαλκωμένον, ἄτερ ἱδρῶτος τελευτῶσι, &c. *Quorum cutis arens, & præsicca circumtensa est, ii sine sudore moriuntur.* Contrà autem, vt idem aphorismus notat, cùm cutis laxa & rara est, cum sudore moriuntur. Quod satis indicat pro ratione cutis & subiectarum partium, quibus aut multùm humoris inest, aut cum sudoribus, aut sine sudoribus homines iudicari. Et antequam hinc pedem efferimus, notare volumus parum acutè Plantium Galeni interpretem ex Philothei sententia verbum τὸ τελευτᾷν, vertere noluisse, mori, sed, iudicari. Vt τελευτῶσι ponatur loco verbi κρίνονται. O acutum hominem! τελευτᾷν significat desinere, mori, terminari, iudicari. Nil interest an mori, an iudicari, vertas; siquidem mors non fit sine crisi: & crisis æquè ambigit, tenditque & ad salutem, & ad mortem. Si τελευτᾷν ἀντὶ τοῦ ἀποθνήσκειν sumas, angustior, restrictiórque erit aphorismus, si ἀντὶ τοῦ κρίνεσθαι latior & multò generalior.

5. Aphor. Aph. 72.

Præter hæc quæ superiùs posita sunt, tria possunt quoque hoc loco pertractari, quorum in explicatione operæ aliquid libenter ponimus, quòd inde plurimùm adiumenti consequi posse arbitremur. Primum est de comatosa affectione cum vigiliis: & cùm dormiret, quamuis comatosa, facilè tamen excita-

batur, & interrogatis respondebat. Secundum est, qui fieri possit vt malè affecti cerebri tot essent argumenta, nempe coma quodammodò ἄχειπι, tremores nonnulli, risus, deliria, excretiones inuoluntariæ: obliuio & despectio omnium rerum, dissimilitudo morum omnium, [8] impotentia (quam in Coacis Hippocrates ἀδυναμίαι vocat, quamque κενεαγγίης μὴ ἐούσης, malam esse ait, id est, si præeuntis euacuationis alicuius nulla excusatio possit afferri.) Si, inquam, tot tantáque fuerint malè affecti cerebri argumenta, quî fieri potest vt tamen ratiocinatio integra fuerit? Cur deliria ista, comáque non euerterunt ratiocinationem? Quæstio hæc viro erudito dignissima. Tertium est de murmure ventris inferioris, & tensione, cùm tamen aluus ferretur: immò quò diligentiùs de aluo subducenda cogitabatur, eò magis venter intumere videbatur. An hoc bonum fuit? Nam ventrem inferiorem non collabi ac deprimi in omnibus morbis bonum esse scripsit Hippocrates. Sed hæc longiore explicatione egent.

Apho. 35 lib. 2. Aphor.

De primo paucis aperiam. Coma aliud simplex est, aliud vigilans. Vigilans ab vno humore non fit, omnium iudicio, sed à mixtione humoris tenuis calidi, & crassi frigidi. Tamen, quod diligenter notandum est, reperio apud Galenum comm. in partic. 1. primi Prorrhet. Comatis vigilantis duplicem causam: vna est sanguinis copia: hic sanguis ratione copiæ comatosam affectionem inuehit: ratione autem tenuioris substantiæ, quæ in illo est, vigiliæ quoque accidunt: Altera cùm bilis mixta est pituitæ. Vtrum deterius? quibus signis discernitur causa vtraque. Quod à remistione pituitæ cum bile deterius est. His autem signis deprætendes à sanguine esse, præter ea quæ dominatum humoris, aut in parte aliqua, aut in toto corpore denotant: Nimirum si primis diebus celebrata ex arte sectione venæ, aut vsurpato alio remedio, & copiam sanguinis euacuare solito, & acrimoniam tenuioris eius partis temperare consueto, non cesset coma vigilans, talis symptomatis causam statuere oportet bilem pituitæ commistam. Quod eò loci pluribus Galenus explicauit. Hoc autem subindicarat obscurè Hippocrates illâ primâ sententiâ Prorrhetici: *Comatosis vigilantibus cum hypochondriorum dolore & colli, stillatio è naribus perniciosa, tum alias, tum si quarto ceperit die.* Ac si dicat Hippocrates, comatosos illos vigilantes verisimile est in eiusmodi affectionem incidisse à solo do-

minatu ſanguinis. Si ergo peius habeant quarto die (quod ſtillicidium ſanguinis denotat) quo præſertim tempore ceſſare, aut miteſcere deberet morbus ſolemnibus vſurpatis remediis, ſignificat hoc non ſolâ ſanguinis copiâ, ſed bile & pituitâ cerebrum occupari. Cuiuſmodi affectio fuit mulieris noſtræ.

Secundæ quæſtionis explicatio vberiorem continet fructum, maioremque voluptatem eſt allatura. Quî fieri poſſit vt integra eſſet ratiocinatio, cùm tamen in imaginatione erraret, comatoſa eſſet, corpus non pene moueretur? Immo ſi quod occurrebat delirium, excitata ſtatim ad ſe redibat. Nec reſpondendum quod ſcribit Galenus comm. in particulam illam: *Mente aberrantes, acutè ſuperfebrientes, &c.* In priore Prorrhetici, quòd cùm humores biliosi aut alij feruntur in cerebrum; animum perturbāt, cùm reuocantur, in aliámque fluunt partem, eundem reſtituūt. Nam affectum eſſe cerebrum per ſe, id eſt πρωτοπάθειαν Græcis continuitas affectionis indicabat: niſi quòd ratiocinatio integra foret. Quod vt intelligamus, altiùs hanc quæſtionem repetere conuenit. Nimirum quî fieri poſſit vt cùm vnius partis vnum ſit temperamentum à quo actio manat, quodque tanquam fons eſt; tamen in vna actione læſum ſit aliquid, ſeu pars læſa, in alia actione illæſa ac intemerata. Si vnum temperamentum, cur ſunt actiones contrariæ ab eo prodeuntes? Et cùm ab eo tanquam principio actiones manent, cùm vna ſalua eſt, læsâ aut abolitâ alterâ? Quæſtionem hanc diremiſſe Galen. videtur in cap. 3. lib. 3. de ſymptomatum cauſis, & in aphoriſmis. Scribit enim, ex actionibus quæ ab eodem principio manare cernuntur, quaſdā magis vna qualitate gaudere, quàm altera. Vt coctio, quia ſine motu aliquo fit, in calido & humido conſiſtit potiùs: attractio, expulſióque, quoniam cum motu aliquo impetúque fiūt, in ſicco potiùs conſiſtunt. Ita nimirum ventriculus multùm calidus & humidus coquit optimè, ſed non trahit nec expellit facilè. Contrà ſi ſiccus pellit ac attrahit potentiùs, minimè autem coquit. Renes in diabete quamuis ſummè laborent, non deſinunt tamen ſeroſam humiditatem attrahere: immò in iis maior attractio cernitur fieri, quanto ſiccitas calórque ceteris qualitatibus antecellit. Ita enim ex actionibus quædam ſunt παθητικαὶ, aliæ ποιητικαὶ, & vt ſunt eiuſmodi, aut illiuſmodi, ita qualitatibus actiuis paſſiuiſque magis minúſve gaudent. Contrà tamen afferri poteſt locus Galeni, quo videtur negare facultates quatuor

Com. in aphor. 20. lib. 2. Aphor.

Com. in aphor. 20. lib. 2.

Cap. 3. lib. 6. de loc. affect.

1. Ca. lib. 3. de temperam.

primis illis qualitatibus esse addictas, sed quicquid in corpore agitur, præsertim quod ad nutritionẽ pertinet, illud ipsum toti substantiæ asscribendum esse censet. Quod si ita est, rationes nostræ superiores parum acutæ videbuntur. Verba autem Galeni hæc sunt: *Quatuor corporis propriæ sunt facultates, attractrix, retentrix, alteratrix, segregatrix: ac eædem facultates totius in quouis corpore substantiæ sunt, quam substantiã ex calido, humido, frigido, siccóque inter se mixtis fieri existimandũ.* Ille locus planè conuincit attractionem, coctionem, & sic de ceteris, non referendas esse ad qualitates has aut illas, sed ad totam substantiam. Nã vt posteà subiungit Galenus eodem loco, loquens de nutritione quam à tota substantia fieri contendit, medicamentum autem non nutrire, quòd à tota substantia non immutetur, sed ab vna tantùm qualitate. *Si corpus* (inquit) *vna earum qualitatum quas in se habet, corpus sibi admotum mutaret, idipsum tota substantia agere non est, nec quod ab eo mutatur, ei aßimilabitur.* Sed locos ita conciliare alienum non est: Bifariam autem respondere licebit: illo loco tantùm pro hypothesi ponit quatuor illas facultates totius esse substantiæ, vt doceat medicamentum quodammodo alterari à corpore, sed non ita alterari vt in alimentum cedat; quia id tantùm per qualitates præstatur: sed cùm nutritio fit, cuius administrę sunt attractrix, retentrix, expultrix, ea à tota substantia fit, vt id quod mutatur, principio quidem dissimile, tandem reipsâ pars fiat, ex carne & pane os, recipiátque ipsius partis ἐντελέχειαν. Sed sit ita tantùm loco ὑποθετικῶς positum hoc sit, quam non probauit, verisimilior hæc ratio esse videtur: Quatuor facultates totius sunt substãtiæ, quia resultant in composito ex mixtione quatuor elementorum, & conspirant in nutritionis officium: nõ proinde tamen sequitur quin commoditates sequantur ex vna potiùs qualitate quàm ex altera, vt licèt & siccitas & humiditas ad actionem conferant, tamen siccitatis potentia & energia eluceat potiùs in attractionis & expulsionis munere, quàm in procuranda concoctione. Vel ita scrupulus hic tollendus: Vel consideramus facultates quatuor in genere, vel in specie: In genere, cùm vnà conspirant in publicum munus coctionis, nutritionisve: vel quatenus in se singulæ spectatæ magis aptæ sunt ad hanc actionem adiuuandam quàm ad illam. Priore modo considerauit Galenus illo loco libri tertij

de Temperamentis: posteriore verò in aliis locis.

Vt autem hanc longam satis disputationem nostro instituto accommodemus: quemadmodum in vna qualibet parte variæ eduntur actiones tanquam ab vno communi principio manantes, sed quæ tamen facultates diuersas ei parti tributas & confusas: ita fieri potest vt actio vna pereat, alterâ incolumi necnon integrâ parte. Ita nimirũ in cerebro phãtasia valet, cõmunis sensus valet, & tamen iudiciũ & ratiocinatio ægra est: quod pluribus explicandũ nõ est. Impræsentiarũ autẽ sufficiet illud exemplũ de melancholicis, quorũ meminit Galenus. Horũ enim quidã se testam esse putabat, ac vicatim inclamabat, vt omnes fugerent, ne aliorum tactu pressúve collideretur. Quatenus enim se testam putabat, eatenus ratiocinatio laborabat minimè, sed phãtasia. Nunquid enim præclarè ratiocinabatur læsum iri se aliorum pressu, si terreus, aut vitreus foret? Mirum itaque non sit si de qua disputamus mulier ratiocinandi facultatem integram haberet, cùm tamen in ceteris cerebri functionibus malè satis haberet. Huius autem rei mihi probabilis hæc ratio esse videtur.

7 Cap. lib. 3. loc. aff.

Aliud est lædi offendíve cerebrum in iis functionibus quæ animales esse dicuntur, clarioris doctrinæ gratiâ, & ad cerebri ipsius κρᾶσιν, temperamentumque pertinent: aliud verò lædi in iis quę ad eam partem pertinent quæ mentis & consilij est. Priore modo dicitur læsum in animalitate: posteriore in ratiocinio. Hoc autem indicabit historia cuiusdam Polemarchæ generosissimi D. de Brissac. In hoc omnes actiones cerebri offensam receperant; non mouebatur, delirabat, in summo æstu non sitiebat: magnum & rarum spirabat, immemor sui erat. Hæc omnia læsum cerebrum indicabant, & tamen commodè ratiocinabatur, ac præclarè de rebus diuinis sensa mentis exprimebat. Spiratio tarda imbecillum cerebrum declarabat, rara imbecillam ratiocinandi facultatem; nec enim intelligebat se magnâ inspiratione aëris ob æstum indigere. Sed quod attinet ad consilium, & animi vigorem, apparuit semper vis eius partis quæ ratiocinationis præclaro munere quóque proximè deos attingit, sese ostentat, cùm satis supina, languidáque esset vis illa quâ corpori & appetendo, & respirando prouideri consulíque debet: id est, vis animi quæ bonis cogitationum epulis & consiliis alitur, ac reficitur, vigebat: quæ autem à cerebri naturali temperie pendet, quæque corporea esse magis videtur, langue-

ſcebat. Quod ſolum argumentum immortalitatem animæ contra Epicureorum gregem conuincit. Nam in animo duplex vis apparet, vna diuina planè, non aliunde mēdicata quàm ab ipſo cælo: altera paulò pinguior ac terrena magis, quæ elucet quandiu in corpore anima detinetur. Poſteaquam abſoluta eſt corpore, prioris vis elucet ac eminet. Ac ſic intelligere oportet Hippocratis & Galeni varios locos. Nam modò animum ægrotare ait, modò eundem in ſomnis feriari ac otiari, modò in iiſdem ſomnis erigi ac vigere: quæ quoniam admodùm controuerſa ſunt, non erit abs re ſi eos locos conciliauerimus. In Aphoriſmis mentem ægrotare dicit, vtitur nomine τῆς γνώμης, quá idem eſſe cum nomine διανοίας ſcribit Galenus. Quid hoc eſt animam ægrotare? an ægrotat? Videtur idem Hippocrates negauiſſe in libris de Diæta, *Impoßibile eſt*, inquit, *naturam obſcuram transformare*, id eſt, immutare. Priùs enim locutus erat de altera natura manifeſta quam in temperamento & quatuor primarum qualitatum ſymmetria conſiſtere demonſtrarat. Quid ergo eſt, mentem ægrotare in Aphoriſmis? Eſt πρῶτον τὸ αἰσθητικόν, phantaſia, forma, ἐντελέχεια ipſius cerebri, & vocatur γνώμη ab Hippocrate, à Galeno in comment. διάνοια, propterea quòd (vt ego autumo) in debita temperie & ſymmetria ipſius cerebri conſiſtit τῆς γνώμης τοῦτ᾽ ἔστι, τῆς διανοίας, vis & robur. Atque in eodem ſenſu Hippocrates in Epidemiis ſcripſit, *Melancholici fiunt Epileptici, & contrà.* Vtrumque autem fit prout in hanc aut illam partem affectio repſerit. Si enim in corpus, epileptici; ſi in mentem, melancholici fiunt. Notatu autem digniſſima ſunt verba Græca, ἢν μὲν τὸ ἀῤῥώστημα ῥέψῃ εἰς τὸ σῶμα ἐπιληπτικοὶ γίνονται, ἢν δὲ εἰς τὴν διάνοιαν μελαγχολικοί. Mentem διάνοιαν vocat, id eſt cerebrum ipſum quatenus conſideratur tanquam pars ſimilaris. Cùm ergo ſcribit *Qui parte aliquâ laborant*, &c. *iis mens ægrotat*; non intelligit de ea mente quæ immortalis, & ortus neſcia, ab eodem Hippocrate φύσις ἀσαφὴς, natura obſcura vocitatur. Nomine enim laboris ſenſum intelligit ſolum, & πονοῦντας vocat eos qui ita in parte aliqua offenſi ſunt, vt niſi delirio mens detineretur, dolerent, vt Galenus idem interpretatur. Nam dolor duplex, vel enim in affectu partis aut corporis impreſſionem recipientis conſiſtit: vel in eius apprehenſione, quæ ſentientis animæ eſſe dicitur, per mediam imaginem hominis de eo iudicantis. Si enim dolor ratione cauſę grauis vehemensque eſſe debeat, leuis tamen apprehenſio

[Margin: *Com. in aph. 6. lib. 2.* — *Lib. 1. de Diæta.* — *Sect. 7. lib. 6.* — *Cap. 6. l. 7. de placitis.*]

prehensio est, morbus leuis dicitur; vnde Stoici malum opinione metiebantur.

Et qui humili sunt animo, effœminato, ac eneruato, illi statim dolore languent ac franguntur, ac sæpe malá opinione metiuntur. Ita Zeno Eleates perpessus est omnia animo forti antequam conscios delendæ tyrannidis indicaret. Calanus Indus Barbarus, in radicibus Caucasi natus sua voluntate viuus combustus est. Nos, si pes dolet, si dens, ferre non possumus. Opinio enim quædam est effœminata ac leuis, nec in dolore magis, quàm eadem in voluptate, quâ cùm liquescimus, fluimusque mollitiâ, apis aculeum sine clamore ferre non possumus.

Cic.lib.2 Tuscul. quæst.

Loci autem de mente in somnis planè à se inuicem dissidentes hi sunt. Libro de flatibus scribit, φρόνησις & mens nobis dormientibus immutatur, multæ & peregrinæ nobis vndique obuersantur imagines, varij errores & discursus fiunt. Contrà libro de insomniis: *Inter vigilandum mens in varias partes diuiditur, nec sui iuris est: dum somnus obrepsit sua præsidia ac vires iam iam recolligit, ac altiùs contemplatur.*

Tertiam iam quæstionem paucis explicemus, quî fieret vt venter non detumesceret, quamuis abundè aluus ferretur. An ista ventris eleuatio conferebat? *In quouis morbo*, scribit Hippocrates, *partes quæ ad imum ventrem & vmbilicum attinent, habere crassitudinem, bonum* esse ait, *extenuari verò ac collabi, malum.* Collapsus enim ille malus, & vt signum, & vt causa: vt signum, quoniam indicat ea extenuatio naturæ imbecillitatem: Vt causa, quoniam cùm partes subiectæ à succulento, quadratóque aqualiculo cùm iuuentur, casu illo ac extenuatione deteriùs habeât, ac propterea nec bona in vẽtriculo χύλωσις, nec in hepate αἱμάτωσις fiat. Itaque ab æquali hypochondrio iuuatur & coctio, & excrementorũ expulsio. At in ista muliere an laudabile? Nequaquam. Nã cùm è natura habet molle ęquale esse debet: nec depressum, nec elatũ, nec calidum, nec frigidũ; non durum, non meteorum, nec cum borborygmis, qui aut aluo humectatâ, aut vrinæ profluuio, aut flatu cessant in febribus essentialibus (nã tum motu naturæ fit) non autem in symptomaticis, cùm aut pulmo, aut iecur, aut lien laborat (nam tum symptomatis rationem habet, & inani conatu id fit) Hippocratis sententia 4 Aphor. At contigit in ista muliere vt aluus flueret, tamẽ falsam speciem æqualitatis hypochondrium referebat: & murmura obaudiebantur,

Apho 35 lib. 2.

quæ vt prædixi, non cessabant vlla excretionis ratione. Sic suspecta erat illa hypochondrii elatio. Aperto cadauere, inuenta intestina plena fugaci tetróque flatu, cum serosis humoribus in spatiis & inanibus foraminibus abdominis, qui meteorismum inferebant. Sic elatio, subductióque alui non quicquam de meteorismo detrahebat. Ac primus Hippocrates in Coacis obseruauit meteorismum in morbis, & aluo suppressa, & aluo subducta. Vtrumque malum. Verba eius sunt: *Quibus præcordia eleuantur aluo suppressâ, malum, maximè autem in morbis tabidis longis: & quibus alui humectantur*: id est; Quibus alui humectantur, & præcordia etiamnum eleuantur, malum. Eleuantur enim tam à maligno, siue sit flatus, siue humor tenuis, serosus, putris. Et proptereà in illa parotides expectabamus; ad tale expectandum inuitabat alia Hippocratis sententia in Coacis: *Hypochondriorum distensio cum sopore anxioso in caput dolente parotidem excitat.* [10] Sed quoniam graueolentissima excernebantur elato manente hypochondrio, comate perseuerante, si parotis contigisset, malum vt signum apparituram credebamus. Verum enim quod scribit Hippocrates: *Ex hypochondrio diu afflicto, & aluo graueolenti; abscessus circà aurem occidit.*

Plura vnius huius historiæ fides proponeret, & ad mentem Hippocratis accommodaret, vt nil temerè inconsultóque ab Hippocrate scriptum appareat: sed non vnus locus omnia capere potest. Alia sese præstò offeret occasio, in qua orationis ac sensus vela pandere licebit, ac explicare: ne si nimis multa in recula describunda effunderemus, confingere ac comminisci existimemus: & quasi nobis ipsis ostentandæ industriæ nostræ frustrà ac iuueniliter occasionem porrexisse.

ANNOTATIONES.

1. Quomodo tandem inuenerimus hanc à pulmone lethargicam fuisse, vide in libro Ephemeridon nost. 2.

2. In hac muliere fallaces fuêre vrinæ. Nam satis laudabile sedimentum semper habebant; mirum cur interierit. Nam Galenus cap. 3. lib. 3. de crisibus ait obseruasse se quemquam interiisse qui iudicaretur cum vrinis coctis. Et hinc colligunt quidam neminem interire posse apparentibus signis actionis in vrina. Aliter tamen res habet. Nam Galenus vult non solùm requiri coctionem, sed & excretionem. Tametsi enim sit & co-

cta, & secreta materia, tamen nisi excernendo natura sit satis, interibit etiamnum æger.

3. Cùm Hippocrates dicit μὴ παντάπασιν ὀπτολαίως, *intelligit de febribus quæ sunt media inter acutas & leues.*

4. Verum illud comperi: Qui à leui sudore somni sunt expertes, & rursum ardore febrili conflagrant, malum. Nam qui bene iudicantur, suauiter dormiunt: Et quod leuis sudor inanem conatum naturæ significat, quam melius esset pepasmo incumbere, quàm frustrà excretionem moliri; quod in hac ægra maximè apparuit.

5. Nullus est locus in quo meliùs & clariùs declaret Galenus qua ratione mutationes celeriter factæ malæ sint, quàm comm. in aphoris. 8. sect. 2. Prorrhetic.

6. Huiusmodi caloris reuocatio, & absentia; febris exacerbatio, & sine causa manifesta remissio solet esse frequens in febre, quam Hippocrates τετταρφυῆ *vocat, quâ mulier mihi visa est laborasse. Et inter cæteros locos est is commemorabilis, cuius veritatem percepimus in hac ægra, scriptus com. in part. 25. sect. 2. lib. 1. Epid. Quod nimirum in febribus tertianam referentibus continuis tamen hoc obseruetur, quod in diebus decretoriis illæ febres deteriores fiant. Item proprium hoc malignis. Alterum quod initio sæpe magnus calor & respiratio proportionata, statim calor remittitur. Et putant hoc è re ægrorum esse cùm mortis signum existat. Et Galenus com. in Prorrhet. meminit iactationes febrium malignarum esse proprias, easque aut insignem calorem febrilem significare, aut orificij superioris ventriculi affectionem.*

7. Ego rationes istas meo veluti marte comparaueram, sed fortè contigit easdem penè legere, sed disertè magis à Galeno explicatas comm. in aphor. 8. lib. 2. Prorrhet. vbi ait eam reciprocam sensionem caloris & frigoris esse, quia in extimis illis partibus in quibus celeriter hoc fit, calor ferè naturalis extinctus sit, & tanquam à flamma excitata anathymiasis caloris febrilis dominantis pars illa recalescit, sed statim euaporat ille calor. Plura leges comment. in partic. 16. lib. 4. acutor.

8. Galenus duas causas statuit imbecillitatis repentinæ citra manifestam euacuationem, aut quantitatem materiæ, aut principiorum corporis intemperiem.

9. Corpus sparsum erat maculis, sed erant liuidæ. Et antè notauimus initio varias similes papulas apparuisse, quod suspectum erat necessario. Ideò videtur Hippocrates huius morbi euentum præuidisse; cùm scribit in Coacis: Qui circum articulos rubicundas in superficie pustulas habent, insuperque rigent, hi circa ventrem rubefiunt &

inguina veluti ex plagis dolorosis, & moriuntur.

10. *Quæ excernebantur erant graueolentissima, proptereáque non poterant non sollicitare facultatem expultricem intestinorum: & tamen non meminerat quærere matulam. Quod arguebat impotentiam iudicij & rationis euersionem. Inuoluntaria enim erat excretio. Huius duas causas Galenus reddit comment. in particulam quandam comm. 2. lib. Prorrhetici. Aut cùm mens ægrotat, aut cùm partes per quas excretio fit, non sentiunt: addo tertium, cùm humor per se mordax non est, ita vt sponte feratur: quanquam vix fieri potest quin sentiatur si intestina valent. Textus Hippocratis est;* Si ex ventre tenuia ægro non sentienti exeát, si extra se non sit, malum vt hepatico; *id est, Excretio illa tenuis materiæ, non sentiente ægro facta, declarat vel non generari biliosum humorem ob imbecillitatem hepatis: vel si generetur, non excernitur (quanquam hepatica excrementa maxima ex parte acria sunt) sic declarat propriam affectionem hepatis. Non abs re autem adiectum est,* si æger apud se sit, *ne quis putet istam inuoluntariam excretionem læsâ ratione fieri: ita enim signum imbecilli hepatis non ita esset manifestum, sed præterea denotaret affectum cerebrum. Item non declaratur vlla offensa generis neruosi, propterea quod integra sunt intestina. Si ergo inuoluntaria sit illa excretio stante ratione, non læsis intestinis, signum est imbecilli omninò hepatis.*

CONSILIVM XLVI.

De renum calculo.

QVIDAM orthopnœâ laborare videbatur, vnde grauissimè haberet. Nonnulla erat suspicio affecti pulmonis, non tamen certa erant argumẽta quibus appareret vitium in pulmonibus conceptum. Tamen cùm orthopnœicus ac anhelosus maneret, quæsitum quę illius difficultatis causa esset: multis ad vnguem pertractatis, in eam ventum est tandem opinionem, vt nil tale in pulmonibus consistere crederetur quod eam difficultatem inueheret. Sed vt plerique sunt aliis oculatiores, dictum est suspicionem magnam esse calculi in renibus. Quod cùm contingit aliquatũ difficultatis spirandi species apparere potest. Consultum renibus est: Deturbatus remediis conuenientibus calculus libertas respirationis est restituta. Causam autem eius

rei esse volunt, quòd neruulus est à sexta coniugatione peruadens diaphragma, & ad renes vsque perreptans, qui oppressus vt in opposito femore stuporis sensum infert: ita in partibus superis difficultatem nonnullam respirationis afferre potest; nam renes ambigunt inter partes superas atque inferas. [1]. Et nos vidimus mulieres aliquot & viros, quibus familiaris renum dolor est grauis & pungens, qui sæpe cõquerũtur de dolore lateris ac si pleuritis aliqua nothas costas occuparet, cùm tamen nil sit tale: sed ob obsidionem renis à calculo, aut eiusdem oppressionem ab aliqua re obstruente ratione nerui implantati in renis corpus, idem fit quod & in lienis aut hepatis tumore, aut obstructione; Nam circum clauiculas dolorem sentiunt tensiuum. Quærat quis, cur non id omnibus calculosis contingit, aut quibus præpediti sunt renes? Non est necesse. Nam sæpe insigniores sunt nerui in aliis atque aliis, ac errore quodam naturæ in eã sedem partis alicuius inseruntur, in qua sensus viget magis, ac consensus maior est cum partibus vicinis. Nec enim quibuscumque contentus in capacitate renis lapillus est, iis obiectum oppositumque femur stupet, tametsi stuporem tanquam σημεῖον συνεδρεῦον lapidis in rene contenti constituat Hippocrates. [2]. Eiusdem quippe morbi varia atque varia in aliis atque aliis corporibus signa apparent: quod efficit vt ars nostra planè sit στοχαστική, non autem ἀποδεικτική. Oportet enim multa συντεκμαίρεσθαι, id est, probabilibus quibusdam rationibus atque apparentibus signis colligere; non autem ἀποδεικτικῶς & συλλογιστικῶς concludere, ac si aliter contingere non possit in Socrate atque Sophronisco: variæ enim sunt humorum ideæ, variæ spirituum, variæ corporum, variæ morborum. Quæ omnia imprimis artem nostram difficillimam reddunt, & immensam planè.

ANNOTATIONES.

1. Arculanus cap. de renum apostimate, docet alia esse symptomata, si ren dexter laborat, alia si sinister. Si dexter, hepar compatitur, & partes potiùs superiores; si sinister, ad partes potiùs inferiores malum pertinet. Addit quod si abscessus occupat panniculos renum & suspensorium, magnificatur dolor, & fit fortis, & prohibet erectionem, tussim, & sternutamentum, & difficile est inuenire locum. Hæc omnia notanda, vt non temerè accusentur partes superiores innocentes alioqui, cùm malum

ſeſe in inferioribus firmauerit.

2. *Hippocrates part. 5 lib. 6. ſect. 1. Epid.* νάρκη τοῦ μηροῦ κατ' ἴξιν, *huius ſtuporis duplex eſt cauſa: Prima, compreßio muſculi* ψόας *dicti, cui renes ambo incubant: altera, compreßio nerui qui in cruris muſculos inſeritur. Hanc autem à calculi duritie & pondere fieri hinc patet, quòd incipiens calculus ſtuporem non inducat.*

CONSILIVM XLVII.

De ſanguinis per os reiectione ex coſtarum vulnere.

SEPTVAGENARIVS vilibus muniis occupari ſolitus ingentem ſarcinam concinnare volebat, ac circumquaq; illigare. Funes medii ingenti conatu immiſſo in tranſuerſum baculo rumpuntur. Baculus coſtas illidit, atque ita proſternitur. Dolor quibuſdam lenitur; nonnihil tamen doloris circum læſas partes percipiebatur: nil poſt cum quaſſum ictumque excernitur per menſes quatuor aut quinque. Tandem per aliquot dies appetentia imminuitur: nauſea adeſt: membra laſſantur: dum nil tale cogitaret, per os excernitur magna copia ſanguinis nigri, fœculenti, grumoſi, cum animi defectionibus: pulſu imbecillo, & intercalari intermiſſione. A reiectione quieuit. Denuò animo deficitur, ſyncope prehenditur, ſudor frigidus, vomitio magna ſanguinis multò deterioris quàm ſit ſuperior: dolor ad notharum coſtarum regionem. Omnes interiturum credebant; conualuit tamen.

1 Vnde ſanguis ille? Cùm cauſa procatarctica præceſſiſſet, cur non aut primo quoque tempore excernebatur, aut non in pus concreuerat? Si concreuiſſet in pus, cur non malignitatis ſuæ ſigna priùs edidit? Credibiléne in capacitatem fluxiſſe, & tanto tempore manſiſſe impunè? Cur non factus abſceſſus? Credibile non affatim coaceruatum eſſe, nec per modum ruptionis vaſis exiliiſſe è vaſis. Sed cùm pars icta fuit læſa ac concuſſa, hîc accumulatus ſanguis, tandem communicatione & tranſſudatione in partibus vicinis conceptum vitium: alioqui & leipothymiæ præceſſiſſent. Immò ſi menſtruus ſanguis in muliere ſtato tempore non exeat, non multùm poſt furit, impetumque mouet, adeò facilis eſt ſanguinis redundantis, ac eius præſer-

tim qui in partem aliquam fuſus eſt præter naturam, orgaſmus, impetus, ac ira, idque propter corruptionem quam de facili cõtrahit. Accedit quod ſenex erat, ſqualidus ac ſiccus: propterea-que non tantus eſt humoris impetus quantus in iunioribus: & ratione ætatis non tanta eſt humiditas & calor, quæ ad facilè contrahendam putredinem eſſe poſſint. Sed inquiramus cur non interierit, cùm Aphoriſmi Hippocrat. & in Coacis, & in libro Diſtinctionum contra eum facere videantur?

In 4° Aphoriſmor. ſcribit, *Morbis quibuſlibet incipientibus ſi atra bilis ſupra vel infra exierit, lethale.* An hic aphoriſmus contra eum fecit? Nequaquam; idque tribus de cauſis. Primùm, quia morbus non erat vllus: id eſt, nec inflammatio, nec febris, nec vitium in hypochondriis, cuius morbi cauſa eſſet ille humor qui excernitur. Qui quoniam non excernitur legitimo tempore, id eſt nec naturâ coquente, nec ſecernente, nec propriè euacuante; totum illud eſt ſymptomaticum. Natura enim nil excernit in principio, aut ſi excernit, ſymptomaticum eſt id. Ergo id quod excretum eſt, materia morbi non erat. Quis enim neſcit ſæpe naturam citare aluum ſine morbo, vomitiones prouocare, cùm id nec ſymptomaticum, nec criticum propriè dici debeat? Sed cùm morbus eſt, ſi materia quæ excernitur morbi eſt, malè id fit initio.

Secunda ratio, id quod excretum eſt, non erat atra bilis, ſed ſanguis niger: at vt inter atram bilem & ſanguinem nigrũ multùm intereſt; ita magni refert initio atram bilem, aut ſanguinem quemdam fæculentum excerni.

Tertiò, primo quoq; tempore excretio facta eſt, cùm haberet ἀφθοσάδη: nec id tempus principium dici debet morbi, cùm morbus non ſit: aut ſit ita, ſequatur morbus poſteà, cùm vituperatur excretio initio morbi: voluit Galenus principium morbi non ita anguſtè accipi, ſed cùm paulùm progreſſio facta eſt. Quanquam non negamus aliquando primo quoque tempore lethales excretiones eſſe, & lethalia ſymptomata, quod authore Galeno in corpore humores ſæpe deliteant veneno adæquãdi. Sic in Aphoriſmis damnat deiectiones ſponte venientes, qualis ſanguis niger, ſiue cum febre, ſiue ſine febre. Quanquam hæc conditio, ſine febre, magni ſit momenti, quòd multa excernantur modo minimè laudando, ad quem ſi acceſſio quoque febris fieret, multò res deteriùs haberet: quod paulò poſt ape-

Cap. 6. lib. 1. de criſib.

riemus. Deiectiones autem venientes sponte prauæ sunt, aut quòd summum frigus designent, aut incendiũ ingens, aut corruptelam. Quod in pestilenti constitutione accidisse asseuerat Galenus.

Com. in Aphor. 2 lib. 4.

Est alius aphorismus qui contra ægrum nostrum stetisse videtur: *Quibus ex morbis acutis aut diuturnis, vel vulneribus, vel quodammodo extenuatis, nigra bilis, seu vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.* Læsus erat, contusus, vulneratus quodammodo (quanquã in Græco ponitur nomẽ τρώματος, quod insigne vulnus significat) excernitur vti sanguis niger (nec enim atram bilem propriè excreuit, vt paulò antè diximus) quare nõ postridiè interiit? Mirum est quod Galenus hunc narrans aphorismum, istam particulam, ἢ ἄλλως λελεπτυσμένοις, generaliter retulerit ad omnes alias particulas per disiunctionẽ scriptas: ac si dicat Hippocrat. Quibus ex morbis acutis extenuatis, quibus ex lõgis extenuatis, quibus ex vulneribus extenuatis: nõ autẽ per distinctionẽ hanc; Quibus ex morbis acutis, aut lõgis, aut extenuatis, aut vulneratis, &c. vt sit ea mens Hippocratis. *Quibus extenuatis aut à longo aut acuto morbo, aut vulnere, atra bilis exierit,* &c. Vt extenuationis nomen explicet propriè mentẽ Hippocratis, & extenuationis verbũ verè doceat cur mors sequatur necessariò. Ita enim vult Galenus eos interire quod talis excretio iis cõtingat, qui sunt ἐσχάτως λελεπτυσμένοι, non simpliciter vulneratis, non simpliciter laborantibus morbo aut acuto, aut longo: sed ita in extenuatis cõtingit, quòd adeò natura imbecilla, vt nec coquere, nec excernere, nec secernere possit. Et cùm ob morbi magnitudinem nequeant contineri, effunduntur necessariò. Ob imbecillitatem autem mors anteuertit vel initio, vel augmento, non autem morbi declinatione, aut statu expectato; vt in aliis morbis euenire ait Galenus. Sic cùm æger noster extenuatus non esset, de eo intelligi non potuit aphorismus.

cap. 5. & 9. lib. 1. de cris.

An alius aphorismus intelligitur? Sanguis, suprà qualiscũque fuerit malus, infra autem bonus. At suprà excretio facta: ergo mala. nam aut ruptionem, aut apertionem, aut exesionem valis significat. Nam mala est quòd per os, & mala quòd affatim. nam cùm per comparationem excretio sanguinis per inferiora laudanda censetur, Galenus non vult etiamnum sanguinem largè profluere, sed pedetentim, adeò vt tarditate gressus nigrorem acquirat sanguis, non quòd reipsâ talis sit. Textus Leoniceni deprauatus

deprauatus est; legere enim oportet pro eo Leoniceni textu, *Melius est, vt infrà exeat, & neque huc per modum dirupti sanguinis, sed paulatim fluentis exeat.* . Ita ego interpretor : Satius est per inferiora secedere; non ita tamen vt illac feratur eo modo quo in hæmorrhagiis affatim, sed sensim fluat. Atque cùm qui præcesserunt aphorismi de ægro nostro non intelligantur, hic verè intelligi potest. Nam omnis per os excretio sanguinis mala, si mulieres exceperis, in 5. Aphorism. & in hoc reuerà mala: Sed securitas ex eo est quòd febris non adesset, si verus aphorismus Hippocratis est. *Quicumque euomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare; si cum febre, malum.* Propriè autem nomen σωτηρία hoc loco non sumitur, sed pro eo quod dicitur, ὀλιγοχρόνιον θεραπευθῆναι, comparatione cum ea excretione quæ è pulmone fit, quam planè vituperat Galenus in comm. in hunc locum.

ANNOTATIONES.

1. Sanguis tam venarum quàm arteriarum extra vasa effusus, aut foràs in aliquam corporis capacitatem, vt asperas arterias, thoracem, ventriculum, intestina, vterum, vesicam, subitò propter fibras concrescit in grumos, aut putrescit: quorum alterutrum cùm accidit, grauissima oriuntur symptomata. Optimi enim corruptio pessima esse solet. Sic seminis quàm sanguinis aut putrescentis, aut suppressi in hystericis mulieribus grauiora sunt symptomata, quia purius semen & magis spirituosum. Sic humanum cadauer, omnium pessimè olet; quia corpus humanum vt functionum perfectione cetera animantia superat, sic temperamenti præstantia ob formam omnium nobilissimam, rationalem scilicet animam. Ita alimenta quantò sunt meliora si corrumpantur, eorum corruptio deterior esse solet quàm eduliorum quæ deteriora sunt & ὀλιγότροφα.

2 Vixit annum & dimidium post: nullumque diem præteriit in quo molestiam aliquam in parte læsa non senserit. Tandem rupto veluti abscessu aluus fæculentis excrementis descendit, iisque fœtidissimis. Visus est alleuari. Iterum aluus lata est, & dum recumbere vult, statim aphonos redditur, mediâ horâ post interit. Mortuo excretio fit per os, & deorsum magnâ copiâ, ac præsertim grumosus sanguis excernitur.

3. Hic locus plenior libro Definitionum Medicarum Galeni, vel cuiuscumque sit autoris. Hæmorrhoïs est delatio sanguinis paulatim facta per dissultationem. Hæmorrhagia abundans è naribus effusio. Notandæ hæ

voces, quod ad hunc locum intelligendum faciant plurimùm.

Nota excretionem per inferiora (quam de hæmorrhoïdali profluuio κυρίως *vult intelligi Galenus) laudari, si duæ adsint conditiones. Prior, si sensim fluat, quod mirum, cùm opus sit naturale: posterior si excernatur niger, non quòd talis sit ex se, sed quòd tardè fluendo talem nigrorem acquirat. Quod vel ex Galeno falsum conuincere possumus. nam lienosi qui hoc fluore iuuantur, nigrum cumulant, ergo excernunt. Verbum, vomere, propriè sumitur, sed* καταχρηστικῶς, *quidam etiam ad excretionem è pulmonibus esse referendum volebant. Galenus autem omnem excretionem è pulmone sanguinis non salutarem esse ait, id est, non curatu facilem, vt interpretari licet, siue sit febris, siue non sit. Si sit febris, omninò malum: si non sit, non paulò post sequitur. Sed cum vomitio est sanguinis sine febre, non mala ita est (vt in hoc ægro de quo loquimur hîc apparet) nam collectionem tantùm sanguinis, non autem perennem generationem, & prouentum ad excretionem significat: sed cùm febris est, bifariam mala, & vt signum, & vt causa: vt signum, quia declarat subesse inflammationem in partibus internis, quæ talis excretionis causa sit: vt causa, quia dum humores à febre acuuntur, maior excretio sequitur. Nam quæcumque excretiones cum inflammationibus sunt ac febribus, non solùm vix curari possunt, sed nec in eadem magnitudine perdurare; Maiores enim fiunt ac maligniores. Sic locus reponendus qui à Leoniceno male conuersus. Dictum est quidem ante verbum* ἐμεῖσθαι *in aphor. 37. lib. 7. non sumi pro* πτύεσθαι, *vt quidam voluerunt: quia, vt ait Galenus in comment. in hunc locum. Omnis excretio è pulmonibus sanguinis est* ἀκίνδυνος: *tamen miror quomodo Galenus non legerit aphorismum in Coacis, qui simillimus aphorismo est 37 allegato, vbi Hippocrates vtitur verbo* πτύεσθαι. *Huius verba sunt:* Sanguinem spuentibus, confert si sine febre, & tussiant, ac doleant leuiter, & vt sputum fiat ad dies bis septem tenue: Febrire verò & tussire, ac dolere pertinaciter, & recentem sanguinem semper spuere, malum est.

CONSILIVM XLVIII.

In quo quæritur, cur multi valdè valetudinarij viuant, alij integrè sani, alij in statu neutro.

CORPVS nostrum ægrum est, aut sanum, aut neutrum. Ægro corpori ars quæsita est quæ morbos præsentes arceat

ac profliget? Sano, quæ conseruet; Neutri, quæ in alterutrius officio ambiguè versetur. Par enim ratio aliquando videtur & curationis, & conseruationis, aliquando dispar ac dissimilis. Inter eos qui viuunt, quidam integrâ perfectâque valetudine vtuntur: alij lubricâ admodum, & quibus minimis momentis de sanitatis præsidio decedendum est. Tertij aduersa valetudine conflictantur. Ac primis quidem viscera, partésque solidæ, robustæ, integræque sunt, quarum in virtute ac legitima symmetria sanitatis ipsius thesaurus reconditur, ac consistit. Secundis partium natiua est infirmitas, vt quæ foris occursantibus causis morbificis, aut internis in nobis nostrisque visceribus genitis minimè resistant, contráque facillimè cedant. Tertios autem morbus ferè occupat, quòd inter partes quarum potentiâ corpus sustinetur ac administratur, vna sit aut altera quæ in vitio sit, vt cùm aut proprio pulmonis vitio phthisici decumbũt, aut cùm catarrhosi ob innatum cerebro vitium, aut alia atque alia ratione afficiuntur. Inter morbosos quidam ita sunt affecti, vt peculiari vitio partis principis, aut cerebri, aut hepatis, aut ventriculi, aut lienis, aut mesenterij (latiùs enim patet nomen Principis partis, quàm à quoquam veterum dictum sit) facilè in morbum etiam grauem incidant; alij in febres facilè, quod notandum. Vitio partis quidem, vt cum obstructionibus obnoxius lien est, aut cum primæ venæ facilè impediuntur, vt de melancholicis hypochondriacis patet, statim & veluti in procinctu morbus adest tracto in sympathiam ventriculo. Et cur non præcipuæ cuiusdam partis mesenterium ipsum, per se quidem abiectum & vile, si præsertim conferatur cum aliis partibus, quarum nobiliora præstantioráque sunt munia, cum impedito obstructóque mesaræo, tam citò occurrant morbi? Ita enim quibus primæ venæ cremori ventriculi excipiendo destinatæ obturantur, obstruuntúrque, vomituriunt sæpe, malè coquunt, leipothymiis prehenduntur; an non magni est momenti? In singularum partium vitiis exquirendis immorandum non censeo: satis fuit indicasse morbosos valetudinariósque quosdam existere peculiari vitio partis. Alios valetudinarios vocamus, vt qui promptissimè à febribus communibus humanæ naturæ hostibus præhendantur. Nam siue ludant, siue irascantur, siue paulò liberaliùs genio indulserint, ecce in insidiis stat febris quæ in eos quamprimùm grassetur atque inuolet. Contrà verò alios

minimè omnium valetudinarios vocamus, qui febri non ita pateant. Eorum autem qui febribus tanquam communissimo omnium morbo vtpote in omnem ætatem omnéque tempus incidente corripiuntur, alij facilè eo morbo defunguntur, alij non. Sed cùm sæpè in febrem incidant, læduntur tandem plurimùm; nam & calor febrilis varias in corpus mutationes inuehit, & morbus tam sæpe recurrens cum actionum læsione non potest non partes offendere, penuriâ alimenti, & officij intermissione.

Quæ causa autem sit cur aliqui in febrem non incidant, aut rarò, aut in eam perbreuem, cùm tamen inter morbos febris omnium facillimè occurrat, breuiter strictimque aperiundum. Ex generibus febrium, quædam putredinem agnoscunt parentem, vnde putres febres; quædam simplicem intemperiem. Illis continentur Quotidianæ, Tertianæ, Quartanæ. His synochi imputres, hecticæ, diariæ. His aut illis obnoxia sunt corpora, aut non. Natis quidem ab intemperie squalida, hirsutáque, & biliosa corpora obuia sunt. Putribus autem ea quæ obstructionibus plena sunt, calida humida, præsertim si perspiratione careant, aut aëre frigido degant. Obstructionibus autem peruia corpora sunt, aut conformationis vitio, vt cùm coacta angustáque sunt vasa, & viæ mesareæ (mesenterium enim maximè fons, seminarium, & scaturigo putridarum febrium & morborum à putredine à nobis constitui solet) aut diętæ vitio. Qui itaque in neútro peccant, id est nec immoderato victu cultúque vitam degunt, nec à natura ipsa obstructionis facilitatem ac procliuitatem hauserunt, non ita facilè à putridis febribus impetuntur ac occupantur. Contrà autem quæ contrario modo affecta cernuntur. Itaque mirum non est si ex mortalibus quidam quadragies febribus putridis corripiantur, alij ne semel quidem, tametsi ex iis quidam satis pituitoso corpore sint, quidam verò non ita pituitoso: immò sunt qui nisi quotannis ter quatérve repurgentur, putridis febribus corripiantur: alij nec purgantur, nec corripiuntur tamen: immò quadraginta annos penè sani exigunt. Reperti sunt quibus contra normam & naturam febrium putridarum decimoquinto die contingeret. Quod annotauit Rhases Antipater Sidonius Poëta apud Plinium, singulis annis vno die tantùm natali nimirum febri corripiebatur. Dominus de Masseparault supplicum libellorum in Regia Magister mihi affirmauit magna cum celebrium Medico-

rum admiratione, certo quodam die singulis annis grauiter se laborare ac si hecticâ febre præhenderetur. Et ego ipse dum hæc scribo, commentórque, illius quod nobis quotannis accidit facilè ac lubenter meminero. Quater in anno in magnis quatuor temporum anni mutationibus febriculâ tãquam diariâ prehendor, cum totius corporis grauitate, inappetentia maxima. Videmus qui nunquam se febre manifesta prehensos asseuerent: Alii nisi quater in anno repurgentur minima occasione in febrem præcipites ruunt: siue quòd propter consuetudinem purgationis id contingat, seu potiùs ob intemperantem victus rationem. Scribit enim Galenus meliùs esse multò si de cibis detrahant, si sese exerceant: non enim ratione consuetudinis contingit vt illis euacuatio prosit: sed quoniam ex deprauato victu multos humores crudos ac prauos collegêre.

Lib. de consuetud.

Quæ hactenus dicta sunt in eum maximè finem spectant vt paretur muniaturque via ad historiam cuiusdam Nobilis Iuuenis qui in grauissimum morbum incidit, cùm nunquam laborauisset. Ecce dum in suis muniis, solitóque versatur officio, febre præhenditur: primo quoque tempore vires labuntur, vrina supprimitur, fandi impotens ferè redditur, tanquã stipes inanis in nullam partem versatilis iacet: denique hîc potiùs de sepulchro quàm de remedio cogitatur. Idem filio Præsidis Boherij contigit: nam vndeuicesimo ætatis anno in febrem incidit, primùm languidam ac sepultam. Nihil excrementi redditur. Nonnisi post 24 horas vrinam faciebat: animo facilè deficiebat: ne minimum quidem sudorem ferre poterat, tamen vehementes purgationes satis alacriter tulit. Febris sine typo, posteà tertianam referebat. Primis diebus sine perfrigeratione, sequentibus aliquando: rigor prehendit, facies non concidebat. Aluus nonnisi sollicitata reddebat. Quærat aliquis, quî fieri possit vt qui olim tandiù integrâ sanitate fruitus est, nunc in morbum lapsus tam grauiter laboret? Cur primæ vires hactenus morbo non afflictæ non apparent? Qui diuturnis morbis sunt afflicti ac impliciti, si fortè recidant sæpè etiamnum nouos morbos experiuntur ac sustinent, cur non alacriùs ferant ii qui nihil de viribus amiserunt, qui semel morbo tentati sunt? Alia longè ratio est. nam qui in morbum relabuntur ac recidunt, non longè qui-

dem à priore morbo absunt; & ii fractis iam viribus impetuntur; quo fit vt ferendo non sint, sed aut grauiter ægrotent, aut ferè moriantur. Sed qui sæpe morbis implicantur, ii ferè robustiores existunt tanquam in ea re exercitati, & leui de causa in morbum incidentes. [2] Contrà qui toto ætatis suæ cursu aut nunquam, aut semel, bisve ægrotauerunt, idque leuiter, grauissimè maximam partem laborent, tum propter inexperientiam & insolentiam morbi, vt sic dicam. Nam qui labores ferre consueuerunt, etsi imbecilli, aut senes, iis qui non consueuerint, vel etiamsi iuuenes fuerint, multò suntrobustiores. Item quia cùm diutissimè integrâ sanitate freti sint siue ob partium integritatem, siue ob laudabilem temperatamque vitæ rationem, siue ob vtrumque, de suæ sanitatis gradu non nisi magna de causa deciderint. Oportuit enim causam validam esse quæ corpus hoc tam sanum de primo statu deiecerit ac depulerit: Siue quia idem contigerit quod habitui athletico euenire solet. Corpus enim quantumuis incolume ac sanum, tandem ad summum bonitatis prouehitur, vt necesse sit illud in deterius decidere. Vnde narrant quidam scriptum esse ab Hippocrate (sed locum non legi [3] vnquam) quosdam ætatis annum summa cum sanitate exigere & attingere; sed propter quasdam quæ in ætatibus contingere solét mutationes, eos ferè mori. Quod si scriptum est ab Hippocrate, notandum maximè, & illud quidem experientiâ obseruatur.

Sed ad institutum redeundum est. Qui diu sani fuerunt quatenus tandiu integrâ freti sunt sanitate, satis indicant firmitatem ac robur partium, accedente probâ diætâ, quæ etiã corruptam naturam conseruare & instaurare potest. Quanquam accidit nonnullos intemperanter, omnique cum luxu viuere; tamen sanos ætatem suam degere. [4] Ac si tantò firmiores stabilioresque partes redderentur, quantò deprauatior deteriórque vitæ ratio existat. Vt contrà, plerique cũ moderato victu cultúque suos annos exigant in summa imbecillitate versantur, immò si eorum sanitati conseruandæ quidam Asclepiades præficiatur. Quod cur contingat, huius quidem loci est ac instituti, sed non huius temporis cum pleniore in ea re temporis vsura vti debeamus. Nunc autem vno verbo explicemus, cur qui diu sani sunt, semel in morbum

lapsi tam grauiter laborent, immò vitâ periclitentur, id præter rationes paulò superiùs adductas non alia ex occasione nasci videtur, quàm quia temporis diuturnitate per congestionem quandam in corpore accumulantur humores qui non statim putrescunt, nec proteruiunt, sed leui de causa irritati & moti ferociunt ac turgent. Atque cùm copia multi sint, natura aggrauatur, & cùm eiusmodi motum ac putredinem nunquam senserit, illius rei insolens, pugnam detrectat, ac succumbit. Hinc morbi sæuities, præsertim ob magnam virium iacturam.

Illud abundè aperuit historia illius iuuenis, cuius nomine suscepta est hæc disputatio: qui cùm nunquam, aut leuiter admodum laborauisset, oborto morbo non ita vehementi concidit quasi fractus & consternatus. In totum naturales euacuationes substiterunt. Et cùm inter ceteras vrina tres iã dies fuisset suppressa, frustrà curatus est tanquam ischuriâ. Tamen vt sæpe multa ab imperitis temerè & contra artis præcepta fiunt, quorum non est omninò sinister euentus: ita in hoc ægro temerarium factum prospero euentu sese auspicatò prodidit. Datus est illi potus ex terebinthina destillata, syrupo de althea, succo limonum: eodem die vrina largè profluxit. Paulò post aliquantùm releuata natura, sed posteà cõcidit. Itaque remedia quæ naturâ fatiscente præscripta fuerint, & quæ eâdem paulùm erectâ hîc adscribemus.

℞. *Mithridat. opt.* ℥ j *conseru. buglos. viol. an.* ℥ ß. *fiat emplastrum pro corde.*

℞. *rasuræ ebor.* ℈ j. *vnicor. gr.* 4. *cornu cerui* ℈ j. *syrup. granat.* ℥ *s. aquæ carduæ* ℥ *ij. s. fiat potus.*

℞. *olei rosati* ℥ *ij. aceti* ʒ *ij. pro ventre.* Erat æstus ingens.

℞. *destill. restaur. lib. j. syrup. viol. & de limon. an.* ℥ *ij. s. passetur cum* ʒ j *cinam. vtatur sæpe.*

℞ *rasur. cornu cerui* ℥ *s. sacchar. rosa. tabul. quod sufficit. fiat puluis vtendus sæpe.*

℞. *syrup. granat. oxysaccha. an.* ℥ *s. aquæ card. & scab. an.* ℥ *ij. s. mithridat. confect. alkermes an.* ℈ *j. rasur. cornu cerui* ʒ *j. fiat potus pro duabus dosibus.*

Iniectus clyster blandus.

℞. *rasur. ebor. cornu cerui, margar. elect. vnicorn. an. gr. vj. syrup. de nymph.* ʒ *vj. destillat. restaur.* ℥ *ij.* ß. *fiat potus.*

Item ℞. aqu. card. lib. j. ad vsum.

℞. syrup. de cichor. compos. sine rhabarb. oxys. simpl. an. ℥. j. ß. cum decoct. gramin. passul. glycyrr. fiat iulep.

Item fiat iulep ex syrupo de granatis & de limonibus.

℞ mithridat. ʒ ij. theriaces ʒ j. conseru. rosar. buglos. viol. borag. an. ʒ iij. decoct. vnius capi alterati cum buglos. borag. lib. iiij. carnem vnius capi, aqu. card. ℥. iiij. fiat destillat. in balneo Mariæ. Vtatur addendo syrupi violati sextam partem.

Item repurgatus rhabarbaro infuso in destillato restauratiuo. Bis, terve repurgatus, recreata natura.

Primis diebus pro desperato relictus est. Et in hanc historiam attentos nos esse oportet, vt discamus non temerè negligendos relinquendosque morbos qui primo quidem obtutu tanquam immedicabiles sese nobis offerunt: Nec prætereà de morbis præcipitanter esse pronunciandum. Suspendi enim oportet iudicium in prognosi præstituenda, nisi certò constet: præsertim cùm hoc tempore propter ingluuiem morbi pullulent, veteribus nunquam cogniti, & contrà quàm factitatum sit à veteribus, nulla dierum criticorum habita ratione subinde ac identidem, variis remediis ægros oneremus, vt omne naturæ studium ac ordo peruertatur ac pereat: & magna cum nominis sui calumnia multi etiam ex primariis Medicis, aut eos morituros, falsò præsenserunt ac prædixerunt, qui non tamen non ita longè pòst à malè lata sententia tanquam prouocarent, superfuerunt, & contra multos victuros pronuntiarunt, quos non ita longè post mors secuta est.

ANNOTATIONES.

1 Caput hoc scriptum est vt quæratur ratio cur multi valdè valetudinarij viuant, alij integrè sani, alij in statu neutro. Et quibusdam præsto semper sunt Medici & remedia, & tamen non valent. Aliis contrà, & integrè viuunt. Item cur multis quinquagies secta est vena, profluuia alui, & aliæ excretiones contigerunt, aliјs nil tale, cùm etiam non integrâ sanitate fruantur. Tandem ij qui obstinato animo licèt ægri noluerunt sibi venam aperiri, æquè diu viuant. Quomodo detractio multa sanguinis in multis aut non detrimentum attulit, aut quibus nulla facta est periculum non contigit?

2. Huius rei demonstrationem petes accuratam ex cap. 4. lib. 2. de præsag.

præsag. ex pulſ. vbi Galenus de comparatione intermiſſionis pulſus in iuuenibus, aut in ſenibus & pueris agit.

3. *Locum illum tandem legi lib. 1. de Diæta, dum loquitur de iis qui in optimo habitu ſani diu viuunt. Qui autem morbi à quadrageſimo anno à morbo aliquo correpti fuerint, nunquam ferè euadunt. Sed quoniam ille locus obſcurè ab Hippocrate ſcriptus eſt, ideò longiore & tempore & otio maiore indiget, horum explicationem in alium locum reiicientes, nodum qualiſcunque ſit diſſoluemus.*

4. *Celſus fortè huius rei cauſam explicauit. Dum enim cauet ne nimium aſſueſcamus vti medicamentis, ita ſcribit:* Purgationes vt interdum ſunt neceſſariæ, ita frequentes periculum afferunt. Aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cùm omnibus morbis obnoxia ſit maximè infirmitas. *cap. 3. lib. 1.*

5. *Notandum hoc ſymptoma nam aliàs vt ſymptoma curari debet, aliàs vt morbus: ſummum verò adhibeat iudicium Medicus, an in febre vrina ſupprimatur per ſe, an per accidens; quoniam falsò recurrunt quidam ad calculum, aut ad alias cauſas falſas: & oportet diligenter incumbere in coctionem humoris, & excluſionem & naturæ vim excitare, & non fruſtrà catheterem immittere metu maioris mali; id enim accidit cùm totum corpus crudioribus humoribus refertum eſt. Confluit autem ex ipſo aceruata multitudo in veſicam, quæ ampliùs diſtenta & dolitans, ad actiones ſuas inefficax fit, & periculum ſuppreſſæ vrinæ inducit.*

CONSILIVM XLIX.

De capitis vulnere.

NVPER in ludo literario puelli colludebant, alius perâ, alius calmario, & vt quiſque hac aut illa re erat inſtructus, ita tanquam idoneo inſtrumento vtebatur. Fortè in peræ fundo gladius acutiſſimus latebat, cuius mucro pertuderat fundum. Is ſenſum ob acutiem fugiebat. Peram capiti appreſſit iocò, hinc vulnus inciſa cute inflictũ. Sinuoſum erat, adacta cuſpide acutiſſima funditùs & punctim os læſum. Neglectum id quicquid fuit ob vulneris exiguitatem. Malè tum, quoniam nil negligendum in ſauciato vulneratóque capite: & quo magis ſenſum fugit, eò maiori curæ eſſe debet. Dilatatâ plagâ apparuit os læſum eſſe, ſed an vtraque tabula perforata eſſet, an media diploe ictus

restitisset, controuertebatur. Si illud esset, necessariò modiolum adhiberi debere conficiebamus. Si hoc, id est, alteri tantùm tabulæ adactus esset mucro, à terebra temperandum erat. Hoc perplexum obscurúmque fuit admodum: Nam temerè ad terebram accedere periculi plenum erat, ita rebus non benè subductis, eam prætermittere, & vituperationis, & periculi metum afferebat. Vnum tanquam vniuocum signum parebat, nempe systole ac diastole, & nutatio seu inundatio quædã quâ ictus inflictus erat, vt propterea tactam esse pertusámque vtramque tabulam coniiceretur, ac sic modiolum vsu-venire. Sed hac inundatione deceptos sese esse, delusósque Chirurgi asserebant, quòd hanc nutationem sæpe pręse ferant arteriæ exiguæ quæ diploen perreptant. Itaque cùm dubitaretur quò pertineret ille motus & agitatio, an ad cerebrum vi ictus detectum, an ad arteriolas in diploe intertextas, anceps magis ac dubium consilium ac ratio existebat. Vt in vtramque partem paria æqualiáque rationum momenta starent. Si noxa vtrique tabulæ illata foret, aiunt, sese id signis quibusdam detexisset. At nil planè ante 14 diem apparuit. Et illud quantulum fuit, procatarcticæ cuidam causę assignabatur. Si læsum os vtrumque, stillasset sanguis. A stillicidio aliquid incommodi cerebro accidisset. Prætereà vomitiones nullæ contigerant, stupor nullus, nilque ex iis quæ læsâ vtrâque tabulâ euenire solent, & ad terebram ideò consilium conuertunt ac dirigunt. Nos contra coniectas has petitiones eludebamus. Vomitiones, & id genus alia quæ vtriusque tabulæ lęsionem, ac piæ memingis offensam significant, non in punctim factis vulneribus ita apparent, vt in aliis tromaton differentiis, vt cùm concussio facta est, aut magna plaga illata, aut lapsus fuit, aut cùm effractio est cranij. Accedit quod rimulæ angustia in cæsim facto vulnere, præsertim tam acuto gladiolo, impediat quominus in memingem stillet sanguis; aut si quid tale contigerit, pigro gressu id fit, & adeò exigua quantitate, vt nil, aut parum inde argumenti capi desumíque possit.

Rebus ita agitatis, ac dubiis ob obscuritatem, & multa rationum inuolucra relictis, tandem fortunâ ac casu sæpè ad benè medendum, & fœliciter scopum contingendum, nonnihil faciente, ad modiolum concursum est. Læsum os detractum. Incredibile hoc fuit, & cuius gratiâ hunc commentariolum de illo ictu conscripsimus de índustria, nulla apparens erat diploe: os

cranij vnum erat, vna tantùm tabula, quod terebranti multùm attulit metus ac suspicionis, ne quicquam peccaret. Ita enim trepanum ἀβάπτιστον adhibent, supra cuius mucronem circulus quidam parum latus extans circumcurrit. Prohibet enim ne dum terebra agitur, altiùs descendat, & subiectas partes violet. Ita enim ipsius terebræ circumactus,& appressio faciliùs fertur. Et cùm iam totũ os perforatum erat, opinione diploes ductus, rursum apprimebat terebram, cum cerebri substantia occurrit. Atque propterea frustrà ad arteriolas percurrentes diploën motus pulsatorius ille de quo mentio facta est, relatus fuit. Itaque nisi rationibus satis quidem firmis, fortuna, & cepti fiducia præcurrisset, magnum saucio puello periculum creatum fuisset. Rationes quidem quibus contrà nitebantur ne temerè modiolus adhiberetur, veræ ac probabiles erant, sed earum falsitatem solus euentus detexit. Quis enim credidisset naturam in pluri-mis sapientem ita in illo puello sui oblitam adeò, vt os, quod diploe in omnibus ferè diuisum distinctumque miro artificio, ac profectu incredibili vnum constitueret?

Hæc dicta voluimus, vt intelligant qui artem Medicam, Chirurgiam ei administram subaudio, exercent, multa sæpè fortuitò experiunda esse contra quàm ratio ipsa nobis dictare soleat. Etsi enim magna consilij iudiciique vis est, apprimè ad fœliciter medendum conferens, & ad gloriam consequendam plurimùm compendij afferens: tamen experientia quædam, fortunáque quædam cœca ac bruta aliquando pluris faciunda. Sæpe enim axiomaton nostrorum prætextus speciosus, ac mor-dicùs facta obseruatio, in præcipitia quædam pericula ægros magno damno coniecit. Cuius rei fidem facit præsens illati vulneris historia. Si enim præualuissent rationes nostræ magno artificio confictæ cuidam ausui temerario, laudando tamen, syderationis periculum, ac deinde interitus creauissemus. 1572.

CONSILIVM L.

De lactis asinini præstantia & dotibus.

CIBVS in ęgris loco & tempore non præscriptus variis incommodis corpus afficit. Quemadmodum enim dum valemus robur addit, virésque conseruat: ita dum de sanitatis prę sidio atque statione deiecti sumus, idem cibus vires labefacit atque frangit. Ita enim memoriæ prodidit diuus Hippocrates. Quo fit vt natura quædam excogitauerit quæ in medicamentorum & alimentorum genere ambigerent. Hæc alimenta medicamentosa appellari solent. In horum genere est lac asininum, quod tabidis conferre dicetur. Sed hanc cautionem adhibere necessum est. Nam si magna subsit putredo, aut febris adsit, impunè dari non potest. Aut enim acorem, aut nidorem contracturum est; hinc detrimentum corpori afferetur. Lubet tamen nonnulla hîc attexere, vt temerè lacte non interdicatur, ęgríque iis commodis quę inde apportari possunt, priuentur.

Aliud est loqui de lacte simpliciter, aliud de lacte asinino. Nam cùm in Aphoris. cauet Hippocrates ne quid in vtendo lacte peccetur, hoc vult ne febrientibus lac offeratur, nec tabidis valdè multùm febrientibus (quanquam Galenus in comm. dictionem [valdè] suppositítiam esse scribit) nec capite dolentibus, de lacte in genere loquitur. Sed cùm in generibus lactis magna sit latitudo, indistinctè non est accipienda Hippocratis sententia. Audiatur primùm Galenus libro de alimentis 3. de lacte in genere loquutus: Lac omne, ait, vtile est thoraci, capiti autem nisi quis illud habeat firmum, nocet: vt neque hypochódriis quæ leui de causa inflammátur. Nam plurimis in ventriculo in flatum vertitur. Si autem cum alio coquatur quod crassi succi est, deponit flatus, sed iecur obstruit. Lac autem optimum censeri debet & boni succi, & multi alimenti, quod contrariis & substantiis & facultatibus constat subducendi & sistendi, obstruendi ac tenuandi.

Nec illud omitti debet, omne lac facilè alterari, immo, quod notandum, in sanis etiam dum coquitur, probos humores generaturum, & caput ferit, & hypochōdria attollit (ait Galenus.)

Quod si in ſanis fit, multò magis in ægris alteratio continget. Alteratio autem in vtrumque apparet, & in nidorem, & acorem. Tamen duo loci planè contrarij occurrunt apud Galenum 4. de ſimpl. medicam. fac. Priore ait, *Lac tametſi guſtu dulce eſt, ex ſe tamen nunquam amarum efficitur; nam in eo euincitur à frigiditate caliditas, ac proinde repoſitum aceſcit.* Paulò poſt tamen amarorem lacti contingere aſſeuerat. Ne quis putet nomen τοῦ πικροῦ Galenum velle vſurpare tanquam cum τῷ ὄζει confundatur, intelligit amarorem illum cum nidore coniungere, qui nidor à calido eſt. Verba Galeni hæc ſunt: *Lac vbi cruditatem in ventre patitur, in frigidiori aceſcit, in calidiori amarum nidoroſumque efficitur.* Itaque amarorem lacti contingere poſſe aſſerit. Niſi fortè dicamus iſtam periodon ita explicari poſſe: Lac ex ſe nunquam amarum efficitur, ait Galenus, hoc debet intelligi per comparationem cum melle; illa enim mens eſt Galeni. Nam mel per ſe amarum efficitur, id eſt à ſuo calore per diuturnitatem temporis. Quia enim in eo ſumma eſt dulcitudo, huic cùm nil addi poſſit, neceſſe eſt vt calore in aliam qualitatem deſciſcat. Lac autem ex ſe non ita amarum efficitur, quia non ita dulce vt mel eſt: immò ait Galenus eò loci, Si lac guſtaretur vbi in ventre eſt, & per venas coctum, ipſo melle dulcius inueniretur. Nam quod foris & ex ſe mel obtinet, id dum coquitur lac accipit. Immò, ait, cùm admodum ingens calor eſt, tantam lac acquirit dulcedinem, quantam mel amittit. Quod ſi verum eſt, nec lac dulce eſt, alioqui calore mutaretur. Nec verum erit quod ait Galen. comm. in aphor. 64. lib. 5. Aphor. Lac omne facilè alterari, aut in acorem verti cùm pauco calori applicatur, aut in fumum nidoremque ſi plus calori addatur. Et hæc magni momēti ſunt. Quia ex illo loco ex comm. in Aphoriſm. abduci poſſumus à præſcriptione lactis, vbi intemperies aliqua eſt, vt apparet in iis quibus vulgò lac præſcribimus. Ex alio verò loco facilè adduci poſſumus ad lactis vſum; quia, cùm, ait Galenus, calor etiam ingens eſt, tantam acquirit lac dulcedinem, quantam mel amittit.

Vide eun- de ro ex lib. 2. A- cut. mul- ta ſcripta.

Itaque nec tam religioſos eſſe oportet in lacte præſcribendo, nec in eodem interdicendo difficiles. Nam eſt vbi reuerà facilè alteretur, vt ſi inſigne incendium: eſt vbi non item, vt ſi febris magna non fuerit. Si tamen Hippocrati aſſentiendum, magna cautio eſt adhibenda. Nam & ſitientibus negat exhibendum, & quibus glorioſæ ſunt deiectiones: quod vtrumque impedimento

esse non debere verisimile est: in textu latino legitur: *Malum autem & lac, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones.* Hæc lectio aliena est à mente Hippocratis. Legendus locus per distinctionem, vt legendum censet Galenus: in eo sensu: Malum lac in acutis febribus, & quibus biliosæ sunt deiectiones, vt omni illi corpori interdici debere lactis vsu doceat, in quo calor præter modum insit. Quòd si accuratiùs capiatur, non est dubium quin multis lac asinæ propinetur, quibus nec iure, nec loco, nec tempori concedatur. Quocirca cùm Hippocrates quibus interdici lacte debeat, explicauit (multos autem adducit quibus à lacte temperandum consulit) adiungit, *si nihil quæ dicta sunt affuerit*, quod Galenus ab aphoristica disciplina alienū esse comminiscitur, & veluti per pleonasmum additum. Acutè tamen posteà huiusmodi superfluę repetitionis rationem reddit Hippocrates (ait Galenus) bis terve eadem repetere non veretur, si magnum aliquod periculum imminet, cùm quod dicitur, veretur ne negligentiùs audiatur. Ac si dicat Hippocrates, Magnæ sunt lactis opportunitates, nil est in rerum natura æquè pręstans ac lac ipsum, ita nil æquè facilè corrumpitur, si quibus propinari nō debet, exhibeatur. Inter enim euchyma habetur, id est, inter ea quæ optimum sanguinem generant: sed si in sanis, vt ait Galenus, tam facilè malam qualitatem acquirit, quid de ægris iudicandum?

Tamen vt non exactè omnia ęstimari debent, ne fortè simus nimis religiosi, vt Hippocrates in sua ptissana explicanda accuratus admodum est: ita in lacte. Quod vtrumque cùm inter esculenta primas teneat, ita non nisi appositè dari debent. Et subiiciuntur tanquam exempla rerum ceterarum. Si lac & cremor ptissanæ, quę pręstantissima sunt edulia iure & loco non exhibita, tantis afficiunt incommodis, quid debet expectari ab iis quæ & commoditate & pręstantiâ sunt inferiora? Non est itaque quòd timidi simus in vsu lactis Hippocratis territi doctrina. Sępe enim præceptionum ac theorematon artis nostræ nimis religiosa obseruatio magnis nos afficit incommodis, quod multa audere & tentare sit religio, quæ alioqui essent profutura. In quo sæpe circumforaneis, & humanæ vitæ periclitatoribus victorię palma decidatur, nobis verò eripiatur.

Lac quoduis vsurpare non confert, sed ad id deueniendum quod commendat Galenus, quod nimirùm contrariis substan-

tiis & facultatibus constat, subducendi scilicet ac sistendi, obstruendi ac tenuandi. Optimum autem lac asininum eas facultates habere dicendùm. Et obseruaui, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alui asininum lac præscribi, repressâ humorum malignitate, lactis bonitate, aluus magno commodo substitit. Aliis quibus aluus astricta, leue profluuium vsu lactis contigit, & profuit. Nec terreri initio debet si obsit, non profit: nam perseuerandum experientia docet. Fit enim (vt quidam ex veteribus annotauit) vt assiduitate tandem lac suâ bonitate temperet, ac refrenet cacoëthiam & prauitatem humorum in corpore turgentium. Itaque Galenus 3. de alimentis ait, *Lac asinæ rarò in ventriculo cogitur: quod si sal & mel addatur, non fieri potest vt ipsum in ventriculo coaguletur.* Si Galenus comm. in aphor. illum *Lac dare.* multis serum lactis sale & melle conditum exhibuit, quibus distenta essent hypochondria (eos autem à lacte arcet Hippocrates) cur lac asininum proximè ad serum accedens, & præterea facultate alendi præditum non præscribetur? Nam & sistendi parte, caseosâ, & butyrosâ, serosâque laxandi vim habet. Sic nec lactis vsus reiiciendus, nec iis temerè assentiendum, qui quibusque in affectibus, & quouis tempore lac exhibendum putant.

ANNOTATIONES.

1. *Hoc ex loco scire oportet etiam in dysentericis fluxionibus prauis non esse alienum, contra Hippocratis præceptum, lac dare. Etsi enim concrescat, tamen diuturnitate vincetur, & domabitur corruptio humorum. Et id ex præscripto Hippocrat. fieri potest. Quanquam eos in quibus deiectiones sunt biliosæ, vetat lac dari. Et experientiâ compertum est quosdam quibus dysentericæ & mesentericæ erant deiectiones diu fatigantes non alienâ arte cessauisse, quàm diuturno lactis vsu. Et Hippocrates lib. 2. de morbis mulierum, in fluore muliebri bilioso lac commendat; quia (ait) fluxus à lacte obtunditur. Quod idem de deiectionibus dici potest. Filio Erolai 7. Epid. circa initium libri, lac per os dat in vehementi dysenteria.*

2. *Celsus cap. 22. lib. 3. in phthisi sicut in omnibus longis, difficillibúsque febribus, lac dare commodum est.*

CONSILIVM LI.

In quo explicatio continetur Aphorismi illius libri 6. Aphorism.

Qui gibbi ex asthmate fiunt, ante pubertatem moriuntur.

PLERAQVE apud Hippocratem præclarè & exquisitè scripta sunt, quæ tamen in paruis ducuntur, aut quòd deprauata in multis codicibus non intelligantur, aut potiùs quòd non sint eorum stomachi, qui peruiis vulgatisque nescio quibus theorematis contenti magnũ se pretiũ operę fecisse credũt, si aliquid in prõptu habeãt quod promere aut potiùs effutire possint. Vt autẽ ingenuè fatear, cùm in omnibus ferè Hippocrat. libris magna sit verborum obscuritas, ad eam tanquam auctarij vice accedit multorum deprauatio, quæ multorum studia & legendi, aucupandíque desiderium restinguat. Quæ autem obscuritate solâ implicitâ sese nobis offerunt, vt in animos multorũ sensim veluti influunt, & sui desideriũ iniiciunt: ita quę corrupta nauseã etiã appetentissimis hominibus pariunt. Nisi fortè aliqui sint quos cùm laboris non pigeat, multa aspera ausint peruadere, multas rerum difficultates deuorare. Horum imprimis laudandum studium, laudandi & conatus. Simile aliquid in plerisque cùm aggressi simus, in quibus operam non detrectauimus, tum in vno aphorismo Hippocratis eandem operam maiorem, vehementiúsque multò studium ponere institutum est. Ille tametsi primo quasi obtutu parum adiumenti intellectus, aut voluptatis acutè euolutus afferre videatur. Tamen si cui rem penitiùs paulò inspicere collubitum sit, nec legere pigeat, nec in hoc laborasse pœniteat. In euoluendis enim illis obscuris non minùs sæpe cuiusdam genij quàm ingenij vis apparere solet. Sed ne extra cancellos excurrat oratio, ad rem institutam accedendum est, cuius explicationem lectoribus voluptatis simul ac vtilitatis plurimùm allaturam confidimus.

Aphorismus Hippocratis hic est: *Qui gibbi ex asthmate fiunt, aut tussi, ante pubertatem moriuntur.* Textus hic Leoniceni. Textus Græcus Basil. haber: ὁκόσοι ὕβοὶ ἐκ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται. Verba græca latinis non quadrant, cúm aliud sit dicere, moriuntur,

riuntur, ſimpliciter; aliud, moriuntur ante pubertatē. Hic enim in textu Leoniceni ordo immutatus, immutatæque periodi videntur. Scrupulus autem qui hîc nobis iniicitur, quique commentandi occaſionem porrexit, eſt is; cùm dicat Hippocrates, *Qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt*, an aſthma contorſionis ſpinæ cauſa eſſe poſſit, item & tuſſis, & quomodo fiat. Quis enim vnquā ſcripſit à tuſſi & aſthmate gibberū cōtingere? eūque funeſtū cū gibber illorū cauſa eſſe vulgo perſpiciatur? [1] Nec enim valere poteſt quod obiiciat quis ob aſthma & tuſſiendi aſſiduitatem vitiari poſſe ſpinam, vt quibuſdam rectis, tamen malè gradientibus pedum figuram labefactari contingit, vnde claudi vatiíque fiunt: item decubitus forma ſpinam inflectere poteſt, ait Hippocrates lib. 3. de articulis, his verbis: quibuſdam figuræ, τὰ σχήματα vocantur, in quas qui cubare conſueuit, ad hoc conducunt, id eſt ad hoc vel illo modo inflectendam ſpinam. Qui locus aduerſum nos faceret, niſi Hippocrates in textu adiecisset, figuræ cum morbo, id eſt cum phymatis, & tuberculis. Sic nec figura, nec tuſſiendi conatus, nec δύσπνοια quicquam ex ſeſe ad conuerſionem ſpinæ confert.

Sed ſit ita, videamus ſi contextus Leoniceni Hippocrati quadret, an facti gibbi ex aſthmate ante pubertatem moriantur. Dum gibbos ex aſthmate dicimus, procatarcticas gibboſitatis cauſas cum Galeno excludimus. Secundò, num credibilius ex gibboſitate & anheloſos & tuſſiculoſos reddi, quam tuſſim & aſthma gibbero occaſionē porrexiſſe. Rationi enim fauet magis vt gibboſitas tuſſim aſtmáque inuehat, quàm contrà. Tertiò, An tubercula & pani qui gibberum efficiunt, aſthma & tuſſim priùs inferant, quàm gibbum. Quam ſententiam ſecutum fuiſſe Galenum oſtendemus: & in hoc difficultatis cardo vertitur. Sic enim poſtquam tubercula tuſſim & aſthma generarint primùm, tempore gibberum inferunt, & ita auctiore reſpirandi difficultate perimunt. Nec enim dixit Hippocrates, Qui gibbi ex tuberculis fiunt, quod dici debuit: ſed qui gibbi ex aſthmate, id eſt, quibus gibboſitas auctarij vice contigit ob panos, cùm aſthma ab iiſdem panis in ſpina obortis præceſſiſſet. Quanquam idem ſenſus, ac ſi dixiſſet: Qui gibbi ex tuberculis, &c. nam & ſpirandi difficultas tuberculorum comes: & ſi aſthma eſt, ſuſpicio eſſe debet tubercula adeſſe. [2] In libro de Articulis, non dixit, ὁκόσοισι σπόνδυλοι ὑπὸ νοσήματος ἕλκονται; id eſt, ὑπὸ ἄσθματος: ſed ὑπὸ τῶν νοσημάτων.

Com. in aphor. 46.

Id eſt, τῶν φυμάτων, vt idẽ Hippocrates pluribus oſtendit. Quarto queri poteſt, an nõcyphoſis à caſu lapſúque mortem intentet, vt & quæ à tuberculis committitur. Hippocrates autem lib. de articulis 3° duo diſtincta capita de cyphoſi à phymatis, & cauſis externis nata conſcripſit. Verborum autem ſeries eò ſemper pertinere videtur, vt aphoriſmus hic de ea tantùm cyphoſi intelligatur quam internæ cauſæ induxerunt. Ideóque Hippocrates non abſolutè ſcripſit, Qui gibbi ante pubertatem fiunt, moriuntur: quanquam in libro de Articulis ita ſine adiectione ſcripſit, *Quibus, dum adhuc pueri ſunt, priuſquam corpus adoleuerit ſpina in gibberum incuruatur, eâ parte ſpina non nutritur & augetur.* Sed Galenus alio loco ſcripſit, illam ſententiam, ſicut & alias quæ illi annexæ ſunt, de contorſione à cauſa interna intelligi.

Sent. 6. lib. 3. de artic.

Com. in par. 19. lib. 3. de artic.

Atque vt res apertiùs explicentur; textus Baſilienſis duobus in locis deprauatus eſt: vno, quia particula illa πρὸ τῆς ἥβης non eſt referenda ad poſtremam partem contextus, ad verbum, nimirum ἀπόλλυνται, ſed ad priorem, vt legatur, ὁκόσοι ὕβοι γίνονται πρὸ τῆς ἥβης. Altero, quod omiſſa vox illa ταχέως; quæ ad verbũ ἀπόλλυνται adiũgi debet. ita Fuchſius in ſcholiis in illum locum annotauit, non ſuo ipſius iudicio, ſed Galeni ductus autoritate in cõmentario in aphoriſmũ prędictũ. Huius rei fidem facit contextus Galeni, καὶ τοὺς πρὸ τῆς ἥβης κυφωθέντας, ἐπὶ ἄσθματι καὶ βηχὶ διαφθείρεσθαί φησι ταχέως. Nam cùm hic aphoriſmus ad prognoſin pertineat, nil Hippocratis ingenio dignum, niſi dicat gibbos ex aſthmate ante pubertatem factos, aut citò, aut tardè mori, & vi aſthmatis, & inflexionis. Qui enim caſu incuruantur, ob læſionem non integrè creſcente ſpinâ, iis mors celerior eſt, quàm aliter affectis, ſed ob incertitudinem de iis nil quicquam prædixit Hippocrates; cùm fieri poſſit vt arte reſtituatur quoad eius fieri poteſt: nec enim legitimè reponi poteſt luxata vertebra à caſu, lapſúque, ait Hippocrates, quòd vertebræ inter ſe aptæ ſint γιγγλυμοειδῶς, id eſt, cardinatim, vt ait Galenus in commentar. Itaque omiſſa malè eſt in textu Hippocratis vox ταχέως, quâ circunſcribitur tempus quodammodo quo gibbâ factâ ſpinâ à tuberculis cum dyſpnoea iunctis; extremus fati dies non ita poſt ſequitur. Neceſſariò enim adiungi debuit, alioqui indefinita abſolutáque Hippocratis enunciatio nil habet miri, nil habet digni.

Parti. 19 lib. 3 de artic.

Niſi quis fortè dicat Hippocratis laconiſmum non ferre vt

oratio aphoristica suis compleatur circunstantiis; vt sic dicere liceat. Et tametsi Galenus in enarrando paulò copiosior adiecerit, id illi ex more est, vt imminuta deficientiáque perficiat, multáque sæpe clarioris doctrinæ causa subiungat.

Præterea ille textus Galeni, τοὺς δὲ πρὸ τῆς ἥβης κυφωθέντας, declarat apertè vocem hanc, ante puberes annos, referri debere ad verbum κυφωθῆναι, aut nomen κυφοὶ, non autem ad verbum ἀπόλλυσθαι: quod annotatione dignum est, & ad huius rei de qua primo loco quæsitum est, explicationem primùm necessarium. Dicendum itaque, *Qui gibbi ex asthmate, aut tussi ante puberes annos fiunt.* Quam lectionem præterquam quod confirmat & ratio, & contextus Galen. in comm. deprauatè latinus factus à Leoniceno, vt qui in primis sordibus latere velit, plurimùm roboris ac neruorũ afferet alius Hippocrat. contextus libro de art. οἷσι κυφοῦται ῥάχις παισὶν ἔτι, πρὶν ἢ τὸ σῶμα τελειωθῆναι ἐς αὔξησιν. *Quibus*, ait, *adhuc pueris, aut priusquam corpus adoleuerit, spina in gibbum contrahitur, iis corpus ad spinam augeri non solet, &c.*

Part. c. 6. lib. 3.

Item in textu commentarii Galeni paulò antè adducti, alia periodus est apprimè faciens ad interpretationem particularũ, ex asthmate, aut tussi; illud enim quæsitum prius, secundo & tertio locis, an legendum esset, *gibbi ex asthmate*: nam si ita fieret lectio, Asthma causa gibberi efficiens videretur, quod rationi non consonat. At probabilius est à tuberculis primùm nasci dyspnoeam & tussim, illæso per se pulmone, deinde gibbam fieri spinam vi panorum seu phymaton. Et illud est quod Hippocrates vocat, ἐξ ἄσθματος κυφωθῆναι. Textus illa est periodus, τοὺς πρὸ τῆς ἥβης κυφωθέντας· ἐπὶ ἄσθματι καὶ βηχὶ διαφθείρεσθαί φησι ταχέως. Iam vides formam loquendi immutari; nec enim dixit κυφωθέντας ἐξ ἄσθματος, sed ἐπὶ ἄσθματι. At dicere idem esse, ἐξ ἄσθματος, & ἐπὶ ἄσθματι, græcam linguam ignorare est: κυφωθῆναι enim ἐπὶ ἄσθματι καὶ βηχὶ, est incuruari in astmate & tussi, id est, Cùm iam adest tussis, aut anhelosum quid ob phyma spinæ adnatum succedit gibbositas, non vi tussis (quamquam potest paulùm iuuare) sed vi phymaton tussim & difficultatem respirationis præmittentium. Quam sententiam secutum esse Galenum posteà demonstrabimus.

Quamquam illud ἐπὶ ἄσθματι, si referatur ad verbum διαφθείρεσθαι non autem ad κυφωθῆναι, alium habebit planè diuersum sensum, sed Hippocrati non contrarium: ἐπὶ ἄσθματι διαφθείρεται, id est, gibbi ante pubertatem facti, intereunt in asthmate & tussi, vel ab

asthmate & tussi. Meliùs autem, in asthmate & tussi, id est, facti gibbi à tuberculis tussiculosi aut anhelosi moriuntur. Sic vtraque interpretatio fieri potest. At propterea quidam ex veterum codicum collatione ita textum Hippocratis restitui debere scribit, ὁκόσοι ἰβοὶ πρὸ τῆς ἥβης γίνονται, καὶ ἄσθματος ἢ βηχὸς τάχεως ἀπόλλυνται. Quod clariùs in sequentibus fiet.

Quoniam autem inter demonstrandum diximus verisimile esse à tuberculis gibbositatem fieri, præeunte tamen aliquâ difficultate spirandi, aut tussi: proptereaque non tam vi aut tussis, aut asthmatis, quàm gibbositatis mortem accelerari, horum quæ dicta sunt ac postulata, demonstratio est requirei darum, quomodo à tuberculis gibbositas fiat: & an illæso pulmone difficultas spirandi adsit. Et cur per distinctionem dictum sit, asthma, aut tussis. At multa alia quærentur, quorum explicationem plurimùm conferre posse confidimus.

Com. in aphor 46 lib 6. & comm in 1 art. 2. lib. 3. de Artic.

Spina quatuor modis afficitur, aut vna pars tantùm spinæ, aut plures continuæ afficiuntur; hinc κύφωσις. Si plures non continuæ afficiuntur, λόρδωσις: si in latus, σκολίωσις: cùm vertebrarum omniũ tota compages concussa, σεισις nuncupatur. Omnes autem differentiæ hæ aut à causis internis, aut externis concussu, ictu, lapsúque pendent. In internis causis numeratur tuberculum varias apud Hippocratem & Galenum appellationes sortitum. Ei Galeno vocatur ὄγκος, tumor. Hippocrat. φῦμα ἄπεπτον καὶ σκληρόν. Eidem Galeno absolutè φῦμα. Et in enarratione in lib. περὶ ἄρθρων φύματα μεγάλα, χρόνια, ἄπεπτα, σκληρά. Interpres autem Felicianus malè τὸ φῦμα, panum vertere videtur: cùm apud Latinum Interpretem Celsum panus id sit quod Græcis φύγεθλον vocatur. Est autem tumor quidam latus, sed non altus, in quo quiddam pustulæ simile est: dolor & distensio vehemens, & maior quàm esse debeat pro magnitudine tumoris. Et ita phlegmone quædam est ἐρυσιπελατώδης. Fernelius vocat phlegmonen in adenum locis emergentem, maximè in ceruice & inguinibus. fit autem post febres, aut alicuius partis dolores. Hippocrates generali nomine ἀποστάσεις vocat, καὶ ἀποστήματα. Si itaque dolorificum sit tuberculum, & sanguineum, φύγεθλον, Panus, siue panis dici possit; sin doloris expers, ὄγκος καὶ φῦμα. Quanquam si panus tumor non altus, sed superficiarius, & parum eminens dicitur, non videtur posse difficultatem illam spirandi afferre, quæ à generatione tuberculorum in spina nasci solet. Tamen si diligentiùs res inspicia-

4. loc. aff lib 3. de art. 2. Com in aphor. 46. lib. 6

Apho. 30 & 31. li. 4.

tur; quoniam à tuberculo ſtatim cyphoſin naſci non oportet, illud φῦμα τῆς κυφώσεως occaſio & parens, panus dici vertíque poteſt: præſertim verò panus dici, quia citò generatur, & tardè in ſuppuratum abit; quæ conditiones pano quadrant, & ex conſequenti ei tuberculo quod temporis progreſſu gibbum afferre ſolet. Nec enim citò à generato tubere inuertitur rhachis. Porrò vt res paulò apertiùs pareat, φῦμα ἀπὸ τοῦ φυγέθλου differt, quod φῦμα citò ſuppuret & prognaſcatur paulo tardiùs, minúſque doloris afferat; phygethlon autem ægriùs ſuppuratur, faciliùs naſcitur, & dolorificum eſt: propterea ad obliquandam inuertendámve compagem verticillorum accommodatum magis eſt.

Itaque vt dictum eſt, vertebræ luxantur caſu, lapſu, phymate neruoſa corpora vertebris & ſpinali medullæ inſita extendẽte. Et mirum, cùm Galenus has differentias explicans, tanquam μεῖζον adieceerit, horum duo ſunt genera; aliud eſt partium quæ ſecundùm naturam ſe habent, aliud tumorum quorumdã præter naturam. Qui locus eſt ſubobſcurus, ac parum intelligibilis, niſi huius ea ſit explicatio: Omninò duobus modis ſpina vitiatur, aut cùm ipſa ſecundùm naturam eſt, & à cauſa externa inflectitur. Sic nil apparet vitij in ſpina; aut cùm non ita affecta eſt, ſed diligentiùs inſpicienti tuberculi generatio in ſpina apparebit: alioqui illius loci ſenſum non calleo.

4 de loc. affect.

Porrò tuberculum aut ſuperiores verticillos, aut medios, aut inferiores occupat. Si illos, anginoſos facit, Galeno interprete. Scribit enim in conſtitutione peſtilenti, quam Hippocrates deſcripſit eos κυναγχικοὺς vocaſſe, quibus ad ceruicis ſpondylos tuberculum aliquod adnatum fuerat, quod tuberculum cùm ad ſuppuratum tenderet, tuſſiculoſos reddebat, cum ſua mole ac circumſcriptione crudus maneret, ſpirandi difficultate eos exercebat. Non difficultas autem illa ſpirandi quicquam pulmonem laborare ſignificabat. Cur autem, dicat quis, non gibbos efficit? mors lõgè anteuertit, & gibboſitas non illà parte cõtingit niſi vnà cum morte repentina. Quo enim tuberculũ primis verticulis eſt propinquius, eò funeſtius. Accedit quod poſito pari vitio in ſuperioribus vertebris & inferioribus, in ſuperioribus (excipio præſentiam periculi) magis eluceſcit prohibitione incrementi, quàm infero loco locatis. valet enim illud theorema Galeni, *Quantò ſpina ſuperiùs iuxta originem ſuam læditur, tantò*

affect. 2. Epid.

Com. in par. 12. l. de artic.

minùs augescit, eò quòd à superiori parte & exortum & incrementum accipit. Ex textu autem de anginosis elicere oportet quod ad Aphorismi nostri explicationem attinet: nimirum tuberculum superioribus ceruicis vertebris adnatum modò tussiculosos, modò anhelosos magis reddere, prout hoc aut illo modo affectum est phyma.

Si tuberculum medias costas occupat, aliquam ex tribus differentiis contorsionis spinæ producit. quæ omnes ad neruosum genus, non autem ad spinæ ossa propriè pertinent. Nam cùm neruus vertebram muniens afficitur à morbo, posteà trahitur vertebra, ac contorquetur. Sic Galenus reprehendit veteres qui diligentiùs verba Hippocratis obseruantes, putarent à tuberculis contorqueri costas, quòd adeò phymata indurescerent, vt ad nutum suum traherent ossa ac contorquerent. At nequit fieri vt tantum duritiei phymata acquirant, vt costas grauent. Sic ossa per se non subuertuntur, tametsi proprietas verborum Hippocratis illud indicare videatur, cùm σπονδύλους ἐς τὸ κῦφος ἕλκεσθαι ὑπὸ φυμάτων dicat. Sed affectio hæc est corporum spondylos colligantium.

Com. in part. 1. 3. de artic.

Patet itaque tubercula non obsidere pulmonem vt inde asthma fiat: sed phymata ipsa primò, per se, situ, circumscriptione, mole, lædunt genus neruosum spinæ, propterea gibbum fit: non autem ab asthmate, aut tussi fit; vt verba Hippocratis in aphorismo notasse videntur. Et idem contingit à tuberculo, quod à casu, lapsúque: vt dicat quis aphorismu & de causis internis & externis intelligi posse. Nam quibus à casu læsa spina, quoniam nunquam eo modo se habet, quo priùs; vt notat Hippocrates, videtur ob vitium non posse bene nutriri, ac augeri. Sed longè alia ratio est. Nam quibus à casu vitiata spina, ea sui vitii signum edit, & manu, artificióque, si non omninò, at ratione aliquâ vitio occurri potest: At non idem iudicium de vitiata spina à tuberculo. nam cùm intorta spina est, iam in summo vigore malum est, & latenter, sensimque obliquatur. Præterea cùm à casu inuertitur, non est tussis, & tanta difficultas ducendi emittendique spiritus (nisi quâ parte maximè dimouetur pulmo) At cùm tuberculum est præsertim eminens, vt ὄγκος potiùs dicatur, quàm φύμαθλον (vt antè diximus) tussis est, cùm humidius est phyma, & difficultas spirandi cùm durius; vt antè demon-

Apho. 19 lib. 3 de artic.

ſtratum ex hiſtoria 2 Epidemior. cùm Hippocrates meminit eorum qui anginâ laborarent. Et cùm tuſſis eſt, & dyſpnoea: deinde vi tumoris cyphoſis ſuccedit, non eſt dubium quin vitæ noſtræ filum ſtatim præcidatur: quod non contingit in iis ſpeciebus contorſionis ſpinæ, quas cauſa externa inuehit. Aut ſi in aliis contingit à caſu, lapſúque, nec tam ſubitò, nec ita manifeſtè vt cùm à tuberculis. Demonſtrationem autem affert Galenus loquens de iis qui dicuntur αὐτομάτως κυφωθέντες. Thorax non vult, ait, ob vitium cum aliis, id eſt cum corde & pulmone augeri, propterea anguſtia ſequitur partium reſpirationi dicatarum.

Com. in aph. 46. lib. 6.

Itaque mota adductáque in dubium fuit dubitatio, an tubercula illa primùm reddant gibboſos, & cùm ante pubertatem hoc contingit, moriuntur ab aſthmate & tuſſi, vel potiùs in Aſthmate & tuſſi, quod ſuperiùs docuimus ex Galeno ἐπὶ ἄσθματι interpretantes: an potiùs, tubercula in pueris difficultatē pariunt & tuſſim: mox cyphoſis ſequitur: inde mors. at propinquius rationi poſterius eſt.

Porrò illa tubercula, vt dictum eſt, occupant mediam coſtam, aut ceruicis ſpondylos, aut lumborum. Item vel ſenioribus, id eſt adultis, quod Hippocrates vocat ἡβήσασιν, vel pueris contingunt. Item alia cruda ſunt & dura, alia non item: ſed ex ſe aliquid tenue expirant. Præterea vel ſunt ἐκπυϊτικά, ſuppurantia, vel non. Atque vt hæc vel illa ſunt, ita variis modis afficiunt, aliis ſignis ſeſe exhibent atque aliis diuerſas criſeis habent, diuerſam prognoſin conſtituunt, vt ſigillatim omnia dici pertractarique neceſſum eſt.

Partic. 14. lib. 3. de artic.

Si dura ac magna, difficilem quamprimùm afferunt reſpirationem nullo in pulmone vitio exiſtente; nam tubercula hæc Hippocrat. vocat φυμάτια κατὰ τὸν πνεύμονα: non autem ἐν τῷ πνεύμονι, quo modo propriè aſthmatici fiunt: ſed quod eos tuberculo in ſpina præditos, aſthmaticos nuncupet, τὸ ἀσθμαίνειν generaliter vſurpat, Galeno. Si illa tubercula non ita dura, ſed citò ſuppurabilia, tuſſiculoſos reddunt per reſudationem, vt antè de anginoſis explicatum eſt: ſic & tuſſis, & aſthma, & cyphoſis tuberculorum ſunt ſoboles; & τὸ ἐπιγινόμενον. Si dyſpneam afferunt, & dura manent, longiùs vitam protrahunt: ſi ſuppurent, moriuntur, ait Galenus in comment. Quod tamen dubio non caret. Nam maius periculum creare videtur difficul-

Partic. 9. li. de art.

Com. in Apho. 46. lib. 6.

tas ſpirandi à duro tuberculo, cui ſuccedit gibboſum, quàm
cùm promouetur ſuppuratum. nam ſuppurato tollitur ſal-
tem difficultas reſpirationis, duritie autem tuberculi acce-
dente ad cyphoſin, augetur: eáque propter quæ ſuppurant,
& tuſſim faciunt, & quæ intulerunt gibbum, minùs in peri-
culum præcipitare putanda ſunt. Nam & tuſſis occaſio tol-
litur, & cyphoſeos fortè, & anguſtiæ thoracis. Niſi quis di-
cat pus illud & proximè tabem inferre, & pulmones planè la-
befactare; vnde non euadunt: nam diuturnitate putredo ac-
quiritur, quæ non poteſt non eſſe moleſta pulmonibus. Quò
fit vt accuratè & acutè ſcripſerit Hippocrates, *Quibus contin-
git gibbum adultis iam corpore, his manifeſtè & liquidò gibboſitas morbi
præſentis criſim, id eſt ſolutionem affert.* Ac ſi dicat; Si cyphoſis à
tuberculo naſcatur, & ij quibus contingit iam grandiores
ſint, non pernicioſa eſt cyphoſis, ſed præſentis morbi ſolu-
tionem affert, id eſt, indicat ſuppuratum factum, & ab eo ſu-
perſtitem eſſe ægrum; quo fit vt non ampliùs periclitetur,
quamquam breuiorem vitam ſit habiturus. Hunc locum
apertiorem reddemus paulò poſt.

Si ergo tubercula dura protrahunt vitam; ſi ſuppuret, ab-
breuiant: propterea particula ταχέως fortè non adiici debet;
ſiquidem mortis celeritas non de omnibus intelligi debet,
ſed per comparationem de iis quibus ſuppuratum contin-
git.

Galenus itaque in Comment. videtur ipſa tubercula etiam
per ſe, nondum contortâ ſpinâ, peſſima aſſerere: Nam, inquit,
ſi nondum gibboſitate ſuperueniente ob ſolos tumores diffi-
cilis reſpiratio eſt, quid eueniet cùm tumores tempore erunt
auctiores? Et quid cùm thorax anguſtior? Ac ſi dicat; Tuber-
cula per ſe ac primò dyſpnoeam afferunt, licèt nulla contor-
ſio; ſi dura ac magna, grauiorem: ſi humida, ſuppuratum &
tuſſim, & ideò malè de ægris merentur. Secundò gibboſita-
tem afferunt, quæ cùm contingit, peius cum ægris agitur: &
id propriè eſt ex aſthmate & tuſſi gibbum fieri.

Maximè autem (vt de alia ratione cyphoſeos dicam) id per-
nicioſum cum pueris accidit hoc, & iis qui creſcunt. Nam nō
ita multò poſt fato defunguntur ratione gibboſitatis, quæ
non tam per ſe, quàm ratione tuberculorum à quibus nata
perniciem affert. Nam hæc & tuſſim, & expectoratum

&

& dyſpnoean accerſunt primo quoque tempore: quæ ſi tanta mala afferunt, & vim promouendæ cyphoſeos habent, cùm illam accerſiuerunt, quæ ſpes ſalutis? nam ſtrangulatur animal prohibito thorace incrementis, auctis pulmonibus & corde. Sic Galenus, quæ tubercula cum difficili anhelitu fiunt, iis qui adhuc augentur ſunt lethalia. Notandum illud iis qui adhuc augentur.

apho. 46. Com. in

Vnum reſtat, quandoquidem diximus aphoriſmum intelligi de gibberoſitate contingente pueris, aut ante puberes annos contingente, vt explicemus, ſi gibber etiam à tuberculis poſt pubertatem contingat, an non idem contingat quod prioribus: cùm tuberculum natum neceſſariò aut tuſſis, aut difficultas reſpirandi in procinctu eſt; an non idem & pueris & grandioribus contingit? immò grandioribus magis quod pectoris oſſa ob duritiem non tam facilè obſequantur? Sed cùm gibboſitas ob difficultatem ſpirandi breuì interficiat ante pubertatem, cur nõ idem grandioribus periculum imminebit? Non eſt neceſſe; ſiquidem cùm iam legitimum incrementum partes cepêre, ſi accedat gibbum, proptereáque ſpina non augeſcat, nil intereſt; celerioris enim interitus occaſionem inde collegimus, quòd in pueris cor & pulmo augeſcant, affecta autem ſpina cremento prohibeatur. Quod idem cùm non vſuveniat adultis, non eſt mirum ſi in iis longiùs vita protrahatur. Quò pertinent duo aphoriſmi Hippocratis cognitu digni, ac intellectu difficillimi: *Quibus iam corpore prouectioribus gibber contigerit, apertè gibber ipſe morbi qui adeſt, criſim affert: per tempus tamen aliquod eadem quæ & in aliis magis vel minus ſignificat: minùs tamen malignè vt plurimùm talia ſe habent.* Galenus imminutus eſt admodum in Commentario: nec enim explicat quid ſit quod Hippocrates dicat κύφωσις τῆς νόσου παρεούσης κρίσιν ποιέει: *gibber morbi præſentis criſim facit.* Morbi nomine quid intelligat, non dicit, κρίσεως nomine λύσιν intelligit quidem, ſed qua ratione id fiat, non explicat.

Part. 14. lib. 3. de art.

Tamen quid de ea re ſentio, ipſe explicabo. Morbi præſentis nomine tuberculum ſubaudit, quod quidem cùm inuadit eos quibus ætas prouectior, & corpus robuſtius, ratione ætatis, nulla crementi eſt neceſſitas, ac proinde non ita opprimitur pulmo: quia corpus robuſtius, & oſſa, tametſi incuruantur à tubere, tamen quia mors non præuenit, & pro omni accidente, niſi fortè aliqua difficultas ſpirandi acceſſerit, cyphoſis contingit, gibbo-

ſitas morbi præſentis criſim, id eſt, ſolutionem facit, id eſt, indicat victum à natura tuberculum, & fortè remanere in aliqua mole & circunſcriptione, vnde gibboſitas conſeruatur. Nam ſi ſolutio eſſet morbi, aut per ſuppuratum, aut aliâ ratione, cur nõ tollitur gibboſitas? vt priùs diximus varices tollere gibberũ excretâ per venas varicoſas materiâ? At per ſuppuratum non poteſt ſolui ſine interitu, vt abundè ſuprà oſtendimus. Itaque nomen κρίσεως ſiue λύσεως alio in ſenſu accipi debet. Niſi fortè dicat quis (& hoc ſubtilius eſt) cyphoſis morbi, id eſt tuberculi, ſolutionem affert, hoc eſt, tuberculum nullum aliud accidens induxit pręter cyphoſin. ſic vt cyphoſis tuberculo criticè ſucceſſiſſe dicatur, & eius ſit velut criſis. Quomodo dicemus ſi cui poſt febrem dolor in brachio ſuccedat & febris, aut remittatur, aut ceſſet, dolor ille dicetur afferre criſin febris: ſed hoc totum καταχρηστικὸν eſt. Remanet tuberculum, ſed maior eius pars ceſſit in occaſionem contorſionis ſpinæ, diffuſa materia, aut aliter. Vnde ſubiicit Hippocrates: Eadem quæ in aliis vel magis vel minus: id eſt, difficultates ſunt ſpirandi, & anguſtiæ aliquæ magis vel minùs, prout quis in vitæ ratione aut accuratus fuerit, aut deliquerit; vnde plerique eum gibberum in ſummam ſenectutem tulerunt, præſertim quibus corpus quadratum magis, quod minùs dolitent à gibbero, & cùm frigidiores ſint, prę-ſertim pingues, minùs egent reſpiratione.

Itẽ aliæ ſunt cùm occupãtur partes criſes aut hæ aut illæ ſpinæ. Diximus autem ſuprà in ſpondylis ceruicis nato tuberculo κυφώδεις homines reddi, nomine τῆς κυφώσεως generaliùs ſumpto, vt vult Galenus, in medio dorſo cyphoſin, quæ ſi ad partes inferas pertineat, aliis ſignis ſeſe exhibet, quàm illa quæ in media ſpina ſedet. Nam ſic Hippocrates: Quæ vitia circa ſpinam ſunt, id eſt tubercula, cùm aliàs ſolui minimè poſſint, tum illa maximè quæ ſupra ſepti connexionem, Galenus in Commentario vocat τὰ κατ' τῶν [illegible] σύματα. Nam cùm ſuppurant, mortem afferunt, vt antè diximus, cùm dubitaremus num meliùs eſſet phymata ſuppurari quàm dura manere. *Ideò autem afferunt mortem, quòd nulla vena ſit in thorace, quæ prauos humores à tuberculis ruptis excipere poſſit. Et cùm venæ vtrimque in thoracem diſpergantur, ſi ex phymatis humor aliquis in eas transfertur, exinaniri non poteſt, & vt excipiatur ab illis difficile eſt. Accedit quod illa phymata gignunt humores craſſi, fri-*

4 de loc. affect.

Part. 34 & par. lib. 3. de art.

Textus Hippocr. latinus male verſus eſt.

Com. in par. 4. lib. 3. de art.

gidique sunt. Hæc Galenus.

Sed cùm tubercula in partibus inferioribus nascuntur, ea sæpè successu varicum in cruribus soluuntur; nam per lumbares venas humor à facultate in crurales reiicitur: hinc phymaton solutio. Aliquando tenasmus & dysenteria huiusmodi phymata soluit, translato ad intestina pure. Atque eorum symptomaton quæ gibberum costas inferiores occupantem consequuntur, alia gibberi ipsius solutionem afferunt, alia non afferunt, sed iuuant tantùm. [3] Ex eorum numero quæ solutionem afferunt, sunt varices & dysenteria, de qua paulò antè dictum. Ex horum autem censu quę non soluere dicuntur, sunt quidam dolores renum & vesicæ: item abscessus circum ilia, qui suppurāt quidem, & sunt sanatu difficiles & longi: hi enim morbi per sympathiam tantùm sunt; quia quæ sunt vicina, & quæ propinqua, ea primùm & maximè affici solent, ait Galenus in Comm. ex sententia Hippocratis. Et quia per sympathiam tantùm sunt, ideò morbum non soluunt. vbi notanda propositio Galeni in eodem Comment. ὅσα κατὰ συμπάθειαν γίγνεται νοσήματα, τούτων οὐδὲν λυτικόν ἐστι τῶν ἐξ ἀρχῆς παθῶν. Quicumque per consensum communicationémque fiunt morbi, eorum nullus eos morbos soluit qui præcesserunt.Prætereà quibus gibber superior, iis gracilescunt brachia, quibus inferior coxæ graciliores fiunt, pubes barbáque tardior ac imperfectior. Item & infœcundiores iis quibus gibber superior. nam his sua sunt signa propria, suspiria, angustia thoracis, difficilior respiratio. Quæ duo principio quidem esse possunt antequam gibbositas sit. Nam tuberculum prius afferre potest angustiam, tussim, anhelosum quid, quàm gibberum efficiat. Ideò scribebat Hippocrates loquens de supero gibbero: *Panis & phymatis crudis obnoxij vtplurimum circa pulmonem gibbi parte superiore sunt; nam gibber occasio & contentio plerisque ex talibus contorsionibus fit, quarum vicini tumores participes sunt.* Pars prior contextus bifariam intelligi potest: Gibbi parte superâ obnoxij sunt phymatis crudis, id est, quibus gibbositas est, ij obnoxij sunt phymatis, id est, ob gibbositatem tandem tubercula in pulmone nequeunte bene nutriri ob affectionem spinæ, crescunt. Hanc suspicionem auget, quòd dicat, obnoxij phymatis circa pulmonem: & sic gibbositas per eum contextum causa esset phymaton, & difficultatis spirandi. Sed non ea est mens Hippocratis. nam dictio [obnoxij] quæ vim magnam habet,

In filio Præsidis Bailly hoc obseruatū.

Com. in part. 10. lib. 3. de artic.

Lib. de humorib.

Part. 68 lib. 3. de art.

Part. 9. lib. 3. de artic.

ſupponitur ab Interprete: & niſi ſupponeretur, prior iſta interpretatio cohæreret. Verba Hippocratis ſunt obſcura, nam loquens de iis quibus ſuper ſeptum affecta ſpina, & qui propterea ἐξεχέβρογχοι, id eſt, quibus guttur protuberat, facti ſunt, ita ſcripſit, φυμάτια ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, κατὰ τὸν πνεύμονά εἰσ: id eſt, ita gibbis ſuper ſeptum affectâ ſpinâ factis, maximam partem tubercula ſunt circum pulmonem: id eſt, in ſpina. nam κατὰ πνεύμονα non idem eſt ac ſi dicat, ἐν τῷ πνεύμονι, vt licet colligere. Hunc autem ſyllogiſmum ita Galenus conſcribit: Quibus gibber cõtigit vtplurimùm à phymatis eſt, vt excludantur cauſæ procatarcticæ, caſus, lapſus. Quod autem diximus gibberum illum declarare generationem ſui à tuberculis, nõ autem inducere tuberculum in pulmonem, vt aliquis malè colligat, ſatis ſequens periodus demonſtrat. nam gibberi occaſio à talibus contorſionibus exiſtit, id eſt, contorſiones ſpinæ ob affectos tonos à phymatis gibberum induxêre.

Part. 8. lib. 3. de Artic.

Atque vt tandem dicendi commentandíque finis fiat quod inſtituti noſtri eſt tandem extremum perſequamur. Quæcumque autem dicturi ſumus, ea ex ſuperioribus deſumentur ſparſa diſſeminatáque, vt per ἀνακεφαλαίωσιν quandam res planè intelligatur. Tolerari ergo poteſt lectio illa; Qui gibbi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt ante pubertatem, illi moriuntur. Docuimus enim particulam illam ταχέως non neceſſe eſſe adiici: quoniam non citò moriuntur, niſi quibus à tuberculo ſuppuratum contigit. Et quod Galenus in Commentario aſcripſerit particulam, citò, dum verba Hippocratis recenſet, illud poteſt dici clarioris doctrinæ causâ adiectum eſſe. In pleriſque enim eſt obſcurus & mutilus Hippocrates: ſed eius ſcripta aut collatis locis ſunt vexanda, aut exacto grauíque iudicio æſtimanda. Item ſi dicatur abſolutè, illi moriuntur, nec adiiciatur, quando, an tardè, an citò, nihil Hippocrate dignum videtur. Itaque Leonicenus, cuius interpretationem cenſuimus, ſi hîc adeſſet, fortè ſeſe probabili ratione defenderet, cur dixerit, *Ante pubertatem moriuntur*: & ſignificantiùs adiectum eſſe, *ante pubertatem moriuntur*, quàm ſi dixiſſet, *Qui gibbi ante pubertatem fiunt*. Nam cùm contorſionis ſpinæ incommoda & pericula faciliùs in primas ætatis partes quàm in ſecundas tertiáſve incidant, immò periculosè de iis qui creſcunt ſpina vitietur, prognoſin inſtituere veluti de morte ante annos pubertatis. Si enim moriũtur ante pubertatẽ, ſatis hoc indicat, neceſſariò & tuſſim, & aſthma, & gibberum in

pueritiæ annos incidere debuisse. Cùm ergo dicitur, *ante pubertatem moriuntur*, prædicitur mors necessariò, & supponitur necessariò vitiatam fuisse in pueritia spinam Si enim excedantur pubertatis anni & ab astmate, cyphon succedat, id periculi non imminet: Tamen innumeris locis Galeni & rationibus docuimus illud πρὸ τῆς ἥβης priori aphorismi parti attexi debere.

De altera autem parte quâ quærebatur si ferretur lectio aphorismi, *Qui gibbi ex asthmate*, an gibbositatis causa esset asthma? hoc bifariam, trifariámque potest explicari: cùm dicimus gibbos ex asthmate, aut tussi mori, sumitur effectus pro causa. nam tuberculum inducit tussim si humidius, asthma si durius, & postea cyphosin: sic ex asthmate aut tussi, periphrasticos est, ex tuberculo. Sed quoniam occasio prioris affectionis & manifestioris, nempe asthmatis & tussis, est tuberculum, ideò affectionum loco causæ mentio iniecta est. Ac si dicat Hippocrates: Qui gibbi ex asthmate, id est à tuberculo causa asthmatis. Alio modo illud ἐκ significat ἐπὶ, & ἐπὶ ἅμα significat: illis enim modis explicat Galenus. Gibbi ἐξ ἄσθματος, id est, post asthma. nam tuber asthma efficit, quòd faciliùs & promptiùs pulmo persentit tuber quàm spina. Primo enim quoque tempore difficultas spirandi affertur, deinde successu illius κύφωσις. Et illud ἐκ pro τὸ ἐπὶ sumpsisse Galenum in Comment. docet, dicens, τοῖς πρὸ τῆς ἥβης κυβωθεῖσιν ἐπὶ ἄσθματι, &c. Et alio loco ait, φύματα γίνονται ἅμα τῇ βηχὶ, & μετὰ δυσπνοίας: ac si dicat, primum tuberis effectum esse tussim & asthma, secundum cyphosin. Particulam autem ἐκ significare, post, apud Hippocratem quidam ingeniosè admodum colligunt in illo aphorismo, σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον. nam meliùs Hippocrates dicit ἐκ, quàm ὑπὸ ἐλλεβόρου. nam qui dicit ὑπὸ, declarat conuulsionem esse dum agit elleborus adhuc, ac hæc conuulsio non est calamitosa: plerique enim etiam ab aliis catharticis conuelluntur medio actionis medicamenti tempore. Sed qui dicit conuulsionem ἐξ ἐλλεβόρου κακὸν, illud, ex, declarat absentem iam elleborum, & muneris functionem. Itaque idem est ac si dicat, Post elleborum. Sed hoc subtiliùs. Atque ita fit vt protuberantia* spinæ à tuberculo post difficultatem spirandi, aut tussim succedens, malo veluti malo cumulato tantam thoracis angustiam efficiat, vt breui mors obrepat.

*contorsio

ANNOTATIONES.

1. Nam tametsi ob asthma aut diuturnam tussim aliquâ ratione inflecti possit spina, vt inflexio illa longo tempore fit, ita nonnisi post longissimum temporis flexum periculum mortis potest afferre.

2. Quod partic. 8. lib. 3. de articulis docet Hippocrates loquens de superiore spinæ parte inflexa, occasio (ait) gibbositatis à causa contorsionis, id est, ait Galenus, à tuberculis.

3. Huc pertinet locus præclarus de pleuritide ex dorso, in qua fit excretio vrinæ saniosæ & cruentæ. Quod facilè pertinere potest ad hunc locum.

CONSILIVM LII.

De renum calculo.

PRIMARIVM quendam virum vidimus nephritico dolore miro modo cruciatum. Dolor erat acutus naturâ pote calculum è renis capacitate deturbare conanti. Ren tantùm sinister obturatus erat, vt apertè secto corpore innotuit. Quod plerisque nil tale expertis admirationem mouit: nam suppressa omninò vrina. Vnde colligebant Medici aut vtrumque renem à calculo obstructum præpeditúmque, aut in vesica ipsa vitium latere, aut vtramque partem laborare. Sed eos euentus fefellit. Huius rei causam ita in numerato habere vt communi ratione sanciri, roborarique possit, non licet. Non aliunde repetunt quàm ex eo quod præ dolore in renem sinistrum materia flueret, raperetúrque potiùs, deinde motu contrario delata vomitione excernebatur: hinc vomendi assiduitas, hinc vrinæ suppressio. Aut si quid è rene dextro non obsesso ferebatur, paucum erat, & naturæ recreandæ non satis erat. Vel potiùs tam malè affecto reno sinistro, communicationis & sympathiæ vi dexter alioquiliber & incolumis laborare incepit: deinde facultas eius diuturnitate doloris fatiscere. Quod mirum tamen, cùm natura corpus omni ex parte geminũ fecerit, vt vnius partis actione læsâ, aut cessante, altera etiamnum suum præstet officium: in eo Medicorum versata industria, vt symptomatis oc-

curreretur, vomitioni, vigiliis, dolori nephriticoid & genus aliis.

℞ Terebinth. Venetæ lotæ in aqua pariet. ℥. s. rhabarb. electi ℈ j. lapid. Iud. ℈ s. cum diatrag. frig. fiant boli. capiat cum syrupo de raphan.

In ista vrinæ difficultate hæc quoque præscripta sunt:

℞. succi raph. ℥ j. succi lymon. ℥. j. syrup. de alth. ʒ. vj. cineris cancror. fluuial. & carab. an. ʒ. s. cum aqu. parietar. fiat potus.

℞. ℥ iiij. decoctionis aperitiuæ: adde syrup. de raphan. ℥ j. lapid. Iud. ʒ j. canthar. pulueris. gr. iiij. mithridat. ℈. s. fiat potus.

℞. Theriaces ʒ. s. aqu. destill. terebinth. ℥. ij. syrup. de alth. ℥ j. fiat potus.

℞. aqu. scabiosæ, bipin. agrimon. card. saxifrag. an. ℥. j. s. destillat. restaur. ℥. iiij. succi li. ℥. ij. s. accahr. quod suffic. passetur per manic. Hippocratis.

℞. rad. lilior. q. j. malu. bismal. violar. parietar. nasturt. berul. adian. an. m. j. cicer. rubr. ℥. s. seminis milij solis, anisi, fœnic. an. ʒ ij. florum chamæm. melilot. an. p. j. coquantur in omazorum decoct. In colat. ad quartar. tria, dissol. terebinth. diacarth. & benedict. an. ʒ iij. sacchar. rub. & mell. an. ℥. j ol. de scorpio. & lilior. an. ℥. j. s. fiat clyster.

℞. summitat. althee, vrticæ, an. p. j. folior. beton. bipin. saxifrag. p. s. passul. mund. folior. senæ an. ʒ. iij. fiat decoct. dissol. in colat. diaphœn. ʒ. iij. bened. ʒ. j. diacarth. ʒ. ij. fiat potus.

℞. milij solis puluer. turg. spinæ lapid. iudaic. macis an. ℈. j. puluer. electuar. ducis ʒ j. s. Capiat cum aqua terebinth. destill.

℞. succi amygdalar. dulcium sine igne ℥. j. s. vini albi potent ss. ℥. ij. cum aqu. destillat. terebinth. fiat potus.

℞. nucleor. mespil. ʒ ij. s. semin. bard. petrosel. fœnic. an. ʒ s. 4. sem. frigid. maior. an. ʒ. j. puluer. electuarij diatrag. frig. an. ʒ j. s. cinnam ℈ j. fiant tabellæ cum sacch. in aqu. pariet. soluto.

℞. decoct. omazorum quod suff. in quo coque mal. bismal. viol. an. m. j. cicer. rubr. ℥ s. sem. lini, dauci, alth. milij solis an. ʒ. iij. florum chamæm. an. p. j. In colat. dissol. coss. & bened. laxat. an. ℥ s. ol. de scorp. lilior. & viol. an. ℥ j. santal. rubr. mellis viol. an. ʒ. vj philo. roman ʒ. ij. fiat clyster. Fotus solemnes, & vnguentum ex mucaginibus administrabantur.

℞. s. radic. aperit. an. ℥. s. althee, totius gramin. an. ℥. j. radic. bard. lapat. acuti. an. ʒ. iij. cichor. totius, herniar. scariol. beton. capill. ceter. bipinell. saxifrag. omnis buglos. an. m. s. 4. semin. frigid. maiorum, carui, milij solis, citrij, an. ʒ. ij. glycyrrh. ras. ℥. s. florum cordial. & genist. an. p. j. fiat decoct. aa lib. j. in colatura diss. syrup. oxymel. syrup. de

capill. ven. an. ℥. j. ſ. aromatizetur electuario ducis.

℞. aloes ℥. ij. ſ. medullæ ſemin. bipinell. bardanæ, apij, contuſæ & cretæ per ſetaceum, an. ʒ. j. nucleorum meſpilorum loto. vino albo & pulueriſ. ʒ. j. ſ. cum ſyrup. de alth. fiat maſſa vtenda ante paſtus.

℞. nucleor. meſpil. pulueriſator. ℥. ſ. rad. gramin. lotæ in vino albo, & in furno ſiccat. ʒ. iij. liquiritiæ, ſemin. bardanæ, ocymi, petroſel. maced. an. ʒ j: cum triplo ſacchar. puluer.

℞. ſemin. milij ſolis, alth. lini. fœnugr. an. ℥ ſ. fiat decoct. In colat. diſſol. Cathol. ʒ vj. benedict. laxat. ʒ iij. terebinth. ℥ ſ. ſacchari rub. mellis viol. an. ℥j. ol. de ſcorpion. & liliorum an. ℥ ij. philon. Rom. ʒ j. ſ. fiat clyſter.

℞ ſ aqu. betonicæ, argentinæ, corticum fabarum, an. ℥j. ſ. paſſentur cum ſaccharo & pauco cinam. adde ſanguinis hirci præparati ʒ j. pulueris lithon. ℈ j. fiat potus, capiat in ſemicupio.

℞. rad. raphan. petroſel. fœnic. aſpar. an. ℥ ij. ſemin. milij ſolis, ſaxifragi, lappæ maior. an. ℥ ſ. beton. parietar. biſmal. totius an. m. j. fiat decoct. in hydromelite bene cocto ad lib. duas.

℞ prædictæ decoctionis quartar. tria, in quibus diſſol. terebinth. venet. benedictæ laxat. an. ℥ ſ. adipis anſer. ℥j. puluer. lapid. iudaici ʒj. pulu. lithont. ʒ ij. ol. de ſcorpion. & liliorum an. ℥ i. ſ. fiat clyſter. Vel

℞ olei de ſem. lini lib j. terebinth. venetæ ℥j. ſ. diaphœnici vino albo ſoluti ʒ iij. fiat clyſter.

℞. aqu. deſtill. ſaxifrag. beton. an. ℥j. ſ. aquæ terebinth. deſtill. ℥j. cum ſacchar. & pauco cinam. fiat iulep. Capiat reddito clyſtere: & cum illo iulepo miſceatur ſanguis hircini præparati ʒ ſ.

℞ rad. bryoniæ, lilior. an. ℥j. ſ. malu. biſmal. tot. parietar. creſſionis, berulæ, an. m. j. ſemin. fœnugr. alth. lini an. ℥j. ficus pingues num. vj. florum chamæm. p. ij. fiat decoct. & materialia prædictæ decoctionis miſceantur cum far. cicerum rub. ℥ iij. far. fenugr. ℥ ij. adip. anſer. ℥j. ſ. cum oleo de ſcorp. & liliorum: fiat cataplaſma pro rene vtroque.

Paratur balneum cum ſeminibus lini, fœnugr. alth. milij ſolis, florib. chamæm. melilot.

℞. 4 ſemin. frigid. maior. an. ʒ ſ. ſemin. aſpar. lithoſperm. an. ℈ ij. pul. lapid. cancro. & iudaici, an. ℈ ſ. pul. burg. ſpinæ, & ſem. bardanæ, an. ʒ ſ. anthos ʒj. cum ſaccharo quod ſufficit. Fiat puluis vtendus cum iulepo ſequente.

℞ ſyrup. de alth. & de limonibus an. ℥j. aqu. decoct. fabarum ℥ iiij. fiat tulp.

℞. aqu. hyſſop. parietar. beton. ſaxifrag. an. ℥ ij. aqu. terebinth. deſtill. & raphan. an. ℥j. in quibus diſſolue ol. de ſcorpionibus ℥ ij. ol. lilior. ℥j.

℥.j. puluer. elect. ducis, & lithont. an. ʒ ij. oxymel. ſimpl. & ſyrup. de raphan. an. ℥ ij. adipis anſerini ℥ ij. fiat clyſter pro duplici iniectione, additâ ʒ j. ſ. quintæ eſſentiæ terebinth.

℞ rad. cichorij, aſparagi, apij, petroſ. fœniculi, raphan. areſtæ bouis, an. ℥ j. rad. altheæ, lapp. maior. ſpinæburg. cani rub. an. ʒ vj. betonicæ, parietariæ, ſaxifrag. adianti, cetera, chendiuiæ, pimpinell. cum toto herniar. cichorij, an. m. j. fructuum alkeken. num. xij. cicerum rub. xj. baccarum iuniperi & lauri contuſarum an. ʒ j. ſ. milij ſolis 4. ſemin. frigid. maior. ſemin. altheæ & milij ſolis, ſem. malu. violar. mart. an. ʒ ij. florum geniſt. p. j. fiat decoct. ad lib. j. In colat. diſſolu. ſyrupi de raphan. & de lymonibus an. ℥ j. ſ. Fiat iulep aromatizat. Electuar. Diaircos & Elect. Ducis.

℞ expreſſ. ʒ ij. rhubarb. infuſi in decoct. gram. petroſel. bruſci, acetoſ. agrimoniæ, bipin. ſaxifrag. vrticæ mortuæ, ſem. alkeken. iuniperi: diſſol. lapid. iudaic. ℈ j. ſyrup. de raphan. & roſ. pallid. an. ℥ ſ.

℞ aqu. betonicæ, argent. ſaxifrag. an. ℥ j. ſ. aqu. raphan. ℥ ſ. paſſentur cum cinnam. & pauco ſaccharo, addendo puluer. ducis ʒ j. lapid. iudaici & milij ſolis, lapillor. cancror. an. ℈ j. Fiat potus, detur in ſemicupio.

℞ mucagin. ſem. lini, altheæ, fœnugr. extractarum in aqua pariet. ℥ j. ſ. adip. gallinæ & anſeris an. ʒ vi. cum oleo de ſcorpionib. terebinth. venet. & butyr. recen. an. ℥ ſ. Fiat litus pro partibus dolentib.

℞ oleor. maſtich. & cytoniorum, an. ℥ ſ. puluer. abſynth. roſarum, corall. rubr. galang. an. ʒ ſ. cypp. ʒ j. pulu. myrtillorum, gall. nuc. cupreſſ. an. ℈ j. cum ceroto ſtomach. Fiat litus ad ſtomachum.

Multa alia inſtituta ſunt, quæ neceſſe non eſt ſcribere, & quòd ea ſatis per ſe cuique occurrant, & quòd aliis ex locis facilè repetantur.

CONSILIVM LIII.

De Diarrhœa, & Dysenteria.

INTER eas affectiones quæ miseros mortales exercent, sunt fluores alui, præproperæ deiectiones, leientericæ, dysentericæ, cœliacæ. Occurrerunt nobis plerique, quibus graue fuit ac permolestum sæpiùs desidere, ac præsertim de nocte, vel cùm in negotiis occuparentur, quæ necessariò omittenda essent, vt excernendi necessitati seruiretur. Cœliacæ, vel aluinæ excretiones (γαστὴρ enim hoc loco, aluus, latinè à nobis cum Cicerone vertitur, vulgò Ventriculus dicitur) non possunt diutiùs perseuerare incolumi stantéque ægro. At dysentericæ excretiones (nomine τῆς δυσεντερίας impropriè sumpto) diu fatigant, vel quòd minimo negotio sanguis excernatur, vel quòd tam diuturni profluuij dysenterici occasio à capite repetatur, nullo etiamnum vitio in viscere aliquo contento, nisi quòd longitudine fluoris tandem partes ἐν τῇ κοιλίᾳ contentæ labem contraxerint. Ac fluorem hoc loco intelligimus διάρροιαν vulgò dictam, cùm & in excretionis modo, & in qualitate, & in frequentia peccatur. Nam hoc loco intelligi volumus de excretionis modo, & qualitate, quia per annos ferè septem, octóve nunquam excernitur quicquam ab aluo, nisi cum dolore circum vmbilicum, aut paulò suprà, infráve: & quæ secedunt corrupta sunt sanguinolentaque, diuersi coloris, & tamen morbus remediis non cedit.

Hoc affectu miserè quidam annos iam afflictus est decem, nec opem vllam, quamuis consultis primariis Medicis quæsiuerit, inuenit. Decem ante annis dysenteriam, vt tunc Medicis visum est, passus est: opera adhibita est: an malè curatus morbus nihil ad nos, ab eo tamen tempore, nisi breuibus aliquot interuallis, dolores, & excretiones, vt sic dicam, ἀφρώδεες καὶ πυώδεις non conquieuerunt. Viso homine, nemo tam parum in arte versatus, qui non colligat temperamento bilioso esse, conferentibus eò frequentibus animi curis quibus impensè complicatur. Emaciatus est, hepar illi ad calidiorem temperiem inclinans, to-

tus venter ambustus (vt vocant) denique θερμόκοιλος est, vt verbo Hippocratico vtamur. Sed sit ita, & fateamur eiusmodi temperiem & vitæ institutum Græcis ἐπιτήδευμα appellatum, ad alendum morbum conferre, propterea tamen non constat de sede, ac specie morbi: quis sit, vnde, qui tandiu manente ægro, perseueret, an vitium lienis, an hepatis, an cerebri, an mesenterij: & si mesenterij, an vlcus sit, an intemperies: Si vlcus, aut quid simile, quomodo tandiu superfuerit, cur non illa pars siderata, vitiatáque temporis progressu. Denique mirum est quî fiat vt illa liquida satis excretio, αἱματηρά, graueolens, tam multiplex; (nam simul & cruenta, & stercoracea, & viridia, & flaua excernuntur, quæ nunquam in bene affectis excernuntur) tandiu possit perseuerare. Notum enim illud est Galeni, *Cùm excernuntur varia, si praua fuerint, deterius ægris esse, quàm si vniusmodi.* Et si varia sint, ac praua, vel αὐτομάτως καὶ συμπτωματικῶς excernuntur, vel vi medicamenti purgantis. Cùm αὐτομάτως excernuntur, & excernendi finis non fit, nec id affatim fit, sed lentè ac pigro gressu, significatur varietas dispositionum malarum in diuersis partibus. Ac quò plures partes afficiuntur, eò res ægrorum deteriores sunt: vt autem lentorem, tarditatémque gressus explicet Hippocrates, vsus est participio τὰ ἰόντα, quòd non semel factam excretionem, & ἀθρόως declarat, sed sensim ac sensim fieri. Sed cum artificio Medici ad imitationem naturæ comparato excretio fit talis materiæ prauæ ac multiplicis, tametsi hoc per se malum, ex euentu tamen bonum est: nam non perennem generationem, sed congeriem tantùm accumulationemque, τὸν ἀθροισμὸν Græci vocant, designat: quod in omnibus morbis diligenter notandum.

Apho. 20 lib. 4.

Ac cùm tandiu praua ista materia excernatur, siue noua generetur, vt necesse est, siue è sedibus partium intimis illa, aut pars illius secedat, mirum quomodo id fiat. Ideóque claris Medicis hoc negotium datum est, vt nec operâ, nec consilio iuuarent, immò ne sedem mali quidem intelligerent: quanquam communi nomenclatione dysentericum quid appellant. Hepaticum non est profluuiũ, siue rubrum intelligatur, siue non, quod tanti momenti pars decem annos non possit ita laborare, non quòd, vt antè dictum est, non afficiatur tandem hepar. Cephalicum esse aliquis suspicetur, non ita tamen vt tota natura profluuij in descensu pituitæ à cerebro consistat; nec enim dolores

illi ad vmbilicum consisterent, nec propterea cruentum excerneretur, nec tam varia ac putria; sed eâ ratione cephalicum esse potest, quatenus cùm iam partes inferiores affectæ essent, ad diuturnitatem fouendam accessit capitis opera muccosum humorem, aut phlegma salsum excernentis in aluum. Huc facit quod de nocte potiùs ad excernendum æger incitetur. Ac veteres practici distinxerunt profluuium stomachicum ab hepatico & cerebrali, quòd illud interdum fatiget, hoc, id est à cerebro hepatéque natum profluuium de nocte potiùs sæuire consuescat. Quòd autem diuturnitatem fluorum alui cuius illacumque modi sint, adiuuet cerebrum, primus literis mandauit Hippocrates: *Dysenteria, Leienteria, Diarrhœa morbi sunt consimiles: hi sunt sanandi, vt defluxum à capite impedias, & à ventre superiori. Morbi enim natura hinc est.*

Hipp. lib. περὶ παθῶν.

Atque vnum obiter annotare non alienum, an necesse sit spumantes esse deiectiones, si à capite occasio excretionis pendeat. Aphorismus est Hippocratis: *Quibus in alui profluuiis excrementa spumant, iis à capite pituita est.* Falsus enim videtur in plerisque aphorismus: nã in doloribus colicis excernuntur spumantia, & bubulo excremẽto similia, natantiáque præ contẽto spiritu, in aqua, non propterea tamen colligere licet caput hæc suppeditare. Sed dicet aliquis, Hippocratem loqui de alui profluuiis, in quibus cùm spumat aliquid, excretæ à capite pituitæ argumentum est. In Comment. Galenus non videtur hunc aphorismum omninò probare. Sic visum est recentioribus rectè quidem in dysenteriis materia commota calore æstuante agitata spumantia deiici. Sic aliis signis colligendum caput malè habere si grauе caput, saliuatio, ac præsertim manè & vesperi: maximè si eã molestiam sentiant in ventriculo. Quanquam caput per se constituitur pituitæ, sedes, quæ in ventriculum illabens profluuia longiora reddit. In spumantibus itaque deiectionibus falli non oportet.

Aph. 30. lib. 7.

Cap. 5 lib. 2. de loc. aff.

Gal. cõm. in aphor. 43. lib. 3. & 30 li. 7.

Hipp. 4. de morb.

Etsi autem caput magnum habet momentum ad producenda profluuia, non est tamen temerè incusandum, nec medicamentis agitandum. Galenus primus meo iudicio, quod à nullis hactenus annotatum est, fluorum alui causam vnam agnoscit quandam ῥευματικὴν διάθεσιν intestinorum, vt vocat, quam in quodam animaduertit qui excernebãt cum sensu mordacitatis in superioribus intestinis (quod colligebat ex eo quod post mor-

Cap. 4 l. 1. de loc. aff.

dicationem paulò lõgiore tempore desideret) idque ob læsum à prauo medicamento intestinum. Ac coniecit læsum esse ab eo medicamento intestinum, ac iam in ῥευματικὴν διάθεσιν peruenisse, propter eáque facilè iecoris excrementa recipere, eáque corrumpere. Hic locus plurimùm conferet ad id intelligendum de quo laboramus, quî fiat vt tandiu profluuium perseueret, est illa διάθεσις ῥευματικὴ, in causa, id est, intestina vitiata sunt, imbecilliorá ve reddita, vt humorum aliunde influentium impetum facilè recipiãt, & humores à iecore manantes corrumpãt. quod notandum. Nam aliquis quærat, si à iecore excrementa manãt, corrumpantur necne, nil interest: quod intrepidè negandum est. Nam quę à iecore fiuunt, refluuntque, ea cùm excrementa tantùm sint, sed nil mali præterea habeant, intestinum vicinum vitiatum, & iam in ῥευματικὴν διαθέσει deueniens corrumpit, & proptereà citatior aluus redditur. Nam quæ in intestinis continentur, nisi acrimoniam quandam aliquo modo nacta fuerint, ea diutiùs in iis restitãt, & aluo stimulum calcárque ad soluendum non addunt. Non exigua itaque dubitatio fuit de illo ęgro, quęnam in illo potissimùm pars incusanda esset. Omnes ad hepar recurrebant. At illud aut intemperie, aut solutione continui, aut totâ substantiâ affectum est. Non abs re autem τῇ ὅλῃ οὐσίᾳ dico, non autem ποιᾷ κράσει; quoniam pars illa sicut & reliquæ partes afficiuntur nullo interim iudicio manifesto affectionis. Nam plerique ex iis quibus præcipua cura est de coniectandis tangendísque hypochondriis, cùm nec inæqualitatem, nec tumorem, nec renitens quid tactu deprehendunt, propterea iubent securos esse ægros. Vnde sæpe in vulgi mentem venit, propinato veneno ita languere hominem, cùm recitat Medicus nil deprehendisse vitij in hypochondriis. Tametsi enim Hippocr. in Coacis aduersariis in omni morbo hypochondrii æqualitatem in qualitate & substantia, in eóque doloris vacuitatem laudarit: non propterea latere nos debet subesse substantiæ totius vitium in viscere contento in hypochondriis. Hoc autem Galenus literis tradidit apertè, quod ad medendum & inuestigandum confert plurimùm, ne temerè inueterato contrectandi hypochondria mori assentiamur. Declarat enim quomodo superficies corporis sæpe colore æruginoso infecta, deturpatáque sit, cùm nulla existat obstructio, aut inflammatio, aut scirrhus in hepate. Sed, ait, secundùm substantiam temperiei ipsius

7. cap. lib. 5. loc. aff.

partis mutatur. Vt sit temperamenti quædam alienatio, sed sit ita sanè (iam enim accedo ad eos, qui quòd fortè iuuenum virginum nitore, & vt ita dicam, polito marmore alliciantur, iam sibi persuasêre officio suo non se defuturos, si vt morbi sedem inuestigent, manum ad hypochondrium adiiciant, vt hic plus voluptatis ad illos redeat, quàm ad ægros vtilitatis.) Sit ita, inquam, aliqua obstructione aut tumore laboret hepar, an proptereà tactus fidem faciet? [2] Quod si neges, habebis Galenum tibi contradicentem, qui non ita stolidè voluptuoséque ægrarum mulierum inuerecundo tactu delectabatur. Istius verba hæc sunt: *Constat*, inquit, *hepar intra musculos positum esse: quod cùm tribus contegatur musculis, fieri non potest vt tactus aliquam illius notitiam præstet, nisi vel magna in eo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei musculi valdè extenuati sint.* At affectus hepatis cognitionem aliâ arte venandam esse tradit.

Gal cap. 7. lib. 5 de loc. aff.

Vt ad institutum reuertamur, illius ægri hepar quod tanquam mali auctorem omnes accusabant, illudque præsidiis innumeris fatigabant, aut solutione continui, aut intemperie laborabat, aut vernacula eius temperies totáque substantia erat immutata. Nec inflammationem hepatis passus erat, nec tumor vllus, tametsi incumbentes musculi excarnes penè essent, percipiebatur. Si caliditas est magna, adureret potiùs, siccarétque, & ἀμμῶδες διαχώρημα efficeret, vt in hydropicis quibus hepar præcalidum est, annotauit Hippocrates. Caliditas ad retentionem & attractionem facit: humiditas & frigiditas eãdem retentionem dissoluit. Et si siccitas in iecore eandem retentionem roborabit, vt patet ex Galeno, qui qualitatum corpus constituentium, alias ad hanc aut ad illam potiùs actionem valere. [3] At dicet aliquis, immoderatus est calor, immoderata siccitas. Tametsi enim siccitas & calor ad retentionem & attractionem conferát, illud est intelligendum de vtroque moderato. Verum quidem illud: nec enim nos latet scriptum esse à Galeno, vt moderata siccitas actionem retentricis iuuat, ita immoderata dissoluit. Quod senum exemplo patet, quibus cùm adsit summa siccitas, iis aluus est liquida ἀναδόσεως vitio impediente, nimirum siccitate immodicâ, & ἀνάδοσιν, & retentionem legitimam. At si fuisset in illo tanta intemperies calida siccáque hepatis, non fuisset credibile tamdiu eum viuere potuisse. Quanquam non negamus calorem qui in eo est magnus, & acer, plurimùm illum

Gal. cap. 3. lib 3 de symptom caus. & lib. de arte par.

Com. in aph. 20 lib. 2 aphor.

fluorem iuuisse, dispositis malè iam intestinis, humores corrũpendo, & iis saltem acrimoniam attribuendo. Sic enim lib. 6 Epidemiorum scripsit Hippocrates, *Qui ventre calido sunt, carnes habent frigidas*. Et miror, si tanta fuit intemperies calida hepatis initio, cur non ætas quæ secuta est illam correxit? Ita enim vernaculæ intemperies & veteres infirmitates temporis progressu immutantur, vt quibus in iuuentute fluxerit aluus, iis senibus resiccetur. Et id est quod scripsit Hippocrates in Epid. *Morbi connutriti in senecta relinquunt*; quod Galenus de intemperie calida intelligit in Commentario, vt ætas ingrauescens illi intemperiei veluti auxilio sit. Quomodo autem hæc multos torquere possit. Ergo probabilius est accusare intestina in quibus inest ῥευματικὴ διάθεσις illa quam diximus, iuuante hepate, nimirùm serosos humores acrésque generante. Qui, si intestinũ integrum esset, non ita citaret aluum. Sed hepar generãdo, mittendóque intestinum, & corrumpendo ob malam dispositionem, mutuas tradunt operas ad illum fluorem perpetuandum. Et futurum tandem vt colliquescat hepar, & veluti consummatur. Si vitium in illo absolutè fuisset, vix tandiu homo superfuisset. Quanquam audiuimus de Consule Parisiensi qui hepatico profluuio bilioso sex annos vexatus est, & nullis remediis alleuatus est. Eo mortuo inuentus tantùm hepatis loculus & membrana, illius parenchymate consumpto & colliquefacto. Quod autem huic nostro ægro intestinum malè affectum sit, colligere possumus ex antecedentibus; nam aliquando dysenteriâ verâ laborauit, & cùm Medicorum iudicio ea malè curata esset, ab eo tempore superfuit, restititque illud quodammodo dysentericum profluuium. Quanquam ad mesaræon potest sæpe longi fluoris occasio referri. Nos enim sex mensium spatio fluorem patientes vidimus, qui non hepatica cephalicáque excernebant, sed mesenterica, vt sic loquebamur. Et sæpe longorum latentiumque morborum sedes est mesaræon, frustráque aut ad lienem, aut ad hepar mali prima labes & occasio refertur. Et ne cui mirum videatur si ad mesenterium recurrendum sit, quod non sit credibile ab vno hepate tam multam colluuiem prouenire, habemus nobis suffragantem Galenum. Ille agnoscit quasdam mesenterii affectiones, à quibus qui ægrotarent, Meseraici appellarentur. Quidam veterum cùm perfectè confectũ in ventriculo cremorem animaduerterent, & talem ferè deiici,

Apho. 20 lib. 2. Aphor.

Part. 6. sect. lib. 6 Epidem.

Cap. vlt. lib. 3. de loc. aff.

nec à meseraicis suctum deuectumque, vt fieri solet, falsò mili
causam mesenterio attribuentes, sic laborantes meseraïcos ap-
pellitabant, sed malè: & ideò hos Galenus redarguit. Nam cùm
facultas attractrix hepatis languet, nil per venas mesaraïcas at-
trahitur ab hepate: proptereáque non accusari debet mesente-
rium, sed hepar ipsum. Idem enim contingit quod iis quibus
læsa spinalis medulla, & aut brachia, aut manus in iis suum offi-
cium non præstant. Non accusandæ manus, sed ad spinam re-
currendum. Item cùm quis syncope prehensus non mouet ma-
num, an ei manus in vitio est? Hæ rationes Galeni sunt. Contrà
tamen afferri hoc potest: Cùm chylus mitificatus excernitur,
nec ad hepar deuehitur, an ideò facultatis attractricis hepatis
id vitio fit? Nunquid sæpe fluorem alui videmus obstructo me-
saræo facultatibus hepatis etiamnum integris? Non sequitur er-
go ideò conuinci posse hepar laborare, cùm chylosa deiiciun-
tur. Verum quidem illud, cùm facultas attrahendi hepatis æ-

Galeni lapsus.

gra est, attractionem per mesaraïcas tanquam per manus offi-
ciales non fieri, non obstructæ viæ ratione, sed partis principis
mesaræi ministerio vtentis vitio. Et veteres qui mesaraïcos ap-
pellabant illos, non abs re fecerunt. Sic & Galenus, & illi vete-
res culpâ non vacant; siquidem & chylosa deiici possunt solo
vitio mesaręi non deducentis: aliquando ipsius hepatis vitio,
cùm mesaręon incolumis sit. Præterea aduersus Galenum hoc
stare potest. Mesaręon pars est naturalis: omni parti naturali suę
actionis vis est, & per protopathiam laborat, non per consen-
sum vt partes animales, quæ aliquando cùm per se incolumes
sint, suæ affectionis causam in se non continent: Hinc fieri po-

de loc. aff Cap. vlt.

test vt etiam laborante hepate mesaręon suum officium faciat:
& contrà incolume potest esse hepar, læso mesaręo. Et nil affert
Galenus cùm ait ridiculum esse affectâ spinâ, manum, quia non
moueatur, accusare: Idemque cõtingere in hepate & mesaręo,
siquidem si mesaræon non trahat, affectionis huius causam non
acceptã ferẽdo mesaręo, sed ipsi hepati; quodà ratione alienũ es-
se videtur, cùm mesaręo insit vis suæ actionis, & τὴν ἐνέργειαν. Nec est
quod quis parum interesse dicat, sitne affectum mesaræon, an
hepar, cùm chylosa deiiciuntur; nam magna est partium affini-
tas: & vnius affectio facilè in aliud redundat. Nos autem con-
trà sentimus; siquidem si in mesenterio aut tumor & obstructio
sit, cuius occasione chylus ad portas non deuehatur, aliâ ratio-
ne

ne curandum erit quàm si hepatis sola attractricis infirmitas in causa sit. Et nos vidimus chylosas deiectiones non affecto hepate aliquo insigni vitio, sed sublatis multis quæ mesaræon occupabant obstructionibus; tandem cessauit chylosa deiectio. Sic non sunt Galeni dicta pensiculatim & ad momi lucernam æstimanda: sed cum Galeno illo loco mens sit de hepaticis dicere, non est dubium quin hepatis facultate tractrice infirmâ mesaræon laboret, actióque eius aut minuatur, aut deperdatur. Nam mesaræon tanquam auxiliaris manus hepati subseruit. Sed contrà non sequitur, chylosa deiectio est, necessariò itaque vitium hepatis conuincitur. Sic in vno sensu vera opinio Galeni, in altero sensu veterum opinio excipienda. Dicendum verò mesaræon, quod est veluti venarum textura, ita affectum esse ad hepar quatenus pars est officialis, vt vitium quod est in hepate facilè communicetur ipsi mesaræo. Et Galenus eodem loco ait, si phlegmone, aut aliquid simile mesaræon obsideat, hæc affectio propriè eius esse dicitur. Si verò hepar ob imbecillitatem non possit per venas suas alimentum trahere, non mesenterio, sed hepati prouidendum erit. Porrò si velis discernere an inflammatio & erysipelas mesaræon occupet, sciendum tunc non solùm excerni talia qualia in hepatis imbecillitate cùm ad se cibum non trahit, excernuntur, [4] sed præter ea saniosum quid. Sic cùm hepar non inflammatum est, & si cum chylosis excrementis saniosum quid excernitur, ad mesenterium hoc referendum.

Ceterùm incredibile dictu est qualia excernantur dum mesenterium per intestina congestam in se colluuiem deponit: nec alienum ab instituto si differentias aliquot fluorum hepaticorum apposuerimus, dysenteriæ species proposuerimus; quæ accidentia incipiente fluore dysenterico & hepatico contingant; quæ sedium distinctio, quæ notæ: deinde remediorum perbreuis sylua præscribetur. Si enim omnes fluorum differentias persequi institutum esset, ne hic liber quidem sufficeret.

Quæcumque excretio per aluum sanguinis fit (si hæmorrhoïdalem exceperis) Dysenterica vulgò appellatur: idque præsertim cùm dolor, ventrisque torsio aliqua percipitur: Quę tamen cum vlcere est, propriè Dysenteria appellatur: hyparxisque eius in vlcere posita est. Ita enim eam propriè Dysenteriam nominari, & à veteribus & à suis Galenus autor est. Alię autem

Cap. 5 lib. 2. de loc. aff.

sunt excretiones cruentæ, vt cùm limus sanguinis excernitur, aut velut sanguinis fæx, aut cùm syncerus planè, eáque excretio affectum hepar declarat eidem Galeno. Nam vt tenue & saniosum, & recèns mactatarum carnium loturę simile euacuatur, id hepaticum est, id est declarat imbecillitatem iocineris sanguinem probum generare nequeuntis. Hanc excretionem Hippocrates vocat πειπλυσιν ἐξέρυθρον, pręrubram alui proluuiem interpretor. Est enim vel rubentior, vel dilutior pro ratione permixtæ tenuis substantiæ. Cùm autem fæci similis excretio sanguinis fit quodammodo exassantis iecoris argumentum est, & vocatur hoc τὸ διαχώρημα ὑπεροπτώμενον. Et notandũ est illud quod scribit Galenus, & quod nos experientiâ sæpe deprehendimus, aliquando liquidam tenuemque sanguinis esse excretionem, quam melancholica posteà, fæculenta, nigra, & atra consequatur. An atra, nigráque, & adusta quodammodo intemperie frigida affecto hepate excernitur? Nequaquam. Sed cùm alioqui præcessit frigida intemperies, temporis progressu putrescit in imbecillo hepate humor, à putredine febris lenta oritur; hinc adustio recoctióque humoris: quod annotandum. Nam sæpe hæc febris negligitur; hinc deiecta appetentia, prouentus prauorum humorum. Et cùm vident illi Medici deiectam appetentiam, non mouentur: quod malè fit. Illud enim notum esse debet, si perseueraret intemperies illa frigida quæ initio fuit, non ita deiici appetentiam, immò cibi augeri desiderium. Quia autem ita deperditur appetentia calidioris intemperiei quæ successerit, debet esse argumentum. Nam calidas intemperies nũquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vitiosorum humorum vomitus. Itaque non falsa debet esse opinio prioris intemperiei frigidæ: sed signis est venanda aucupandáque cognitio succedentis aliæ intemperiei.

Gal. ibid & cap. vlt. lib. 5

Hip. 1. 1. Proch

Cap. vlt lib 5. loc. affect.

Gal. vlt. cap. lib. 5 de loc. aff

Quoniam autem de inappetentia quæ imbecillitatis hepatis comes est nonnulla dicta sunt, & de fluoribus dysentericis & hepaticis sermo est, non abs re erit pauca annectere ex Galeni mente, eáque ad Hippocratis sententiam accommodata. Hippocratis est illud, *In longis dysenteriis inediæ ex fastidio, malum, & cum febre, peius*. Nomen τῆς ἀποσιτίας non aptè satis Leonicenus vertit, inediam ex fastidio, cùm vel inappetentia, vel auersio ciborum, verti debeat. Propriè autem nomen ἀποσιτία auersionem ciborum significat, vt in comment. in 1. Epidem. explicat

Aphor. 3. lib. 6.

Galenus. Sed hîc ἀντὶ τ' ἀσιτίας vſurpatur. ἄσιτος autem & ἀπόσιτος diſtinguuntur propriè loquendo: impropriè autem ſumitur hoc loco. Sic enim in Commentario Galenus vult ἀπόσιτον ſumi pro ἀνόρεκτος. De nominibus hactenus.

Dyſenteriæ aut ſupprimuntur intempeſtiuè, aut diuturniores ſunt. Tametſi enim dyſenteria peſſimus ſit morbus, quia tamen ſæpe fluor eſt quidam, ratione autem fluoris multa è corpore euacuantur, multáque qualitate prauâ, nullum tamen negotium naturæ (quia quietem habent, imóque delitent corpore) faceſſentia continuata ſerie ad motum incitantur, fit vt ſi illa repentè, commota iam tamen, ſupprimantur, corpori periculum creent. Ita enim ſcripſit ſummus præceptor, *Dyſenteria quæ ceſſauit, abſceſſum vel tuberculum aliquod faciet, niſi vel in febres, vel in ſudores deſierit*. Et in Coacis; *Dyſenteria intempeſtiuè ſuppreſſa, abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut articulis facit.* Vt autem Δυσεντερία ſuppreſſa comites habet morbos, ita ſi longior, ei non deſunt qui ius hæreditatis ſibi decernant. Quocirca Aphoriſmo illo lib. 6 Aphoriſm. inappetentiam tanquam malum longæ dyſenteriæ ἐπιγινόμενον ſcribebat. & in alio loco ita ſcripſit, *Qui lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, iis ſuperueniente longâ dyſenteriâ, hydrops, aut leienteria ſuperuenit, & moriuntur.* Vbi notanda verborum Hippocratis proprietas. Quid enim ſibi hoc vult, Qui lienoſi à dyſenteria capiuntur, iis ſuperueniente longâ dyſenteriâ? nam non poteſt ſuperuenire ſi iam adſit: debuítque dicere potiùs: Quibus lienoſis ſuperuenit dyſenteria, eáque productior fit. Ita excuſari poteſt Hippocrates, vt verbum ἐπιγίνεσθαι non eſt hîc propriè vſurpatum. Vel, quoniam laudatur dyſenteria quæ ſuperuenit lienoſo ſi breuis ſit, vt in Coacis animaduertit Hippocrates, cùm producitur, debitumque tempus præteriit, non iam amplius dyſenteria ſplenica vocanda eſt, ſed per propriam inteſtinorum affectionem fit, humoribus cuniculos agentibus, & vltrò progredientibus. Proptereáque noua quodammodo dyſenteria dici poteſt: ſed hæc nihil ad rem. Itaque inappetentia, leienteriáque longę dyſenteriæ ſuccedunt. An vtrũque affecto ventriculo, & malo quodãmodo ventriculi œconomiã (cuius eſt appetere, & coquere cibos, ideóque leienteria propria eſt ventriculi paſſio) labefaciẽte cõtingit? Non videtur, ſi Galen. credimus. Et ideò ſui oblitus Galenus, mihi in eo erraſſe videtur, quod mox explicabo.

4 De diæt. acut. par. 80.

Aphor. 43. lib. 6

Galeni lapſus.

Nam cùm de inappetentia dyſenteriæ longæ ſuccedente mẽtionem iniecit, ſcribit; *vlceribus* (in dyſenteria) *putrilaginoſis*

Apho. 30. lib. 6.

ventriculus compatiens in coctionis munere offenditur: quâ offenſione magis ac magis ad ſuperiora perueniente cùm os ventriculi vnà afficitur, tum ἀπόσιτοι *fiunt.* Itaque vult ad os ſuperius ventriculi malum peruenire. Et quomodo? dicet aliquis. An vlceratio hyparxin dyſenteriæ conſtituens ad os ſuperius alui peruenit? Nequaquam. Quomodo id fit? Cùm autem de leienteria meminit, non ad ventriculi vitium recurrit, ſed ad inteſtina ſola. Verba huius hæc ſunt:[6] *Læſis inteſtinis à tranſitu vitioſorum humorum vis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur; hinc hydrops, & leienteria. Leienteria quidem ex ſola inteſtinorum læſione: hydrops ob hepatis ſympathiam, &c.* An ſola κάκωσις, id eſt, oblæſio ſola inteſtinorum in longa dyſenteria leienteriam facit? Si in tali morbo inappetentia contingit cùm malum ad os ventris attingit (vt antè dictum eſt) cur non leienteria potiùs à vitio ventriculi, quàm ſolo inteſtinorum vitio? An ſolum inteſtinorum vitium leienteriam parit? Galenus taxat veteres quòd leienteriæ tale nomen indiderint ἀπὸ τῆς τῶν ἐντέρων λειότητος, cùm tamen vitium non inteſtinorum ſit, ſed ventriculi, vtpote cuius vitio coctio lædatur, eademque incolumis ſit integro ventriculo. Itaque illa erronea propoſitio eſt, qua ſtatuit ſolâ inteſtinorum læſione leienteriam contingere poſſe. Nam & in primo aphoriſmo lib. 6. & aliis locis, ad ventriculũ malè affectum leienteria refertur. Quid ergo ſibi vult Galenus tam ſui diſſimilis? Bifariam reſponderi poteſt, & excuſari Galenus: Quoniam inſtitutum eſt Galeni de dyſenteria longa diſputare, cui & hydrops & leienteria ſuperuenit, quoniã dyſenteria ad ſola inteſtina refertur, à ſola quoque læſione inteſtinorum leienteria naſcitur, vt vnum & idem ſubiectum ſit & dyſenteriæ & leienteriæ. Dyſenteriæ quidem per conſcriptionem vlcerationis quandam in inteſtinis: leienteriæ, vitio communicato toti inteſtinorum conuolutioni, & diuturnitate dyſenteriæ affectâ temperie inteſtinorum. Vel dicemus aliud eſſe à ſola læſione inteſtinorum naſci leienteriã, aliud à læſione ſolorum inteſtinorum. Nam ſi ſola inteſtina diceret, excluderet ventriculum. At non eſt excludendus. Tertiò dicemus καταχρηστικῶς nomen leienteriæ vſurpatum: & quæ hîc leienteria fit, non eſt vera, cuiuſmodi ea eſt quæ per

Com. in Aph. 43. lib 6.

Lapſus Galeni.

Com. in apho. 12. lib. 4.

Excuſatio Galeni.

affectionem ventriculi contingit. Vel dicemus (& hæc vltima ratio probabilior videtur (illud μόνον, & μόνlω κάκωσιν dictum esse per comparationem morborum duorum, nempe hydropis, & leienteriæ. Nam cùm hydrops longæ dysenteriæ succedit, tametsi intestina malè à priore morbo afficerentur, non tamen ob vitium solum intestinorum inuehitur hydrops, sed per sympathiam hepatis, lienis, & totius generis neruosi, vt disertè scribit Galenus. Ac si diceret, cùm contingit hydrops in longa dysenteria, non est illius generatio ad intestina referenda: nullus enim hydrops nasci potest nisi aut hepate, aut liene affecto, aut genere neruoso, vt apertiùs in Prognost. declarauit. Sed cùm leienteria superuenit, à sola intestinorum læsione est, id est, non oportet aut hepar, aut lienem, aut genus neruorum venosum compati, vt in generando hydero, sed per proprium, peculiare, & vernaculum intestinorum suis rugis & febris alimentum, do nec elaboretur aliquo modo, retinentium, vitium leienteria contingit: non quin ventriculi vitium adsit. In confesso enim omnibus esse debet leienteriam non posse nasci nisi affecto vêtriculo: Et cùm meminit κακώσεως intestinorum, non excludit τὴν τῆς κοιλίας κάκωσιν: sed omnia per comparationem duorum morborum intelligenda sunt. At inappetentia ad solum superius orificium ventriculi spectat. Quod Galenus explicat, dum symptomata facultatis vitalis emorientis ab Hippocrate recensitâ demonstratione illustret. Hermocrates (ait) perpetuò à cibo abhorrebat, loqui non valebat, lingua inaruit, non sitiebat, &c. Hæc omnia sunt τῆς δυνάμεως ζωτικῆς νεκρουμένης: deinde subdit Galenus in Commentar. *Inappetentia*, Græcè ἀπονιτία, *meliùs ciborum auersio verteretur*, id est vt ait, ἀνορεξία, *aut à ventriculi ore proficiscitur affecto aliqua humorum qualitate, aut ab ipsius facultatis extinctione.* Atque obiter annotandum est an ἀνορεξία, aut ἀποσιτία ad vitalem facultatem referatur, an non potiùs ad naturalem. Proptereà pro verbo δυνάμεως ζωτικῆς, legendum potiùs φυσικῆς. Coniectura verisimilis esse videtur. Tamen, vt dicam quod sentio, nomen ζωτικῆς melius & generalius mihi videtur à Galeno vsurpatum, vt & τὴν δύναμιν φυσικὴν, & τὴν ζωτικὴν complexu suo comprehendat.

Com. in Apho. 43 lib. 6.

Com. in Part. 1. lib. 2. Prognost

Subtilissimè Galenus excusatur.

Parti. 1. sect. 1. lib 3. Epid.

Redeamus ad institutum. Ex his symptomatis quæ dysenteriæ longæ succedunt, sunt, inappetentia, leienteria, hydrops. Dictum est quomodo hæc fierent. Nunc autem vt aphorismus

tertius libri ſexti intelligatur, ne temerè iudicent Medici de inappetentia quæ in dyſenteriam incidit, eamque aut bono, aut malo eſſe pronuncient; ita cum Diориſmo res diſtinguetur. Inappetentia quæ in dyſenteriam incidit, aut initio, aut affecto iam morbo. Si initio, non ita in malis poni debet. Nam fieri poteſt inappetentia primis morbi diebus ob ichoras confluentes ab hepate (malè nomen ἰχῶρας *humores* vertit Leonicenus.) Ex quibus qui ad inteſtina deriuantur, exulcerationem afferūt. Qui in ore ventriculi fluitant, ἀποσιτίαν afferre ſolent. At cùm inappetentia affecto iam morbo contingit, νέκρωσιν, *mortificationem* interpretor, ventriculo aduenisse lege ſympathias declarat. Hęc Galenus. Itaque vt iudicium de inappetentia in dyſenteriam incidente feratur, hæ diſtinctiones tenendæ ſunt.

Com. in Aphor. 3. lib. 6.

Miſſam fecimus variam acceptionem nominis Dyſenteriæ, ne quoties ſanguis per inferiora educitur, dyſenteriam adeſſe ſuſpicemur: Nam & mutilis ob copiam ſanguinis fit excretio per aluum, quæ dyſenterica impropriè vocatur: vocant autem αἱματηρὰν. Item quibus ſanguis habet admiſtam bilem, aliquando aperit, roditque oſcilla vaſorum, vnde fluit ſanguis. Hæc autem impropriè quoque Dyſenteria vocatur, nullumque nomen reperit, niſi ſub τῆς κενώσεως αἱματηρᾶς comprehendas. Quanquam hoc nomen ad eam euacuationem, quæ ob quantitatem contingit, accommodetur. Galenus autem indicare videtur & hanc & illam αἱματηρὰν appellari poſſe, hoc diſcriminis ſtatuto, quòd vna dicatur αἱματηρὰ ob ſanguinis copiam, altera ob qualitatē. Quod autem ea quæ ob qualitatem fit, αἱματηρὰ quoque dici poſſit, colligi poteſt ex Commentario in 5. Aphoriſmorum. Nam dum Hippocrates narrat ea ſymptomata quæ contingunt iis quibus circum vlcera tumores ſunt, & de repente euaneſcunt, meminit Dyſenteriæ non propriè dictæ, ſed quæ αἱματηρὰ vocatur. Nam vlcera aut partes poſticas corporis, aut anticas occupant, tumoréſque iis aſſident, aut euaneſcunt. Si in poſticis, conuulſiones fiunt tumore diſparente, aut tetani: ſi in anticis, inſania, dolor lateris acutus, ſuppuratum, difficultas inteſtinorum. Horum hæc demonſtratio, quia poſteriora neruoſa, anteriora verò venoſa ac arterioſa: ideóque alio loco dictum erat, *Mulieribus rigores ex lumbis magis & ad dorſum, &c.* Quod contingit & quia pars illa neruoſa, & frigida, & facilè compaſſionis modo ad principium neruorum affectio fertur, & quia ſubſtantiæ mol-

3. de ſympto cauſ.

Com. in apho 65. lib. 5.

Aph. 69. lib. 5.

lioris est, facilè alterationem suscipit: At partes anteriores calidiorem habent temperaturam, ait Galenus. Si itaque tumores, præsertim si ἐρυθροὶ sint, euanescant in partibus anterioribus dolores lateris & dysenteria fiunt αἱματηρὲς, id fit per μετάστασιν, cuius maximè ratio habenda in morbis, an eam dysenteriam probabile est fieri à sanguinis tantùm copia, an verò à sanguine multo, sed iã malâ qualitate prædito? Si enim nondum contraxisset malam qualitatem, non tristia illa symptomata afferret. Ergo credibile est illam dysenteriam à qualitate & quantitate sanguinis contigisse. Sic ex eo loco patet dysenteriam à qualitate sanguinis factam nullo in intestinis concepto vlcere, αἱματηρὰν dici posse, non eam solam quæ à quantitate sanguinis fit. Vtitur enim Galenus nomine ἡ δυσεντερίας αἱματηρᾶς.

Præterea hepatici sæpe excernunt sanguinem nullo intestinorum vlcerato, tamen non dysenteria propria, sed hepatica dicitur dysenteria: & illa est de qua antè dictum est, quam Hippocrates vocat πεῖπλυσιν ἐρυθρον, vt Galenus Comment. in part. 2 Prorrheticorum demonstrauit.

1. Prorrh part. 2.

Quid ergo restat de dysenteria dicendum, paucis aperiri debet quo excretionis modo significetur obsideri intestinum superius aut inferius: quod & deiectiones, & doloris situs & species declarabunt. Præterea quid de dysenteria scripserit Hippocrates, præsertim in libris Prorrhetic. Varietas intestinorum efficit vt & tenesmus, & dysenteria non facilè sedem affectam priuatim significent, ait Galenus. Item affinitas affectuum efficit quominus minùs facilè hepaticus fluxus à dysenterico distinguatur. Sunt quidem notæ nonnullæ, quibus distinguere possis. Etenim in dysenteria paulatim & cum torminibus excretio fit, & subinde desurgendi necessitas adest: quod in hepatico fluxu non contingit. Et mirum quod scribit Galenus eodem cap. Dysenteriã hepaticam à dysenteria propriè dicta, quæ in vlcere consistit, in eo distingui, quòd dysenteria propriè dicta non repentè & affatim fiat, sed sensim, cùm vlcus sua habeat tempora, & quædam rudimenta habeat: quod in dysenteria hepatica non vult contingere; quasi verò hepatica dysenteria non habeat quoque sua tempora, & non imbecillitas illa à qua nascitur ille affectus, inducatur ex longo tempore. Quod si verum est, nulla planè est Galeni distinctio de vtroque affectu constituta. Nec hunc locum planè intelligo, nisi de excretionis modo

Cap. 2. lib. 6 de loc. aff.

quam de generatione potiùs intelligatur. Aut hæc accipiuntur non ita strictè. Huius rei iis iudicium relinquo, quibus acuties ingenij maior inest. Ergo excretionis modus, & dolorum perceptio in variis partibus, & varia contẽta, variéque mixta morborum sedem satis indicant: ac primùm in doloribus & situs, & species consideranda: situs quidem, si in partibus superioribus, aut inferioribus consistat dolor. Nam prout partes superas, aut inferas tenet, ita aut tenuia, aut crassa intestina dicitur occupare. Sed qui in Anatome versati sunt, aiunt hanc situs considerationem pili esse faciundam. Intestinum enim colon in crassorum intestinorum censu habetur, & tamen si quis in eo dolor sit, non dicetur deprehẽdi ex situ inferiore. In hominibus enim vicinum est colon ventriculo: vnde in colicis doloribus stomachi subuersiones, & vomitionis assiduitas. Quid ergo sibi vult ille situs superior, aut inferior? Prætereà quod ad speciem doloris attinet, quæri potest, an dolor in superioribus, tenuibúsque intestinis sit aut maior, aut minor, quàm qui in crassioribus consedit. Primùm ex Anatome disci debet tenuium intestinorum tunicas rarâ ac tenui substantiâ constare, & intestina illa, quæ membranosa sunt, exquisitioris esse sensus quàm sint crassa; quippe quæ carnosa sint magis. Si exquisitior in illis quàm in his sit sensus, dolor qui in tristi sensatione consistit, maior erit, ac manifestior in tenuibus quàm crassis intestinis. Ac propterea Galenus vehementissimos dolores in tenuibus intestinis persentiri. Contra tamen & rationem Anatomes, & communem sensum, & sententiam Galeni locus alius stabit ab eodem Galeno scriptus, cuius hæc verba: *Ex doloribus ij qui vehementissimi sunt, haud abs re in crassis erunt intestina.*" Qui verò mitiores sunt, horum duorum alterum esse necesse est, aut quòd à mansuetiore minoréque causa sunt, aut quòd non in crassis, sed in tenuibus sunt intestinis. Hoc ex loco sole clarius apparet dolores grauiores deterioresque esse in crassis quàm tenuibus intestinis, positis omnibus paribus: alioqui distinctionis omne fundamentum nutaret. Sed locus ille planè falsus & erroneus est, nisi intelligatur. Institutum Galeni est de colicis doloribus à materia crassa frigida, lentáque disputare: cùm enim cumulandæ crassæ crudæque materiæ locus sit opportunus, Colon intestinum, ideò & ratione loci, qui amplus est, distenditur vadè, & materiæ quæ in eo congeri solet, cùm vehementissimi sint dolo-

Cap. 2. lib. 6. de loc. aff.

Cap. 5. lib. 2 de

dolores, coniicimus in colo esse; si mansuetiores, aut in tenuibus sunt, vtpote in quibus non soleat illa pituita cumulari; aut in colo sunt, sed à minore causa. Sed dicet aliquis, si in tenui & crasso intestino eadem crassa materia ponatur, à qua dolor, an non crudelior dolor in tenui, quàm in crasso? Verum quidem esse videtur. Sed in tenuibus intestinis non illa congeritur materia: propterea accommodatè admodum facit sententia Galeni in lib. de locis affect. *Omnes*, ait, *& Medici, & populares vehementissimos dolores ad colon referunt, & colicos vocant. Quod mihi verisimile videtur*, ait Galenus. *Nam non vt in vreteribus lapides impacto lapide dolores excitantur, ita in tenuibus intestinis frigidi spiritus & humores retenti grauissimos dolores excitant. Nam cùm tenuium intestinorum tunica sit rara, diu huiusmodi causas, id est, crassos humores continere non possunt. Probabilius ergo eum crassum humorem in crasso intestino genitum, egredi nequeuntem dolores hos mouere. Vehementes quidem ob intemperantiam, & corporum crassorum tensionem: longos, quia difficulter vacuatur.* [12] Hoc ex loco patet superiorem sententiam de grauitate doloris in crassis intestinis intelligi de materia frigida quæ & generationem peculiariter hîc habet, & mãsionem. Attenuia intestina, quia à bile tanquam clystere naturali eluuntur, non generant; & si habeant, non diu retinent; vt placet Galeno. Non enim negare oportet quin si acres mordacésque humores in tenuibus intestinis retinerentur, aut crudeliores dolores, aut pares saltem excitarentur ac si eadem materia in crassis retineretur: sed peculiariter & crassæ materiæ crassa intestina sunt promptuarium. Ideò, vt annotat Galenus, in tenuibus intestinis acerbissimi dolores sunt (vt in ileo) aut cùm inflammatio est quæ obstruit intestinum vt nil transeat, aut resiccatum omninò stercus. Quanquam contrà id quod dicimus, in tenuibus intestinis non posse eam phlegmonem generari, quę intestini capacitatem illatenus impediat, afferri potest locus in quo Galenus docens asperæ arteriæ phlegmonem posse quidẽ difficultatem spirandi afferre, sed strangulationem non posse inducere, scribit: *Impossibile est corporis multùm tenuis inflammationem spatium effatu dignum replere.* Tenuia intestina, per eundem Galenum 6. de loc. affectis, tunicam habent raram admodum: Ergo quamuis in ea concipiatur phlegmone, non potest viam obstruere. Locus est notandus.

Cap. 2 lib. 6.

Com in Apho 34 lib. 4.

His ita positis, ad reliqua pergendum est, ac de mistionis mo-

do dicendum. Galenus excretionis modum considerauit: item quæ excernuntur: prætereà qualiter misceantur quæ excernũtur. Hæc autem vocat Galenus eo loco, vlceris notas admistas, aut non admistas, parum aut multùm admistas. Si quæ excernuntur membranosa magis sint, à tenuioribus intestinis excretio fit; si autem purulenta magis & carnosa ab intestinis crassioribus. Et quod ad tempus excretionis pertinet, si postquam dolor in partibus perceptus est, breui post tempore desideat æger, à partibus propinquis secretio fit: contrà verò euenit si à longinquis partibus humores exiuerint. Prætereà notæ vlceris, vel sanguis, aut tota totis excrementis sunt mixta, aut per se, & veluti sola in sese coacta comprehensáque excernuntur: si partiũ omnium quasi minutim concisarum ac confractarum mixtio fiat, à superioribus intestinis vacuatio fit: sin aut sanguis, aut pus secretum videatur, & per se solum existens, in seseque coactum, à propinquis partibus materia deraditur, huiusmodi excretionem dicimus fieri aut ἀθρόως, aut non. Quod vt intelligamus, asserri potest sententia ex Aphorismis Hippocratis: *Quorum in vrinis supereminet pingue aliquid, idque ἀθρόον*, id est confertum, totumque in sese, iis renes laborant: ὅπισαι dicitur ἀθρόον aut pus τὸ ἀθρόν, cùm non est diuulsum, diuisumque, sed compressum, coactum, collectúmque in sese. Galenus in Commentar. docet, cùm à partibus corporis decedit aliquid crassum vnà cum liquore, aut etiam sine eo, ob viæ prolixitatem non potest suam cohærentiam ac continuitatem retinere, sed refringitur, diuiditur, diuellitúrque. Cùm autem à propinquis partibus dimanat, coadunatur, coitque, ac in sese compingitur: hoc autem dicitur ἀθρόον & ἀθρόως excerni; quanquam in nostris definitionibus Medicis ἀθρέον longè alias differentias & significationes exposuimus.

1. cap. lib. de loc. affect. 4. cap. 5. 6.

Cap. 4. lib. 1. de loc. aff.

Aph. 35. lib. 7.

Pleraque in nostris monimentis de differentiis alui fluorum, siue sint vniuersales, siue particulares, siue cruenti, siue cœliaci, siue hepatici: quæ omnia hîc meminisse non vacat. Tantùm huc afferemus syluam aliquam remediorum non sine iudicio vsurpandorum, sed cuique pro diuerso tempore morbi, & varia corporis constitutione accommodandorum. Illa quoniam nos in vsum contulimus, & ab aliis vsurpata vidimus, relictis omnibus diorismis qui in dysentericis fluoribus curandis sunt considerandi, nudam remediorum tabulam proponemus. Et

fortè primo loco ponemus quæ aſtringant, non quòd ita ſtatim faciundum putemus in eorum erroribus noſipſos implicantes, quibus irretitos veteres Galenus ſcribit. Illi enim omnem dyſenteriam per ſola aſtringentia, idque initio morbi curabant. Quod peſſimum eſt, cùm dyſenteria intempeſtiuè ſuppreſſa ſit calamitoſa Hippocrati.

Cap. 33. lib. 1. de ſimpl.

In Coac.

In fluxu hepatico:

℞ ol. de abſynthio ℥ i. ſ. olei roſati ℥ j. ſantalor. omn. pulueriſ. ʒ ſ. aſſæ odoratæ ℈ j. cum cera. fiat linim. pro hepate.

℞. carnis cyton. maſtich. cerot. confortat. an. ʒ vj. ladani in vino ſoluti ʒ ij. cypp. aloes lotæ an. ʒ. j. Malaxentur cum ol. de abſynth. & roſat. fiat maſſa emplaſtri pro ſtomacho.

Item *℞. pulp. paſſul. damaſc. ʒ j. ſ. carn. myrobal. emblicar. per ſetaceum tranſmiſſam, hepat. vulp. præpar. an. ʒ iij. raſur. ebor. ʒ j. ſacch. roſ. ℥ j. cum ſyrup. de cichor. compoſ. ſine rheo. fiat opiata: vſus ſit ʒ ſ.*

Ad dyſentericos fluores valent clyſteres, in quibus ſepum hircinum priùs ſolutum oleo roſato diſſoluatur.

℞. ſyrupi roſar. ſiccar. ℥ j. ſyrup. de papau. ℥ ſ. cum decoct. papau. fiat potus.

Item *℞ rhab. puluer. ʒ ij. diſſol. in aq. roſar. fiat potus.*

℞ lact. vſtul. cum calculis fluuialibus lib. ſ. muccag. ſem. citrij, hordei & pſylij extract. in aqua centinodiæ ℥ ij. coaguli de quo caſei fiunt, boli armen. amygd. an. ʒ j. ſ. vitell. oui vnum. fiat clyſter.

Fotus ex plantag. althea, ſeminib. & calidis & frigidis valent.

Item hoc quod ſequitur:

℞. coriandri ℥ ſ. aniſi ʒ ij. roſarum rubr. cort. citrij, carnis cytonior. exſiccat. an. ʒ j. ſacchar. roſ. quan. ſuff.

℞ raſ. vnicor. gr. 5. cum deſtillato reſtaur. fiat potus.

℞. ſyrup. roſ. ſiccar. ℥ j. diacod. cum addit. ℥ ſ. cum decoct. lactucæ. fiat potus.

Paretur hordeatũ incoctis duobus capitibus papaueris, & poſitis in nodulo

℞. conſer. roſar. ſymphyt. cornelio. nenuph. an. ℥ ſ. puluer. triaſant. diatrag. frigidi, diarrhod. Abbat. an. ʒ j. trochiſc. de karab. & ſpod. an. ʒ ſ. paſſul. cum toto ʒ ij. ſeminis papau. albi ʒ j. ſ. aquæ decoct. duorum pullorum in aqua pluuiali ferrata alteratorum cum lactuc. portul. bugloſ. borag. foliis plantag. lib. viij. Pone in alambico cum mica duorum panũ infuſor. in lacte. fiat deſtillatio in baln. Mariæ.

℞. præd. deſtillat. lib. ſ. ſacchari roſ. ℥ ij. vini granat. ℥. ſ. cinamo. ʒ ſ. p aſſet. per manic. Hippocr. vtatur omni horâ.

℞. conſeru. roſar. ℥ ſ. myrobalan. citrin. condit. ʒ ij. raſur. ebor. cor. cerui, coral. rubr. an. ℈ ſ. ſacchar. roſ. quod ſuff. fiat conditum.

Item parata ſunt hordeata cum lacte vaccino.

℞ myuæ cytonior. ℥ ij. capiat cochlearia duo ante paſtus.

℞. ſumach. ℥ j. granor. berberis ℥ j. facti ſunt noduli impoſiti per ſedem.

℞. ol. commun. lib. i. ceræ albæ quod ſuff. piſtetur in mortario affundendo aquam frigid. fiat vnguent.

℞ decoct. fact. ex roſ. rubr. plantag. verbaſ. ſem. portulac. acetoſ. roſar. florib. chamæm. diſſolut. ex mucag. ſem. cytonior. extract. in aqu. ſolatriq. ſ. album ouor 3. ℥ ij illius prædicti ceroti refriger fiat fot.

℞. olei nucis moſc. ℥ ſ. pro ſtomacho.

℞. rad. alth. lib. ſ. coquatur in lacte ad lib. ij.

℞ prædict. decoct. lib. j. mucag. ſemin. cyton. extract. in aqua plantag. axungiæ anſer. an. ℥ ſ. mellis roſ. ʒ vj. ſacchari comm. ℥ ij. croci ℈ ſ. fiat clyſter.

℞. olei roſ. cyton. & maſtich. an. ʒ vj. coral. rubr. & galliæ moſc. an. ʒ j. cum cera. fiat linimentum.

℞. terræ ſigil. ʒ j. boli armen. ℈ j. ſyrupi roſar. ſiccar. ℥ j. aqu. roſar. ℥ ij. fiat potus.

℞ puluer. pudendi ceruini ʒ j. ſacchari roſ. ℥ j. fiat puluis.

℞. far. fabar. ℥ ij. roſar. rubr. maſtich. an. ʒ iij. carnis cyton. ceroti ſtomach. an. ℥ j. ſ. cum oleo cyton. fiat emplaſt. pro ſtomacho, & toto vẽtre.

℞. conſeru. roſar. ʒ j. philo. roma. ℈ ſ. terræ ſigil. ℈ j. corall. rub. ℈ ſ. cum ſaccharo. fiat bolus, capiat horâ ſomni.

℞. corticum myrob. citrin. ℥ ſ. paſſul. ʒ iij. glycyrrh. ʒ j. ſ. plantag. m. ſ. In colat. diſſolue ſyrupum de cichor. compoſ. cum rheo ℥ ſ. rheub. puluer. ʒ ſ. philonij rom. ℈ j. fiat potus.

℞. aqu. decoct. ſumach. & vnius myrobal. plantag. roſar. berberis, ℥. iij. in quibus diſſolu. boli armen. loti in aqua roſar. ʒ ſ. ſyrupi roſar. ſiccar. & cytonior. an. ℥ ſ. trochiſc. de ſpodio ℈ j. fiat potus, capiat ſerò.

℞. philonij rom. ʒ ſ. ſyrupi cyton. ʒ vj. trochiſc. de Karab. ʒ j. cum decoct. ſumach. roſar. plantag. fiat potus.

℞. corticum myrobal. citon. cebul. an. ℥ ſ. fiat decoct. in aqua centinodiæ. In colat. diſſolue ſyrup. roſar. ſiccarum ℥ j. aqu. arnogloſ. ℥ j. ſ. fiat potus.

℞. myrobolan. citrinarum contuſ. cum amygdalis ℈ iiij. fiat decoct. in aqua plantag. In colatura diſſolue earumd. myrob. pulueriſ. ℈ j. mithridatij ʒ ſ. ſyrupi de cyton. & menth. an. ℥ ſ. cornu cerui vſti ʒ j. fiat potus

aromatiſatus cinam.

℞. *cypp. calami aromat. ſchenuăth. caryoph. an.* ℥ ſ. *roſar. rubr. menth. abſynth. folior. myrtil. an. m. j. ſem. aniſi, fœnic. cumi, an.* ʒ iij. *balauſt.* ℥ j. *includantur ſacculo: fiat decoct. in aqu. fabror. & vino ſtypt. pro fotu ventris.*

℞. *roſ. rubr. abſynthij, an. m. j. cypp.* ʒ iij. *ſumac. balauſt. nucum cupreſſ. myrtill. an.* ℥ j. *gallar.* ℥ ſ. *fiat ſaccul. qui bulliat in aqua & vino rubro: adde aceti roſati* ℥ ij.

℞. *ſucci plantag. depurati, centinodiæ, an.* ℥ ij. *boli armeni loti in aq. roſ.* ʒ ſ. *trochiſc. de Karab.* ℈ ij. *ſyrupi myrth. & cyton. an.* ℥ ſ. *fiat potus.*

℞. *ole. maſtich. de abſynth. de menth. ceroti ſtomach. an.* ʒ iij. *olei nucis moſc.* ʒ j. *caryophyl. & pip. an. gr. vj. fiat vnguent. pro ſtomacho.*

℞. *ceroti ſantal. vnc. ij. maſtich. carnis cyton. an.* ℥ ſ. *roſar. rubr. vnguenti comitiſſ. an.* ʒ ij. *Fiat emplaſtr. cum puluere lapid. calam. & bolo.*

℞. *carnem vnius perdicis, dimidiam partem capi, vitellinæ carnis fruſtum vnum, folior. plantag. ſcabioſæ, card. an. m. j. ſemin. berberis, cyton. 4 ſemin. frigid. maior. an.* ℥ ſ. *conſeruæ roſar. rubr. de ribes. conſer. bugloſ. & roſ. an* ℥ ſ. *micæ panis* ℥ iij. *Includantur omnia vaſe figulino, coletur. in colat. ad lib. duas diſſolu. ſucci granat. ſucci ribes, an.* ℥ ij. ſ. *frequenter vtatur.*

℞. *olei maſtich. cyton. & roſ. an.* ℥ ſ. *pulu. roſar. rubr. corall. rubr. an.* ʒ ſ. *galangæ* ℈ j. *cum cera noua in aqua plantaginis lota. Fiat linimentum pro ventriculo ad regionem vmbilici.*

℞. *far. fab.* ℥ ij. *roſ. rub. maſtich. an.* ʒ iij. *carnis cyton. confortat. gal. an.* ʒ i. ſ. *cum oleo cytonior. fiat emplaſtrum pro ventre anteriore. Applicetur aliud parti poſticæ.*

℞. *emplaſtri de gallia cum ſignificationibus caliditatis* ℥ iij. *terræ lemniæ, coral. puluer. an.* ʒ j. *boli armeni, carnis cyton. an.* ʒ j. ſ. *cum ol. maſtich. Fiat vnguentum pro ventre toto.*

℞. *plantag. ſumach. balauſt. roſ. an. m. vnum. fiat decoct. pro doſi. In colat. diſſol. trochiſ. de ſpodio & kar. boli arm. an.* ʒ ſ. *ſyrupi roſ. ſicc.* ℥ j. *philonij romani* ℈ j. *fiat potio.*

℞. *coral. rub. puluer. trochiſc. de ſpodio & Karab. cum* ℈ ij. *gummi tragacan. vſti, boli armen. loti aqu. roſ.* ʒ ſ. *ſyrupi cichor. & cytonior. an.* ʒ ſ. *opij gr. ij. cum decoct. plantag. fiat potus.*

Item ℞ *pilul. de cynogloſ. ſcr.* ſ. *Capiat ex ſyrup. de ſiccis.*

℞. *ſucci plantag. depurati* ℥ ij. *trochiſc. de Karab.* ℈ ij. *boli arm. loti in aqua roſar.* ʒ ſ. *trochiſc. de ſpodio* ℈ j. *ſyrup. myrtil.* ℥ j. *fiat potus.*

Valet hic clyſter in ſummis doloribus.

℞. capita tria papau. tapsi m. j. rosarum, m. j. radicis altheæ ℥. j. coquantur in aqua. dissol. lactis lib. ß. puluerem duorum ouorum induratorum, pro tribus iniectionib. in ventrem.

℞. rosar. rubrar. sumach. balaust. & nucum cupress. galla. corticum granat. an. m. j. sem. berberis ʒ iij. alumin. ℥ iij. fiat sacculus qui bulliat in aqua fabror. adde aceti ℥ ij. Ceratum santalinum malaxatum in oxycrato aut oxyrrhod. applicitum hepati confert.

Pleni sunt libri remediis quæ ad dysenteriam apprimè conferunt, siue detergendum, siue leniendum, siue incrustandum, siue abluendum, siue incarnandum: denique pro variis scopis quos intueri possumus.

Solum hoc annotandum de dysenteria, quod aliò animum cõuertentes, ad cætera adiicere non meminimus, conscriptum esse caput de ea ab Hippocrate lib. 2. Prorrheticon. in quem librum Galenus Commentarium non conscripsit. Quod eò à Galeno factum videtur, vel quia illum librum Hippocratis esse non putaret: quanquam hæc ratio ieiuna videatur, cùm ne alium librum priorem ipsius esse existimet, quem tamen scholiis illustrauit: aut quia clarior videretur, vt & reuerâ est, quam vt in conscribendis in eum commentariis opera insumatur: aut conscripsit & concinnauit, sed ij iniuriâ temporis exciderunt, aut blatis & tineis esca sunt apud eos qui nimiùm publicæ vtilitati inuidentes, malunt nescio cui commentario oscitanter indormire, quàm eius partem suis communicare. Satis est locum Prorrhetici indicasse, vt ex eius penu quod lubet, & semel subindicatum est, cùm volemus, depromatur.

ANNOTATIONES.

1. Galenus hunc nodum soluit cap. 17. lib. 2. de different. febr. Cùm pars imbecilla est, & aliunde in hanc humor influit, hic humor si pars benè affecta esset, alimentum foret, sed quia laborat est illi potiùs onus quàm nutrimentum, ait Galenus; vnde non mirum si corrumpatur.

2. Tamen cap. 1. lib. 6. de loc. affect. vult facilè aut saltem faciliùs per comparationem deprehendi tumores & inflammationes lienis, quàm hepatis. Et quod ad simarum hepatis inflammationem spectat, non adeò difficulter cognoscuntur, quia simarum inflammationes cum gibbis partibus communicant.

3. Galenus loquens de intemperie hepatis, cap. 7. lib. 5. de loc. affect.

ait: Calida hepatis intemperies cibos in eo contentos, & eos qui per venas mesenterij deferuntur adurit: frigida contentum iam in iecore humorem crassum contumaciorem reddit: id quod affertur semicoctum reddit arida sicciores, crassioresque, humida tenuiores.

4. Notanda vox, [non solùm propter ea quæ dicta sunt] supp. Nam hinc patet ob affectionem peculiarem ipsius mesenterij attractionem non fieri.

5. Galenus comment. in part. 2. lib. 2. Prognost. docet fluorem alui se-qui ex inflammatione mesenterij, & hydropem, tribus de causis. Locus est notandus. Omnium autem amplissimè de distinctione hepaticorum & mesaraicarum excretionum, cap. 7. lib. 5. de loc. affect. Galenus.

6. Tamen in doctrina Galeni, intestina vnam tantùm habent faculta-tem: quomodo ergo leienteria horum vitio contingit?

7. Inappetentia ad facultatem vitalem à Galeno refertur.

8. Comment. in part. 38. sect. 2. lib. 6. Epid. notat ichorem dici bifa-riam: & pro aquea substantia quæ circumfluit crassiorem partem cuiusli-bet humoris, & veluti κατ' ἐξοχὴν, cùm malignam qualitatem humor ille adeptus est, à quo ichore mali morbi.

9. Sub finem libri de vetere medicina, certissimo argumento colligere posit & minores esse dolores in intestinis quàm sint in hepate, & regione eius & frequentiores esse in hepate Nam quia hepar tenerum est, (ἁπαλὸν Græcis) & sanguineum viscus; ideò magis sentit. Intestina neruosa sunt, membranosa, fortiáque, ideò magis resistunt.

10. Ab ea parte qua dolor sentitur, nullum iudicium sumi potest quo intelligas colō intestinū potius quàm tenue affici ac laborare. Ait Galenus ca. 5. lib. 2. de loc. affect. quod falsū videtur. Nisi quis dicat generaliter ex vehementia doloris dicere nos posse tenue quàm crassum intestinum labo-rare: si enim vehementissimi dolores, credibilius esse in crassis intestinis; sed peculiariter à parte affecta non possumus indicationem sumere vt iu-dicemus colon potiùs laborare quàm aliquod ex tenuibus intestinis.

11. Quo pacto dolores in intestinis excitentur ob reuolutiones eorumdē; Hippocrates libro de vetere Medic. sub finem explicauit.

12. Ex cap. 5. lib. 2 de loc. affect. tenuitas corporis intestinorum efficit vt non diu humor crassus retineatur: quod contingit in crassis. Ideò Gale-nus loquens de dolore colico quem patiebatur, ait, Neque tanquam per tenue corpus breuis temporis spatio dolor transibat, sed quasi à profundo per crassius corpus ferebatur, quàm sit tunica tenuiū intestinorum. *Tamen ibidem ait;* Nullum à parte à qua dolor ex-citatur, aut quâ sentitur iudicium sumi, vt magis tenue quàm

craſſum inteſtinum affici intelligamus. *Quod falſum eſt, & iis quæ hîc dicuntur contrarium. Nec video quomodo cohærere poſsit, niſi fortè ob reuolutionem coli inteſtini dicat fieri non poſſe vt ſi ſpectetur ſitus doloris, iudicemus aut colon inteſtinum laborare, aut tenue aliquod. Et niſi ita locus audiatur, non eum poſſum explicare. Situs enim fallax omninò eſt, nam ileum inteſtinum infra vmbilicum ferè totum eſt: ergo ex ſitu nil colliges.*

CONSILIVM LIV.

De Angina.

CONSTITVTIO aquilonia impensè frigida & ſicca ſæuierat, cùm in hominum genus magna morborum vis inuaſit, ac præſertim febres, cum magna perfrigeratione, caleſcendi, frigeſcendíque erat viciſſitudo, & crudor quidam, vt Ariſtoteles 1. Problematon 9°, & 10° problemate annotauit. Ille autem crudor, Græcis σφάκελος, maximè ob frigidam, ſiccam, aquiloniamque conſtitutionem ſolet contingere. Pleuritides graſſatæ ſunt, peripneumoniæ, pulmonumque variæ affectiones, atque inter cætera tuſſes & raucedines, præſertim cùm deſæuiente hyeme quæ in ſummo ſqualore & rigore frigoris congelata conglaciatáque fuerãt, fundi liquaríque cœperunt. Inter cætera ophthalmiæ multis ῥοώδεις, multis ξηραὶ, vt quæ in ſiccitatibus αὐχμοὺς Græci vocant, contingere ſolent: item deglutiendi quædã difficultas cum febre, linguæ ſcabritie, totius oris ſqualore quodam, iunctâ virium infirmitate. Atque de hoc tertio agere inſtitutum eſt; nam & cùm nil appareret in faucibus, & tamen deglutire aptè non poſſent ægri, nec ſolemnis remediorum vſus quicquam conduceret, idipſum nobis medicinam facientibus plurimùm negotij dedit. Tres nobis videre contigit, in quibus nil apparebat rubrum in faucibus, nil extrà: non erigendi capitis vlla neceſſitas, & tamen per quindecim dies ſine vlla tuſſi, ſine excreatione manſerunt, cum linguæ & totius oris ad mediam ferè aſperam arteriam ſqualore, ſiccitate, non calore vllo effatu digno, ſine tumore vllo, & tamen nil alleuabantur. Hippocrates quidem part. 20. lib. 3 Prognoſticon, meminit cuiuſdam ſynanches quæ ægrum in periculum non conijcit,

non

non laborat guttur, ſed in fauces, aut in ceruicem, aut in vtrãque fluxio fit: maximaque ex parte ceruix & pectus ruborem contrahunt. At talis fluxio *ſacer ignis* ab Hippocrate vocatur, quòd eryſipelatodes ſit. Nec dolent vehementer, nec difficulter ſpirant, cùm guttur non perpetiatur. At in noſtris ægris nullus rubor in ceruice, aut pectore, ſed tantùm neſcio quid ſuperficie tenus in faucibus & circum vuluam apparebat: dumque ſaliua deglutiebatur, difficultas quædam erat. Item partic. 17. lib. [3] Prognoſt. meminit faucium exulceratarum in febribus, quod nos aliquando obſeruauimus, cùm & à capite rodens humor defertur exulcerans, & poſteà vi febris rurſus ſummittitur humor, qui ob calorem febrilem acrimoniam acquirens malum continuet atque protrahat. Sed nil in ægris noſtris tale apparuit. Quid ergo fuit quod illis tantam moleſtiam pareret? Illa difficultas, quæ aliquid συναγχικὸν in ſe habebat, & fortè ad ſynanchen referri poteſt (generali enim nomine quicquid nonnullam difficultatem ſpirandi affert, aut circa guttur, aut fauces, illud ſynanche nominatur Galeno comm. in lib. de diæta acutor. Sed vnde illa difficultas, cùm nec magnus dolor, nec phlogoſis appa rẽs, immò nec tumor, aut phlgmonodes, aut pituitoſus, nil eryſipelatodes apparebat; & tamen maxima eſt ſiccitas, nil reſudãte, nil excreto, ſqualor eſt, & languent admodum ægri. An hic morbus angina ſicca, aut biliosa, aut morbus ſiccus vocabitur?

3 Progn part. 17.

Com in par. 3. lib 4. de diæ acut.

Aph. 16. lib. 3.

Reperio apud Hippocratem nomen τοῦ ξηροῦ multis rebus attribui, & magnam vim habere, immò maiorem fortè quàm quis exiſtimet. Si liceret orationis vela pandere, multa ea de re diſputari à nobis poſſent. In aphoriſmis multis in locis inuenio ὀφθαλμίας ξηρὰς, & ὀφθαλμίας φθινώδεας, quæ eædem & ξηραὶ dicuntur, ἐν αὐχμοῖσι. Item apud Hippocratem 4° de diæta acutor. χολέραν ξηρὰν καὶ ὑγρὰν; & apud eundem Hippocratem, anginam reperio χολώδεα, πικρόχολον (ita enim eas voces admittit Galenus clarioris doctrinæ gratiâ, vt diſtinguatur ab ea angina, quam φλεγματικὴν appellari volunt. Et illa angina à nitroſo humore fit, qui non fauces obſidet tantùm, ſed muſculos à tergo, vt paulò poſt explicabimus, orthopnoeamque parit, καὶ τὴν ξηρότητα πολλὴν, ita tamen vt nil appareat. Notanda hæc vox ξηρότητα πολλὴν; nam & in 4 Aphoriſmorum, perculoſiſſimam quandam anginam video, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ξηρότητα, vnde ſtrangulatio, accedente quoque febre quæ eam ſiccitatem adaugeat. Præterea in 1. de Diæta

Apho. 12 lib. 3 & apho. 14.

Part. 31. lib. 4 de diæta.

acutor. τὸ νόσημα ξηρὸν καὶ ὑγρὸν reperio. Quonam verò in sensu omnes hæ sententiæ, in quibus τὸ ξηρὸν reperitur, accipientur? item & hæc in qua Hippocrat. periculi iam aduenientis signum dat, in iam perniciosis morbis, ait, parui tremores, & vomitus æruginosus, qui in potibus substrepunt, & ὑποβορβορύζουσι ξηροῖσι, καὶ χαλεπῶς καταβρωχθίζουσι; id est, in siccis submurmurant, & deglutiunt difficulter. Duretus illud ὑποβορβορύζουσι ἐν ξηροῖσι refert ad murmur hypochondriorum, vt murmur illud sit ob inflammationem diaphragmatis in sympathiã cerebri tracti: ego verò nõ ad murmur ob inflãmationẽ diaphragmatis refero; quanquã scio borborygmum inde nasci posse, sed cùm & strepitus in bibendo, & difficilis deglutionis meminerit: ego illud murmur ἐν ξηροῖς, in sicco, refero ad id quod apparet sæpe in delirantibus, in quibus laryngis musculi siccati sunt, vt non ampliùs motũ facilẽ præstẽt nec obediant. Nam cùm bibunt illi, & delirant, pars aquæ quæ descendit quodammodo in præceps cum sonitu, in vacuo & inani descẽdere videtur: obauditurque murmur & borborygmus circum præcordia, siccatis musculis, & liquore rectà descendente, nil administrantibus illis musculis. Sic illa vox, ξηροῖσι, ad difficilẽ illam deglutitionem potest referri, cùm tanta siccitas fit, vt musculi inertes sint, & propterea auditur sonus & murmur, ac si in cauum aliquid aquæ coniiceretur.

In Coacis.

Nunc singillatim explicemus vocis illius ξηρὸν significationes, vt tandem de angina, aut potiùs de dispositione anginosa oratio nostra terminetur. Ia enim Medicis debet constare, quibus incumbit ex officio morbi ideam causamque animaduertere, qua ex causa difficultas deglutitionis pendeat. Nec enim audito anginæ aut difficultatis deglutiendi nomine statim ad secandas venas anulares, ac gibberi accedendum: cùm aliàs à materia hac aut illa, aliàs à nescio qua intemperie illa difficultas deglutiendi oriatur. Vnde autor lib. 4. de diæta acut. duas anginæ species facit à materiæ diuersitate desumptas: vt cognitis ideis morborum in remediorum delectu aliquantò exactiores simus, ne malè, temereque vnum pro altero vsu veniat.

Idea morborum noscenda.

Ὀφθαλμίαι ξηραὶ καὶ ὀφθαλμίαι φθινώδεες, cùm ab Hippocrate dicuntur, aut cùm ὑγραὶ ita eas dici accipiendum est, vt in siccis lippitudinibus nil humoris manet; in humidis, non crassus humor, sed tenuis, quamquã quibusdam placet, eas ξηρὰς dici posse, in quibus aliquid acre, mordax, pungens, & lancinans, non quantita-

Ophthalmia sicca quid.

te, sed qualitate peccans, excernitur. Et hoc fortassis probabilitate non caret. Humidas ophthalmias Hippocrates describit in Epidem. *In constitutione calida humida, austrináque, multis fiebant* (ait) *ophthalmiæ humidæ, longæ, diuturnæ, laboriosæ: palpebrarum foris & intus* ἐμφύσεις, *id est progerminationes, quas ficos, Græcis* σῦκα *vocabant.* Humiditatis copia & ophthalmiam attulit, & tubercula in palpebris: sed quâ id ratione factum est, cùm à duplici humore hoc duplex vitium natum videatur? Etenim humiditas ophthalmiæ ab humore est tenui, Galenus dicit, ἀπὸ τοῦ ῥεύματος ὑδατώδους: at σῦκα, siue ἐμφυσις, siue ἰχθώδης ἐπανάστασις (omnibus enim his nominibus vnum & idem significatur) à crassiore, lentioréque humore esse videtur. hoc ipsum & Galenus fatetur: ait enim in Commentario, humoris redundantis superfluitatem duplicem speciem in tenuitatis & crassitiei differentia habere, tametsi idẽ esse humor videatur, & in eodem loco consistat. Quod hac ratione in corpore succrescere confirmat, *Cum*, ait, *corpus exercitationibus solitis concitetur, moueatur, diffletur, ac lustretur, copiam & crassorum & tenuium humorum simul coaceruat: crassorum ob desidiam & socordiam: tenuium & aquosorum ob vacuationis prohibitionem.* Ac si in quolibet humore sit quippiam quod limi & fæcis rationem habeat, quippiam verò quod seri, liquidiorísve partis. Quî autem discernas varios effectus vtriusque humoris: tenuiorem partem excerni testabantur deiectiones liquidæ, vrinæ, aqueæ: crassiorem partem, vel grauitas capitis, vel coma, vel quia moram trahit cunctaturque in corpore. Et clarioris doctrinæ causâ affectus quosdam nasci dicemus ab humore crassiore per cõgestionis modum: alios à tenuioris humoris copia per suppressionem, id est, qui suppressus est in constitutione aquilonia: deinde viâ apertâ in partes influxit. Id quod tenue & aquosum, ophthalmias humidas fecit: id quod crassum ac deses, ἐμφύσεις quasdam in palpebris foris & intus. Quod enim crassum est, quia pigro gressu insistit, partibus inhærens alium morbum producit quàm id quod tenue est, & ὑδατῶδες. Ἐμφυσις progerminatio dicitur, σῦκον ficus; ἐπανάστασι, seu ἐπανάστημα, quod nomen apud Medicos potest sumi pro eruptione. Apud Aristophanem, bullam, papulam & phlytænam significat: & quod dicitur ἐμφυσις, illud ἐν significat in palpebrarum extremo protuberantiam, eruptionemque apparere. hoc enim verbum ἐμφύεσθαι significat: Galenus in Commentario interpretatur nomen ἐμφυσι, τὴν ἐπανάστασιν ὀχθώδη

P aot. 48 lib. 3 Epid. sect.

Interpres, Tuberculum collium modo, vertit: & malè; hocenim grammaticoteron. Etsi enim ὄχθη, præruptum ripæ locum significet & eminentiorem paulò, & ὁ ὄχθος colliculum prominentem; tamen debuit scire ὄχθους apud Medicos pro verrucis, siue verrucosis extuberantiis sumi. Ita enim Marcellin. lib. 2 Dioscoridis. Ergo τὴν ὀχθώδεα ἐπανάστασιν verti oportet, eruptionem, extuberationemque verrucosam; quanquam Interpretis lectio plausibilis est, quia Grammaticum agit.

Vt ad institutum redeamus, humida ophthalmia dicitur in qua aliquid aqueum & tenue manat: ξηρὴ autem est cùm aquilonia tempestas calidam humidamque excepit; hæc enim frigida constitutio vt manus spongiam, sic cerebrum comprimit; hinc humor in has illasve partes exprimitur, vt in oculos: quia autem extremo frigore cutis densatur, hinc ophthalmia sicca nascitur, idque maximè in siccis ac biliosis. Quod notandum est ex Hippocrate. Neque enim in omnibus sicca ophthalmia præsente constitutione aquilonia fit. [2] Et alio loco in lib. de aëre, locis & aquis probabilem affert rationem cur in siccitatibus, & squaloribus ophthalmiæ siccæ nascantur. *Bilis*, inquit, (loquitur autem de hominibus biliosis) *pars humidissima, atque aquosissima exiccatur atque absumitur, crassissima verò & acerrima linquitur*, supp. & *siccas ophthalmias & febres acutas faciens*. Itaque ex eo Hippocratis & Galeni loco colligi potest, verisimilem eorum opinionem qui siccam ophthalmiam interpretantur, in qua aliquid nitrosum, paucum, siccum, acréque apparet mordicans oculos, non autem in qua supprimitur omninò humor, vt priùs dictum est de aquilonia constitutione humores supprimente. Hinc effici potest ξηρὰς ὀφθαλμίας bifariam intelligi posse, & eam in qua multus quidem humor ob calidam humidamque constitutionem, est, sed supprimitur ob ambiens frigidum, eáque ophthalmia cruda dici potest, eo modo quo in libris de Diæta, morbus siccus dicitur, id est crudus, in quo excrementum nondum appareat: & eam in qua non tam quantitate quàm qualitate humor in vitio est; vt cùm acer, mordax, in bilioso humore succrescit, tempore squalido, arente, aquilonio si vis: & species quædam erit ophthalmiæ, eáque τῇ ὑγρῇ ὀφθαλμίῃ opponetur. Et hæc posterior de genere earum ophthalmiarum est, quæ à Galeno & Hippocrate vocantur φθινώδεες ὀφθαλμίαι. de quibus antequam dicamus, afferemus opinionem Aëtij & Celsi περὶ ξηροφθαλμίας, non

Com. in Aph. 12. lib. 3.

Lib. de locis, & aëre.

A. locis lib. 3.

mine composito. Aridam lippitudinem definiunt, in qua subaridi oculi nec tument, nec fluunt, sed cum leui prurigine ingrauescunt: & palpebræ citra duritiem prægraui pituitâ inhærescunt. Huic similem faciunt ψωροφθαλμίαν, aspritudinem oculorum ac scabram lippitudinem interpretantur, rubor est oculi, pruritus à nitroso salsóque humore. Ac credo in his apparent quibus corpus biliosum est, aut putri salsâque pituitâ plenum. Ergo ophthalmiæ tabificæ quædam sunt, φθινώδεας vocant vt sine distinctione sit legendum in aphorismo 16. lib. 3. Aphorismor. ἐν αὐχμοῖσι φθινώδεες ὀφθαλμίαι, non autem cum distinctione, lippitudines in squaloribus, & item tabes, vt contendit Galenus in Commẽtar. siquidem negat in siccitatibus, quatenus tales sunt tabem contingere: at nec articulorum dolores, nec dysenteriæ ipsæ, nec stranguriæ in squaloribus contingunt. Quis dicat sine humore aut arthritim, aut dysenteriam, aut stranguriam nasci? Ideóque perplexus est admodùm Galenus in exquirendis huius aphorismi demonstrationibus. At mihi parum consultus videtur Galenus, quasi verò non nouerit in squaloribus ferinas destillationes & dysenterias ab acri, squalidóque (vt sic dicam) humore, qui sensim atque sensim sese exerit. Nec enim adeò rudis Hippocrates, vt αὐχμὸν intellexerit sine aliquo humore, & in medio omnis recessus: quasi verò squalor temporis quæ arida & squalens tempestas non vim aliquam humoribus imprimat, & non in tali constitutione squalida ichorum dominatus non sit satis malignorum. Itaque accuratior fuit hîc Galenus, & frustrà. Porrò φθινώδεας ὀφθαλμίας videtur & Galenus referre. Quanquã ophthalmiarũ tabificarũ hoc sit proprium, vt ad tabem, consumptionemque oculum pertrahant, & tamen in squaloribus grassantur: an vi squaloris, an ratione humoris sicci, nitrosi, mali. Si humor est, quare non & tabes ab humore. Si vi squaloris, si oculus tabescit ac consumitur, cur non & reliquum corpus; vt nomen τῆς φθίσεως non pro tabe, quæ propriè vlcus, aut aliud pulmonis vitium sequitur, sumatur, sed pro qualibet consumptione, vt posse sumi Galenus suspicatur in Aphorism.

Aphο. 16 lib. 3.

Item ξηρὸν νόσημα reperitur apud Hippocratem partic. 22. comment. 1 in lib. de Diæta acut. cùm diætæ instituendæ ratione docet. Nam quamdiu morbus siccus manet, tandiu à pleniore cibo abstinendum, nec naturæ negotium facessamus: nec tantùm ad morbos thoracis nomen τοῦ ξηροῦ referri vult, sed ad om-

Com. in apho. 10. lib 3. Part. 22. com. 1. in lib. de Diæta acut.

ne s partes laborantes, in quarum affectibus nihil excernitur eorum quæ redundant. In sicca ophthalmia, ait, cùm nil resudat: in cerebri affectibus, cùm nec per nares, nec per palatū rei cuiusque excretio fit: in affectibus partium in ventre inferiore contentarum, cùm aluus resiccata admodum est. Et idem in cæteris. Cùm autem excernitur aliquid, vocat morbum ὑγραίνεσθαι humefieri.

Siccitates ab Hippocr describitur lib. de ossiū natura,

Sed quæstio hîc magna oriri possit, an sit idem morbus siccus: & crudus: an idem, morbum humescere & coctum esse, vt omnia per synecdochen capiantur. [3] Videtur idem esse morbū crudum & siccū, item coctum maturumve, & humidū dicere. Nam, exempli gratiâ, in pleuritide oris mador, sputi expectoratíque facilitas tanquam ἀποκαινόμενον iam initium morbi præteriisse, & breuì finitum iri demonstrat in Aphorismis. Si ergo siccus, id est crudus est cùm nil excernitur à parte, sed materia coercita conclusaque in parte est: ergo in cuius ophthalmiæ initio fluor & lacrymæ multæ sunt, vt in humida ophthalmia, ex 3 Epidem. Hippocrat. antè monstrauimus, ea dicetur humida, proindéque cocta: consequens autem falsum est. Item cùm cerebrum plethoricis auctum est symptomatis, & per oculos, nares & palatum multæ pituitæ liquidæ crudæque excretio fit, ista excretio significaret morbum humidum, id est coctum: hoc autē falsum est. [4] Itaque tametsi cùm madet os in thoracis affectibus, breuitatis morbi indicium est, non tamen idem est siccum ac crudum: nec coctum, & humidum. Liquidior enim ptissana ad humectandum propinatur, non autem ad coquendum dari dicitur. Quocirca vt in omnibus admirabilis est Hippocrates, ita huius quæstionis nodum quodammodo dissoluit; scribit enim, *Si autem os madefiat, & qualia oportet à pulmone excernantur, sorbitionis quantitatem augebis.* Nam quæ citiùs madent, Græcè πλαδῶντα, celerioris criseos notam præseferunt: si coctum & humidum, idem significarent, & ξηρὸν καὶ ὠμὸν, crudum seu ἄπεπτον dixisset simpliciter; si os madescat; nec adiecisset, & qualia oportet educantur. Nam hæc particula, καὶ ὁκοῖα δεῖ, ein, non iam amplius contrarium siccitatis declarat, sed iam ad coctionem nos insinuant: id est, coctionis tacitam mentionem iniiciunt. [5] Et illud est quod acutè Galenus in comm. in partic. illam, annotauerit, verba illa; *si qualia oportet excernātur*, coctionis argumenta, signáque γνωρίσματα Græcis, exhibent. [6] Et si humidum esse ac coctū

Aph. 12. lib. 1. & lib. de crisib. passi.

Att. 23. lib. 1. de diæta acut.

esse idem significarent, catharrosæ dispositiones qualescumque forent, de coctorum morborum numero essent. Nec dubium quin in quibus morbis excretio esse debet materiæ, si illa materia supprimitur, & siccus morbus dicitur & crudus: & cùm excerni incipit cocta, tum morbus ὑγραίνεσθαι dicetur: & in quibus ante tempus excretio fit, nimirum materiæ crudæ, tametsi tunc νόσος ξηρὰ dici non possit, quia effluxio fit, tamen crudus vocabitur. Sed hæc subtiliora.

Præterea χολέραν ξηρὰν & ὑγρὰν apud Hippocratem reperio in 4. de Diæta acutor. Humida cholera dicitur in qua magnâ cõtentione & virium iacturâ sursum deorsum excretio fit putrium, incoctorumque. Galenus in comment. vult oriri ab acribus humoribus generatis à corruptione assumptorum: Arida fit à spiritu flatulento acri. Videtur ex sententia Galeni his nasci sicca cholera qui cibos coctu difficiles sumpserunt, transire nequeũtes, quibus adiecti sunt cibi acriores ac calidiores: & tunc flatulenta copia impedit quominus quicquam excernatur. Vnde quomodo magna, an non illa cholera in qua calida assumpta sunt cum difficillibus coctu, potiùs humida dicenda sit quàm sicca? Hippocrates ait quidem lazerpitij radicem choleram siccam efficere, sed posteà iungit, si cum multo caseo & carne bubula sumatur. Sic in Epidem. quidam vorax esu carniũ porcinarum, haustu vini generosissimi & placentarum, in Choleram incidit, supp. siccam, vt ex priore Hippocratis demonstratione colligi est. Quid ergo erit humida? Quantum ex collatione locorum colligo, in humida cholera plus est materiæ corruptæ, facultatem expellentem irritantis ad excretionis omne genus, vt in hoc dicatur humida, quia excretio fiat; quâ nominis significatione sumi τὸ ὑγρὸν diximus antè. In sicca plus est crudæ, crassæ, impactæ, & flatus eã materiã subigente, agitãtéque; vnde membranarum diuulsio diruptióque aliquando, & grauissimi dolores. In eóque sicca dicitur, quòd nil ferè excernatur, sed conuolutio fit quædam intestinorum, & inflatio ventris. Qua in significatione τὸ ξηρὸν sumi dictum est paulò antè. Atque astrictionem esse flatuumque magnam iliadem collige ex Hippocrate eodem loci: *Ab arida cholera venter inflatur, strepitus fiunt, dolor laterum & lumborum, nihilque aluus deiicit, sed astringitur.* Ergo ξηρότητος ipsius in cholera sicca vis in eo est, quod cohibitio retẽ-

Com. in part. 103. lib. 4. de dia. acut.

9. Epid. p. 561.

tióque eſt materiei. Quanquam Galenus Comment. in partic. illam non vult probare iſtam ſuppreſſionem flatuum ad conſtituendam hyparxin, naturamque τῆς χολέρας ξηρᾶς, quod tamen à ratione alienum eſt. Verba eius ſunt: *Cùm flatus interdum excerni poßint, interdum retineri, aridam choleram ob retentos flatus generari aſſerere nequeo; nam probabilius eſt eos vocare*(ſuppl. cholerâ ſiccâ laborantes) *in quibus potiùs flatus erumpunt, quàm retinentur.* At contrà: etenim nonnullos ſummis cum cruciatibus cholerâ ſiccâ laborantes mori videmus, in quibus nil ferè excernitur, nec materiæ, nec flatus. Membranarum enim offenſæ, & diuulſiones ex eo maximè ſequuntur, quòd ſpirituum magna ſit vis materiam veluti ſubigens, diripiensque, & dum penitus ſubitur, ſolutione vnionis partium præſertim neruoſarum implacabiles dolores excitantur. Atque idem in ventriculo contingit & partibus vicinis, præſertim membranoſis, quod in ſurarum affectu, qui Græcis peculiari nomine συνολκὴ dicitur: Gallicè *gouttes crampes*; incluſus eſt enim ſpiritus diuellens, & exitum ſibi quærens. De Cholera ſicca dictum ſit hactenus.

Com. ad part. 27. li 3 Prorrhetici meminit τῆς συνολκῆς σπασμώδους.

Accedamus nos ad id cuius gratiâ inſtituta eſt diſputatio. Inſtitutum erat dicere de Angina, & anginoſo quodam affectu (ita enim loquar) id eſt, de difficili deglutione. Quæ difficultas in faucibus & gutture ſynanches aut συναγχικοῦ παθήματος ὕπαρξιν conſtituit. Animaduertimus enim in quibuſdam, vt initio dictum eſt, ariditatem ſummam linguæ (talem autem linguam Hippocrates 7 Epidemiorum vocat γλῶτταν περιπλευμονικήν, quòd iis qui inflammatione pulmonis laborant familiaris eſſe ſoleat) dolorem occultum & latentem colli muſculorumque omnium qui ad humeros vſque protenduntur, faucium eſt ſqualor, ſiccitas, nil tamen apparet quod arguat id de quo tanquam de difficilis deglutitionis cauſa quæri poſſit. Quærendũ itaque quis ſit affectus, quo nomine donandus, cuius ſpeciei, quæ idea, qui mos & ingenium. Poteſt generaliter affectus συνάγχος dici, vt Galenus Comment. in partic. 30. lib. 4. de diæta acut. ſumi poſſe oſtendit. Duplex autem omnis eſt συνάγχος, vt autor lib. 4. de Diæta acutorum vult, aut eſt à materia craſſa, viſcoſáque quæ in maioribus vaſis continetur, aut à tenui, acri, biliosa, quæ ſuâ tenuitate maiores ampliorésque venas peruadit, ſed in tenuiores ſeſe inſinuat. in ſynanche à craſſa materia tumor eſt breui ſtrangulans: alter συνάγχος, qui à tenui fit, non ita ſeſe tumore efferens

ſed

ſed intemperie potiùs quadam, & eryſipelatodes dicitur: Galenus dicit vocari poſſe πικρόχολον, aut χολώδεα. Hanc autem ita deſcribit; *Cùm à capite tenuis fluxio eſt, & nitroſa, quaſi ab anni tempore talis ſit, mordet, vlcerat, orthopnœan parit, & ſiccitatem multam: Quæ intuentibus nobis apparent* ἰσχνὰ φαίνε), *minimè tumentia apparent.* Ita enim non pro gracili ἰσχὸν ſumitur, ſed pro humili, non tumente. [8] Quo loco mihi videtur anginam noſtram, de qua laboramus, deſcribere; nam & ſiccitas multa erat, quam Hippocrates πολλὴν ξηρασίην vocat verbo antiquiſſimo: & difficilis deglutitio, nihil autem in faucibus aut gutture apparebat: nec alius color ferè à proprio erat, niſi quòd ſiccitas eſſet. Magnum enim eſt obſeruare an diſſimilis ſui ſit color. Propterea veteres vocem ἰσχνὰ interpretabantur per ἄχροα, id eſt, decolorata, non habentia colorem qui adeſſe deberet ſi inflammatio eſſet. Sed tamen hanc interpretationem ridet Galenus in Commentario. Galenus autem rationem reddit cur non tumeant partes laryngis & fauciũ: non quin bilioſus humor multus collectus, non poſſit tamen efficere, ac præſertim humor qui à capite deſcendit: omnis enim pituitoſæ naturæ propinquus eſt, vt propterea pituitæ naturalis fontem cerebrum aſſeueraret autor lib. 4 de morbis, & lib. de glandulis: ſed, vt ait Galenus, fit vt fluxionis partem recipiãt faucibus vicini muſculi: item qui à tergo ſiti ſunt, vbi & ſtomachus qui ſæpe ſimul afficitur. Sic rationem reddit & cur ſiccitas, cur tumor non adſit, diffuſa, liquatáque materia: item cur à tergo & circùm collum dolores adſint: atque talem affectum, & ſymptomata qualia hîc deſcribuntur, mihi viſus ſum videre in iſtis ægris quorum ſuperiùs paulò memini, niſi quod talis ſynanche per eumdem Hippocratem vel æſtate, vel autumno fiat. At hæ affectiones ſynanchicę, quarum meminimus, in hyemem inciderunt, eamque acerbiſſimam. At quid obſtat quin dicamus id quod antè obſeruatum eſt, per hyemem coaceruari craſſos humores, & eorumdem ichores ſiue ſeroſitates, quæ cùm diu ſuppreſſæ fuerint, acrimoniam & νιτρῶδές τι acquirant, deſęuientéque hyeme tenue illud ſubit tacitè, & morbos ſui generis committit. [9] Atque eo modo fiet angina ξηρὰ; ita enim loquar doctrinæ causâ, quo & ophthalmia ξηρὰ: non quin ſit humor aliquis, ſed potiùs qualitate quàm quantitate peccat: & facit ſqualorem, neſcio quam intemperiem aridam: quod explicauit Hippocrates, cùm ait, iſtum humorem nitroſum efficere vt

P art. 31 lib. 4. de Diata.

ξηρασίη πολλὴ παραγίνεται; hinc fit vt subdiderit, *& tendines ceruicis posteriores intenduntur, apparentque intenti ac si tetanus esset*: hinc vocis amissio: quod indicat scribens, καὶ ἡ φωνὴ ἀπέῤῥωγε τουτέστι ἀπόλλυται, ait Galenus, per laryngis passionem. Vocis autem generatio in ea maximè parte fit, quæ Larynx vocatur, Galeno teste. Huc maximè pertinet locus de Angina lethalissima, quam describit Hippocrates in Aphorism. *Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale.* Paulò antè alium scripserat aphorismum de angina quoque. Si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repentè subito peruenerit, lethale. Aliud esse scribit Galenus, vix potest deuorare, & cùm strangulatur. Cùm autem dixit, *tumore non existente in faucibus*, tacitè indicat affectum esse solum guttur, quod λάρυγξ dicitur: cùm repentina strangulatio necessariò laryngis affectionem significat, vndelibet hoc contingat, siue ab inflammatione, siue aliter, vt paulò post dicemus, cùm inquiretur an sola intemperies sicca hoc efficiat. Mirum quomodo in aphorismo illo prædicto, in quo scriptum, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῷ φάρυγγι, cùm nomen φάρυγγος per *fauces* interpretentur. Nam illud animaduerterunt autores Græci, nomen ὁ φάρυγξ in masculeo genere, guttur significare, & cum nomine λάρυγξ confundi: in fœminino, φάρυγξ *fauces*: & Hippocrates in masculino genere accepit. Sciendum non necessariò semper laryngem significare cùm masculei generis est: promiscuè enim ὁ φάρυγξ & *fauces & guttur* designat: sed ἡ φάρυγξ *fauces* semper denotat. Proptereàque Galenus in commentario vtriusque aphorismi à nobis citati, cùm verba Hippocratis adducit, non ampliùs vsurpat articulum masculeum ὁ, τοῦ, τῷ; sed ἡ, τῆς, τῇ: quod diligenter notandum est, vt omnis amphibologia declinetur: Quod Galeni ingenium vix deprehendent linguæ græcæ ignari. Proptereà parum legendo proficiet, qui versionibus tantùm latinis impolitis & rudibus, nec vlla ex parte attingentibus Asiaticam sermonis venustatem, operam accommodabit.

Com. in apho. 32. lib. 4 de diæ. acut. Aph. 35. lib. 4. Aph 34. lib. 4.

Ergo cùm non apparet tumor in faucibus, & repentè suffocatio incidit, præsertim dominante febre, mortis metus est maximus. Quærit Galenus duo: cur dum in illo aphorismo anginę funestissimæ meminit, non mentionem facit de dolore, vt fecit in prorrhetico, dicens, *fauces dolentes*: item an angina absque dolore esse possit. De priore ita statuit: Tametsi non meminit do-

An in angina dolor.

loris, potest tamen intelligi. De posteriore ita, Si angina sit cum inflammatione, non potest non adesse dolor. Potest autem strangulatio fieri sine dolore tribus modis, vel oborto tumore frigido quod οἴδημα dicetur: [1°] Vel resolutione musculorum laryngem aperientium, vnde angustior redditur meatus: vel ab vtroque simul: tertio summa siccitas & squalor musculorum internorum laryngis hoc efficere potest: ita enim supra modum extenti, meatus angustiam afferent. Sed quæstio orietur difficillima: Si indolens angina & strangulatio repentè contingere potest, vt hîc docet Galenus, an à siccitate immodica id fieri potest? Videtur non posse fieri. nam intemperiem siccam anginæ autorem, si ita fors ferat, necesse est longo admodum tempore acquiri, vt ex locis infinitis Galeni colligi potest: quomodo ergo ab ista immodica siccitate repentina strangulatio contingere potest? Ista videntur asystata. Nisi quis dicat siccitatem quidem tempore acquiri, sed illam non sufficere ad necandum nisi febris concurreret maxima: quæ febris (nullâ adhuc præsente aliâ siccitate) breui tempore omnium instrumentorum tensionem atque ariditatem afferre potest, præsertim si sit è genere febrium καυσωδῶν. Ac propterea cùm in alio aphorismo scribit: *Si cui à febre occupato collum inuertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale.* Galenus in Commentario miratur Hippocratem non meminisse loci, cùm ait, *tumore non existente*, vt fecit alio in aphorismo: sed subaudiri intelligit, vel, in faucibus, vel, in collo ipso. Ait autem istam strangulationem, aut potiùs deglutiendi difficultatem ab inflammatione musculorum gulæ præiacentium, aut gulæ ipsius oriri posse: & ab ista inflammatione contorqueri potest vertebra. Vel enim à tuberculis inuertitur, vel ab inflammatione ob tensionem partium inflammatarum, & ad sese retrahentium. Est enim affectus ceruicis in quo vertebræ ad anteriora luxantur, vel solùm musculis qui cum ipsis communicant affectis tumore, vel nato tuberculo, vt placet Galeno: vel extentis ob inflammationē partium neruis ac ligamentis, vt notat Galenus Commentar. in Aphorism. 35. lib. 4 Aphorism. Atque vt explicet rationem illius anginæ de qua sermo est, affert locum ex Hippocrate, quo in loco vult eandem anginam describi quæ & hoc in loco. Textus autem est: *Anginam patientium tales erant affectus: Colli vertebræ intrò vergebant, extráque apparebat collum habere caui-*

Cap. 3. lib. 4 de loc. aff.

Lib 2 Epidem. Vide cap. 3. lib. 4. de loc. aff.

tatem, & hoc tactum dolebat. Notandum autem illo loco mentionem fieri de angina in pestilenti constitutione. Quærit rursus cur Hippocrates dum loquitur de angina à contorsione colli in febre ingente, non meminit doloris vt & in Epidemiis? si enim inflammatio est, necesse adesse dolorem: an non inflammatio est præsente tantâ febre, & factâ contorsione colli? vnde ista contorsio? Concludit istam anginam ab excedente fieri siccitate, à qua tensio, hinc tractus, à tractu euersio vertebrarum. Cùm enim adest ista siccitas, à qua tensio, tractus, euersio, angustia meatus, difficilis deglutitio, malum hoc: peius verò si febris adsit. Nam & febris auget vsum respirationis, cui non potest satisfieri ob meatuum angustiã: item auget siccitatem; sic malum malo cumulatur.

Quæstio: Si est excedens siccitas quæ anginam quodammodo pestilentem facit: vnde illa siccitas? an repentè incidit, an non? an humor est? Dicam quod sentio, & accommodabo ad ægrum nostrum, cuius ergô instituta est hæc disputatio.

[1] In summis squaloribus, præsertim dum æstus adsunt, vel etiam in sicca & aquilonia constitutione in qua supprimũtur humores, sed tenue tantùm serum exprimitur vi ambientis, vt exemplo spongiolæ fieri contingere scribit Galenus in Comm in 3. Aphorismorum, sæpe circùm fauces, collum, oculos, siccitates oriuntur, quarum ratio nulla reddi potest. Et difficultas deglutiendi est, nullo apparente tumore vel in vuula, vel in pharynge, vel in larynge. Et squalet arérque ægrotis guttur, lingua scabra, exigua febris & latens, quasi ab ambiente calido euocato foras calore, aut ab ambiente frigido nimiùm (nam in squaloribus hæc fieri diximus, dictũ autem velim cùm vel excessus est caloris, vel frigoris) retruso in centrum calore; vnde quemamodum in oculis ξηροφθαλμία nascitur, ita ξηράγχινα, si verbum confingere liceret, aut ξηρὸς σύναγχος orietur. [2] Quod admodum notare oportet, & Medici decipiuntur admodum. Vidimus ita affectos per 20 aut 30 dies laborare cum squalore magno, infirmitate summâ, ariditate, nulla siti, difficultate deglutiendi, oculorum quadam cauitate, fuliginoso spiritu arente atque æstuante, ac si in hecticam laberentur. Et ex nostratibus Medicis nulli hoc obseruauerunt, præter vnum dominum Magnum, omnium, quos ætas nostra fert, acutissimum

& solertissimum, qui vocat istum morbum Anginam συντηκτικὴν colliquatiuam anginam, & catarrhosam colliquationem. nam partes omnes ad guttur, collum, & fauces attinentes liquefieri quodammodo videntur: Et in exiguis venis ichor tenuis contineri videtur, qui superficiarium dolorem excitat.

Omnium morborum quos mihi videre contigit, hic mihi difficillimus & ad cognoscendum, & ad curandum visus est. Atque obiter qua ratione ei sit occurrendum, si quando incidat, aperiam.

Cùm ergo ea difficultas deglutiendi (siue quis *Anginam* vocet, seu *rheumatismum siccum*, seu *morbũ siccum*, seu *anginam siccã*, seu *pestilentem fluxionem*, siue ἀυχμὸν quemdam malignum, siue *colliquationẽ*, siue *catarrhosã colliquationẽ* hocloco non interest, tametsi longè hæc vocabula inter sese differãt, aliasq; morbotũ ideas indicent) cùm, in quã, ea difficultas deglutiendi cũ siccitate, squaloréque sit coniũcta, nullo etiamnum nec foris, nec intus tumore apparente, dolore quodã occulto partium omnium ad guttur & collum pertinentium, non est dubium quin illa intemperies sicca corrigenda sit: Eamque ob causam plurimùm conferet id quod sequitur.

℞ passular. mundatarum & ficuum an. ℥ j. glycyrrh. non rasæ ʒ iij. pruna num. 20. rad. altheæ ℥ ß. fiat decoct. in æquis partibus aquæ rosar. & plantag. In colat. dissolue oxycrati ℥ ij. mellis violar. ℥ iij. fiat gargarismus. Vim habebit humectandi, & detergendi, & squalorem tollendi. Deinde circùm partes thoracicas fiet litus sequens.

℞. butyri recentiss. lib. j. cum qua misce olei amygdal. dulcium sine igne extracti ℥ ij. ol. de kenri & violati non veteris an. ℥ j. ß. misce: fiat litus. Circùm collum, guttur, nucam, deforis magna copia affundetur, & illinetur id quod sequitur.

℞. chamæmeli, melil. scabiosæ, an. m. j. fiat decoct. ad sufficientem quantitatem, in qua extrahe mucaginis sem. psyllij & alth. an. ℥ iij. cum butyro recenti ℥ iiij. & ol. violati loti in præd. decocto. fiat litus ad omnes partes dictas.

Item præclarè fiet si bolum cassiæ assumat sine rhabarb. cum syrupo viol.

Item si ore verset bolum cassiæ, deinde reiiciat, quia vim magnam habet humectandi & squalorem tollendi.

ANNOTATIONES.

1. *Istas affectiones Hippocrates 4. acutor. explicat eleganter, cùm fluxio calida ac nitrosa fit è accapite, mordet, ac viterat, & spiritu implet, & erecta ceruicis spiratio accedit, & siccitas multa: & quæ videntur gracilia apparent, tendines posteriores in collo apparent distenti, vox abrumpens, &c.*

2. *Lib. de loco, aëre & aquis, humidas ophthalmias agnoscit in iis qui à ventis calidis perflantur, præsertim si inter brumalem solis ortum & occasum venti perflent: duras & vehementes in iis qui inhabitant regionem ventis frigidis obiectam, & duras opponit humidis certa de causa. Et alio loco videtur explicare cur fiant ophthalmiæ siccæ & febres acutæ & diuturnæ, cùm æstas sicca fuit, & autumnus siccus est & borealis, quia (inquit)* quod in bile est humidissimum & liquidissimum absumitur, densissimum & acerrimum relinquitur. *Quod notandum. Vide Comment. in Aphorism. 14. lib. 3.*

3. *Apud Hippocratem lib. de locis. In homine, locus est in quo de pleuritide sicca loquitur; sed nomen* siccum *longè aliter quàm hîc sumitur. Etenim pleuritim siccam vocat, in qua successu temporis pulmo resiccatus adhæret costis: vnde dolores lateris.*

4. *Vnde lib. de vetere medicina, erysipelas, peripneumoniæ, defluxiones salsæ, acres, humidæ, incoctæ dicuntur: quæ cùm crassiores redduntur, coqui dicuntur.*

5. *Libro 1. Aphorismorum, aphor. 12. & aphor. 50. lib. 2. προγνωστικῶν docet sputa in morbis thoracicis initio apparere debere, in peripneumonia, biliosa remista tantillo sanguinis, an hoc vult initio morbum debere esse coctum. Magna hæc controuersia, quam hoc in loco dirimimus: & in margine Commentarij in aphorism. 12 lib. 1. Aphor.*

6. *Quibus antequàm facti essent pleuritici, pulmo erat malè affectus, aut catarrhus aliquis statim initio pleuritidos multum mucorem excernunt, & tamen eorum pleuritis non dicitur esse humida, sed sicca, nisi de materia coniuncta excernatur. quod notandum.*

7. *Nota choleram siccam vsu balnei iuuari, vt patet ex lib. 7. Epid. de Pausaniæ filia, quæ ex fungi crudi esu incidit in choleram siccam, hydromeli valdè ei contulit.*

8. *Vide Galenum comment. in aphor. 34 lib. 4. & in sententiam 54. lib. 2. Prorrhetic. vbi vocem* τοῦ ἰχνοῦ *interpretatur per id quod in Prognosticis ab Hippocrate dictum est:* τὸ μηδὲν ἔκδηλον ἐν τῇ φάρυγγι ἐμποιῶν, *quod nil manifestum in faucibus facit.*

9. *Apud Hippocratem sect. 7. lib. 6 Epidemior. cùm de quadam constitutione loquitur, ait;* Pharynges inflammabantur: *deinde paulò post* Anginæ fiebant. *Sic aliud est Pharyngas, aliud Anginas.*

10. *Et partic. 28. sect. 1. lib. 1. Epid. notat Hippocrates à ferina destillatione pharyngem esse vitiatum & tabefactum, à qua tabefactione sequitur retractio quædam gutturis. Vide librum Definitionum nostrarum in voce* κατειλῦσαι.

11. Αὐχμὸς *non tantùm debet intelligi de calidissima tempestate. Nam cùm nulli flatus planè excitantur, siue torreat omnia æstas, siue rigeat planè hyems, tunc* αὐχμὸς *Græcis dicitur. Et cùm hyems anni 1572 rigentissima fuerit, non mirum si morbi alij fuerint quàm qui in hyemem moderatã incidũt: Nullæ, aut paucæ fuerũt apoplexiæ, carẽtia somni fuit: dolores superficiarij & anginosi cum pauca febre, & hoc à squalore fuit: Quem squalorem hyemalem Virgilius videtur describere, cùm in Georgicis ait,* -penetrabile frigus adurit. *Adustio illa Virgiliana magnam habet* ἐνέργειαν.

12. *Apud Hippocratem sect. 7. lib. 6 Epid. manifestè apparet hoc nomen Angina* ξηρὰ, *quia nihil aut parum cocti educebatur. Itẽ τὰ παραπληκτικὰ ξηρὰ; quod mirum est.*

CONSILIVM LV.

De Cholera morbo.

QVONIAM dum disputaremus de morbo sicco, de angina sicca, necessariò incidimus in disputationem de Cholera humida & sicca: non alienum ab instituto erit, si nonnulla quæ animo concepta habemus de Cholera morbo, eloquamur ac exprimamus. Hæc enim intellecta descriptáque plus voluptatis afferent, quàm animo retenta. Aphorismus est Hippocr. in Coacis animaduersionibus, τὰ λειπυρικὰ μὴ χολέρας ἐπιγινομένης οὐ λύεται: Leipyriæ, febres non soluũtur nisi superueniente Cholerâ morbo. Quæ Hippocratis sententia quoniam obscura est, & à communi sensu iudicióque remota, ob latentem quem in se fructum continet, pleniùs à nobis est enucleanda.

Ac primùm vt pleniùs res intelligatur, de febrium leipy-
riῶn eſſentia agendum, vt tandem conſtet an Cholera mor-
bus leipyriæ febris ſolutionem afferre poſſit. Nulla eſt con-
ſenſio inter Græcos & Arabes de leipyria febre, immò ne in-
ter Græcos ipſos. Καύσου & febris leipyriæ magna eſt affini-
tas, iiſdémque penè ſymptomatis morbus vterque ſeſe pro-
fert ac prodit. Sitis eſt ingens, iectigatio, mentis percuſſio,
vigiliarum aſſiduitas, partium extimarum refrigeratio, ſed
præſertim in leipyria, æſtus in internis. Galenus Comment.
in Aphoriſmos ait: *Partium extimarum refrigeratio æſtuantibus in-
ternis ſolis accidit febribus quæ Cauſoi dicuntur, pernicioſis, vel potiùs
malignis, vt leipyriis.* Quo loco leipyrias febres ad καύσους re-
ferre videtur: & notandum hoc eſt. Cauſa autem receſſus ad
interiora caloris, vel eſt ingens inflammatio, vel eryſipelas.
Sic leipyriæ febris hyparxis in eo conſiſtit. Id autem ſtatuunt
diſcriminis inter continuas ardentes & leipyrias, quod καῦσοι
ſequantur inflammationem internam partis alicuius, leipy-
riæ congeſtionem humoris bilioſi in aluo, qui aliquid ἐρυσιπε-
λατῶδες in ipſo ventriculo efficit. Quod fortaſſis quoſdam
Græcos adduxit vt exiſtiment Eryſipelas ſolum ventriculi
leipyriæ febris autorem eſſe. Nec enim phlegmone eſt. Vi-
dendumque eſt an bilis in ventriculo æſtuans eryſipelatodes
aliquid afferat: & an ſit tumor. Nam credibile videtur bilem
quandam prerubram & viſcidam membranis inhærere poſſe,
partim in occultis viis ſubſiſtere, quæ dum inflammatur, nec
facilè à parte deſecatur detergeturque, concipitur æſtus in-
gens qui receſſum afferat caloris foris intrò. Quod ſi verum,
an τὰ λειπυρικὰ μὴ λύονται μὴ χολέρας ἐπιγινομένης? An leipyricæ
affectiones, vel febres leipyricæ non ſoluuntur niſi succeſſu
choleræ morbi? Locus ille Hippocratis ſi verus eſt, & focum,
& cauſam, & curationem leipyriarum explicat. Quidam
verbum λύεσθαι in malam partem accipi volunt, vt morbi ſo-
lutionem ad interitum ſignificet. Quo in ſenſu ſumptum eſt
in Aphoriſmis, τρόμος ἐπιγενόμενος παραφροσύνην λύει. Tremor in
febribus poſt ingens delirium ſuccedens, illud delirium ſol-
uit, id eſt, delirij quidem finem affert, ſed ſimul & ſemel ho-
minem de medio tollit. Et eſt politicus loquendi modus cùm
ægrum quempiam non ampliùs laborare dicimus, & ab om-
nibus malis liberatum, per mortem, ſupple. Poſtquam enim
mors

Con. in apho. 48. lib. 4.

λύεσθαι quid ſignificet.

mors perculsit. Itaque dicunt, Leipyriæ febres non ſoluuntur, niſi Cholerâ ſuperueniente, id eſt, cholera ſoluit febrem leipyriam; ac ſi dicat, finem quidem leipyriæ affert, ſed vnà ad interitum ducit. Quod mihi non placet. Cùm fieri poſſit vt Cholera morbus leipyriæ ſuccedens, eam tollat; quod mirum eſſe poſſit. Leipyria morbus funeſtus eſt, Cholera quoque funeſtus morbus & acutiſſimus breuiſſimo tempore hominem è medio tollens. Quî fieri poteſt vt morbus per ſe funeſtus alterũ morbum funeſtum ſoluat: potiùs enim malum malo cumulari videretur. Atque ita interpretandum eſt Hippocratis conſilium.

Cholera morbus eſt cùm ſurſum deorſum magno impetu bilis fertur, vt magna breui tempore ſpirituum fiat euacuatio, & dolores acerbiſſimi ſint; hinc mors. Leipyria febris, vt antè docuimus, ſequitur διάθεσιν ἐρυσιπελατώδη ab humoris bilioſi congeſtione. Ille autem humor non eius generis cuius & bilis flaua tenuis, quæ ſuâ tenuitate orgaſmum facit: ſed eſt quædam bilis prærubra, ſqualida, ſicca, viſcoſa, adhærens parietibus ſtomachi, quæque propterea nonniſi magnâ vi deturbari poteſt. Cholera morbus cõferre poteſt ex euentu, dum videlicet in cholera morbo (cuius ὕπαρξις in excretione conſiſtit ἀθρόως facta) euacuatur bilioſa materia. Bilis enim concluſa exitum habet per choleram morbum, natura quâ data portâ ſeſe expediente humore tantæ febris tamque funeſtæ causâ. Itaque dixit, τὰ λειπυρικὰ μὴ γενομένης χολέρας οὐ λύεται. Duæ iſtæ negatiuæ particulæ, μὴ, οὐ, adiectæ ſunt ab Hippocrate per quandam αὔξησιν καὶ ἐνέργειαν: ac ſi dicat, Leipyriæ febres non poſſunt ſolui, niſi cholerâ morbo ſuperueniente: id eſt, neceſſaria eſt cholera morbus vt ceſſet leipyria. Per choleram vel propriè intelligendo morbum iſtum & ideâ & ſpecie, ſignis, ſymptomatiſque talẽ, vel euacuationem choleræ morbo ſimilem: id eſt, quæ ſurſum deorſúmque fiat; non quòd propriè cholera morbus ſit, nam iſte morbus peculiare quid habet, cuius ratione per ſe funeſtus omnis fere ſit: nedum hoc boni afferre natus ſit, vt manum veluti auxiliarem nobis præſtet tam capitalis hoſtis ad alium morbum depellendum ac deturbandum. Eáque propter nomen τῆς χολέρας καταχρηστικῶς tantùm ſumetur. Quo modo & in Coacis vocat πυρετοὺς μετ' εἰλεῶν: febres cum ileis, non propriè ſumpto nomine ilei, ſed pro ſimili ſymptomate quale in iliacis paſſionibus contingit, nempe pro vomitione aſſidua.

Quod notandum. Sic & χολέρα non propriè sumetur, sed tantùm pro ea excretione quæ in cholera propriè dicta apparet, cùm sursum deorsúmque impetu excernitur humor. Item cùm dicimus, τὰ λειπυρικὰ, fortè hoc nomen illic non significat febres lipyrias, quas à cholera solui non sit verisimile, sed τὰ λειπυρικὰ significat affectionem quandã λειπυρικὴν, nempe cùm post esum calidorũ ciborum, acriumque dolores ad ventriculum oriũtur, collectâ ibi materiâ; vnde sitis, iactationes, ῥιπτασμοὶ, ἆσαι, syncopæ, recessus caloris intrò, sine febre tamen, taliáque hîc apparent qualia apparerent si eos febris lipyria occuparet. Quis enim dubitat in eo casu excretionem instar Choleræ morbi factam, eam leipyricam passionem non soluere? Et hæc probabiliora videntur, quàm si τὸ λειπυρικὸν, & ἡ χολέρα in propriis significationibus accipiantur.

Tamen aliam probabilem coniecturam afferemus, vt omnes intelligant morbum vnum funestum per se, pessimumque posse alteri morbo auxilium præstare, præsertim si qua sit apparens excretio materiæ morbum priorem efficientis. Adduximus aliquando hoc in libro aphorismum, cuius veritas communi hominum iudicio & rationi nunquam placere aut apparere videatur. Textus autem hic est: A furore, μανία, Græcè dysenteria, vel hydrops, vel mentis alienatio, græcè ἔκστασις bonum. Ἔκστασις μανίαν soluit, & tamen ἔκστασις per Galenum est incrementum maniæ, vel potiùs μανία adaucta. Quomodo ergo alienatio mentis maniam tollet? Id fit quia humor qui maniam efficiebat cùm loco aliquo conclusus esset, & in parte cerebri, dum de maniaco fanaticum facit, dispergitur diffunditurque naturâ exitum sibi quærente materiæ priorem morbum, id est μανίαν efficientis: & dum hoc conatur natura conatu motúque critico (quem ἔφοδον propriè vocabimus, καὶ ὁρμὴν) ἐκστατικὸν reddit. Plura & commemoratu dignissima illo loco à nobis conscripta leges. Sic idem in cholera morbo, & lipyria febre continget.

Aphoris. 5. lib. 7.

Atque non ita pridem leipyria febre quis laborabat: leipyriã esse, non autem καῦσον declarabat lingua; nec enim vt in Causo scabra erat, sed nigra à bile adusta in ventriculo erysipelatis modo æstuante, & resudante ab ipsa aluo accensa. Deplorata omnis erat salus. Ecce subitò ac si cholerâ morbo detineretur, cùm priùs siccus morbus esset, id est, nil dum excerneretur eorum quæ in vitio essent, sursum deorsum magna bilis copia

fertur, & febre lipyriâ abſoluitur. Cùm enim in lipyriis febribus commendatur Cholera morbus, non de ſicca cholera, ſed de humida locus eſt intelligendus. Nam ſicca cholera perniciosa eſt admodum, & potiùs leipyriam febrem accerſeret, quàm eandem ſolueret.

Sed hæc omnia dicta ſint de Cholera morbo & febribus leipyriis, quorum intelligentia compendio ad curationem vtriuſque morbi, ſed præſertim febris leipyriæ eſt profutura : in híſque vt in omnibus admirabilis eſt Hippocrates.

CONSILIVM LVI.

De fluore muliebri.

POYΣ γυναικεῖος τῆς καθάρσεως nomine potiùs quàm κενώσεως donandus multas mulieres affligit, ex earúmque numero albas, & quibus læuis admodum, æqualis & iucunda viſu ſuperficies ineſt. Huius rei rationem reddunt, quòd iis cutis ſit aſtricta, proptereáque excrementis non pateat : tum quòd delicatioris molliorisque ſint habitudinis, eóque in morbos procliuioris. Tertiò accedit quòd ſint effœminatiores aquoſæque magis, quas libris de Diæta Hippocrates ὑδατώδεας vocat, vnde excrementorum moleſtam vim non facilè depellunt : fluxionibus ſunt obnoxiæ, & partes principes cum quodam modo aqueas, laxas, vliginoſáſque habeant, putredini minimè obſiſtunt, immò facilè corrumpuntur, & longis morbis aut implicantur, aut aliorum vim impetúmque non ſuſtinent. Dicam quod nobis videre contigit fortè, cuius non negligenda obſeruatio vt non minimùm adiumenti allatura & ad medendum, & ad præſentiendum. Quædam cùm quatuor annos fluorem illum pertuliſſet cum frequentibus leipothymiis præhenderetur adeò fœtidam proluuiem per pudoris ſinum excernebat, vt nullus quantumuis graueolentium rerum odorationi aſſuetus, eſſet ferendo. Alteri diutiùs fœtens putriſque illa illuuies effluxerat, cùm annos ſexaginta nata foret, vſurpato leui quodam remedio inopinatò ſuppreſſa eſt. Nec diu impunè eam ſuppreſſionem tulit. Etenim diabetes illius loco multò funeſtior ſucceſſit, manifeſtus, ſuis ſeſe ſignis exprimens, tres aut

quatuor menſes exercuit, & ad mortem comitatus eſt. Totâ ferè die vrina planè aquea fluebat, nec natura eam ſiſtere poterat. Cùm ſat bene habita eſſet, emacruit continuò, & ſiti inexplebili cruciabatur: lingua areſcebat, & eam pellucidam præ ſiccitate vidi. Fœtidum expirabat & cadaueroſum. Quæſiui num in renum regione ſenſum caloris aliquem ob putrem manteriam ſuppreſſam percepiſſet: cùm conſtitiſſet à ſqualida ſiccáque intemperie diabeten originem capere ſolere. Retulit caloris loco ita partem illam perfrigentem percipere ſe ac ſi glacies inibi cogeretur. Quod nobis perſuaſit fluorem illum muliebrem à ſalſa partim acidáque materia manauiſſe. Nam quæ in eius marito ſuperiore hyeme materia acida tenaſmum ferè immedicabilem pepererat, eadem partim fluorem illum & proinde hydropem ad matulam adduxerat. Hæc fuit morborum ſucceſſio. Hinc patet eos de ægris malè mereri Medicos qui indicatione à morbo ſumptâ aliquatenus, de ſupprimendis effluuiis cogitant: non rati periculoſam eſſe ſuppreſſionem eius fluoris qui multos annos ægrum occupauit. Itaque fontem catarrhi ſenſim exhauriri oportuit, diætam inſtitui exiccantem, decocto ſarſeparillæ vti, purgantibus medicamentis repurgari ægram: venam ſecari, malignam qualitatem oppugnari, atque ita rerum meliorum expectatione ægra fuiſſet alleuata ac recreata.

CONSILIVM LVII.

NONIS Aprilis anno 1573. mulier quadrata, boni habitus, & integrè ſana, ad ſudatoria vulgaria, Galli *Eſtuues* vocāt, proficiſcitur. Tertio poſt die dolere ei incipit imus venter. Dolorem primùm vagum, Practici deambulatiuum vocant, percipit: deinde ad partes paulò ſuperiores reuoluitur, ſtomachumque quodam velut pondere premi queritur. Cùm grauiſſimè doleret, Medicum conſuluit, qui ſtatim carminatiuo clyſtere, vt ferè fit Pariſiis cùm primùm quis de dolore torminoſo conqueritur; ſed id malè fit, vt paulò poſt dicemus. Aluus licèt irritata nihil reddidit: totam noctem inſomnem duxit: conſternabatur. Manè ſubiectus alius clyſter vehementiſſimus, nil reddidit. Et hic tertius dies erat, quamuis nec primo nec ſecundo

decubuerat. Prehenderunt eam frequentes ſyncopæ, ſudores ad clauiculas. Mente conſtabat: datum cardiacum, reuomuit: frequentes vomitiones erant, frigus extremarum partium. Character faciei planè deletus, quod mirum, tam breuì contigiſſe. Tertiâ pomeridianâ interiit. Ego illam tertio tantùm die vidi ad meridiem. Talia mihi videre contigit: Frigus erat partium extimarum, frequens virium lapſus, ἀσφυξία perfecta: deinde vermiculans pulſus, hypochondria ſatis æqualia, ſed illa, & regio ventriculi contrectata etiam blandè dolebant, & ſyncopen inducebant. Neceſſariò erat illi propendendum in dextrum latus, inclinato etiam capite: ſi aut ſupinam figuram retinere cogeretur, aut in ſiniſtrum latus deuergere animo deficiebatur, & penè ſuffocabatur. Vomitiones perpetuæ: nil aluus reddebat. Et quod notandum, ingenti ſiti & inexplebili affligebatur. Narrabat ſe in ventriculi regione velut ardentem carbonem ſentire. Iactabatur: irrequieta erat. Itaque non mirum ſi mors tam repentè aduentarit. Diligenter rogaui num longo ante tempore dolores vllos percepiſſet? Menſem vnum præceſſiſſe dictum eſt ex quo de ſtomachi dolore quereretur. Obſtetricum iudicio vtero ferebat. Quadraginta diebus antè ſolùm menſes apparuerant. Nunc quærendum quod genus morbi, quâ & arte ei ſuccurrendũ fuerat. Potuit eſſe cholera ſicca? Apud Hippocratem 4. acutorum, choleræ ſiccæ hiſtoria proponitur, *Ab arida cholera*, ait, *venter inflatur*, *ſtrepitus fiunt*, *dolor pectoris & laterum*, *aluus nil deiicit*. Addo, & vomituriendi eſſe deſiderium, dolores ſummos ad ſtomachum coërcitis flatibus in partibus abdominis, ſudores frigidos, vnde præ dolore virium proſtratio, recurſus caloris intrò, & multa alia. Illius morbi qui acutorum numero recenſetur, tota hiſtoria deſcribitur paulò antè. Vel potuit eſſe ſuppreſſio omninò excrementorum malignorum, quę in partem ſuperiorem, nempe regionem ventriculi, delata ſunt vndelibet vt in partem iamiam debilitantem (ſicut antè meminimus). Ita enim obſeruauimus in conſtitutione illa temporis maligna (vnde infiniti penè ruri peribant) aliis ab hypogaſtrio delatam percipi materiam ad coſtas, vnde pleuritides: aliis ad ventriculum, vnde ſuffocationis metus: aliis herpetas natos vidimus: aliis ignes ſacros vel infernè ſurſum, vel ſupernè deorſum lata materia; vnde effera reddita magis materia, traducta eſt in ventriculum, & primam

regionem ſtrictè ſumptam, & illic apoſtematis ſpeciem excita-
uit. Tale morbi genus obſeruaſſe videtur Hippocrates in Pror-
rheticis; *Queis lumborum tenus & diuturni dolores ad hypochondria*
reuoluuntur, reducunturque, & ciborum auerſio, dolor huc valens inten-
tus ad caput perueniens, citò interimit cum conuulſione. id eſt: Fieri po-
teſt vt excrementoſa materia per ſe initio εὐήθης ideò minutu-
los dolores excitans, tandiu in meſenterio reſiſtat quoad ali-
quid maligni acquirat, vnde effrænis reddita, tandem ſuis ru-
ptis repagulis orgaſmo quodam in partes fertur, ſi in caput cum
conuulſione interimit. Addo, Et ſi in ventriculum ſuffocatio-
nem adfert, ſi in aliam partem aliud atque aliud. Nam quod in
vno obſeruatum eſt, id in multis poteſt intelligi. Eſt & paulò
antè eodem in libro ſimilis aphoriſmus, *Ventris circumtenſio li-*
quida ad neceßitatem deiiciens, citò intumeſcens conuulſiuum quid ha-
bet. Illud in Equiſone in vico de la Mortellerie obſeruauimus,
qui cùm ſerò bene cœnaſſet, quartâ matutinâ prehenditur fe-
bre acutiſſimâ, circa duodecimam meridianam totus imus vẽ-
ter inflatur, delirat, tertiâ pomeridianâ pulſus paruus fit & fre-
quens: nigra deiiciuntur. ſerò pectus dolet. Duodecimâ pul-
ſus formicās, interiit tunc. Corpus totum intumeſcit, & neſcio
quibus ſuſpectis maculis exaratur. Illud idem Hippocrates, ſed
non tam apertè vt nos explicat. Sic ei mulieri contingere po-
tuit à reducta materia à parte inferiori in ſuperiorem. Vt ſæpe
idem à materia delata ſupernè deorſum poteſt euenire. Quod
obſeruauimus in filio vitrearij. Primâ die dolor exiguus ad la-
tus dextrum: vomitiones aſſiduæ, ſecundo dolores inferiùs ad
ventriculum & xiphoïdem cartilaginem percipiebantur: tertio
habebat ὀρθοστάδην: quarto ſummus ad ventriculum dolor, in-
flatio: extimorum frigus, leipothymiæ, ſudor, mors. Et hoc
contingere poſſe notauit Galenus in comment. in Epidem.
vbi notat initio morborum funeſtiſſima ſymptomata euenire,
quòd in viſceribus malignus humor reſideat atque reſtagnet,
adeò vt venenatorum animalium venenũ adæquet; vnde in-
opinata mors aduenit. Quod & huic mulieri contigiſſe vide-
tur. Sed tanti incendij perceptio quantum ægra narrabat in ſu-
ſpicionem nos adducit eam febrem leipyriam eſſe, ab apoſte-
mate quodam in primis venis, vnde nec in latus decumbere
non poterat, & ſine tumoris ſenſu (alioqui ingentem eſſe opor-
tuiſſet) vix minimum appulſum digitorũ ferre poterat: & eiuſ-

Hiſtor. 4. ſect. 3. lib. 3. Epid.

modi apostema speciem aliquam iliaci morbi afferre potuit. Sæpe enim de repente in primis intestinis & phlogosis, & tumor non ita altus oboriri potest, qui breui ad interitũ ægros præcipitet. Præcesserat velut dolor quidam colicus acerbus, quem frustrà ignaræ mulierculæ ad vterum referunt. [3] Et Arnaldus Villanouanus annotat colicam quandam mortalem, vt cùm remediis (inquit) non alleuatur dolor, sed figitur in parte, & vomitus post vomitum insequitur: & sudor frigidus oboritur, partiumque extimarum perfrigeratio. Et quod tam propinqua ventriculo pars laboraret, illud fortè erat ob colon intestinum cui ventriculi fundum incumbit, & in eo verisimile quoddam apostema natum fuisse. Annotat quoque colicam in iliacam aliquando degenerare, & hanc in illam. Ex omnibus his colligo omniũ verisimillimum videri vel simplicem colicam fuisse, vel à colica natam iliacam; quæ iliaca citiùs interimit quàm colica ipsa, quòd in tenuibus fiat quæ ventriculo sunt propinquiora. 4

Cap. 32. li. 2. Breuiar.

Nisi fortè quis dicat febrem omninò pestilentem fuisse. Nã quod liuens corpus post obitum apparuerit, id ad excretionem caloris febrilis, & naturalis extinctionem referri volũt.

Ceterùm polliciti sumus demonstraturos nos non è re morbo occupatorum esse in colicis doloribus statim vehementes acresque clysteres subiicere: & tãdem hic error pessimus inoleuit, vt operæpretium nos facturos existimemus si carminatiuum enema subdamus. Quòd legerint in doloribus colicis siue fugacibus, siue fixis talium clysterum vsu adiumentum afferri. Sed id intelligendum modò tempore & loco exhibeantur. Nam (vt annotat Arnaldus loco suprascripto) multi errant Medici ineuntibus doloribus colicis statim subdentes enemata acria validáque: hæc enim fæces iam induratas magis exiccant & exuccas reddunt, & tantam afferunt perturbationem, vt natura sæpe sese colligens omnia retineat, quæ tanto molimine auellere cogitamus. Quod ego sæpè obseruaui: & clyster blandus mitisque in doloribus eiusmodi plus aliquando profuit, quàm ita validus & acer.

Ecquid præsidij afferri poterat ad declinandum tam funesti morbi, tamque præcipitis exitum? Non est dubium quin blandis enematis aluo irritata latáque pars materiæ quæ diu

restiterat aliò diuertisset: sequenti verò die satis valido ecoprotico exhibito, quod in mediis viis hærebat, foras deprimi, exigíque potuisset. Tertiò & fotus ad partes adhiberi potuisset, & cardiacis locus fuisset.

Talis fotus præscriptus, sed iam res erant deploratæ.

℞. florum chamæmeli, meliloti, an. p. j. absynth. m. j. ß. sem. anisi & fœniculi an. ℥ ß. santali citrini ʒ ij. cypperi ℥ ß. rosarum p. j. fiat decoct. in aqua, addendo vini albi parum, & sacchari ℥ ij. ob inflammationem foueatur totus venter.

Item *℞. destillati restaurativi & aq. cardui passat. in manica, cum electuar. diatracag. frigidi an. ℥ ij. in quibus dissolu. diamargar. frigid. ℈ j. rasur. ebor. ʒ ß. theriaces ℈ j. syrup. de limonibus ℥ j. fiat potus.*

ANNOTATIONES.

1. *Si quis legat historiam de morbo cæliaco apud Celsum, videat penè historiam huius morbi; nam singula symptomata congruunt inter se. Hollerius talem morbum ad febrem* ἀσώδεα *poterit referre; perpetua enim iactatio, hypochondriorum contentio, materia est crassus humor, acer & biliosus, tunicis stomachi imbibitus.*

2. *In hac muliere, sicut & in nonnullis aliis, quorum hîc historia continetur initio magnus est æstus, & respiratio magna æstui analoga: sed subinde perfrigeratio sequitur: & cùm æstuant interna non magnum spiritum ducunt, sed fiunt* βραχύπνοι. *Huius rei rationem reddit Galenus comment. in historiam 3. sect. 3. lib. 3. Epidem. vbi notat contingere in febribus istis malis vt initio ingens admodum sit incendium, & magna sit respiratio, & partium calor: sed statim ita digeritur totus calor febrilis penè consumptis feruefactis humoribus putribus, vt remaneat paucus & languidus calor natiuus: & ille calor natiuus* (ait) *priùs extinguitur quàm denuò febris illa accendatur: hinc mors non longè sequitur. Locus commemoratione dignissimus est.*

3. *Huiusmodi colicam lethalem, vel affectum similem in quo ob doloris vehementiam, animi & defectiones sequuntur, & reuocatur calor intrò refrigeratis partibus extimis, explicare videtur Hippocrates aphor. 26. lib. 7.* In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum.

4. *Eodem morbo paulò post periit auriga quidam. Primo die dolor leuis ad latus sinistrum, qui statim & pedetentim ad regionem lienis descendit ac increuit: vomitiones frequentes, dolor stomachi secundo & tertio*

tertio: perseuerabant vomitiones rerum viridium, æruginosarum: dolor lateris non affligebat: in ventre inferiore vagos dolores percipiebat. Quarto, de nocte omnia exacerbantur, partes extimæ refrigescunt: cogimur præ suffocatione mittere sanguinem, quòd ita requireret æger: vomitiones tanquam lutosi nigrique humoris. Syncope: mors. Omnem autem vsum remediorum mors ipsa anteuertit.

CONSILIVM LVII.

De alui fluore in muliere grauida

CIRCA initium huius libri narrata est historia vxoris cuiusdam thesaurarij quæ ab alui fluore dysenterico tertio post partum die, qui totius morbi vicesimus erat, interiit. Conditiones fluoris istius, & quæ aderant praua signa; vt vomitus mox æruginosus, nunc biliosus, & meracus, febris, hepatis tumor ἐπώδυνος non poterant non ad malum apparere. Quæstio esse possit an vterum gerenti alui fluor sit calamitosus. Hippocrates quidē scripsit, *Si grauidæ aluus plurimùm profluat, metus est abortionis*. Quod verum, quia & ob dolores, & defraudationem ipsius fœtus magnæ corpori fœto mutationes contingunt. Sed ex omnibus Hippocratis pronunciatis vnum est in Prorrheticis animaduersione dignum, & ad prognosin, & ad curandi occasionem præbendam accommodatum. Narrat eò loci duas esse dysenterias, vnam cum febre, variis excrementis, hepatis inflammatione, aut præcordiorum, aut ventris, cum ciborum auersione: Aliæ quidem sunt sine his signis cum ramentis quidem & sanguine, sed breuiores sunt, & eas vocat λυσιτελέας fructuosas commodasque ægris, quod aut à diuturnis, aut breuibus morbis ægros asserant. De his posterioribus loquens ait: *Quæ vterum gestant ab huiusmodi dysenteriis, & ad partum, & ex partu euadunt, fœtus sanos habent, etiam per multos menses & sanguine, & ramentis excretis*. Ergo cùm in illa muliere mala illa signa apparuerint, quorum iniecta mentio est, non mirum si præceps mortis periculum ingruerit. Et obseruatum est in illustrissima domina ab Insula per maiorem grauiditatis partem sæuam satis dy-

Vide ante Consil. 15.

Aph. 34 lib. 5.

2 Prorrhet.

senteriam affuisse, hinc tamen, salua euasit & incolumis, vitalem fœtum edidit. Est enim vbi dysenteriæ malæ sunt cum præsente partiū naturaliū praua dispositione perennis fit graueolentium excrementorum prouentus: est vbi tantùm congeries facta est excrementorum, quorum euacuatio & fœtum & fœtam in melioris valetudinis bonam spem adducit.

CONSILIVM LVIII.

De singultu febri superueniente.

Vide Cō-sil. 25.

CIRCA principium libri huius de singultu in febrem longam incidente dictum est, & quâ ratione constituenda sit febris singultuosa, cuius Hippocrates meminit in quibusdam locis, vt illò loci annotatur. Omiseramus omnes singultus causas recensere: quod hoc loco datâ operâ à nobis præstandum est. Ac duo proponuntur, prius vt singultus causæ explicentur: posterius, vt quæratur cur in febres longas singultus incidat, præsertim cum marasmo & cutis squalore coniunctas, quindecim aut viginti ante obitum diebus; an id ratione exhausti: & si ratione exhausti, quâ id ratione fiat. Quæ omnia non minùs cognitu digna sunt, quàm vtilitate vberrima. Ac primùm singultum definiunt, motum deprauatum ventriculi & contra naturam, cùm propriè conuulsio non sit, sed σπασμώδης τις, vt vocat Galenus. Conuulsio enim propriè cadit in partes quæ mouentur προαιρετικῶς: conuulsióque symptoma dicitur causæ morbificæ tantùm, singultus autem, tussis, sternutamentum naturæ à causa morfica irritatæ. Autor est Galenus & singultum, & conuulsionem ab inanitione & repletione fieri sententia Hippocratis: quanquam venenatam qualitatem acremque vaporem tanquam quid tertium singultus conuulsiui causam alio in loco idem Galenus constituit; quod plerisque negotium dedit in tutanda Hippocratis sententia, duas tantùm causas generales astruentis. Nonnullis videtur Galeni sententiam aptè commodéque defendi posse, si dicant per accidens tantùm venenatam auram conuulsionem propriè dictam com-

2. de sym. caus.
Com. in Aphoc. 13. lib. 6. Aph.

mittere, nimirum feriendo aut cerebri ventriculos, aut neruos: per ſe autem ſingultum eundem auram committere. Vt conuulſionis propriè dictæ cauſæ duæ ſtatuantur per ſe, inanitio, & repletio, tertia autem ex euentu, qualitas venenata vt in febribus peſtilentibus ſingultuoſis apparet: ſingultus autem ipſius tres ponuntur cauſæ, inanitio, repletio, & vapor ferinus. Quaſi verò dum è tibia vlcerata, aut cancroſa effertur vapor attingens ventriculos cerebri, non efficiat epilepſiam, aut conuulſionem propriè dictam, vt eâ ratione argumenta illa tantùm diuerticula conſtituantur.

Tamen quoniam rationalis Medicus Hippocrates generalibus ſuis theorematis contentus iis fidem adhiberi vult, nec inferiùs demittẽs ſe ad particulares quaſdam cauſas ſingultus contemplandas, earum vim & ingenium explicat, quod apprimè ad medendum confert: ideò ne temerè perſuaſi illâ propoſitione generali, Omnis conuulſio aut ab inanitione, aut à repletione eſt: in ſingultu in febrem peſtilentem incidente euacuandi conſiliũ captemus, Galenus τέκμαρσιν ex rerum priuata obſeruatione inſtituens ad legitimè curandum quaſi neglectis duabus illis cauſis tertiam aſtruit. Nam exempli gratiâ, in preſſu coſtæ, in maligna qualitate, in perfrigeratione ſumma, in deſcenſu inteſtini, ſi, vt ferè fit, ſingultus contingat, an is à repletione, an ab inanitione? Si à repletione eſt, ecquæ illa eſt repletio? Repletio tamen eſt: cùm nemo tam medicæ artis ignarus ſtatuat inanitionem illius conuulſionis cauſam eſſe. Cùm itaque repletionem cauſam ſui agnoſcat, quâ illi ope ſuccurrendum eſt? Si enim à repletione principium cauſamque ducit, huic inanitio vtile eſt remedium. Nemo tamen auræ peſtilenti, aut frigidæ intemperiei, aut ſingultui à prolapſu inteſtini nato euacuans remedium inſtituat; vt neceſſe fuerit Galeno ad peculiarem remediorum inſtitutionem tertiam aliquam & ſingultus & conuulſionis cauſam inducere: ad eorũ opinionem debilitandam, qui vt errore vindicent Galenum, tertiam illam cauſam conuulſionis in ſingultu, non autem in conuulſione propriè dicta comprehendant.

Gorræus in dict. λυγξ.

His omiſſis, vt peculiares ſingultus cauſas perſtringamus, dicam adhuc quod mihi hac in parte probabile videtur. Eodem iure cum Hippocrate duas & conuulſionis & ſingultus

causas tantùm constituente agere possumus, quo & idem Hippocrates cum veteribus qui quatuor primas qualitates sanitatis & morbi causas statuebant: Et tamen hos reprehendit, quasi non & Hippocrates & tota Medicorum familia primarum quatuor qualitatum ποιαὺ κράνσι sanitatis fundamentum, vt & illius κράσεως euersionem ægrotationis causam iampridem posuerit: vt non ineptè generali proloquio illi veteres ab Hippocrate tamen frustrà, vt videtur, repræhensi, quatuor primas qualitates & morbi & sanitatis causas ponere voluerint. Quid ergo sibi vult Hippocrates cùm eos erroris insimulat? Quia vniuersaliùs hoc fecerint, rati satis esse ad Medicinam faciundam in generali rerum contẽplatione versari: nec infrà descendentes quid in quaque re proprium sit considerant. Quomodo magnâ ægrotantium clade plerique qui se physicos profitentur, ex eo iam magnos medendi artifices & principes existere se falsò sibi persuadent, quod in naturali rerum speculatione ἐν τῇ πραγματείᾳ magnos progressus fecisse se opinentur. Quod non satis est: immò ne sufficit quidem Medicorum theorematon vim omnẽ tenere, nisi ad inferiora te dimittas; quod Hippocrates τεκμαίρειν vocat. Atque eodem modo Hippocrates Gnidios medendi magistros sugillat, qui speciosis remediorum nominibus & titulis cùm in populo iam iactationem habere se perspicerent, inde se in magnos medicos euadere se arbitrarentur. Quod vt vitaret Galenus in assignandis conuulsionis & singultus causis, non satis putauit factum si inanitionem aut euacuationem & repletionem horum causas poneret: sunt enim generaliores, & sensui magis subditæ, sed tertiam causam agnoscit, vt speciales notiones prosequatur quibus ad medendum doceamur. Possumus & quartam & quintam causam agnoscere, quam ægrè aut ad inanitionem, aut ad repletionem referemus. Aut si referantur, nihilò magis proficitur, sed tantùm res inuoluitur, & nescitur sæpè quid opis afferendum: vt frustrà recurratur ad illam distinctionem quam suprà attulimus, nimirum quòd singultus per se à tribus causis fiat; repletione, inanitione, & aurâ. Conuulsio autem non fit ab aura per se, sed κατὰ τὸ συμβεβηκὸς tantùm. In vlcere maligno dum effertur vapor epilepsiam inferens, an non illa epileptica conuulsio per se fit? Quidni? Sic Galenus in 3. Aphorismorum confusè & apoplexiæ & epilepsiæ causam eandem, crassum frigidumque humorem statuit, & locum: ergo à

Lib. de vet. Medicina.

Lib 1 de diæta acutor.

Apho. 45 lib. 3.

repletione est: tamen alio loco dum disputat de sternutamento (idem autem est iudicium de sternutamento & epilepsia) ait non quemuis humorem (de frigido præsertim intelligit) in capite redundantem sternutationem afferre, sed flatuosam esse oportet, & acrimoniam acquirere. Hîc patet Galenum iam seniorem, prudentioremque factum ad specialiores causas descendere, nec ita sese vniuersalibus pronuntiatis addicere, ne specie recti decipiamur.

Aph. 51. lib. 7.

Sed iam pensum absoluamus. Singultum facit inanitio, facit & repletio. Verum quidem illud, & vulgo ipsi cognitum. Repletio vel à flatu est, vel ab humore acri, vel ab humore lento, frigidóque: & pro causarum varietate variant quoque remedia. Nam vt veteres practici loquuntur, vel per contemperationem curatur, vel discussionem, vel excussionem. Primo modo cùm ab humore acri est: secundo, cùm à flatu: tertio cùm ab humore tenaci ac contumaci ventriculi parietes offarciēte. Sic Hippocrates de singultu 3. disputans, ait *A singultu habitum sternutatio liberat.* Et in Commentario Galenus exemplo puerorum, qui repleti subinde singultiunt, docet repletionem maximè singultus causam esse. Nam qui fiunt ab exhausto, sunt rariores, ait. Vnam autem ex causis externis repletionis causam statuit frigus & frigiditatem, seu perfrigerationem. In Græco est τὸ ῥίγος καὶ ψῦξις, Leonicenus vertit, *rigor*, & *frigiditas*, nos meliùs *crudor* (Gallis, *morfondure*) siue frigus, & perfrigeratio. Huiusmodi autem externum frigus, quia neruosa corpora reddit, minimè perspirantia: vnde fit vt in iis humor supprimatur. Et hæc Galenus illo loco. Qui autem humor agglutinatus tunicis ventriculi cum maiore vi ad demolitionem sui indigeat, sternutatio confert. Galenus in Aphorismis vomitum & singultum eiusdem ferè generis esse statuit: hoc autem inter se distingui, quòd vomitu ea exigantur quæ in ventriculo natant; singultu autem naturam procurare eorum excretionem quæ tenaciùs adhærent tunicis ventriculi. Atque omninò à flatu singultum fieri videmus, ab humore acri, præsertim superius orificium ventriculi feriente: vel quòd à corrupto cibo sit, vel quòd ab hepatis cysti refluat, vel quòd ibi collectus sit per phlogosin ventriculi, vel quòd ab inflammato hepate resudet, vt paulò post dicemus. Item fit ab humoris adhæsu, vt dictum est antè, compressione costæ, quod annotauit Fernelius, ab intemperie

Aph. 13. lib. 6.

Aph. 39. lib. 6.

frigidâ ventriculi, vt de eo notum esse potest, qui cùm gracilis
esset, & superius orificium ventriculi delicatius frigidiusque
haberet, Medicis persuadere voluit ne in febre continua quâ
conflictabatur aquam propinarent: quod cùm tamen fecissent,
& eum singultire, & conuelli fecerunt, vnde interiit. Singul-
tiebat sæpe si quid frigidius cepisset. Hæc Galenus. Ad has sin-
gultus causas referri potest prolapsio intestini quod in senibus
contingit maximè, & sæpè moriuntur. Febris singultuosa non
est quoque omittenda, de qua Hippocrates. Agnouerunt &
veteres inflammationem ventriculi, hepatis, meningon cere-
bri, mesenterij singultum afferre posse, quod per resudationem
fit, & per consensum. Ac de cerebri inflammatione quæ sin-
gultum efficiat, extat Hippocratis aphorismus, *A vomitu singul-
tus & oculorum rubor, malum.* Cuius aphorismi ex comment. Ga-
leni hæc est διάνοια. Sæpe contingit vt materiâ inhærente ven-
triculi parietibus, natura per vomitũ conetur deiicere id quod
molestum est: etsi præeuntibus vomitionibus singultus rema-
neat, malum. Quod tamen alienum à ratione videbitur. Nam
priùs dictum & singultum, & vomitum eiusdem esse generis: in
hoc differre, quòd singultus maior sit conatus naturæ ad amo-
liendum quod ventriculo inhæret: vomitus maior vis non est,
sed mediocris conatus ad euacuandum id quod in ventriculo
fluctuat. Ergo tametsi præcedant vomitus, & post eos remaneat
singultus, absolutè malum non est: sed declaratur impactio
materiæ quæ tolli non potest nisi maiore vi. Quid ergo sibi vult
Hippocrates? Particula illa, ἐξ ἐμέτου, *à vomitu*, trifariam potest
intelligi, vel vt simpliciter ob contumaciam materiæ prægresso
vomitu singultus remaneat, nequeunte materiâ vomitu tan-
quam quodam minore conatu excuti: & hic singultus malus
non est. Vel vt singultus vomitum consequatur, tanquam τὸ ἐπι-
γινόμενον, ob exhaustum. Fieri enim potest vt adeò creber sit vo-
mitus & vehemens, vt inde ratione euacuationis singultus na-
scatur tanquam malum signum & causa. De hoc aphorismus
non intelligit, vt nec de priore. Tertio modo vomitum singul-
tus insequitur vt malum signum. nam cùm vomitu euacuetur
materia, liberetúrque eo quo premitur pondere, si frequens
fuerit, singultus occasio tollitur. quod si ne singultus quidem
tollatur, immò augeatur, significat ab alia causa nasci singultum
quàm à crassa materia, sed à phlogosi & inflammatione, aut

1 cap. lib. de consuetudine.

4 Acut.

Apho. 3. lib 7.

Qq ii

ventriculi, aut cerebri, aut memingon. Poteſt enim, vt iam dictum eſt, poſt vomitum ſequi abſolutè ſingultus ob contumaciam materiei vomitui non cedenti, ſed ſingultum quo excludatur requirenti: ſed hîc dat Hippocrates miro quodam artificio ſignum διαγνωστικὸν, quo iudicare poſſis an ſingultus qui remanet hæres poſt vomitum, tantum ſit ob materiei vitium, an ob cauſam aliam, nempe inflammationem. Illud porrò ſignum eſt, *Rubor oculorum*, non is quidem qui fugax eſt ob conatum vomendi, ſed qui inflammationis habet aliquid. Rubor autem iſte comes ipſius ſingultus qui vomitui ſucceſſit, quatenus ſingultum comitatur: declarat aut cerebrum aut ventriculum inflammatũ, cuius occaſione ſingultus reſedit, remanſitque poſt nonnullas vomitu factas κενώσεις. Itaque aphoriſmus abſolutè pronunciatus non ſtetiſſet, *A vomitu ſingultus, malum*: ſed adiectione τοῦ σημείου διαγνωστικοῦ, verus ita efficitur, *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum*. De ſingultu à repletione, de febre ſingultuoſa, ſiue per ſe talis ſit, ſiue in prolapſione inteſtinorum accidat, déque eorum curatione abundè dictum eſt ab Hollerio in Methodo medendi. Nunc quod eſt ſecundi inſtituti præſtemus, nimirum qualis ſit ſingultus ab inanitione, & quâ is ratione fiat.

Ab inanitione & conuulſio, & ſingultus, & deſipientia contingunt. De deſipientia à pleriſque eſt dubitatum, quòd deſipientiæ medentium opera in eo verſari videatur, vt recurrant ad medicamenta purgantia, ad cucurbitulas, & ad ſectionem venæ, quod hanc omnem à repletione oriri credant. Vnde Galenus comment. in aphoriſm. lib. 7. *A profluuio ſanguinis deſipientia ac conuulſio, malum*. ſcribit illum aphoriſmum magnam vim habere ad perſuadendum deſipientiam ab inanitione etiã num naſci poſſe: quòd veriſimile ſit ætate Galeni Medicos extitiſſe, quibus perſuaderi non poſſit ab inanitione deſipientiam proficiſci non poſſe. Agnoſcit autem Galenus & ob profluuiũ ſanguinis, & ob vigilias immodicas oriri poſſe deſipientiam: ita vt quæ ob profluuium iſtud fiat, ab exhauſto ſit, quæ ob vigilias ab inanitione: quanquam fieri poſſit vt immodicis vigiliis ſanguis bilioſus redditus, aut bilis ſiccior ac æſtuantior principiũ, cauſamque det illi deſipientiæ. Hæc Galenus; & nos id experientiâ obſeruauimus. Nam ad ripam Sequanæ quidam cùm menſes quatuor febre quartanâ erraticâ que laboraſſet, emacia-

lib 7.

Com. 1. apho. 18. lib. 7.

tus planè, squalidus cœpit tantisper desipere, delirare, crebrò resurgere, & inde cataphorâ seu catalepsi prehēsus, quâ interiit. An credibile ista omnia symptomata à repletione esse, cùm ita corpus totum contabuisset & emacruisset? Hoc Rondeletius diligens rerum obseruator annotauit, scribens Caron, Cataphoran ἐγκατάληψιν in febres tertianas longas, in quartanas incidere. Item in suburbio Sancti Victorij iuuenis febre malignâ satis decubuit: sexto die sanguis cœpit affatim fluere, vix ac ne vix sisti potuit: Ab eo singultus successit (dubitabant an ab inanitione, an à grumo sanguinis in ventriculum delapsi) cœpit tremere, delirare, desipere. Num & tremor, & desipientia ab exhausto contigit? Immò (quod ab instituto non alienum, & Hippocrates ipse non veritus, sæpe loquendi vulgares formulas proferre, vt id quod dicitur sensus nostros feriret magis) vulgò iampridem persuasum est, deliria ab inanito fieri posse. Cùm enim in inedia quendam mente aberrare vident, dicunt propterea delirare quòd hinc cerebrum vacuum sit; ita enim vocant. Et id verisimile est admodum. Propterea hallucinantur, cæló que toto errant, qui in talibus deliriis ad hieram diacolocyntidos, ad confectum de dactylis, & alia id genus valida medicamenta concurrunt. Ergo singultus ab inanitione est. Nec falli oportet in febribus longis in quibus oboritur cùm hepar præcalidum est & siccatur: quod dum fit, tenue serum resudat ab hepate, feritque ventriculum, hinc singultus nata occasio. Ob hepatis autem inflammationem patientis viciniam singultum oriri, eumque ad repletionem referri posse, ex Hippocrate potest colligi. Huius verba sunt: *In hepatis inflammatione*

Apho. 17 lib. 7.

singultus, malum. Et alio loco: *Iecoris inflammationem patienti singultus superuenit.* Galenus singultum esse ἐπιγενόμενον scribit, id

Aph. 58. lib. 5.

est, auctioris mali occasione fit. Huius rationem reddit, quia propter neruorum communicationem ventriculus patitur, non semper quidem, sed cùm iecur ad maximam attollitur inflam-

Com. in apho. 58. lib. 5.

mationem, iisdem penè verbis alio in commentario vtitur: Singultus fit non quomodocumque affecto hepate, nec semper, sed cum feruente inflammatione ad magnitudinem attollitur. Sic oportet & maximam & pessimam esse inflammationem, ait

Com. in apho 17. lib. 7.

Galenus. Sed hîc magna difficultas oboritur, & non negligenda; An læsio ventriculi ex qua singultus oritur, sequatur ob tumorem, & ratione tumoris ob pressum ventriculi ab hepate

elato

elato, crassefactóque & intumescente; quod Galenus paulò antè dicebat, cùm ad elationem in magnitudinem recurrebat: An verò fiat non ratione pressus & tumoris, sed quia acer ichor & serum biliosum à parte inflammata resudet, feriátque os superius ventriculi? Quid hîc dicam nescio, nam paulò antè huius rei causam assignat inflationem tumoremque iecinoris, idque ex sua sententia: paulò post tamen id ex veterum tantùm opinione constituit. Verba sunt: *Nonnulli putant magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac singultum facere, nequeunte spiritu exire.* Hanc sententiam non valdè videtur probare: nec verisimile est ob spiritus interclusionem hoc symptoma aduenire. Sic eam quidem sententiã probare quidem potest quatenus dicit præ tumoris magnitudine ventriculum offendi, & inde ad singultiendum impelli, non autem quòd spiritus via intercipiatur. Posteriorem autem rationem quâ nitebamur docere ab humore tenui & bilioso resudante ab hepate inflammato singultum excitari, ipsemet Galenus astruit commẽtario prædicto. *Et quidem bile* (ait Galenus) *satis calida & multa in hepatis inflammatione genita, confluentéque ad intestinorum principium & superfluente, necnon ad ventriculum recurrente os ipsius morderi cõtingit, & ita singultum nasci.* Quod probabilius multò videtur. Atque ita in inflãmatione hepatis tribus de causis potest singultus oboriri, ob pressum ventriculi à tumore ob inflammationem excitato: (at sine tumore in iis quibus feruet hepar nasci potest: nec in inflammatione, credibile est ita in magnitudinem hepar attolli, vt pressum commemorabilem afferat.) Secundâ ratione ob ichorem qui ab omni parte inflammata transsumitur: vt in inflammatione membranæ costis obtentæ tussicula oboritur, transsumpto ichore à parte deflagrante.

Tertiâ ratione ob generationem bilis, quæ cùm redundet, refluit ad ventriculum, ibíque id symptomatis solet promouere. Quartam Philotheus rationem addit minus reliquis probabilem. Ideò enim ait singultum inflammationis hepaticæ sobolem esse, præsertim si concauas occupet, & ingens fuerit, quòd ea magna inflammatio humores à ventriculo vicino trahat, & sic exhauriat illum, quo exhausto singultus ab inanitione insequitur. Progressu quidem temporis hoc fieri potest: Sed respondeat Philotheus quî fiat vt tam breuì singultus ab inanitione ob viciniam inflammati hepatis sequatur. Hepatitis enim

morbus acutus eſt, & intra paucos dies necat: immò initio etiã ἡπατίτιδος poteſt naſci ſingultus, cùm non ſit probabile ab exhauſto tam breui ventriculum laborare. Quæ duæ rationes à nobis productæ, confictæque, tolerabiliter videntur infringere ac labefactare opinionem Philothei. Addi & poteſt hęc, cur in ſumma fame in qua ſuctionis ſenſus eſt, non adeſt ſingultus? Eſt enim probabile ſi hepar deflagrans exhauriat, & citò ſingultum afferat, vt in exacta inedia idem contingat. Nam poteſt reſpondere Philotheus id quod ſcriptum eſt apud Galenum cap. 3. lib. 6. de locis malè affectis, cùm diſtinguit diabeten à canina appetentia. In canina appetentia vitium ſtatim deprehenditur, & vis, quia in animali parte id fit: in diabete autem non item, quia fit in parte naturali quæ ſui mali ſenſum non habet vt & ventriculus: poteſt, inquam, reſpondere illam exquiſiti ſenſus facultatem quâ donatus eſt ventriculus ob neruorum propagines multiplices, in cauſa eſſe cur penuriam, ſuctum, emunctionemque, vt ita loquar, & minimam & ſtatim percipiat. Vnde fit vt in ſimis exiſtente inflammatione, eáque magna & commemorabili, derepente pars calida trahat, calfaciat, exorbeat: eáque ſubita mutatio, & veluti ἀθρόως facta, ſingultui occaſionem dat. At verò fames, quia non ſubitam affert mutationem, non ita ſingultum affert: ſuctionis quidem ſenſum inducit, ſed nõ aliud ſymptoma: niſi quòd quidam conuulſi ſint aliquando, ſed id referunt ad bilem quæ ferit in ieiunitate & inedia, ſuperius orificium ventriculi.

Porrò ſi inanitio ſingultum efficit, cur qui tabidi, aut hectici moriuntur ſingultiendi finem non faciunt cùm ab exhauſto laborent? Et quibus aluus immodicè fluit, aut ſanguis fluxit immodicus, contingit ſingultus & conuulſio propriè dicta: Sed qui ſæpe tabuerunt, non priùs ſingultiunt quàm dum iam iam ſunt animam acturi; vnde vulgus extremum ſingultum aptè ſatis appellat, quaſi naturâ non perſentiente inanitionem præcedentem vt quæ ſenſim fieret: ſed iam iam pereunte facultate naturali ſingultus excitatur? Quæſtio hęc difficillima eſt, & commentatione digniſſima, vt quæ intellecta perſpectáque non minùs autoritatis pondere quàm vtilitatis vbertate, iactationem in populo ſit habitura. Cùm repletio eſt aliqua, aut venenata aura, aut acre quippiam in ore

ventriculi, aut inhærens tunicis ventriculi, non dubiũ quin legitimâ ratione ventriculus ipſe moleſtias depellere annitens, in ſe ipſe conuellatur, ſingultumque efficiat conuulſionis propriè dictæ æmulum. Sed quo modo præeunte inſigni aliquâ euacuatione ſingultus ab inanitione fiat maiore quæſtione dignum eſt. Nam, vt antè commentabamur, ſi inanitio conuulſionem afferat in corpore vniuerſo, & ſingultum in ventriculo, cur in hecticis in quibus extenuationis ſumma ſunt omnia, & ſumma inanitio, propalam explicatur, frequẽtes ſingultus non adſunt? Primum hæc de conuulſione & ſingultu diſputatio ſatius poteſt explicari: deinde in anguſtius cogi ac redigi. Nam & contra Galenum olim à ſubtiliſſimis rerum indagatoribus diſputatum eſt, vt conficeretur inanitionem ipſius conuulſionis cauſam non eſſe. Ratio autem potior illorum erat illa quam expoſuimus, nimirũ quod emaciatos & à morbo tabefactos ac colliquefactos conuulſionibus exerceri oporteret: quod non vſu-venit, niſi quòd complicatum ſit coniunctumque cum ipſo marcore quod partibus conuulſionem afferat. Atque huic obiectioni ita ſolutionem opponunt: Vt morbus fiat, oportet mutationem fieri ſubitam καὶ ἀθρόαν; quæ enim lentè καὶ τὰ μέρος fiunt, id eſt paulatim, pigróque greſſu, ea non imprimunt quid corpori, nec mutationem alterationemve effatu dignam afferunt: vt propterèa conuellendi occaſio non adſit, tametſi ea emaciatio tabéſque reciprocè cum inanitione coeat; id eſt, tabes & carnium collapſus & marcor ad inanitionem referatur. Sed cùm fortè fortunâ, aut criticè, aut aliâ vllâ ratione profunditur aluus, aut ſanguis, aut euacuatio aliqua ἀποκαθαρτικὴ contingit, è regione adeſt ſingultus, aut conuulſio aliqua, quæ hominem ſic repentè & affatim euacuatum adoritur. Et hac maximè ratione ſingultus ſequitur ob inanitionem. Quanquam duorum alterum eſſe, aut vtrumque neceſſe eſt, vel vt ventriculus minimam inanitionem ſui ſentiens tanquam quòd ſibi moleſtum ſingultiat, vel quod tametſi inanitio ventriculum ipſum non attingat, tamen ex euentu ſenſum habet inanitionis aliarum partium. Quod ad prius attinet, fieri poteſt vt quia animalis ſenſus eſt in ventriculo, minimã læſionem ſentiat ventriculus, in ceteris partibus idem non contingit, quòd is ſenſus animalis non ita inſit. Quod fuit

argumentum Galeni in libris de locis affectis, dum probaret cur caninæ appetentiæ singula momēta, vires, & tempora perciperentur: ipsius autem diabetæ non item. Nam cùm animale munus obitur exactè in parte aliqua, minimâ oblatâ occasione rei tristis sensio percipitur. Sed hîc quærat cur in inedia non conuellatur ventriculus ratione exhausti, si minimæ rei tristis sensio insit ventriculo? De posteriore ita nos statuemus. Ex euentu inanitionem aliarum partium ventriculus præsentit, subodoraturque, quòd tanquam in chorea fiat partium harum & illarum attractio, deinde attractio suctum inducit, & suctus suctionis sensum: cuius cùm tota ratio in ventriculo ipso versetur, non est dubium si potest aliarum partium penuriam sentire. Accedit quod inanitio ipsa attingat quoque ventriculum ipsum, sed non ita vt & ceteras partes. Nam si marcor, macies, & exhaustum eodem modo & gradu ventriculum ipsum attingeret quo & partes ceteras, fieri non posset vt animans subsisteret. Propterea in corde natura aquosum quid in pericardio cōstituit, vt & si totum corpus deflagraret, haberet tamen cor tanquam vltimò moriens quo sese sustentaret, & à tam subita deflagratione vindicaret. Ita & in vētriculo semper est aliquid pingue, muccosum, offarciens rugas & parietes ventriculi, vt minimè sentiat damnum: accedit quod si qua alia pars ingestorum gratiam recipit, ventriculus est maximè.

Sed hæc tam accurata exactáque vix conferunt ad curandū. Tamen magni interest scire in singultu quid agat, quid patiatur, quæ causa, ne temerè singultum ab inanitione, pro singultu à repletione accipiamus. Plurimùm autem refert ad Therapiam an hic aut ille sit singultus.

ANNOTATIONES.

Idem fortè dici potest de singultu & conuulsione, quod & de dolore capitis. Nam dolor capitis fit aliquando per sympathiam absolutam, vt cùm neruo læso statim cerebrum compatitur sympathiâ absolutâ. nec enim vapor, nec materia vlla intercedit ad talem affectum committendum. Ita quoque est quædam conuulsio & singultus, qui nec repletionem, nec inanitionem, quæ sunt perspicuæ causæ, agnoscit; sed absolutè fit, per modum quemdam vix exprimibilem, vt sic loquar.

2. *Cùm & desipientia, & singultus, & conuulsio ab inanitione fiat,*

malè cùm aliquis talis affectus contingit, statim recurrunt Medici ad attenuantia & calefacientia. In quo aberratur: & talem errorem conuincit Galenus lib. 11. Simplic. cap. de castoreo.

3. *Lib. 1. Epidemior. meorum obseruaui ex sententia Hippocratis, medicamentum irritum & inutile posse huiusmodi symptomata excitare. quod notandum est. Item filius domini Pouart Regij in Camera computorum Auditoris, cùm bimestri tertianâ laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, cùm cælum incanduisset paulùm, datur medicamentum, cui indormiendum imprudens Pharmacopœus censuit. Medicamentum inane fuit. Mouit, nil exclusit. Ab eo tempore vix febris expers. De dolore capitis, de quo priùs non conquerebatur, queritur. Dum paroxysmus repetit repentè* ἄφωνος *fit, elatis in cerebrum vaporibus, immò & febre ipsâ iam cerebrum occupante (vnde caloris acerrimi sensus apparebat) ac si febris esset capitalis, (vt sic loquar.) Per viginti quatuor horas* ἄφωνος *ferè fuit, &* κάτοχος *eum prehenderat. Virtus erat debilis. Nil natura præstitit, quamuis irritata. Conuulsus interiit. In cerebro nil deprehensum. Venæ intumuerant parum. Vi febris interiit obsesso cerebro quoque, vt intereà non esset flabellatio cordis ob respirationem non liberam. Si enim sanis cùm dolores capitis derepente oriuntur, ij muti fiũt, & apoplectici moriuntur, quid non eueniet simile ægris?* Aphorism. 51. lib. 6. *Ad illum locum Rondeletij allegatum addi potest quod scribit Hippocrates lib. 4. Epidemiorum, vbi notat quartanam febrem tum cessauisse cùm homo factus esset* τυφώδης, aut τυφλώδης. *Immò commemorabilis est locus Comment. in historiam de Pythione histor. 1. lib. 3. Epid. vbi dicebant Interpretes Hippocratis Pythionem delirasse quòd à venere abstinuisset multo genito ac congesto semine, quod obruendo cerebrum delirij causa foret, eo modo quo in apertione capitis pressus manuum cerebrum offendit. At Galenus refutat hanc opinionem, putatque oppreßionẽ cerebri, siue sit cum humore, siue à manu, siue à terebra, aut alio modo, non causam esse delirij, sed potiùs affectionis cuiusdam apoplecticæ ac comatosæ. Qui locus præclarus est, vt scias delirium & desipientiam aut ab exhausto esse potiùs, aut ab humore non tam quantitate quàm qualitate peccante.*

CONSILIVM LIX.

De febre purpurata.

IOANNES Dodeuars in regiis negotiis quæ ad rem bellicam pertinerent occupari ſolitus, dum circa menſem Octobrem infinitum prope iter velociſſimorum equorũ curſu demetitur, ac conficit, Lutetiæ in morbũ grauẽ incidit. Et vt homo erat acutus, agilis, expeditus, multa animo ac cogitatione verſans, bilioſus, iraſci facilis, ita ſuæ naturæ congenerem in morbum præceps ruit. In hoc ægro fortè nos longiùs prouehi oporteret, quàm ratio propoſita poſtularet. Nam admirabilis rerum trahere nos poteſt ordo, ſi ſingulorum vim explicare institutum eſſet quæ in morbo contigerunt. Cùm itaque diu & noctu laboribus penè confectus fuiſſet, cùm quieſcere cœpit, eum cum leui horrore febris prehendit, noctem inſomnem duxit: deinde magna liquidorum excrementorum copia, nil autem craſſum excretum eſt: nauſeę frequentes: paulùm quieuit nó nullis ſuprà infráve excretis. Febris cœpit increſcere, iactationes & vacuitas ſomni, dolores ad regionem ventriculi & lienis, vrinæ ardentes quodammodo vineę, aut vino giluo dilutæ, aliquando mali aurei colorem non ita ſaturum referebant. Crudæ: ſitis inexhauſta, etſi cyathos duos aut tres aquæ hauſiſſet, ſiccauiſſetque, ne minimum tamen refrigerij hoc afferre videbatur, ac ſi in ardentem fornacem iniectum id eſſet. Animi defectiones, prælertim cùm reſurgere vellet, omnium artuum confractio & laſſitudo mixta ex phlegmonoſa & tenſiua: & quod mirum fuit, intercalaris pulſus erat, intermiſſio, inæqualitas, & ea intermiſſio in multis pulſationibus apparebat. Tertio die ſiniſtrum crus puſtulis rubeis humilibus maculatum erat, quod nobis terrori fuit. Sed hoc ſibi familiare eſſe nuntiauit. Febris eundem typum non ſeruabat: noctes aliæ aliis erant moleſtiores. Medicamenta quæ initio exhibita ſunt, educebant aliquid ſubrubeum, ſubflauum, ſed paucum, & non niſi magna vi. Omnia cruda erant, & niſi moræ impatiens fuiſſet, medicisque vim quodammodo afferret, vt morbum primo quoque tẽpore oppugnarent, incumbendum tantùm fuiſſet coctioni, ne-

gotiumque naturæ totum committi credique debuisset. Sed & venam secare, & purgare coacti fuimus, idque frustrà, cùm nos videremus nihilomagis è re ægri esse. Sed satis ægri fuit faciundum importunitati. Morbus longus fuit admodùm, nec ante tres menses sibi restitui visus est. Notandum intereà rigētem hyemem quæ tunc si aliàs vnquam sæuiisset, ad morbum producendum attulisse plurimùm, quod & meatus occluderentur, & materia contumacior redderetur. Accedit quod nisi ita initio materia cruda iactata fuisset, meliùs actum fuisset cum ægro. Eum in quartanam casurum sperabamus, & quòd illo tēpore magna quartanarum febrium copia in populo iactabat sese, tum quòd de liene quereretur. Tertio, quòd expulsis symptomaticè iis quæ liquidiora forent, remaneret materia incinerata, vt vocant Practici, adustáque quæ cunctando putredinem accerseret, & ægrum nostrum febre quartanâ cumularet. Nec longè à vero aberrauimus; nam tres aut quatuor paroxysmi quartani illum oppresserunt.

Hîc multa considerari possunt, quorum explicatio vtilitatis vbertate sit nos delectatura. Primum ex historia morbi, & excretis innotescere potuit id quod principio erat implicitum ac inuolutum, nimirum quæ morbi species, & à qua causa. Secundo vnde ista extimarum perfrigeratio fugax aliquando: leipothymiæ, æstus ingens & nullâ ratione extinguendus: pulsus in homine iuuene inæqualitas, & intercalaris quædam intermissio, quæ periculo non carebat. Lassitudo ista, iactationes, dolor ad lienem, vrinæ quales descripsimus. Quæ omnia sigillatim explicabuntur. Id quod maximè nobis terrori fuit, pulsus inæqualitas, & intercalaris intermissio in vna pulsatione erat, initio quidem ordinata quodammodo erat: recreatis verò viribus inordinata extitit. At satius est multò in rhythmo isto vitiosam inæqualitatem ordinatam non esse. Vt enim in rebus è natura ordo quippiam habet laudis & præstantiæ: ita in rebus contra naturam, non potest non ad malum apparere. Causa autem quæ nos hîc commouerit atque perturbarit, est quod nos legissemus aliquando apud Galenum & inæqualitatem in pulsibus malam esse, & hac deteriorem intermissionem. Fernelius scribit periculosissimam esse pulsus intermissionem in iuuenibus, minùs in pueris, minimè in senibus. Tamen ait aut ex arteriarum obstructione ortam, aut asthmate, aut diuturno affectu,

Ca... lib. ... thol...

non ita exitialem esse iuuenibus. Ex vnius pulsus intermissio
multi senes ac pueri euaserunt; iuuenum nullus, ait: quæ p
gnantia videntur. Nam aut ex asthmate, aut arteriarum obst
ctione, aut affectu aliquo longo (præsertim minimè aduersa v
letudine) dixit intermissionem non esse lethalem. Sed cùm
quitur de bona valetudine præsente, quæstionem videtur d
mere. Si enim in ceteris satis robustus & magnus sit pulsus, n
dubium quin intermissio aliqua non ita periculum creet: se
pulsus paruus, languidus, inæqualis, & auctariò accedat inte
missio, quæ spes esse possit? Galenus cap. 4. lib. 2 de præsag.
pulsibus, de pulsuum inæqualitate multa, eáque præclara: p
mumque statuit aut in vna pulsatione obseruandam esse in
qualitatē, aut in multis quòd (ἄθροισμα vocatur ἢ συστηματικὸν) aliq
in vno pulsu inæqualitatē deteriorem esse eâ quæ in aceruo
cumulo fit. Differunt autem inęqualitas & intermissio cùm
ad illam referatur. Quod Galenus docet cùm scribit: *Peric*
sum est omninò non moueri arteriam, quod διαλείπειν *dicitur: quod si*
alia species inæqualitatis adest, periculosum esse dicitur. Interp
grammaticè tantùm & obscurè locum illum vertit: ac prim
ex alio loco inæqualitatis pulsus causas repetit oppilation
compressionem instrumenti, humorum copiam collatione
ctâ cum facultate, cordis intemperiem inæqualem. In gen
igitur hæ inæqualitatis causæ statuuntor. [4] Intermissio aut
pulsus agnoscit causam suæ facultatis à copia humorum
pressionem, eiusdem impedimentum quominus motum
pore suo auspicetur, idque aut ob crassitudinem, aut oppila
humorum vnde oscillorum cordi vicinarum arteriarum
tur obstructio. Item sępè oscillis illis offunditur materia
vinculi modo intercipit motum. Interdum inflammatio
scirrhi, tumoresque partium quibus arteriæ infixę sunt, im
diunt ne liberè dilatentur, vnde motus intermissio nonnu
Vnde in syncopis & palpitationibus cordis hę intermissio
parent: si quid enim tunicis arteriarum, aut cordis ipsius corp
ri altè defixum fuerit, in propinquo mors, intemperies in
qualis cordis intermissionis causa vna non ita perniciosa
Hæc enim inęqualitatem potiùs parere nata est, quæ in
bus febribus putridis maximè conspicua est. Galenus lib.
febribus quod ad hunc locum maximè pertinet in febribus
tridis agnoscit duo quę propria sunt, non tamen inseparab

Lib. 2. de cau. puls.

Cap. 9. lib. 1.

σφυγμῶ θλίψιν, coarctationē pulsus appello, & ἀνωμαλίαν, inęqualitatē, accedit tertium ἐπιπαροξύνεσθαι, id est, repetere, geminare, annotationem nouam habere febrem, cùm videlicet accessione iam vigorem aut suum crementum assecuta, rigoris sensus quidam excitatur ac si postliminiò noua accessio succederet. Quod in febribus putridis multis conspicitur: & nos anno 1572. totâ hyeme, & 1573 toto tempore verno & æstate quæ naturam indolémque hyemis, aut potiùs autumni referret id in innumeris, prælertimque in mulieribus obseruauimus. Quod non aliūde contigisse suspicio fuit, quàm ob materiæ inæqualitatem quæ difficultatē pepasmi afferre solet. Græcis illud ἐπιπαροξύνεσθαι dicitur accommodato satis vocabulo. At θλίψις fit ob copiam materiæ quæ facultatem in aliquas angustias cogens pulsus coarctationem angustiamque facit. Ἀνωμαλία proprium quidem est febrium putridarum, siue illa in calore, siue in pulsu spectetur. In pulsu quidem ob fuliginosorum putriumque vaporum cor petentium copiam. Galenus autem illo loco ait, sæpe in ipso ore ventriculi collecto quodam prauo humore mordaci aut frigido paruitatem inæqualitatemque pulsus inuehit: & cùm in principiis paroxysmorum viridium humorum eructatio in os ventriculi contingat, vnde nauseæ & vomitiones; mirum non est si affecto ore ventriculi pulsus sit ἀνώμαλος. Paruitatem quidem cum quadam inæqualitate, cùm frigidus est humor: sin acer & mordax humor est, inæqualitas paruitatem pulsus exuperabit. Quod notandum est, ne temerè initio morborum siue adsit febris, siue non adsit, obseruatâ aut inæqualitate, aut intermissione quadam ad venenum aut θεῖόν τι recurramus, magnū aliquid nos dicturos rati si diuinitatem quandam in morbo hoc aut illo dixerimus esse. At sæpè vna ventriculi oris superioris obsidio propter contumaciter adhærens aliquid pituitosum illi parti, hoc symptomaton genus iuniores & inexpertos Medicos perterrefaciens inuehit: maximè verò si pituitosa materia circum partes has accendatur, contumaci manente materiâ. Nam quandam τύφου speciem inducit.

Nunc ad intermissionem reuertamur. Aliquando intermittit pulsus tantùm quantùm temporis esse possit in alia promouenda pulsatione, aliquando intermittit diutiùs, & per duorum pulsuum tempus. Hoc posterius funestum est, nec ab eo quisquam conualuit. Per tempus verò totum vnius pulsus, aut pau-

lò diutiùs intermiſſionem factam ſæpe in pleriſque qui conua-
luerint obſeruauit Galenus, præſertim ſi iam affectâ ætate, aut
præcipitati ſenes eſſent. Quod minùs mirum in ſenibus, ta-
metſi periculoſum eſſe videatur iam ipſam ob ætatem ad vie-
tam facultatem accedere iſtam intermiſſionem à morbo. Sed,
quod notandum, adductis ſenibus, & iis quos valetudinarios
vocamus, docet à magnis cauſis valentes de ſanitatis gradu
deiici, quod cùm contigerit, periculoſiùs ægrotant. At imbe-
cilli & ſenes minimâ etiam occaſione aut morbo occupantur,
aut intermiſſio pulſus eis accidit, quod minùs in his mirum vi-
deri debet. Itaque ab intermiſſione pulſus pueri & ſenes non
intereunt, iuuenes intereunt: niſi fortè iuuenes illi imbecilli
naturâ ſint, & ſenes validi; nam tunc facilè decipi poſſumus. Il-
lud enim notum ex Hippocrate, *Qui laboribus aſſuefacti fuerint,
licèt aut ſenes aut imbecilli ſint, non conſuetis licèt validis ac iunioribus,
alacriùs ferunt.* Itaque eſt vbi in iuuene imbecillo minùs ſit for-
midabilis pulſus intermiſſio, quàm in ſene robuſtiore. De pue-
ris ac ſenibus quod ipſe obſeruaui, dicam. Carpentarius qui-
dam nomine Gilet annos pene 78 natus, imbecillis pulmoni-
bus ac purulentis, vt fidem euentus fecit, crudeli ſatis pleuriti-
de detentus iacebat. Inæqualis pulſus & intermittens quod no-
bis non mediocrem metum incuſſit. Iſta anomalia perſeuera-
bat: ſæpe medendi fiduciam quam habebamus per ſectionem
venæ repetitam, vt ferè fit, minuit iſta intermiſſio. Tamen iſta
quam adduximus opinione audacior erectiorque factus, ve-
nam ter quaterque ſecui, conualuit. [6] Intermiſſio hæc ab æta-
te erat, iuuante quoque duritie pulſus, tum ratione inflamma-
tionis, tum duritiei vaſorum. Quod animum addidit vt etiam-
num in iſta anomalia ſecuriores eſſemus, erat pulſus magnitu-
do. Si enim ad intermiſſionem pulſus crebritas cum paruitate
accedat, anguſtior longè ſpes eſt. In pictore Petro Dangers
obſeruauimus perſpicuam pulſus intermiſſionem in magna af-
fatimque facta deſtillatione: hoc illi familiare eſt; & tandem
deprehendimus duabus de cauſis hoc illi vſu venire etiam cùm
primùm incipit ægrotare. [7] Prior eſt illi connata ſuperioris ori-
ficij ventriculi infirmitas, vt minima etiam occaſione in leipo-
thymiam deliquiumque animi præceps ruat: ſed pane in vino
infriato in os iniecto ſtatim recreatur. Poſterior eſt ingens
copia materiæ pituitoſæ & frigidæ à cerebro imbecillo facto

Aph. 49. lib 2.

deorsum modioli continenter illabente. Reiectâ enim vomitione materia multa statim priores vires recuperat. Et nos illũ nouimus à grauibus funestisque morbis quibus sæpe subiacet, defunctum superstitemque euasisse. In D. Barthelemy iam grandi ætate eadem à nobis pulsus inæqualitas & intermissio, cum magnitudine tamen obseruata est sæpè, integris satis viribus, & corpus alacre ad surgendum. Et quod mirum est, sæpe de industria in molliusculis pueris istam inæqualitatem conspicuam vidimus, præsertim cùm dormirent.

Ac de inæqualitate pulsus non modò in multis pulsationibus, sed in vna pulsatione, quod longè deterius esse paulò antè dictum est. Extat historia apud Galenum de Antipatro, cui inæqualis pulsus erat admodum, cùm tamen anhelosus non esset. Et tandem argumentis coniecturisque est assecutus Galenus leues pulmonum arterias infarctas obstructasque esse. Quæ cùm plerique Medici agnouerint inuento quodã de pulsus inæqualitate conquerenti, non temerè de morte repentina pronuntiabunt, sed diligenter causis rei eius indagatis, aliis securitatem prędicent, perniciem aliis minabuntur. Et quoniam locus postulat vt mentione de pulsu factâ (cuius cognitionem soli Deo & Galeno Gordonius ille vir bonus & candidus tribuit) de speciebus quippiam dicatur, non erit alienum ab instituto paulò apertiùs de re disputare.

Cap. vlt. lib. 4. de loc. aff.

In pulsibus quinque obseruari volunt; motum, quietem, dilatationem arteriæ, ictum, corpus. Ac ratione motus differentiæ hæ obseruantur; celeritas, tarditas. Ratione quietis, frequens, rarus. Natura non potest duos motus contrarios moliri quin sit interiecta quies aliqua. Galenus autem quietem distinguit in internam & externam: Ratione dilatationis, paruitas & magnitudo in pulsibus obseruatur: Ratione ictus, qui & à nonnullis occursus dicitur, imbecillitas seu remissio, & fortitudo siue vehementia spectatur. Ratione corporis ipsius arteriæ, plenitudo & durities (quanquam durities sine plenitudine esse possit, vt in hecticis annotauit Galenus lib. 1. de diff. febriũ) vacuitas & mollities. Hinc constitutæ sunt differentiæ in pulsibus,

Quinque in pulsu obseruãda.

Ratione motus,	celer, tardus,	Ratione dilatationis,	magnus, paruus.
Ratione quietis,	frequens, rardus.	Ratione ictus,	imbecillus, seu remissus, fortis, vehemens.

Ratione corporis { plenus, durus. vacuus, mollis.

Porrò in corpore arteriæ vel consideramus trinam dimensionem, vel corpus ipsum per se. Si priore modo, pulsum latum angustum statuemus, profundum humilem, longum breuem. Si autem posteriore modo duritiem seu plenitudinem spectamus, vnde pulsus plenus & durus, & vacuitatem seu mollitiem, vnde pulsus vacuus & mollis. In dilatatione autem magnitudinem & paruitatem considerandam diximus, quò pertinet obseruatio trium dimensionum. Nam magnus dicitur pulsus qui longus, latus, profundus simul est. Sed hoc ad corpus arteriæ referri potest, quatenus in hoc trinam dimensionem spectari diximus. A rhythmo differentiæ duci possunt, vt cùm pulsus non est secundùm ætatem, sexum laborantis, tempus. Innumera alia hoc loco considerari possunt, quæ quoniam à Galeno pertractata sunt abundè, horum diffusiore explicatione supersedendum videatur.

[9] Secundum verò quod à nobis in hoc ægro est obseruatum, fuit partium extimarũ perfrigeratio fugax: quæ reuerà in morbis diligenter obseruanda est. nam partium extimarum frigus quoddam est positiuum, sed periodicum, vt initio paroxysmorum, & tale frigus minimè est pertimescendum: contrà verò timendum est in inflammationibus partium internarum cùm calor intrò reuocatur, vt in Aphorism. explicat Galen. [10] Aliud frigus est veluti priuatiuum per quandam extinctionem caloris naturalis: & bifariam apparet; priore modo in morituris, cùm partes liuent iam per necrosin partium frigus quoddam est priuatiuum: Aliud autẽ frigus, non quin partes non calfiant (quod Hippocrates ἀναθερμαίνεσθαι vocat) sed calefactio ista à calore febrili est. Victo autem naturali temperatóque calore partes refrigerantur, & tamen caloris febrilis fauorem nonnullũ percipiunt. De quo frigore iuxta ac colore reciproco dictum est ab Hippocrate: *Summæ corporis partes si celeriter in vtrumque mutentur, malum*. Nec abs re addit *celeriter;* vt vitetur obiectio de hyeme, & calore æstiuo. nam in illa extimæ partes refrigerantur, sed non citò calfiunt. *Sed in morbis malignis*, ait Galen. in comment. *vna etiam hora mutatio ad contraria percipitur: Contingit autem ea mutatio cùm partes extimæ propriam caliditatem non habuerint, sed à calore febrili calfiunt, qui à centro corporis incipiens, flammæque similis corpus depascens extrema concalfacit: & cùm ille febrilis calor transpirauerit, refrigerantur extinctâ scilicet propriâ caliditate.* Et illic est frigus pri-

Part. 8. sect. 2 lib Prorrhet.

uatiuum: non tale quale in morte, ſed proximè accedens. De eodem frigore dictum eſt à Galeno in hiſtoria de Pythione. Nam primo die ingens febris erat & æſtus: ſecundo autem ei partes extimæ refrixerunt, pręſertim manus & caput, & erat βραχύπνους, ad verbum *breui-ſpirus*, cui conſentit quod & octauo die contigit; nam dicit, *ſpiritus exilis & imminutus*. Si itaque febris erat acuta, cur frequens & magnus non erat ſpiritus? ſaltem ſi frequens ſit & breuis, dolorem ſignificat ſupra ſeptum tranſuerſum: ſed ſi frequens & breuis, malus; deterior ſi rarus & breuis, ſiue paruus; qui ſi cum reſpiratione quadam ſiue potiùs expiratione frigida ſit, iam facultas vitalis emoritur: In acuta paruus rarus, qui βραχυπνοίας nomine includitur, peſſimum ſignũ eſt. Hoc explicat Galenus commentario illo in hiſtoriam de Pythione, his verbis; *Cauſa cur cùm primo die acuta febris fuerit, ſecundo breuem ſpiritum ducat, eſt, quod primo die calor febrilis per putreſcentes humores accenſus ipſe digeratur; calor autem naturalis adeò infirmus relinquatur, vt iam priùs extinguatur, quàm febrilis de integro accendatur, velut iam feruefactis, qui cõputreſcerent, ſuccis.* Sic ſecũdâ die dominantis frigoris ſignum eſt maximum. Quo ex loco patet refrigerationem partium extimarum per extinctionem caloris naturalis contingere. Atque hoc loco quæſtio digniſſima cognitu poni poteſt, Si mutatio in calidum & frigidum partium extimarum adeò pernicioſa eſt, vt ante ex lib. 2. Prorrh. docuimus, cur non æquè in malis ducenda mutatio in vtrumque in corpore toto? At ex Aphoriſmis mutatio in corpore vniuerſo, vt corpus modò calfiat, modò refrigeretur, longitudinem tantùm morbi ſignificat, cur non & idem ſignificat partiũ extremarum μεταβολή? At antè docuimus aliquid multò grauiùs deſignare. Et verò probabilius eſt plus ſubeſſe periculi ſi ambigua iſta mutatio totum corpus attingat, quàm ſi partes tantùm extimas. Etenim etiam in bene habentibus facilè manus, pedes, naſus mutantur, non ita facilè corpus reliquum, ob ſubiecta viſcera calida. Quod ſi totum corpus modò calfiat, modò aliter afficiatur, non vacare videtur periculo. At ita reſpondere oportet: Cùm Hippocrates celerem partium extimarum in vtrumque mutationem damnat, id de febribus acutis intelligi debet, in quibus ſi omninò partes extimæ refrigerantur, reuocatio caloris ob phlegmonem viſceris ſignificatur: ſi verò in vtrumque partes mutentur, dominatus caloris febrilis ſignifi-

Hiſt. 2. ſect. 3. lib 3 Epid.

Aph. 40. lib. 4.

catur, & domatio extinctióque caloris blandi & naturalis. Ideò
cùm Galenus in Comment. in partic. illam 8. lib. 2 Prorrhet.
illam mutationem explicat, meminit febrium malignarum, vt-
pote in quibus peculiariter id ſymptoma contingat. Sed cùm
lib. 4 Aphoriſmor. totius corporis mutationes in calidum &
frigus damnat, reuerà non intelligit de febribus acutis. Nec
enim factâ mentione febris abſolutè enunciat mutationem iſtã
lõgitudinis morbi eſſe argumentũ. At ſi in acuto morbo cõtin-
geret, nõ eſt credibile lõgi morbi ſignũ eſſe, cùm id pugnet cũ
natura morbi acuti. Quod ſi mutatio in vtrũque toti corpori cõ-
ueniat, quis dubitat ad malum id nõ apparere in morbo acuto?
Immò fortè maiorem perniciem afferet quàm mutatio reci-
proca partium extimarum. Tamen κατ' ἐξοχὴν mutationis ſigna in
partibus maximè extimis apparent, ideò illarum Hippocrates
præcipuè meminiſſe ſolet. In febribus autem non acutis, aut
aliis morbis totius corporis mutatio longitudinem morbi deſi-
gnat, ob materiæ ἑτερογενοῦς diuerſitatem. Quod videmus vſuve-
nire in febribus cum catarrho iunctis, in quibus ſenſum caloris
modò habent ægri, modò ſenſum frigoris, non modò in parti-
bus corporis extimis, ſed etiam in toto corpore ipſo. Item in
febribus epialis non ſolùm eſt ſenſio caloris & frigoris ſimul,
in quo Epiali natura conſiſtit: ſed etiam mox calor percipitur,
mox frigus. [11] Præterea ex ſententia Galeni, quicunque ſunt
cacochymi, dum repentè incaleſcunt, horrore tenentur, necnõ
ſenſionem habent reciprocam caloris & frigoris: & tamen hęc
non ſignificant malum aliquod, ſed tantùm longitudinem mor-
bi. Ceterùm vt de mutatione iſta caloris & frigoris aliquid ſta-
tuatur, ſciendum idem eſſe iudicium de caloris & frigoris mu-
tatione, quod de frigidis ſudoribus, de quibus in Aphoriſmis.
Nam vt frigidi ſudores cum febre acuta perniciem ſignificant,
& in mitiori febre morbi diuturnitatem: ita & mutatio in vtrũ-
que ſiue ſit extimarum partium, ſiue totius corporis in acutis
morbis perniciosũ eſt quid: in aliis morbis aliud ſignificat. Sed
de viciſſitudine iſta caloris & frigoris, vnde, & quid ſignifi-
cet, antè dictum eſt pleniſſimè. De ea plura qui volet, eò
animum, ſéque ipſe conuertat. De laſſitudine quæ ægroto no-
ſtro aderat, ita dicere poſſumus: videbatur non eſſe ſpon-
tanea; ſiquidem labores quos ſummos pertulerat, eam laſ-
ſitudinem ſatis poterant inuehere, [12] tamen erat & alia quæ-
dam ſpecies ex iis laſſitudinibus quæ ſpontaneæ dicuntur. Ac

Conmi. part. 26. ſect 3. lib 6 Epid.

4. Apho.

primùm ſpontaneæ laſſitudines dicuntur ſponte natæ, nõ quòd non ſit cauſa aliqua, ſed cauſa intus latet aliqua laſſitudinis ſpecie ſeſe proferens; non autem procatarcticum quid habet: tametſi fortè ab extra aliquid peti poſſit: ſed tamen de eſſentia ipſius laſſitudinis non eſt. Ex libris ſanit. tuen. & Aphoriſmis, triplex eſt laſſitudo; vna tenſiua, vlceroſa altera, tertia phlegmonodes ex vtriſque orta. Tenſiua à plenitudine eſt, vlceroſa à cacochymia. Phlegmonoſa ab vtraque cauſa eſt, ex ſententia Galeni. Febris autem laborioſa aliquid aliud peculiare habet, vt ex eodem Galeno parêre poteſt. In hoc ægro noſtro erat laſſitudo quædam phlegmonoſa. & cùm is integrâ olim ſanitate fruitus eſſet, nonniſi magna de cauſa de ſanitatis ſtatione detrudi potuit; vnde mirum non fuit ſi morbus admodum longus & periculoſus fuerit: Et omnia initio ita cruda fuerunt, vt nil aggredi tentaréque auderemus. Tamen quoniam omnium minimè patiens erat æger, temerè ſecta vena, & multa tentata, quorum nullum melius fuiſſet attigiſſe, ſed negotij partem maximam naturæ commiſiſſe. Eductus ſanguis planè laudabilis: nihilò ſedatus æſtus. Quoniam prima regio humore bilioſo, craſſo & veluti ſanguineo aut prærubro erat offerta, cuius excluſionem facilem impediebat rigens hyems quæ tũc ſæuiebat. Quod nos terruit, fuit veluti cruris ſiniſtri maculæ ſubrubrę, verebamur ne exanthemata erũperent, ſiue ecthymata ab humoribus ſuperfluis & tenuibus, vt notat Galenus lib. 3. Epid. Quæ exanthemata in pleriſque ſunt ἐπίσημα μὴ κρίνοντα, vt ex hiſtoria de Sileno parêre poteſt. Cui cùm lethaliter ægrotanti papulæ rubentes, paruæ, varis ſimiles, nec abſceſſum facientes erupiſsẽt, naturâ morbo reluctante, tamen interiit. Et tamen ait Galenus in Comment. ea eruptio cauſa fuit cur nono die non interierit, cùm ei neceſſariò intereundum eſſet, ſed in diem vndecimum mors dilatata fuerit. Dolor ad lienem metum afferebat, ne illic abſceſſus fieret; tamen inflãmationis manifeſtæ argumenta nõ erant. Cauſam iſtius doloris ad longam equitationẽ referebamus, in qua ducuntur ilia, & anhelitus ſæpe interrumpitur: tametſi iſte dolor hypochondrij ſiniſtri nos in ſuſpicionem traheret latentis cuiuſdã mali; vt ſæpe in Epid. annotauit Hippocr. vt in hiſtoria de Sileno adducta paulò antè & alibi paſſim.

De intermiſſione, aut potiùs intercalari intermiſſione ita nos philoſophabamur. A pleriſque qui citatis velocibusque equis

Com. in aph. 5. lib 2.

Cap. 6. li. 3. ſanit. tuend.

Com. in part. 2. ſect. 4. li. 6. Epid.

Com. in aphor. 31. 32. 33 lib 4 Apho.

Com. in part. 51. ſect 3. lib 3 Epid. & part. 38. ſect. 2. lib. 1. Epid. hiſt. 2.

multum iter ocyſſimè feciſſent, accepimus ſe ſæpè cùm quieti ſe traderent, inæqualitatem iſtam in pulſu percepiſſe. Nam exercitatio immodica tandem accerſens κόπος aliud facit quàm mediocris: nam mediocris crebros, magnos & celeres pulſus facit; immodica autem, præſertim cùm ventum eſt ad reſolutionem aliquam, languidos, tardos & raros facit. Sic in iſto ægro animo voluebamus quí fieret vt præeunte tanto labore pulſus eſſet ſatis magnus & celer, cum ratione immodicæ exercitationis tardus imbecillúſque eſſe deberet. Hujus rei probabiles cauſæ fuerunt; Æſtus ingens celeritatem requirebat, & ętas hominis adhuc virilis impediebat quominus tarditas & imbecillitas in pulſu eſſet, cùm tamen ſatis eſſet cauſæ cur & paruus, & tardus, & rarus eſſet pulſus, pręſertim in tanta totius corporis agitatione immodica & veluti confractione. Sic æſtus ingens, ętas hominis pro paruo magnum, pro raro frequentem, pro tardo celerem ſatis pulſum induxerunt: ſed tamen cauſæ morbificę & laſſitudo & exercitatio immodica corpus frangés ſaltem inęqualitatis autor fuit: & natura retinuit celeritatem & magnitudinem, ſed à tot cauſis tentata non potuit efficere quin inæqualitas foret. Accedebat autem maximè obſidio oris ſuperioris ventriculi quod in iſto homine omnium maximè bilioſo exquiſiti erat ſenſus: & à bile immodica tentabatur, vnde καρδιωγμὸς frequens: & morbi euẽtus ſatis abundè docuit tanto æſtu & copiâ humoris bilioſi corpus occupatum fuiſſe, vt nil ſuprà. Docuimus autem antè (ni fallor) obſidionem oris ventriculi vel ab humore frigido, vel ab acri humore, aut ichore inæqualitatem in pulſu committere. Vnum престereà fuit quod terrorem attulerit, minxit ſæpe oleoſum, quod ſummo ęſtui interno acceptum ferebatur. Hiſtoria duodecima lib. 1. Epid. ſect. 3. Hippocrates meminit excretas eſſe vrinas oleoſas, quas in ; mortem ſignificare ait Galenus in Commentario. Tamen in 3. de morbis vulgaribus locus eſt præclarus, quo docet excretionem vrinarum oleoſarum malam quidem eſſe, ſed non perinde exitioſam, vt plerique autumant: multáque illic de vrinis oleoſis legere poſſis quæ in communem vſum afferri poſſunt, quoties illis de rebus erit cogitandum.

Sub fin. 1 Epid.
Hiſtor 1. ſect. 3. lib 3. Epid.
Vide par. 35. lib. 2 Prognoſt.

Porrò in ægro propoſito cùm ſubeſſet ęſtus ingens pręcordiorum, omni ratione prouiſum eſt ne vires illud incendium quæreret. Iuſculis frequentibus vitulinis carnibus ei conſultú

eſt:

est: Item clysteribus & iisdem decoctionibus. In enematon frequenti vsu statum est, nec olea, nec mel, nec saccharum dissoluebatur. Quoniam quoties aluus inferior æstuat, feruet, & ambusta est, vt loquitur Hippocrates in libro de aëre & locis, à pinguibus & oleosis est temperandum. Perseueratum est in vsu catholiconis. Tandem sub finem consultum est ventriculo vsu confectionis de hiera dupla aloe. Instabilis admodum morbus fuit, verebamúrque ne ex empyreumate prioris morbi febris quartana, aut alia similis cresceret ac surgeret. Ad sitim summam cum partium imbecillitate quæ sequuntur præscripta fuerunt.

℞. semin. psyll. ℥ ß. mastich. ʒ ij. car. passul. ℥ j. sem. cyton. ʒ j. fiant roduli, mandantur macerati aqu. rosar.

℞. aqu. fontanæ lib. ß. destill. restaur. ℥ iv. aceti alb. ʒ vj. mellis Narbonens ℥ j. santal. alb. ℥ ij. ß. fiat decoct. ad tertiæ partis consumptionem, & perfectam despumationem. Postquam refrixerit, coletur, & clarificet 3. albuminib. ouorum, & santal. citr. & cinam. aromatizetur.

℞ endiuiæ vtriusque, cichorij, boraginis vtriusque an. m. j. Depurentur succi, & colentur trinâ vice ad clarificationem.

℞. succi pomorum redolent. ℥ vj. sacchari lib. j. fiat syrupus semicoct.

℞. rhei infusi in aqu. endiuiæ ℈ iij. myrob. citrin. & Indorum an. ℈ ij. agarici trochisc. ʒ j. anisi ℈ j. cinam. ʒ j. fiat potio sæpè repetenda cum ℥ ß. syrupi prædicti.

ANNOTATIONES.

1. In hoc ægro biliosa crassa, sincera, flaua, maligna, vt vocat Galen. comment. in part. 14. lib. 3. Acut. progrediente morbo: quæquidem biliosa, siue retinentur mala sunt, siue excernuntur mala sunt; nam iactationes, dysenterias, defectiones animi inducunt.

2. Apud Galenum sub finem lib. de præsagitione ad Posthumum, commemorabilis historia est de quodam iuuene, cui in pulsu intermissio erat, & ea naturalis, à qua periculum impendere non putaret Galenus.

3. Nam minùs est perniciosum inter multas pulsationes quandam inæqualitatem esse, quam in vna. Quia in vna pulsatione magis ordinata, constansque natura debet esse, quod si ne in hac quidem multò est periculosius: tamen obijci potest de pulsu in febribus intermittentibus à putredine ortis. Nam cùm systole sit diastole contractior, etiam in vna pulsatione inæqualis est.

4. *Inter cæteros locos vnus est maximè huc pertinens in Commentario Akakiæ in lib. 1. ad Glauconem.*

5. *Nam (vt verè dicam) vnde Cardiogmus & sine febre, & cum febre nasci solet, inde ista in pulsu insignis mutatio: & humor potiùs exclusione eget, & aliquâ* ἐπικράσει, *quam alteratione per alexipharmaca; vt damnetur error eorum qui in morbis perpetuò illud* ἀξιόλογον τὸ θεῖον *constituunt.*

6. *Cùm enim inæqualitas est, non ita citò terreri oportet, nisi cætera consenserint. Si enim naturæ validæ in aliis ipsius pulsus numeris argumenta adsint, non ita metuendum est.*

7. *Galenus cap. 6. lib. 4 de præsagitione ex pulsibus, docet inæquales esse solere pulsus in affectione oris ventriculi, alios affecto fundo eius. Locus præclarus & huc maximè pertinens. Inæqualitas ista & etiam intermissio quædam ab oppressione & copia potest accidere. Et cùm Galenus ait inæqualitatem & intermissionem in arteriarum obstructione & asthmate minùs esse terrificam; quod de asthmate dixit. Idem potest audiri de infarctu pulmonum & copia pituitæ, licèt homo ita repletus, quòd fortè latum habeat thoracem, non sit asthmaticus. Sic est vbi debet esse formidabile istud vitium in pulsu, est vbi non esse debet. Et ne quis terreatur, sciendum istas inæqualitates ab oppressione esse maximè. Nam Galenus lib. de pulsibus ad tyrones, inæqualitates in pulsibus propriæ sunt facultates pressæ & grauatæ. Sic oportet sensim deonerare naturam, & pulsui sua reddetur inæqualitas.*

8. *Trinæ dimensionis obseruatio & in differentiis corporis ipsius arteriæ & dilatationis obseruari solet, sed diuerso quodam modo. Nam quia dilatatio incidit in corpus tale quale est, cui competit trina dimensio. Itaque ipsius trinæ dimensionis obseruatio consideranda est & quatenus ad corpus arteriæ spectat, & ad dilatationem.*

9. *Sitis in eo erat implacabilis, iactationes, leipothymiæ, prærubræ bilis fuit excretio, non statim, sed longo tempore mitificata materia. Dolores fugaces. Verum fuit quod scribit Hippocrates lib. de vetere medicina, non à calore simplici, aut à frigore, sed ab amaro, acido, acri æstimandos morbos esse; vt in vacuando potius, quàm in alterando laboremus.*

10. *Comment. in aphorism.* 48. *lib.4. Multò verò apertiùs histor. part. 8. sect.2. lib. 3 Epidem. cùm explicat cur partes extimæ lacescerent & refrigerarentur. Quanquam Practici frigus initio paroxysmorum priuatiuum dicunt per substractionem caloris: & frigus positiuũ dicunt, vt illud quod in catarrhosis percipitur, aut iis in quibus multus collectus humor pituitosus, qui dum incalescit sensum frigoris infert, vt in Epialis*

videtur. Item materiæ frigidiusculæ calfactio frigoris sensum infert.

11. *Sicui ægro vnquam, huic Ioanni dodenas accommodandum videtur quod scripsit Galenus ad historiam de Sileno* 1. *Epidem. sect.* 2. Si quis laborando & operando se ad lassitudinem vsque affligat, potet autem largè, deinde intempestiuè sese exerceat, id est, aut à cibo, aut vbi tardiùs cocti fuerint cibi, antequam probè in sanguinem cibus versus sit, hic partim bilem ob labores aceruat, partim crudos & incoctos humores ex potu & intempestiuis exercitationibus. *Sunt autem morbi multò grauissimi in quibus vtriusque magna colligitur copia. Immò ego addo, febres semitertianæ fiunt. Hic æger citatis equis multùm itineris confecerat. Et nota in talibus febribus etiam initio sedimentum esse; sed conueniens non est & intempestiuum. Ita Galen. id frequens est (supp. sedimentũ ἄχυρον) febribus in quibus multus calor & flammeus feruorem accendit quendã crudorum & crassorum humorum ad particul.* 26. *sect.* 2. *lib.* 1. *Epidem.*

12. *Causa procatarctica solam diariam aut leuem affectum generat Galeno in histor. de Sileno.*

13. *Lassitudo quæ* κόπος *dicitur, cùm quis dolet minimo attactu, spontanea propriè non dicitur.*

14. *Cap.* 4. *lib. de atra bile docet quomodo salutariter totum corpus pustulis nigris fuerit obsitum.. Nam si paucæ sint, nil est criticum.*

CONSILIVM LX.

De Epilepsia.

MVLIER nata annos iam sex & viginti, bene habita, octies iam enixa, sagax, solertíque adeò ingenio & alacri ad obeunda omnia animi munia, blæsa aliquantulum, cœpit nonuulla pati symptomata, quorum perseuerantia morbum lunaticum minata est.

Ac primùm cœpit animo aliquantulum deficere, vertiginosum quid pati: ac tunc non animaduertit quid dicat, omniũque obliuiscitur. Multa temerè effutit, parum considerans quorsum illud. Cùm hæc præcessissent, iam iam primâ illâ affectione vires nacta de nocte opprimitur, contremiscit, vociferatur, ac grauiter tunc laborat. Deinde quasi sopita manet dimidium horæ. Et frustrà loqui conatur. Et quod omnium de-

terrimum, non ita pridem iam duodecies paroxyſmos quoſdã ſuſtinuit bis die in quibus illa conuellitur, ſpumantíque eſt ore, inclamat, ſuſpiratque. Et quo magis animo turbatur, eo citiùs redit acceſſio. Iam probatum eſt poſteriorem paroxyſmum multò leuiorem reddi, immò ſæpè planè non repetere dato iuſculo ex decoctione viſci quercini. Nunquam medicamentum ſumpſerat. Continenter aqua ab ore defluit: & in vltimis paroxyſmis tota facies rubore ſuffunditur, manentque veluti exanthematon quædam veſtigia quarto à paroxyſmo die.

Hæc ſunt Pariſienſibus Medicis propoſita ad diſputandum, vt de affectionis cauſa, ſpecie, loco, & curatione decerneretur.

Ac primùm omnium qui affuerunt Medicorum communis fuit opinio mulierem hanc epilepſiæ eſſe obnoxiam, quod omnia quæ præceſſerunt videntur confirmare. Dubitatum eſt de cauſa, an vapor tantùm, an humor, & quinam, vnde. Cùm enim epilepſiæ in genere tres ſint differentiæ, prima per propriam cerebri affectionem, ſecunda per conſenſum ventriculi, tertia ob partem peculiariter affectam à qua aliquid manat, conuulſionem epilepticam creaturum, magni refert ad morbi curationem, quænam ſit ſpecies, & quænam idea, & ſedes primùm affecta, ne parti alteri quàm deceat conſulatur.

Ac primùm cuidam viſum eſt, non à propria cerebri affectione natam epilepſiam, nec ab vtero eſſe, ſed à viſceribus ipſis: & quæcumque illa ſit affectio, & vnde- vis ſit ei videtur immedicabilis duabus de cauſis: & quia iam grandæuam prehendit: *Quæcumque autem affectio comitialis poſt 25 annum prehendit, ea cum ægris conſeneſcit* Hippocrati in Aphoriſmis: Tum quia hæreditaria & gentilitia quodammodo eſſe videtur; Medicis enim ea de re inquirentibus narratum eſt eius mulieris auum aliquando epilepſiâ prehenſum eſſe. Quod autem à viſceribus ſit, non ab vtero, aut à capite, ita collegit tribus rationibus; Primâ, quia ſit ſagax, expedito & ſolerti animo, ingenioſa. At cùm quis eſt epilepticus affecto primùm & per ſe cerebro, maximâ ex parte hebes eſt, obtuſus, obliuioſus, ſocors, ignauus, oculis concauis, ſomniculoſus, graui capite, vertiginoſus, & nullis ſignis præeuntibus (vt in hac muliere contingit) ſtatim concidit. At qui ob affectas partes capiti ſubiectas eſt epilepticus, non ſtatim concidit, ſed pleraque patitur tanquam futuram acceſſioné præſagientia.

Secunda ratio est, quòd incubum passa sit sæpè, oppressionem stomachi, animi quandam defectionem, suspiriosa fuerit; quæ omnia malè affectorum viscerum aut à sordibus & humorum inquinamentis implicatorum argumenta sunt: Non quin dispositio sit in cerebro à parentibus contracta: sed causa continens à cerebro non est, sed à visceribus.

Quanquàm hîc magna difficultas oriri posset. Galenus causam præcipuam periodorum lib. 2. de different. febr. sub finem statuit inustam quandam cuique parti dispositionem, quæ nouâ occasione, vt nouo affluxu humorum sese manifestè prodit; dico affluxum humorum, vel qui in parte ipsa generantur, vel qui aliunde sunt. Exempli causâ, si cui hemicrania innata sit ob prauam partis cerebri διάθεσιν, non priùs solet repetere quàm fortè ab ipso cerebro, aut partibus subiectis humor aduenerit qui partem lacessat: an non tamen hemicrania per πρωτοπάθειαν dicatur. Sic, si dispositio in cerebro iam iam sit à parentibus contracta, quæ tamen non priùs sese proferat quàm malignus vapor crassus aut tenuis à partibus inferis venerit qui parti molestus sit: vnde exsuscitetur pars ad expulsionem vnde conuulsio sequatur: An non epilepsia ista per propriam affectionẽ dicatur? Itaque ille sibi pugnat, qui dixit dispositiuam ipsam (vt sic dicam) in cerebro esse, sed causam in præcordiis. Quanquã excusari potest; nam reverâ non repeteret paroxysmus nisi impuritas viscerum concurreret. Et illud est quod Galenus dicit, epilepsiam post 25 annum agnoscere causam sui prauam diætam.

Tertia ratio quâ contendit ab vtero non esse, est quòd illa vterum gerens tam sæpe nõ prehendatur epilepsiâ, quàm cùm vtero non gerit: quod contrà contingeret. Nam si ab vtero esset, cùm fœtus meliorem alimenti partem absumat, relinquaturque impurior, impuritas ipsa iuncta cum prauo illo humore qui supponitur mali autor (si ab vtero esset) reueheret paroxysmos, & malum malo cumularet: At tempore gestationis immunis ferè est. Accedit quod hysterica aliquando passa esset. At nihil vnquam tale.

Nos autem qui hæc scribimus, ita disputationis & quæstionis filum direximus.

In morbis modus generationis illorum est animaduertẽdus; symptomata, eorumque successio, quorum omnium animad-

uersione ad rerum diagnosin peruenitur, & confusio deuitatur. Vertigines, tenebricosæ obuersationes & marmarygæ, syncopæ imago quædam, oppressio diaphragmatis, clamores, aphonia, symptomata sunt & epilepsiæ, & apoplexiæ, & syncopes cardiacæ, & aliorum morborũ communia, & in plerisque obseruantur. Sed non satis est obseruare hæc, sed signa ὁμοειδῆ siue ὁμογενῆ, vt vocat Galenus, tenenda sunt: & ne adhuc quidem abundè est, sed quæ cuiusque rei propria, & partis, vt ideam morbi venari possimus. Exempli causâ; difficultas respirationis affectarum partium thoracicarum nota est, & peripneumoniæ, & pleuritidis, an sufficit hæc nosse? Nequaquam. Sed ad specialia magis descendendum est, vt hoc vel illud, huius aut illius rei sit vmbra, nota, significationis argumentum & signũ. Quod hîc videre est, cùm symptomaton concursus iste nihil adhuc certi afferat.

Com. in part. 2. lib. 1. Prorrhet

[2] Porrò morborum alij citò generantur, cùm tamen non tam prompta sit causæ generatio, quàm prompta est morbi ipsius apparitio. Causa enim latebat ignaua, & subitò per morbum sese expressit; quod notat Galenus 3 Epidem. in historia de eo qui primo die phreniticus factus est. Alij non statim se proferunt, sed veluti per ambages & circuitiones, habentque varia symptomata priùs quæ sunt veluti paranymphi ac præcursores maioris morbi aduentantis. Quod cùm aliàs, tum huic mulieri contigit, in qua per varia symptomata veluti præeuntia præludia ad epilepsiam munitur via. Nam in historia proposita triplex tempus obseruatur, & in vltimo tantùm certa epilepsiæ signa apparuerunt.

Primùm aliquid tenebricosum passa est, vertigines, quæ sæpè apoplexiam, aut epilepsiam minantur: an verò per propriam cerebri affectionem, an per consensum dubitandum. Nam vertigo & tenebrosa obuersatio signum vniuocum non est aut affecti certò cerebri, aut ventriculi. Cùm enim ex Galeno illud sit commercium inter ventriculum & cerebrum, vt facilè suas affectiones communicent, non facilè quis distinguet quæ pars prior afficiatur, & quæ posterior. Sic vertigo, nausea, vomitus, cardiogmus. Equiuoca signa sunt cum ferè æquè ad affectionem cerebri & ventriculi consequatur. In quo Medicorum iudicium fixum constánsque esse debet, ne temerè pars incusetur quæ in vitio non sit. Præterea mulier ista multa effutiebat, quod malè affecti cerebri nota est aut per se aut per consensum.

Cap. 3 lib. 3. de loc. aff.

Vndè nouimus hystericas multas risum in paroxysmo cohibere non potuisse, alias multiloquas extitisse.

Secundo verò loco hypochondriorum & respirationis quædam fuit oppressio, & imaginatio quædam falsa rei opprimentis & incubantis, quod incubum designat: incubus autem epilepsiæ rudimentum quoddam est: immò & epilepsia nocturna dicitur à plerisque.

Tertio periodica quædam conuulsio apparuit totius corporis, cum læsione quadam mentis & sensuum. In quo verè characteter Epilepsiæ exprimitur. Nam conuulsionem totius corporis esse necessium est. Quanquam Syluius quodam loco annotat vidisse se quendam Epilepticum cecidisse ob prauam lienis dispositionem, illumque vna tantùm in corporis parte conuulsum fuisse. Ad superiora accedit occursus spumæ quæ nec à capite malum esse certò declarat, immo nec Epilepsiæ signum vniuocum est. [4] Si fiat translatio à partibus inferioribus per pulmones, refractio materiei cuiusdam pituitosæ à spiritu flatulento agitante spumam potest generare. Rondeletius contendit epilepsiæ certam non esse notam & signum inseparabile; quia spuma abesse potest in paroxysmo epileptico duabus de causis: tum si à vapore tantùm est Epilepsia, tum si paroxysmus breuis est & non violentus.

5. Ergo verum illud Hippocratis, cùm quis repentè aphonos fit, venarum fiunt interceptiones & oppletiones, si sine occasione id fiat, aut forti aliqua causa, id est, si nulla excusatio afferri possit aut ictus, aut ægritudinis perturbationisque animi. Interceptio ista aut Epilepsiã, aut Apoplexiã, aut syncopē cardiacam inducere potest, item & histericũ πάθος. Nam quatuor hæc nomine τῆς ἀφωνίας includi possunt. Cùm itaque hîc sit aphonia quędam, quatuor prædictorum morborum vnum adesse necesse est. At certis signis deprehenditur esse Epilepsia.

6. Cæterùm hæc aut pręhendit pueros, aut puberes, aut iuuenes, aut grandiores ætate. Partic. 5. sectio. 1. lib. 6 Epid. locus est notandus de Epilep. cum, ait Galen. Epilepsia iuniores attingit illud vt ab ætate est, ita quoque mutatione ætatis affectus minuitur & tollitur. vnde Hipp. *Quibus morbi comitiales, ante pubertatem mutationem accipiunt.* Quod bifariam intelligi potest. Nam, *ante pubertatem*, possumus intelligere vel inclusiuè, vel exclusiuè, vt aiunt. Exclusiuè ad annum vsque 25. in-

inclusiuè ad tempus adolescentiæ. Vnde apho. 28. lib. 3. non
dixit *ante pubertatem*, sed, *in pubertate*; quod notandum. Iuue-
nes prehendi epilepsiâ non placet Galeno in Aphorismis, licèt
ita Hippocrati videatur; quia, vt ait Galenus, temperamentum
iuuenum generationi epilepsiæ contrarium est. Posteà addit, si
prehendantur eo morbo, id diætæ vitio tribui oportere, &
quia prauo vtantur cibo, & multa intempestiuè faciant. At
grandiores ætate absolutè à diætæ vitio epilepticos reddi
statuit, 6 Epidem. Nec amplius ætati fidendum ait ac si me-
dicam manum per se adhibeat, sed ad artis Asclepiadeæ asy-
lum confugiendum esse censet; id enim à diætæ vitio est, im-
mò tantum tribuit ipsi diætæ, vt epilepsiam ratione ætatis
solui posse neget, nisi legitima sit victus ratio, immò ne si in
pubertate ipsa epilepsia accedat (quia Hippocrates ante pu-
bertatem mutationem contingere debere vult) quanquam
tunc tantùm opis ab ætate expectari non potest quantum an-
teà: quia & tempus agnoscendæ veneris in viris supponitur
iam præteriisse, & menstruæ purgationis in mulieribus, ta-
men solui tunc posse putat Galenus si in diæta non peccetur.
Quod fortè & generaliùs potest accipi, ne putemus omnem
epilepsiam incurabilem esse quæ paulò grandiores prehen-
derit. Nam mirum est tantùm posse diætam ipsam vt miseran-
dum hoc malum inuehat immedicabile planè, cùm tamen
hoc excepto, nullum ferè sit malum adeò graue diætæ vitio
inuectum quod non possit emendari & tolli. [7] Vnde colligere
est morbum hunc cerebro labem quæ elui non possit, inure-
re, quod omnem humanum captum planè superet.

Itaque cùm hæc mulier iam grandis ætate miserandi huius
mali molestias senserit, id diætæ vitio tribui potest. Sed pace
Galeni dicam, secretiorem & occultiorem causam esse opor-
tet; nam nisi labem hanc à vetere sua prosapia contraxisset,
mulierem tam benè habitam, tam solidam, & integrè sanam
morbi procellis conflictari non solitam non esset credibile
à nõnullo diætæ vitio tam turpiter in hunc morbum lapsam
fuisse. Sic oportet vehementem aliquam fuisse causam quæ
hoc symptoma antè non visum & insolens induxerit.

Duo hîc quæri possunt non omittenda, cùm à parentibus
propensitatem hanc in epilepsiam contraxerit; quî fiat vt ni-
hil epilepticum senserit in pueritia, cùm tamen hæc ętas huic
morbo

Aph. 29. lib. 3.

Apho. 7. lib. 5.

morbo vltrò sit opportuna. Posterius quod quæri potest, Cùm mulieres etiam maximè valentes, præcedente imprægnatione præsertim circa tertium mensem multis malis exerceantur, boulimo, inappetentiâ, malaciâ, & ceteris id genus, vel capitis, lumborumque dolore; quî fiat vt hæc imprægnationis tempore paroxysmo epileptico non prehendatur, posteà verò vtero non gerens facilè prehendatur.

Quod ad prius attinet, reuerâ ex hoc praua cerebri dispositio patet, quòd grandior iam ætate epileptica facta fuerit. Nam si imbecillitas neruosi generis epilepsiæ causa fuisset in hac, nō dubium quin puella epileptica fuisset: at latebat mala dispositio, nec se prodidit nisi quo tempore iam malum incurabile est.
[8] Et quod sæpè pepererit nouies enixa potest partim impediuisse quo minùs tam citò non sese epileptica diathesis prodiderit, quod purgationes euntes & ab epilepsia, & à podagra, & aliis morbis possunt ad tempus vindicare, quibus implicantur quæ nihil tale habent. Partim conferre potest ad augendam dispositionem. Nam nemo dubitat iuniores puellas nuptas, & frequēter enixas tantò imbecilliores reddi (quod ad cerebrum attinet) quantò frequentiùs enixæ fuerint: immò magna earum pars catarrhis, & doloribus capitis immedicabilibus detinetur. Quæ omnia verisimilia sunt. Præterea vulgò obseruatur dispositionem morborum à parentibus contractorum non tam citò apparere, sed tandiu latere occultarique donec quid peccatum sit quod eius accessum maturet. Vnde plerisque gentilitia est elephantiasis, quę tamen non sese prodit nisi cùm iam grandior ætas fuerit, aut quòd ita prouideat natura mali explicationem quoad potest, impediens, aut quo anno parentes in eum morbum inciderint, eodem & liberi inciderunt: quæ ratio probabilior est. Et cùm sese malum prodit, siue epilepsia, siue elephātiasis fuerit, non est opinandum illud iam demum nasci, sed mali seminarium diu latuisse, cuius argumenta tandem sese prodant. Tum autem maximè sese proferunt cùm mala accedit diæta, quæ etiam per se tale malum afferre potest, sed non ita immedicabile. Plerique enim nostrâ ætate epileptici verè fuerunt ob prauam diætam, at non recurrunt paroxysmi vbi prouisum cautũque ægro est. Sed cùm natiua est inclinatio à praua diæta facta, & veluti tandem explicata, ea multò immedicabilior est quàm quæ simpliciter à praua diæta fuerit. Et ita proba-

biles rationes à nobis videntur confictæ, vt tandem id intelligeretur quod in quæstione positum erat; Quî nimirum fiat vt mulier illa iam ad epilepsiam nata ante annum ætatis suæ vicesimum octauum prehensa non fuerit, ac præsertim puerili suâ ætatulâ.

Posteriorem quæstionem paulò post explicabimus, si priùs nonnulla remedia attulerimus quæ ad profligandam epilepsiam per cerebri primariam affectionem contractam instituta sunt, quorum hîc series est proposita.

Cuidam autem epilepsiâ laboranti per propriam cerebri affectionem remedia hæc quæ sequuntur sunt instituta: Primùm repurgatus est tabellâ vnâ electuar. diacarthami: deinde itum est ad remedia sequentia.

℞ rad. pæoniæ recenter euulsæ ℥ j. visci quercini recent. ʒ vj. galangæ, calami aromat. & cort. citri sicci an. ℥. ſ. beton. meliss. hyssopi, saluiæ maiora. chamæd. chamæpyt. an. m. j. buglos. borag. & vtriusq. cichor. cum radicib. herbarum capill. an. m. j. ſ. rutæ & absynth. pont. an. m. ſ. passul. sebest. an. par. x. seminis rutæ & sesel. an. ʒ j. anis. & fænic. an. ʒ j. ſ. sem. callitrichi & pæon. an. ʒ ij. flor. stœchad. sambu. rorism. & gerinist. an. p. j. fiat decoctio, & fortis express. Cape de colat. lib. j. ſ. sacchari quod suff. oxym. scyll. ℥ iij. pulu. diamb. & diamosc. dulc. an. ℈ ij. fiat syrupus pro 4 dosibus.

℞ mas. pil. cocciarum fœtid. & assajereth. an. ʒ j. agar. troch. & rhei an. ʒ ſ. rad. & sem. pæoniæ decrescente lunâ collectæ an. ℈ j. castor. pinguis ℈. ß. cum syrup. de stœchad. fiat maza ad vsum.

℞. mazæ præscriptæ ʒ j. formentur octo pilulæ cum aqu. vitæ. capiat finito syrupo prædicto.

Deinceps bis in mense aut singulis viginti diebus cap. de maza præscripta ʒ ſ. de qua formabuntur pilulæ tres vel quatuor. deglutiet eas post primum somnum.

℞. succi betæ & maioranæ an. ℥ j. mellis anthos ℥ ij. decoct. hordei integrè cocti ℥ viij. fiat caputpurg. quo vtatur secundùm artem per tres dies continuos manè ore aquâ pleno.

℞. theriac. Monspel. quinque annorum ℥ ij. rad. pæon. & sem. eiusd. an. ʒ j. visci quercini, & cineris cranij humani an. ℈ j. coralli rubri vsti & loti aqua absynth. vngul. alc. an. ʒ ſ. cum syrup. conseru. citri. fiat opiata, de qua capiat ceteris diebus ad molem castaneæ tribus horis ante omnem cibum.

℞. ol. costi & nard. an. ℥ j. ol. nucis mosc. ℥ ſ. rad. & sem. pæon.

visci querc. sem. sesel. an. ℥ j. gummi ammon. aceto scyll. soluti ℥ j. s. ceræ quod suff. fiat vnguen. vngatur occiput ad radicem colli horâ somni, addendo vnctionis tempore aquæ vitæ parum.

℞ aloes ℥ ij. rhabarb. ℥ ij. pulu. rosar. & folior. salu. an. ℥ s. cum syrup. de sticæ bad. fiat maza vtenda quotidie vnâ horâ ante cibum.

Applicetur ruptorium posticæ parti capitis, hietque vlcus per tres aut quatuor annos.

Hæc velut per transennam dicta, scriptaque sint, retexendum orationis filum est, quod horum remediorum scriptione interruptum est.

Ex duobus quæ discutienda proposita sunt, vnum satis pro animi voto explicatum est, secundum autem nunc restat explicandum; nimirum quî fiat vt hæc mulier cùm prægnans esset, non ita facilè epileptica concideret, ac cum vtero non gereret. An hoc significat aut vterum in vitio esse, aliquidque conferre ad epilepsiam, aut contrà. Nam si vterus faciat ad paroxysmum epilepticum, cum concepto semine humorum veluti fiat conculcatio, deinde quædam ob suppressionem putredo, vapor qui inde efferretur plurimùm ad epilepsiam cõferre videretur. Sed hæc plurimùm habent difficultatis.

Mulier vterũ gerens non conuellitur, non gerẽs facilè conuellitur.

Ac primùm aliquid non longè dissimile legere possumus apud Hippocratem. Nam scribit in Pheris mulierem extitisse cui caput valdè condoleret, idque multo tempore dolor is nullâ ope medicâ leuabatur. Cùm irent menses, leuiùs habebat; cùm concepisset, dolores relinquebãt. Noui quoque & mulierẽ vetere hemicraniâ laborantẽ cũ frequenti cardiogmo: ne minimũ quidem appulsum caloris, aut frigoris, aut fumi ferre potest quin doleat, dum fœta est, alacris, iucunda, & immunis ab omni est dolore. Item Auicennas cap. 11. lib. 3. fen. 21. tract. 1. citat ex Hippocratis lib. de superfœt. mulieribus sæpè nõ grauidis crurum & lumborum dolores oboriri, qui concepto fœtu in vtero cessant; quia, inquit Princeps, per conceptum partes illæ calfiunt, hinc dolore liberantur. Legi librum de superfœtatione, & illo loco Hippocrates non tantùm meminit doloris lumborum, sed & capitis, & aliarum partium. Verba eius sunt; *Si dolores in coxendice mulieri contigerint, aut in capite, aut in manibus, aut aliquâ aliâ corporis parte, & cùm prægnans est desierint, post conceptum ab vtero exolutum, si repetunt, huic odorata ad vterum suffire conuenit, & bibere quoque expedit.* Quibus ex verbis colligere est

5. Epid.

Hip. lib. de superfœtat.

istos dolores redeuntes post partum, in conceptu desinentes, ante conceptum affligentes, originem sui agnoscere in vtero: alioqui enim Hippocrates non consuluisset suffitum ad vterum, sed singulis partibus prouidisset quæ laborant. Hoc itaque argumentum esse potest, vterum in hac muliere epileptica conferre aliquid ad istam perniciosam affectionem. Etenim dictũ est tardiùs paroxysmum experiri, aut omninò nõ experiri cùm vtero concepit: cùm fœta non est facilè ab eodem corripi.

Et illo prædicto loco lib. 5 Epidemiorum, quo proponit historiam de muliere doloribus capitis cum vtero non gereret, conflictari solita, eadem ferè cum iis quæ lib. de superfœtatione scribuntur, recenset: nam ait odoratis ad vterum appositis iuuari, & euntibus mensibus. Sed iam quæramus de istis doloribus quomodo imprægnationis tempore leniri, aut tolli possint. Si dolor iste capitis (idem posteà dicemus de epilepsia, cuius ergô hæc instituitur disputatio) primarius est in capite, tantum abest vt sedari possit grauiditatis tempore, vt contrà adaugeatur. Nam per conceptum calesit vterus, vt ex Auicenna anteà docuimus, reuocatio fit caloris ad centrum, & præsertim ad vterum, partes reliquæ sunt quodam modo destitutæ fauore caloris & spiritus influentis, declarant & frigiditas partium extimarum in fœtis mulieribus, & earumdem decoloratio. Sic duo sequuntur incommoda in capite: prius quidem quòd frigidius sit solito, & propterea infirmius, & ad propulsandas morborum molestias imbecillius: posterius verò quòd calfactus vterus prę ceteris partibus, factâ inibi humorum & spirituum quadam coitione & veluti cõculcatione, innumeros penè summittat vapores in caput grauiditatis tempore, qui vapores maligni erunt, quia humores à quibus excitantur magna ex parte vitiosi sint, naturâ quippe magis sanam humorum partem in fœtus alimentum consumente. Itaque si frigidius sit caput in conceptu, si opportunius vaporibus ab vtero manantibus; siquidem epileptica dispositio est in cerebro, & materia eiusdem, credibilius erit tempore grauiditatis faciliùs paroxysmo prehendi, cùm eo tempore tot symptomata tentent grauidas, malacia, anorexia, & alia penè innumera quæ alio tempore non pullulant. Vnde & Fernelius notat multas mulieres epilepsiâ prehendi solitas cùm vtero gerunt, & fœtu excluso nunquam aliquid tale patiuntur. Sed dicat aliquis: Sit ita sanè, ab

vtero aut capitis dolor, aut epilepsia ipsa oriatur, vt idem contingat mulieri quod & ei à cuius crure aura infecta veneno sensim ad caput efferretur, an non & grauiditatis tempore faciliùs recurret paroxysmus? [16] Nam eò confluunt multi humores, calefit vterus; hinc vaporum ilias, prauis sese implent cibis grauidæ, sic & à praua diæta, & à conculcatione humorum in vterinis partibus videtur vterus faciliùs posse reuehere paroxysmum quàm cum fœtu non impeditur. Reuerà tamen secundùm opinionem Hippocratis credibilius est mulierem epilepticam esse ab vtero aut præcordiis, quæ prehenditur paroxysmo, faciliùs vacuo vtero, quàm pleno. Nam si affectio epileptica & materia in cerebro esset, tempore grauiditatis faciliùs corriperetur, vtpote cerebro imbecilliore reddito & frigidiore: sed quia in vtero aut ab vtero est, tempore imprægnationis quasi conclusio fit, & implicatio humorum, immò & si qui vapores à præcordiis efferri solebant, facto veluti materiæ recursu ad vterum, non tam facilè feriunt, seseque produnt. Quanquam videtur probabilis ratio priùs per dubitationem adducta, quòd nimirum si ab vtero esset, per imprægnationem faciliùs recurreret. Vnde obseruatum à Fernelio epilepsiam ab vtero grauiditatis tempore prehendere, ideóque visas à se plerasque mulieres quæ quoties vtero gestant epilepticæ corruunt, expeditas verò nunquam id experiri.

Cap. 3. lib. 5. de partium morbis.

Sed hæc disputatione multò longiùs produci possent, quorum tamen non prætermittenda fuit obseruatio, cùm plurimũ intersit à qua parte prima mali labes; ne temerè pars vna pro altera remediis oneretur ac fatigetur. Quidam ex Medicis diætæ & humoribus prouidendum putauerunt, alij ad vterum & caput confugerunt, alij ad hepar cuius calidi temperamenti argumentum est efflorescentia quorumdam exanthematon, & suffusio faciei post paroxismum etiam stabilis.

Nos quatuor causas mali assignabamus, innatam in cerebro infirmitatem, & veluti gentilitiam, quòd eius auus epilepticus interiisset. Accedit & subtilitas, sagacitas, agilitasque cerebri quæ sæpè de facili epilepsiam accersit, vt Rondeletius annotat, quòd substantia cerebri raræ sit contexturæ, & delicata admodum. Vnde qui ita affecti sunt facilè cœcutiunt ob igneam spiritus animalis naturam quæ facilè afficitur, vertiginosi sunt, & præcipitia sine periculo intueri nequeunt. Sic epileptica dis-

positio in cerebro est, sed non propterea causa materialis, nempe frigida & lenta pituita. Secundo, praua victus ratio, & quod nunquam medicamentum sumpserit. Nam si sibi arte medicâ consuluisset in diæta & pharmacis, malum fortè interuertisset. Tertio, partium subiectarum consensus: nam breuitas paroxysmi à vapore solo malum esse natum significare potest. Et quod frequens sit saliuatio, id à cerebro esse potest, & à ventriculo malè coquente. Vnde qui laborant melancholiâ hypochondriacâ facilem habent saliuæ in os occursum.

Com. in apho. 16. lib. 3. & com. in apho. 45. lib. 2.

Quod ad curationem spectat, illud obiter monendum, non valdè probari vsum rerum impensè calidarum & attenuantiũ. Nam siue à crassa viscidáque materia est epilepsia, vt placet Galeno, siue à flatulenta materia & acri non valdè ex vsu sunt ista. In priore quidem, quia in flatum conuertent. Vnde quidã dicunt radicem apij ideò in epilepsia interdici, quòd materiam acuat, & proinde malum suâ tenuitate adaugeat. Quod si verũ est, quod dicemus de euphorbio, castoreo, sagapeno, scammoneo, & aliis id genus in epilepsia præscribi solitis. Alij dicunt non eâ ratione cauendum esse ab radice apij, sed quòd tota substantia in hoc morbo nociua sit. Si à flatulenta aut acri materia est, præsertim si ab acri, multò etiam minùs conueniẽt ista calida. At omnem ferè epilepsiam à materia quadam acri principium neruorum impetente oriri vel hoc argumento confici potest. Magna est affinitas & ἀναλογία inter sternutationem & morbum caducum: immò hoc discrimen statui volunt, quod cùm eadem vtrique sit materia, in morbo caduco natura inferior sit causa morbum faciente; in sternutamento verò exaduersùm; natura quippe humore superior est. Vt sternutatio minoris cuiusdam epilepsiæ naturam & ideam referat. Atqui ex Galeno, *Sternutamentum non fit si quis humor in capite superfluat, sed si flatulentus sit, aut mordax.* Vnde si à quauis materia frigida sternutaret quis, comatosi & veternosi sternutarent, at id non fit. Idem ergo de epilepsia intelligi debet. Et idem est argumentum Fernelij vt conuincat epilepsiam à pituitoso non esse humore. Sed huius argumenti primus autor est Galenus.

Com. in apho. 51. lib. 7.

Vt mulieri epilepticæ prouideretur, iis quæ sequuntur remediis innixi sunt Medici ad præcautionem, & curationem, si eius spes nonnulla sit, quæ tamen perexigua est. Nam cùm auo nata sit epileptico, probabile est labem aliquam contraxisse, quæ

Lib. de morbo sacro.

tempore detecta fuerit: quod primus obſeruauit Hippocrates, qui à primordiis generationis epilepſiæ gentilitiæ originem repetit. *In vtero*, ait, *priuſquam cerebrum conformetur, oportet quodammodo floreſcere, purgari, ac defœcari. Si neque magis nec minùs repurgetur quàm oporteat, ſanum animal exiſtit: ſi magis repurgetur, ac fiat colliquatio quæ iam tinnitus aurium contingunt; ſi non ſatis repurgetur, in epilepſiam propenſio contingit.* Hæc Hippocrates. Et alio in loco inueteratæ epilepſiæ nullum remedium quærit; quia, inquit, cerebrum eroditur à pituita, & eliqueſcit. Id quod autem colliquatur aqua fit, quæ cerebrum circumalluit: & ita perpetua eſt generatio & fomes morbi, tum quod ad diatheſin ipſam pertinet, tum quoad materiam & cauſam morbi coniunctam.

[11] Ac in remediis ipſis maximè rerum non naturalium ratio habenda eſt aëris & cibi. Cibi quidem, quòd improba victus ratio ad generationem & productionem morbi plurimùm conferat: immò (vt antè docuimus) in grandioribus, cùm eos non anteà prehenderat morbus, comitialis affectionis cauſam agnoſcit Galenus 6 Epid. & in aphor. improbam diætam. De aëre autem nemo dubitat quin hîc magni ſit momenti. Vnde Hippocrates agnoſcit vẽtos primùm ad morbi generationem, & paroxyſmorum recurſum facere: Eodemque in libro ſcribit cerebrum eſſe interpretem eorum quæ in aëre fiunt, quia cerebro ipſi ſapientiam aër exhibet. Quod in eo ſenſu accipi poteſt: Inter partes corporis aëris aut moleſtias, aut eiuſdem benignitatem ſentit. Vnde plerique præſentiunt mutationem aëris, aut ſerenitatem, aut tempeſtatem. ſic cerebrum in iis internuncius eſt aëris. Multa eodem loco cerebri dignitati attribuuntur, quæ hîc recenſere eſt alienum. Nunc ad remediorum ſyluam properemus.

Lib. de morbo ſacro.

Viuat abſtemia ſecura, vitet omnem triſtitiæ occaſionem, aëre libero, ſerenóque viuat, perflabilem locum incolat, vitet paluſtria, lacuſtria, diûm, & cetera id genus. Primo vere poſt purgationem aperiatur vena baſilica dextra.

Lib. de ſac. morbo.

Sunt qui in epilepſia locum ſecandæ venæ eſſe negent, quòd rarò fiat à ſanguine, rariùs à bile. Immò Hippocrates pituitoſos ſolos videtur ſtatuere huic morbo obnoxios: quod mirum tamen eſt. Galenus vult mitti ſanguinem in epilepſia ex cruribus potiùs quàm ex cubito, idque ad faciundam reuulſionem è parte quæ certò afficietur, nempe è capite. [13] Loquitur autem

Lib. de ſan. miſſ. c. 19.

illo loco de præcautione: & quod intelligitur de imminente
morbo, aliud eſt imminere morbum qui certò hanc aut illam
partem ſit obſeſſurus, aliud imminere morbum, de quo non
conſtet adhuc quamnam partem obſidere debeat. Vt puta, cùm
indifferenter modò alicui caput, modò pes, modò hæc aut illa
pars, aut totum corpus doleat, cùm ſectio venæ ſuſcipitur ſine
vlla diſtinctione, aut è maleolo, aut annulari digito, aut è gib-
bero mittetur ſanguis aut ſcarificabitur. Sed ſi certum ratum-
que ſit de parte occupanda, vt de capite in epilepſia, ad præcau-
tionem ineunte vere è maleolo detrahetur ſanguis. Sed magna
controuerſia oritur, num epilepticos ſeces ex vena cubiti. quod
ita probatur: Galenus & Hippocrates aiunt, in imminentibus
morbis per diſtantiora reuulſionem eſſe procurandam: in præ-
ſentibus per locum proximum. At eadem eſt ſors, & conditio
morbi iam præſentis & morbi imminentis, qui certò partem
hanc aut illam eſt occupaturus. Ergo ſi in præſente morbo vt
epilepſia è cubito ſanguis ducitur, quia dolorum proximum
ventrem ſecare oportet, ſequitur vt in eadem epilepſia immi-
nente; quia de obſidione capitis certi ſumus, eadem quoque
vena cubiti prudenter feriatur. Quod autem eadem ſit condi-
tio morbi præſentis, & eius qui immineat, dummodò certum
ſit hanc partem obſeſſum iri, ita ex Galeni verbis eliciemus:
*Quibus pars aliqua, niſi euacuati fuerint, infeſtatur certò, non æquè ex
quauis particula vacuabis (ac ſi de parte laboratura non conſtaret) ſed
perinde atque in iis qui iam laborare incipiunt.* Et miror quomodo
dicat poſteà: *Ergo epilepticos & vertiginoſos ex cruribus vacuabis,*
quod non videtur agendum. Affectiones enim hæ cùm ſine vl-
la controuerſia capitis ſint è brachio potiùs tanquam è propin-
quiore parte, videtur detrahi debere ſanguis. Cùm futurus
Comitialis ſit curandus, ac ſi iam actu laboraret. Reuerâ ſi cu-
randi ſcopus eſt, & vacuandi conſilium, non eſt dubium quin
in epilepſia è gibbero detrahendum ſit: ſed ſi præſeruare, præ-
cauere, ac reuellere tantùm animus eſt, è longinqua parte re-
tractio fieri debet. Sic enim non fit magna repentè mutatio, &
conſuetudo tandem mutatur, ne ampliùs eò feratur ſanguis.

Conſultum eſt vt os quotidie manè lauaret aquâ, in qua ſal-
uia, aut roſmarinus maceratus eſſet, aut viſcus quercinus. Te-
neat in ore paſſul. corticem citri conditi, caryophyll. vel for-
mulas has.

Gal. cap. 16. lib. de ſanguin miſſ.

Hippocr. lib. de oſſiũ natu. & ſect. 6 lib. 6. Epid.

Cap. 19. li. de ſãguin. miſ.

℞ pulu. caryophyll. gr. vj nucis moscat. galang. cypp. mastich. an. ʒ ſ. cubeb. ʒ j. piper. longi ℈ ſ. Excipe in gumm. tragac. infuso in aqua rorismar. aut decoct. eius, addendo parum sacchari. Fiant trochisci. Vtatur massapanis post pastus, pane biscocto, & puluere.

℞ puluer. electuarij aromat. rosſ. diarrhodon abb. lætitiæ gal. an ʒ j. rasuræ eboris, cornu cerui vsti an. ʒ ſ. cranij humani, visci quercini, sem. pæoniæ, & ocimi an. ℈ j. sacchari in aqua melissæ soluti. Fiat electuar.

℞ rasuræ cornu cerui ʒ ſ. cornu cerui vsti ʒ j. rasur. ebor. ossis de corde cerui an ℈ j. sem. pæoniæ maris, visci quercini an. ʒ ſ. sem. contra ʒ j. ſ. rheibarb. electi & agarici albi an. ℈ ij. sacchar. albi duplum. Capiat cochlear vnum quolibet manè.

℞ coriandri conditi vnius coperturæ ℥ j. ambræ gris. ℈ j. coralli rubri ℈ ß. sem. anisi & fœniculi conditi an. ʒ ij puluer. ros ʒ ſ. rasuræ eboris, cornu cerui an. ℈ j. cinam. ℈ ſ. cum saccharo. fiat puluis vtendus à pastu.

Fricentur quotidie crura, & iis aliquando applicentur cucurbitulæ. Vtatur clystere qui sequitur, sæpe.

℞ origani, calam. satureiæ, buglos. borag. mercur. an. m. j. rad. alth. ʒ j. semin. cumi, seseleos, rutæ & pæoniæ an. ʒ j. ſ. folior. senæ ʒ iij. fiat decoct. ad lib. j. In colat. dissol. mellis mercur. sacch. rubr. an. ℥ j. catholici, & confect. hamech an. ℥ ſ. butyr. recen. ℥ ij. fiat clyster.

℞ aloes ʒ iij. mastich. ʒ j. diamb. ℈ ſ. rad. pæoniæ, visci quercini, an. ℈ ſ. corall. rub. gr. vj. ambræ gris. ℈ ß. pulu. hieræ ʒ ij. pilul. cocciarũ & fœtid. an. ʒ j ſ. agar. & rhei an. ℈ iij. cum aqua decoction. radicis angelicæ & pauco zingib. fiat maza pilul. vtenda. Decimo quoque quinto die: aliquando serò, aliquando horâ quartâ manè. Vel loco pilularum accipiet aliquando de syrupo sequente.

℞ omnium capill. m. j. chamædr. chamæpit. an. m. j. lupul. primæ veris an. m. j. ſ. absynthij pont. m. ſ. scolopen. ceterach, agrimon. hepat. buglos. borag. stœchad. vtriusque an. m. j. semin. rutæ, iunip. sesel. pæon. an. ʒ j. ſ. radic. omnium aperitiuar (præter radicem apij) in vino albo aut aceto scyllitico maceratar. an. ℥ j. passul. ℥ j. visci quercini & polyp. an. ʒ vj. rad. pæon. ℥ j. pulu. cranij human. ʒ j. ſ. folior. senæ ℥ iij. sant. citrin. ʒ ij. fiat decoct. addendo sub finem agar. recent trochisc. ℥ j ſ. turbith gummosi ℥ ſ. zinziber. ℥ ſ. express. ʒ vj rhũbarb. infusi cum cinam. & nuce mosc. in parte decocti, cum oxymel. scyllit. & syrup. de hyssop. & stœchad. an. ℥ j. sacchari suffic. quantitate. Fiat syrupus aromatizatus nuce moschatâ: vtatur ad ℥ ij. aut ℥ ij. ſ. cum decocto passul. & visci quercini.

℞. rad. pæoniæ. lap. acut. an. ℥ ij. chelidon. petrosel. aspar. gram. polyp. ireos flor. an. ℥ ſ. chicor. m. j. rad. enulæ campanæ, acor. cypp. ſemin. aniſi, fœnic. cuſ. melon. an. ℥. j. ſtœchad. arab. ʒ vj. ſemin. pæoniæ ℥ ſ. beton. meliſſ. ſcolop. vng. caball. hyſſop. an. m. j. ſummitat. abſynth. & aneth. an. p. ſ. Fiat decoct. ad lib. j. in qua infunde folior. ſenæ ℥ iij. agar. ℥ ij. diſſol. ſacchar. quod ſuff.

℞ pulu. diarrhod. ℈ ij. coriandri præpar. ʒ j. ſ. raſur. ebor. cran. humani an. ℈ j. viſci quercini, rad. pæoniæ, torment. dictamni an. ʒ ſ. pulu. diamb. ℈ ſ. plires archont. ℈ ſ. ſem. aniſi & fœnic conditi an. ʒ j. ſ. cum ſaccharo in aqua decoctionis angelicæ & pauco cinam. diſſol. Fiat electuar. per tabellas.

℞ conſeru. bugloſ. borag. florum aurenciorum an. ℥ ſ. conſer. enulæ campanæ, anth. ſtœch. meliſſ. an. ʒ ij. conſer. ſaluiæ ʒ ij. theriac. & mithridat. an. ℈ iiij. cortic. citrij cond. ℥ ſ. pulu. diamb. & arom. roſ. an. gr. v. nucis moſc. ℈ ß. pulu. cranij hum. ℈ j. viſci quercini & rad. pæoniæ an. ʒ ſ. cum ſyrupo conſeruat. citrij, & ſyrup. reg. Sabo. Fiat conditum foliis auri copertum.

Habeat bracteolas auri domi, vt vtatur ſuo condito.

℞ theriaces & mithrid. an. ℥ j. ſ. conſeruar. anthos, meliſſ. ſtœchad. an. ℥ ſ. diamargar. diarrhod. abb. an. ʒ j. aromat. roſ. ʒ ſ. coral. ʒ j. viſci querc. ʒ ij. cranij hum. ʒ j. cum lib. ij. aquæ decoctionis ſalu. agreſt. ſem. iuniperi, ſeſel. rutæ, pæoniæ & rad. eius. Fiat diſtill. per alamb. de qua vtatur manè cum pauco ſaccharo ad dulcorandum, & tempore paroxyſmi.

Vngula alces eſt circunferenda in anulari digito.

Appendeat collo ſacculus ex radice pæoniæ, floribus ſtœch. viſco quercino, rad. pæoniæ, & ſemin. ſeſeleos.

Item *℞ cubeb. ʒ ij. nigell. rom. ʒ iij. maſtich. ʒ j. ſ.*

In paroxyſmo *℞ rad. azari ʒ j. oxymel. ſcyllitici ℥ ſ. aquæ ſaluiæ ℥ ij. fiat potus.*

℞ roſ. rub. & thuris an. ʒ j. ligni aloes ʒ j. Fiat puluis pro ſuffitu operim. capitis.

Item *commendatur decoctum ſarſeparillæ cum paſſulis, ſem. pæoniæ, ſem. citrij, & carduo benedicto.*

ANNOTATIONES.

I. *Autor libri de morbo ſacro omnia hæc ſymptomata enumerat contingere in epilepſia, quia humor pituitoſus ſanguini admiſcetur, & turbat*

corpus. Sed quæ illo loco dicuntur non planè vera videbuntur.

2. *Hippocrates lib. 1. de Diæta:* Morbi, *ait*, paulatim fiunt, & crescunt, & paulatim collecti affatim & aceruatim apparent.

3. *Hippocrates lib. de morbo sacro primus id obseruauit, vt propterea dicere possis epilepsiam non esse totius corporis conuulsionem.*

4. *Hippocrates lib. de morbo sacro spumam in epilepsia à pulmonibus esse ait.*

5. *Mirum quod scribit Hippocrates lib. de sacro morbo, Epilepsiam fieri per oppletionem interceptionemque venarum ob phlegma à capite descendens. Sic non est necesse solùm consistere in cerebro vt id fiat, sed venas alias oppleri & intercipi necesse est. Et locus multò magis est notandus par. 27. lib. 4 Acutorum, vbi loquitur de Apoplexia & Epilepsia, & morbis qui ἀφώνους reddunt. Interceptiones & oppletiones venarum sunt cùm humores in venis continentur, & in iis conculcantur (quod siccescere vocat Hippocrates, sed impropriè, vt monet Galenus.) Quod si illi humores fluentes diuertant in locos venas ipsas tenentes, fiunt apoplexia & epilepsia, ait Hippocrates, quod probat Galenus. Per locos intelligit cor, hepar, venam cauam. Ergo ex illo loco patet hepatis, aut iecoris, aut cordis occupationem ab eo humore qui priùs in venis erat, epilepsiam & apoplexiam facere. Non meminit cerebri: quanquam de eo potest idem intelligi. Sic colliges apoplexiam & epilepsiam fieri quando loci, id est partes principes occupantur, & eorum capacitates: Conuulsionem & paraplegiã quando venæ ipsæ occupantur.*

6. *Hippocrates lib. de morbo sacro cùm docet cur pueri fiant epileptici, non recurrit ad infirmitatem generis neruosi, sed excellentiorem multò rationem confingit.*

7. *Ac reuerà cùm Galenus in 4. Aphorism. disputat de rigoribus, ait diathesin esse causam symptomaton & paroxysmorum reducum (nullâ factâ materiei ipsius mentione) tacitè innuit in morbis periodo redeuntibus plurimùm posse diathesin. Ideò Hippocrates ait,* Epilepsia natus annos viginti non prehendit, nisi morbus sit σύντροφος, *non quod necesse fuerit corripi ante annum vicesimum, sed quòd dispositio sit in cerebro: & hoc vocat* σύντροφον εἶναι νοῦσον.

8. *Item subtilis hæc ratio potest reddi: Morbi qui in pueros incidunt, maximè ad nutricatum sunt referendi, cùm videlicet aut mater per se malè disposita fuit, aut gestationis tempus in morbis & infirmitate consumpserit. Sed quorum morborum latens origo ad semen præsertim patris refertur, non ita in pueritia ij morbi pullulant & se produnt, quandiu valet natura, & nisi quid peccatum sit: sed ætate maximè progressa sese*

proferunt. Sic quoniam ſcitum eſt mulierem ſatam eſſe ſemine parentis aui epileptico, mirum non ſit ſi primâ ætate nil tale ſenſerit.

9. Ac reuerâ in tempore impręgnationis ſemper aliquid commemorabile contingit, ſiue in bonam, ſiue in malam partem. Vnde cùm ſuſpicio eſt grauiditatis, & dolor acerbus & longus dentium prehendit, tunc mulieres colligunt certò impręgnationem, quod abs re non dictum eſt. Et Hippocrates lib. 2. Epidem. 2. ſectione, meminit mulieris cui prægnanti exanthemata apparebant. Quod ſolemne illi fortè erat cùm concepiſſet.

10. Ad hanc difficultatem, quæ eſt, cur mulieribus malè ſanis ex conceptu commoditas proueniat: contrà ſanis maiora ſymptomata & deteriora eueniant: cùm contrà fieri debeat, pertinet locus notandus ad finem libri de Carnibus Hippocratis, vbi docet mulieres puras grauiùs affici initio conceptus quàm impuras. Et ſi impuræ afficiantur, non ita percipiunt. Obſeruatione autem dignum eſt quod Aphrodiſæus ait, conceptum eſſe actionem contra naturam.

11. Ex Hippocrate lib. de morbo ſacro, alia ratio multò acceptior afferri poteſt. Breuior eſt paroxyſmus ob ſanguinis dominatum. Ita enim pituita mali autor inferior eſt ſanguine, idcò non ita acceſſio producitur. Et ratio hæc eſt cur iuuenes facti epileptici diu non diuexentur. Hippocrates lib. de ſacro morbo, non bilioſos, ſed pituitoſos epilepſia attingit. Et in omnibus epilepticis vult congelationem quandam eſſe ſanguinis ob admiſtam ſanguini pituitam.

12 Et Galen. comm. ad aphor. 22. lib. 3. cùm reddit rationem cur epilepſiæ autumno frequentiores ait, id fieri ob repentinas ad contraria tranſmutationes; Calor enim media die frigus primâ & vltimâ diei parte vrget. Nil autem adeò comitiales acceſſiones, ſicut talis varietas, aptum eſt generare. Et hic locus obſeruatione dignus eſt, vt epilepſiæ obnoxius inæqualitates iſtas deuitet.

13. Si epilepſia à partibus inferis non eſt, idque ob copiam humorum intra vaſa contentorum, quorſum venæ ſectio? Niſi fortè ſpirituum quædam confuſio, aut ſanguinis cauſa eſſe videatur. Si in cerebro & diatheſis & cauſa eſt materialis, eáque à maſſa ſanguinis ſeparata, minùs quadrat venæ ſectio. Porrò ſi ab humore frigido eſt, quare non potius de nocte paroxyſmus prehendit, immò ferè interdiu? Ariſtoteles vult de nocte prehendere: ſed Hieronymus Gabucinius hoc confutat.

14 Vnde part. 24. lib. 4. de Diæta acut. loquens de morbis per oppletionẽ venarum, cuiuſmodi eſt epilepſia, & apoplexia, vt Galen. interpretatur, vult è brachio mitti ſanguinem. Illóque loco de plenitudine maximè mentio infertur.

CONSILIVM LXI.

Pro Sacrifico ad elephantiasim vergente.

SACRIFICVS cùm omnium intemperantissimè vixisset, & potiùs à pane & vino quàm à scortis temperasset, indéque bis aut ter lue hispanicâ laborasset, tandem ita affectus est, vt elephantiasis ei minari videretur: nec tamen verè erat elephantiasis. Tamen vt contingit sæpe eos quibus aut malè curata lues est, aut qui post sudamina intemperantiùs quàm antè vixerunt, elephanticos reddi, aut impetiginosos, aut strumosos & chæradicos; ita nil horum ab isto intemperante homine abfuit. Quin & crus dextrum totum ita induruit, multis locis chæradum argumento apparente aliquo, vt vix exigua spes salutis esset.

Itaque inito consilio ita prouisum morbo est. Ac primùm iussus est in totum abstinere vino, aut eo dilutissimo vteretur. Consultum est vt vesceretur carnibus elixis, & pullis nutritis pastâ ex carne colubrorum factâ. Theriacâ bis aut ter septimana vteretur ad ʒ j. cum aqua melissæ, aut foliorum bryoniæ.

Bis mense Catholico cum ʒ iij confect. hamech purgaretur.

Aperiretur vena basilica sinistra.

Balneis aquæ dulcis vteretur.

Decocto melissæ, buglos. borag. lupul. & cerefolij addito momento croci.

Foueretur per intumefacta decoct. herbarum remollientium, & digerentium, & præsertim gerennij, mercurialis, facta in aqua & vino albo.

Liniretur pars vnguento facto ex spolio serpentis cum axungia porci, radice cucumeris asinini & bryoniæ. Autumno autem vteretur decoct. sarsaparilliæ.

Eidem homini syrupus posteà ordinatus sequens.

℞. rad. lapat. acut. ℥ vj. serpen. maior. cort. rad. capp. ℥ iij. agrim. totius, adiant. cuscu. fumiter. scolopend. an. m. ij. 4 semin. frigid. maio. sem. endiu. fumiter. cuscut. fœnic. an. ℥ ß. passul. glycyrr. thamar. an. ℥ iij. fiat decoct. ad lib. 4. ℞ præd. decoct. lib. ij. dissol. oxy. simpl. lib. v. sacch. lib. j. fiat syrupus.

℞ residuũ, in quo infund. rad. elleb. nig. ℥ j. fol. senæ, ℥ iij agar. troch. ℥ ij. epithy. ʒ j. ß. cinam. & sant. citr. an. ʒ ij. ß. oxym. ℥ iij. sacch. lib. j. fiat syru.

CONSILIVM LXII.

De fluore vterino.

MVLIER optimo habitu prædita, quadrata, solita munia probè exercens, annos nata quadraginta, nunquam enixa, doloribus capitis affici non solita, conqueritur de quadam proluuie humoris albuginosi, præsertim cùm iam fluxerunt menses. Illius enim proluuiei eadem est periodus quæ & mensium. Durat quinque ferè dies. Non graueolet: non perseuerat, nec visa est anticipare, aut tardare. Hîc quæritur vnde hoc? Dolet maximè lumbos & hypogastrium. Initum est consilium quo malo huic occurratur. Ego verò ita de morbo disputaui.

Vt fœda humorum proluuies longo tempore fluens adtabem & maciem corpus adducit, ita intempestiuè suppressa plurimorum morborum prouentum affert. Vnde antè narratum est de vetula cui fluor muliebris multorum annorum repentè repressus diabeten, & tandem mortem attulit. Id de quo queritur mulier hæc, symptoma quoddam vteri est, cuius causa aut in capite, aut in visceribus, aut in vtero est. Hinc enim gonorrhœa muliebris contingit, vt & virilis, non fœda tamen, hinc & fluor muliebris originem ducit, quem Auicennas non ineptè cursum matricis appellat: Gonorrhœam esse id persuadet, quòd & ex interuallis repetat, non autem continuò vexet, vt & fluor verus mulierum facere solet, sed velut stato circuitu post menstruam purgationem. Vnde aut semen est, aut quædam materia seminalis crudior quæ in nutrimentum fœtus consumeretur si vterum gestaret. Secundum argumentum: Non graueolet, nec fœdum est, vt esse solet in vterino fluxu, sed est quid albumineum, aliquando serosum: fortè phlegma crudum est falsò semen repræsentans. Tertium argumentum: Cùm boni admodum habitus sit, cùm sit restibilis fœcunditatis, tamen vtero nunquam gestasset, fieri potest vt multùm seminis crudi cumularit, si modò semen vocari debet. Hinc fit vt aut copiâ, aut imbecillitate vasorum, aut testiculorum mulieris excretio fiat illa periodica.

[1] Contrà verò afferri poteſt, ſi vterinus fluor eſt, aut eſt à capite, aut ab hepate, aut à toto corpore, aut ab vtero ipſo. Si in vtero, aut illic eſt humiditas immodica, aut vlcus, aut malum aliud latens eius fluoris ſcaturigo. Malum illic reſidere arguunt dolores ad lumbos, crura, & inguina. item ad imum ventrem. Ab aliis partibus non eſſe hoc arguit, quòd cachexia nulla ſit, quam tamen adeſſe eſſet neceſſe, præſertim ſi ab hepate eſſet Tamen nulla ſenſio eſt vlceris in vtero, etſi vlcus eſſet aliquando ſyncope adeſſet, & quod efflueret, dyſodes eſſet. Item ſi malè affectus eſſet vterus, aliquid eius affectionis corpus referret. Nam ex Galeno in Aphor. vt vterus affectus eſt, & ita corpus; quod notandum eſt. Item & facilè patitur congreſſum viri, quod non ſolent mulieres quibus ab vtero fluor eſt præſertim.

[2] Vt de muliere typographi in via D. Iacobi conſtat, quæ cùm annos aliquot duritiem in imo ventre habuiſſet, tandem ῥῷ γυναικείῳ facta eſt obnoxia, & congreſſum non patitur, præſertim ſpermatis appulſum.

Quod autem non continenter effluat vt aliis mulieribus fluorem patientibus contingit, id habet aliquid peculiare. Reuerâ variant morbi pro corporum diſtinctione.

[3] Res cùm ad examen adducta fuit, de ea ita nos tandem iudicauimus. Malum hoc eſt fluoris vterini ſpecies, non verè fluor, quòd non ſit continuus, quòd non olida fœdáque materies excernatur, quòd ſit periodica, quòd ſit veluti albuminea. Eſt autem quædam materia pituitoſa quæ non admiſcetur toti ſanguini, quæ ſi in inteſtinis contineretur, iliacas & colicas paſſiones inferret, & illa continetur quaſi ſegregata circum partes vterinas, reſeratíſque venis per menſtruam purgationem, quâ datâ viâ effluit eius nonnulla pars: reliquum verò reſiſtit, grauitatem in partibus illis inferens. Et niſi tandem ea materia reliquis humoribus remiſceatur, fieri non poteſt vt conualeſcat.

In hoc affectu curando nec impensè calida & aperientia, nec aſtringentia ex vſu eſſe poſſunt. nam illa perturbant nimis: hæc inferrent grauiora ſymptomata illum humorem ſupprimendo. Itaque viſum eſt commodum ſi vteretur clyſteribus ex decoct. arth. nep. centaur. min. agrimon. origani, abſynth. mercur. cum maluis, ſeminibus calidis & temperatis, diſſoluendo confectionem Hamech.

Pro purgante medicamento ſumat rheum, agaricum, cum

confectione Hamech. Deinde aperiatur vena basilica. Tádem parato corpore vsu rerum aperitiuarum vtatur decoct. foliculorum, agarico, & puluere hieræ, quæ in hoc corpore suspecta esse non debet, tametsi sit visceribus præcalidis, quod aloe non transcendat hepar. Tandem per decem dies vtatur decocto sarseparil. cum semine pœoniæ & cardui benedicti. Repetantur clysteres frequenter. Paretur syrupus ex folicul. agarico & turbith.

In simili affectu ad exigendas humorum reliquias maza pilularum instituta.

℞ *aloes lotæ ℥ ij. aristoloch. rotund. ℥ ß. myrrhæ ʒ ij, castor. ʒ j. ß. cum syrupo de hysop. fiat maza.*

℞ *lixiuij clari, cineris sarmentorum lib. vj. bulliant folior succorum salu. menth. absynth. orig. calament. thymi, aneth. chamam. an. m. j. mastich ℥ j. fiat fotus pro imo ventre.*

℞ *vernicis, mastich. carab. an. ʒ ij. nucis mosch. caryophyll. an. ʒ j. fiat puluis groß. pro suffitu vteri.*

Hîc præclara quæstio proponi discutíque potest, quî fiat vt sæpe mulieres fluore muliebri præhendantur, an quòd vterus attrahat, an quòd humores eò ferantur. Magni enim momenti est scire vtrum fiat, cùm controuersia sit de vtero an attrahat, an non. Nam si vterus attrahit, minùs valida esse debent medicamenta, quàm si non attraheret, vt paulò post docebitur. Hac de re procerum artis medicæ audienda opinio. Galen. cap. 22. lib. 5. de simpl. med. facult. docet distinctionem eorum quæ menses, lac, & vrinam prouocant: quæ tametsi in nonnullis consentiant, tamen in natura specifica plurimùm distinguuntur. Nam lacti prouocando conferunt calfacientia, non desiccantia: mensibus magis calfacientia, non valenter desiccantia. Vrinæ calfacientia & desiccantia. Rationem autem reddit Galenus eodem capite cur valentiora in mensium prouocatione, quàm lactis vsurpentur, primùm quòd vterus nil conferat ad delationem sanguinis & attractionem: mammæ verò contrà. Nam mittitur sanguis menstruus in vteri venas, non attrahitur: in mammas non tantùm mittitur, sed attrahitur, ideò leuiore præsidio opus est, adeò vt medicamenta lac in mammas conferentia menses mouere non possint. Præterea vteri venæ magis aperiri debent quàm mammarum venæ: propterea calidioribus multò vsus esse debet. Tertiò sanguis qui ad vterum fertur

cur materiam menstruam suppeditaturus fluxilior esse debet quàm is qui est ad mammas futura materia lactis. Itaque opinione Galeni vterus non attrahit. Tamen cùm duplex sit attractio, vna particularis, quâ vnaquæque pars sibi id quod proprium est attrabit & allectat; altera communior, quâ partes quę commune quoddam officium in corpore habent, attrahũt quoque, siue quod attrahitur sit familiare, siue tantùm sit excremẽtum: vtraque ratione videtur vterus attrahere; quo fit vt Galeni opinio minùs probabilis esse videatur. Nam cur non attraheret vt & reliquæ partes? Et si in cerebrum humorum raptus fit, & vaporum, cur non potiùs in vterum? Propterea Hippocrates scribit, *Intra hominem partes alliciunt vesica, caput, vterus in mulieribus. hæ enim omnes manifestè trahunt, & semper plenæ sunt attractæ humiditatis.* Quæ Hippocratis authoritas sententiã Galeni planè labefactat. Nec plus temporis in iis rebus terendum putamus, cùm certum sit vterum attrahere. At tantâ facultate tractus præditum esse, quantâ & mammæ, non est credibile. Cordi enim propinquiora vbera attrahunt magis, vterus verò cùm in fundo situs sit, potiùs fit humorum deturbatio, quàm attractio. Et hæc mehercules probabilia videntur.

ANNOTATIONES.

1. Reuerâ ex Hippocrate lib. 1. de morbis mulier. fieri potest vt quarumdam mulierum & vterus sit humidior, & eius acetabula mucore sint plena; vnde concipiendi, retinendíque & seminis & fœtus difficultas sic profluuiũ si quod euenit, non multorum dubium est, tamen propriè ipsius vteri esse dicetur.

2. Aut nisi vlcus est, quanquam defleratio propter acrimoniam humoris contingens potest difficultatem congressus afferre.

3. Frustrà hîc dubitamus quæ huius morbi natura sit. Nam est profluuium muliebre, non illud quidem quod vulgò apparet. Et Hippocrates primus hoc animaduertit lib. 2. de morbis mulierum, cùm quadruplex profluuium explicat. Sed inter cæteros locos vnus est lib. 1. de morbis mulierum, vbi ideam huius morbi explicat.

CONSILIVM LXIII.

De Voluulo.

IOANNES Puthomme post curas aliquot, & intempestiuas comessationes in quibus liberaliter satis genio indulgebat, nec mero parcebat, rerum domesticarum curam gerens, quod nunquam solitus fuerat, per aluum inferiorem satis largam sanguinis copiam profudit. Huic solemnis erat euacuatio per venas hæmorrhoïdales: tandem veritum est ne si immoderatiùs sanguis ille flueret, de viribus nimiùm detraheretur. Ei bolo cassiæ, & meo iudicio venæ sectione consultum est. Malum cessauit. Non ita longè post queritur de doloribus acerrimis ad vētrē in modo colicorũ dolorũ ægrum vexantibus. At colica passio non erat ea quæ propriè dicta est, pulsus erat citatus: vrinæ alias aqueæ, aliàs bile saturatæ: ad vtrumque renem dolor erat fixus, ac si in partibus illis aut lapis insideret, aut aliquid simile: nullum ventum flatumque per ventrem emittebat. Clysteribus iuuabatur, sed momento tantùm. Ægrescebat medendo. Indita enemata carminatiua nihil aut parum adiuuabatur. Aliquando magnam vrinæ copiam profudit. Insomnes dies noctesque ducebat: perpetui ructus erant: necnon ac si imminéret præfocatio, sentiebat dolores summos ad sternum, & thoracem. Regio renum appressu leui dolebat grauissimè. Si quiesceret dolor per tempus breue, mox acerbior redibat. Nil vomuit. Si colica passio fuisset, aut dolor colicus, vomitus aliqui aut præcessissent, aut adessent, vt ex Galeno patet. Tamen nil tale apparuit. Borborygmi aliqui aderant sine tumore aliquo. Venter non detumuit. Medici inter se digladiabantur de essentia morbi & natura. Alij tanquam colicâ laborantem variis remediis calidissimis eum fatigabant, agarico, foliculis, syrupo rosarum solutiuo. Denique magnam frigidorum humorum copiam esse rati, eò suam conuertebant operam, vt calida medicamenta & phlegmagoga præscriberent. Nil est profectum: sed ægrescebat medendo. Aluus verò perpetuò sicca remanebat, & nil reddebat nisi, quod vocat Hippocrates, πρὸς ἀνάγκην. Flatus verò omnis exitus precludebatur, immò quod à Pharmacopœo

Com. in aphor. 1. sect. 1. li. 6. Epid.

relatum eſt, cùm clyſma indebatur, recti inteſtini pars extrema contorta paulùm videbatur, & non niſi vi iniiciebatur, & glans immittebatur. Cataplaſmatis anodynis dolor leuabatur. Dicebat ſe tumultuantes quoſdam flatus ſentire, non quomodo in colico dolore, ſed efferi erant quidam flatus diuellentes membranas, & dolores & profundos in meſenterio excitantes, & ſublimes in peritonæo tunica, vnde minimo digitorum appreſſu eiulabat præ dolore. At in colicis doloribus nil tale contingit. Nulla per os excretio fiebat. Alii autem Medici, & multò acutiùs, veriúsque obſeruatâ victus ratione, quod multis & generoſis vinis aſſueſſet, genio indulſiſſet, ſuſque deque habitâ diætâ vſus fuiſſet. Item obſeruato pulſu inflammationis cuiuſdam in toto meſenterio latentis indice. Prætereà obſeruatâ illâ per anum ſanguinis excretione, quæ repreſſa aliquantum fuiſſet, quod ne immodica foret Medici vererentur, cùm fortaſſis melius fuiſſet cum nonnulla virium iactura affatim adhuc ſanguinem effluxiſſe. Omnibus (inquam) iis obſeruatis collegerunt in toto ventre inferiore voluuloſam eſſe quandam affectionem ab inflammatione quadam, aut potiùs calore concepto in toto meſenterio & inteſtinis ex olida putríque materia flatus malignos excitante, vnde torminoſi dolores & ructus perpetui, & ſtomachi ſine vomitione occultæ ſubuerſiones. Quæ materia reſes, & ignaua, & pigra erat, ea ſenſum doloris modò grauis, modò pungentis in profundo præſertim ad renum regionem excitabat: eleuatus verò ex eadem malignus ſpiritus vagos erraticosque στρόφους prouocabat. Neque verò materiam iſtam pigram neceſſe erat efferri, ſed in parte in qua reſidebat dolor excitabatur, qui ab eadem parte tanquam radice ſeſe ſenſim inſinuando ac propagando in partibus vicinis dolorem excitabat. Hanc doloris ideam Galenus videtur vocaſſe πόνον διαιόσοντα, vertunt *turgentem: qui nimirum à parte primò affecta, veluti à radice incipiens, celeriter in partes adiacentes traducitur.* Nam cauſa morbi vno loco conquieſcit. Vel enim dolorem ἐμπεπαρμένον vocare poſſumus, *in fixum*; ſed tamen aliæ partes, præſertim ſi qua ſit continuitas affici poſſunt. Cauſa illius doloris vel eſt copia humorum confertim ingruentium, vel ſpiritus flatuoſus. Sed reuerà, vel ratione ægrotantium rem non intelligentium, vel rei ipſius quę per ſe obſcura eſt & implicita, difficilis admodùm eſt cognitio ſpeciei doloris. Dolores autem iſtos reciprocos, reuolutos, re-

Cap. 7 l. 2. de loc. aff.

ductósque Hippocrates in Prorrhet. vocat χιοπόμοις; atque illo aphorismo mihi videtur quodammodo adumbrasse morbum quo miserrimus iste æger cruciabatur: *Quibus* (ait) *lumborum tenues & diuturni dolores & ad hypochondrium reducti, reuolutíque, & ciborum auersio cum febre, dolor his valens contentúsque ad caput perueniens citò cum quadam conuulsione interimit.* id est: Sæpe circũ præcordia & mesenterium residet & restagnat materia olida putrisque; quæ si contingeret aut cholera morbus, aut vehemens alui fluor, nullam molestiam planè afferret: sed cunctando varia inducit symptomata, initio quidem exiguos & torminosos excitat dolores, sed sensim atque sensim ac magis collecta, & exitu prohibita, maiores malignitatis neruos nacta tandem fastidium cibi accersit, & febrem: rursus febris materiam deteriorem reddit. Tandem aliquando effera magis reddita quaquauersum erumpit, & suæ malignitatis notas edit, prout in hanc aut illam repserit partem. Quod certè huic ægro contigisset, si febris maior fuisset, quæ materiam deteriorem reddidisset, & nisi materia coërcita intus fuisset ibus nostris.

Init. cap. 7. lib. 2 de loc. aff. Hip. par. 8 lib. 5.

Præterea frequentes clysteres iniecti, medicamenta præscripta, tametsi minimè idonea, tamen impediuerunt quominus exaggeraretur humor, taliáque symptomata ederet tandem, qualia in Prorrheticis ab Hippocrate describi diximus. De doloribus χιοπόμοις dictum in Definition.

Aut certè eum morbum speciem quandam voluuli esse dicemus, sumpto nomine voluuli non strictè, sed latè, vt apud Hippocratem sumitur; Ait enim phlegma à capite descendens voluulos diuturnos excitare, id est, dolores iliacos, & voluulosos, & torminosos, in quibus imus venter & hypochondrium vtrúque dolet. Nec enim credibile voluulum morbum esse diuturnum, nisi impropriè sumatur. Cùm itaque intestina tum ob flatus nonnullos, tum ob copiam humoris maligni in mesenterio & intestinis collecti dolent, & totus venter, eáque torqueri quodammodo, conuoluíque (Græcè εἰλεῖσθαι) videntur, voluulosa dicitur passio, vt ex Hippocratis loco superiùs adducto patere potest. Simile quid apud Hippocratem legere est in lib. de affectionibus, vbi triplicem voluulum constituit; vnum hyemalem, vt cùm quis nimio victu calido & humido vtitur, & non sese deambulationibus dedit, &c. Alium arcuatum, qui æstatis tempore in regionibus palustribus prehendit, & æstiuus dicitur

Lib. de internis affectionibus.

voluulus, in eóque æger auruginosus fit. Tertium hæmatiten & autumnalem, quem eodem loco describit. Nomine voluulorum intelligit quosdam dolores torminosos voluulosósque ob prauam diætam aut temporis intempestiuitatem nascentes, qui pro diuersis effectibus & temporibus in quibus pullulant, varias conditiones & nomina sortiuntur. Æger noster hæmatete & autumnali voluulo præhendi visus est. Nam vt antè demonstrauimus, sanguinis fœculenti residuum erat aliquod ab excretione quæ præcesserat, à quo prima mali labes. Et tale quid Hippocrates visus est obseruasse in Coacis, *dolores ex lumbis diuturniores febris tertianæ modo exacerbantes* (id est, quorum dolorum non semper est acerbitas, sed vnius diei dant inducias, ac si motum quendam haberent tertianum) *grumosum sanguinem egerere faciunt*; id est, dolores isti excitantur à conclusa in ventre materia nigricante, adusta; & veluti sanguine fæculento existente, quorum remissio non fit, nisi eiusmodi materiæ fœculentæ aut ob putredinem, aut moram diuturnam nigritiem adeptæ, è corpore fiat exclusio. Quæ omnia diligenter sunt notanda. Et Fernelius dolores ventris non absimiles doloribus colicis (cùm tamen non sint) agnouit quodam circuitu periodoque repetentes, in quibus ægri miserè conflictantur. In hoc ægro dominabatur calor præter naturam, flatuum malorum quales in libro de flatibus describit Hippocrates, copia & vis excitabatur, meatus non erant liberi, vnde exitu prohibebantur, & reuolui cogebantur ad superiores partes: denique materia non dissipabatur, ideò flatum non emittebat, nec cum bombo, nec sine bombo, stridore: de quibus flatibus Hippocr. in Prognost. *Flatum emittere sine bombo & stridore, saluberrimum*: quòd significetur vis caloris facilè materiam dissipantis; item libertas meatuum: & tamẽ optabilius vnà cum bombo flatum excludi quàm illuc reuolui. Reuolui autem Græcè dicitur ἀνειλέεσθαι. Itaque ad etymon & proprietatem nominis εἰλεῶ alludit senex. Porrò reuoluitur flatus cùm non exit, aut incendio partis, aut deprauato motu intestinorum, proprio autem vitiato: & ista flatuum deuolutio in tenuibus intestinis tormina parit, aluum pulsat, nauseam excitat, & si ad diaphragma appellens respirationem vitiat: quæ omnia in ægro paruerunt. Nam & tormina in tenuibus intestinis excitata sunt, & nausea aderat, & aliquando species quædam suffocationis; quæ omnia ob flatuum reuolutio-

Cap. de colico dolore.

Part. 24 lib. 2.

nem ad ſuperiora contigerunt; reuolutionem autem peperit & incendium, & motus deprauatus inteſtinorum. Horum quoque demonſtratio peti poteſt ex lib. 4 Aphor. cùm ait: *Queis ilia ſuſpenſa obmurmurant, lumborum dolore ſuperueniente alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut vrinæ profluuium conſequatur.* Hæc verò in febribus. Murmur etenim fit ex flatu iunctâ humiditate; ſi non ſeparetur flatus à materia, aluus neceſſariò humectatur; ſi ſeparetur, aluus non humectatur, ſed aut flatus, aut vrinæ excretio fit. Et quod addit, *in febribus;* conſiderat vel febres ſymptomaticas, vel febres eſſentiales. Symptomaticæ ſunt vt in pleuritide, peripneumonia, in quibus ſi murmura oriantur, aut ſuſpendeant hypochondria, non perinde tamen aut flatus erumpunt, & murmurita contingit, vt aut vrina fluat, aut aluus feratur. Si enim murmur adſit, non eſt quid ſecundùm naturam, ſed tantùm quid ſymptomaticum: propterea humiditas murmuris cauſa, naturâ duce non facit aut alui, aut vrinæ profluuium. Sed in febribus eſſentialibus, quia non pars aliqua peculiariter laborat, ſed totum genus venoſum, œconomia naturalis laborat, vitiatur coctio, hinc à cruditate flatus ſurgunt cum murmure: [2] hinc naturæ motu aut ij flatus erumpunt, aut vrina fluit, aut aluus. In ægro noſtro vrina aliquando largè fluxit, vnde diabetæ metus eſſet, factáque humidæ materiæ erat ſecretio ad renes, dolores tamen non ceſſauerunt, quia flatus non ſimul eruperunt: quod ſi erupiſſent, facta fuiſſet dolorum ſolutio.

Aph. 73. lib. 4.

Itaque intemperies erat calida flatus excitans, motus inteſtinorum deprauatus, anguſtia venarum. Idemque contingeret quod & Galenus contingere ait in melancholia flatuoſa; vt legere eſt lib. de locis affect. Sed quæri poteſt, quomodo flatuoſa eſſet aluus inferior, cùm calor eſſet multus, immò & eſſentia morbi in calore & intemperie & phlogoſi conſtituatur? Nam ex Hippocrate, icterici non valdè ſunt flatuoſi, ob dominatum caloris acris, & paucitatem crudi humoris qui flatuum eſt materia. [3] Nam tametſi in 4° Aphoriſmor. habitualis & hectica inteſtinorum & ventris inferioris diſpoſitio hydropis ſicci cauſa ſit, & inflationis ventris ipſius, non tamen iſta habitualis diſpoſitio à calore eſt, ſed à frigore; quanquam tantum non eſt quantum in reliquis hydropis ſpeciebus. Dicemus ictericos quidem non eſſe flatuoſos per ſe, ſed per accidens, nimi-

Cap. 7. lib. 3. de loc. aff.

Aph. vlt. lib. 5.

Com. in apho. 73. & 11. lib 4.

rum si partium ad ventrem attinentium sit imbecillitas. Maximè autem imbecillitas contrahitur ob paupertatem caloris naturalis, & dominatum caloris contra naturam omnia peruertentis; immò & omne alimentum in corruptelam & malignum spiritum conuertentis. Quod si corpus in quo intemperies est calida, ab omni crudo humore immune esset, flatuum quidem ilias non glisceret: sed si qua crudorum succorum quantitas sit, facilè adaugetur ob calorem contra naturam. De ictericis an flatuosi sint, an non, dictum à nobis in Comment. de Definitionibus Medicis.

Ceterum, indicauit abundè curatio qua ex causa morbus foret. Nam cùm immedicabilis per multos dies permansisset, vsurpatis præsertim validioribus medicamentis rerum quæ sequuntur, vsu plurimùm est adiutus. Primùm relictis grauioribus enematis, in blandioribus statum est. Vena secta ter vt inflammatio tolleretur. Sanguis inflammatus & corruptus. Iuscula temperata & insulsa data sunt. A vino temperauit. Ter die in balneum descendit temperatum ex aqua dulci. Sequenti die data tabella diacarth. ex iusculo pulli ad dacrydij vim debilitandam. Deinde rursus in balneum descendit. 4 Paulò post morbus cœpit humescere, phlogosis temperari, liberari obstructa, flatus erumpere: erumpentibus alleuatio multa. Deinde syrupo violato sæpè vsus, & potione sequenti.

℞ *sem. melonum, cucum. an. ʒ j. ſ. sem. citrij & fœnic. an. ʒ j. granorum alkeken. & Kermes an. ʒ j. malu. bismal. & scabios. an. m. j. cinnamomi ℈ j. fiat decoct. ad dosim. In colat. dissol. vini hippocratici ℥ ſ. succi amygdal. dulcium ℥ j. ſ. vtatur longè à pastu.*

Repetatur idem poculum sæpe.

Item fotus post balneum adhibitus est sequens:

℞ *malu. bismal. an. m. j. florum chamæm. melilot. summit. aneth. an. m. ſ. absynth. pont. menthæ, an. m. ſ. semin. lini ℥ j. cypper. screnan. an. ʒ iij. ben albi, ben rub. an. ʒ j. Fiant sacculi qui bulliant in aqua & vino pro fotu ventris totius & ventriculi, cum spongia.*

A fotu liniatur oleis sequentibus:

℞ *butyr. recent. ℥ ij. muccag. sem. lini & altheæ an. ℥ j. puluer. mastich. & cypperi, an. ʒ j. ol. absynth. mastich. & chamæm. an. ℥ j. ol. rosati ʒ ſ. aceti ℥ ſ. misce, fiat litus ad ventrem totum.*

Item adhibitus pullus gallinaceus & catulus ventriculo.

His remediis leuatus. Cessantibus ventris doloribus grauis-

ſimè illi doluerunt partes extimæ, præſertim genua & pedes.

ANNOTATIONES.

1. *Si verè morbum illum nominare velis, ſpeciem quandam choleræ ſiccæ appellares, de cuius notis & ſignis dictum eſt antè.*

2. *Vrina erat pene cruda & incocta, quod declarabat incendium renum præproperè ſerum attrahentium: & ſuppreſſionem humoris biliosi, quæ ſuppreſſa malum deterius reddebat.*

3. *Eſt vbi qui ſunt icterici ſunt flatuoſi, eſt vbi non ſunt flatuoſi, ſecundùm ſententiam Hippocratis. Nam cùm ſit icterus per inflammationem partium, nec pituitoſa crudáque materia ſubeſt quæ in flatum vertatur, tunc abſunt flatus. Sed ſi aut præceſſerat congeſtio materiæ pituitoſæ aut chyli propter prauam ſimarum hepatis diſpoſitionem, corruptio ſequitur, etiam in ictero poteſt eſſe flatuum multitudo. Vel dicemus ex agitatione materiæ crudæ, & caloris contra naturam excitatos eſſe flatus malignos. Idemque factum eſſe quod in generatione flatuum, de qua in noſtris Definitionibus. Galenus comment. in partic. 21. lib. 4. Acutor. ait à ſpiritus interceptione non inferri flagrantem hypochondrio affectionem. Quod verum eſt. Sed flagrans in hypochondrio diſpoſitio poteſt flatus excitare.*

4. *Quod mirum eſt quieſcentibus poſt balnea doloribus ventris & renum, cœpit dolere tibias & malleolos, adeò vt per omnes noctes clamaret, nec vllâ ratione ſedarentur. Hunc morbum graphicè explicat Hippocrates, lib. de intern. affect.*

CONSILIVM LXIV.

De Febre quartana.

ILLVSTRIS Domina de Palluaquea in quartanam incidit circa menſem Auguſtum, cùm tempus æſtiuum totum inæquale fuiſſet. Verè enim ab Hippocrate literis mandatum eſt, *Cùm eadem die modò calor, modò frigus apparet, autumnales morbos parit.* Iſta enim inæqualitas naturæ infeſta eſt. Hinc febrium erraticarum quæ quartanarum ſunt prodromi origo. Hoc autem ideò fit, quòd temporis diuturnitate corporis habitum ſiccent, ac humores adurant. In Græco eſt διὰ τοῦ ἐλλείμματος quidam ver-

tunt, ob pituitam, nos autem, propter calefactionem, retorrefactionemque vertimus: vt ista calefactio sit causa incinerationis; hinc sensim corpus refrigescit, resiccaturque, vnde propensio in quartanam. Vel potiùs nomine φλέγματος audiemus pituitam siccam, crassam, retorridam, non autem humidam ac serosam. Hæc nobilis mulier temperamento est satis sanguineo tamen deuergente ad siccum quam ad calidum. Et cum τῶν ἐξερύθρων duo sint genera, alij calidi & humidi sunt, hepaticíque dicuntur, & multùm sanguinis generant, pulsus habent plenos, elatos, magnos; multùm sumunt alimenti, febribus continuis, synochis, putridísque sunt obnoxij; & cùm perspiratione careant, fiunt melancholici, non atrabilarij, sed melancholici à fæce sanguinis & crassitie, & veras legitimásque quartanas habent, cùm sanguis non bene repurgatus, aut cùm plus æquo succrescit in corpore: & tales quartanæ sunt longæ quidem, sed securæ. De iis dixit Hippocrates; *Prærubri melancholici sunt*. Alij colorem habent rubeum, & hepar præcalidum habent: sed calor in humiditate positus non est, sed in nescio quo squalore, siccitate, humiditatis inopia. Et hi tametsi rubore aliàs fugaci, aliàs non fugaci perfundantur, suffundanturque, tamen hoc non est iudicium abundantis sanguinis, sed calidioris hepatis sanguinem acrem, subtilem, serosumque generantis. Sic sunt pauci sanguinis, pulsu satis celeri, non elato, non pleno, valetudinarij viuunt, serosis humoribus abundant, febribus longis, hecticis, hæmitritæis detinentur, fluoribus hepaticis; & si in quartanas incidunt, aliàs in inæquales quartanas, aliàs continuitatem habent, vtpote sanguine non humectato, nec corde, & inæqualitate in pulsibus perseuerante. Vrinas meiunt aqueas, & aliàs in quartanam incidunt atrabilariam, horrificã, quia humor biliosus serosus, dulci aqueo ac temperato humore non moderatus facilè excandescit, & in atrabilariam naturam immutatur. Priores ἐξέρυθροι facilè ferunt venæ sectiones, & ab iis non læduntur: posteriores non nisi cum summa difficultate; vix enim sese recipiunt, recolligunt, ac recuperant, & hypochondriacis morbis laborant, & obstructionibus mesenterij, & tenaces sunt, & mœsti, & facilè terrentur, & apprehendunt: immò in hydropem siccum facilè delabuntur, & prauas habent actiones vt hi qui febre laborant; nam febrientem habent vẽtrem. Alij medij sunt. Domina de Palloyseau media ferè est,

nam nec nimis ſiccum hepar, nec multâ humiditate temperatum habet. Domina Dorſæa accedit potiùs ad poſteriores, cùm pulſus habeat paruos, celeres, vix perceptibiles, colorem ſaturatum, fugacem, aliàs pleniorem, ſiccitatem ſummam; & vt ita loquar, igneitatem; vt mirum non ſit ſi tempore inæquali vtraque in febrem quartanam inciderit. Et quibus ita affectum hepar non tam ſæpè laborant, præſertim ſi ſibi in victu temperauerint: ſed cùm in morbum inciderunt eo vix ac ne vix defunguntur. Et tamen videtur febris eis morbus eſſe congener. Vtraque mulier nunquam habitior fuerat, nunquam plenioris vultus ac pinguioris, nunquam ad functiones paratior & alacrior: ſed vtrique ſolemnis erat quædam fluxio alui, quę dum fieret, vt erat vindex morborum, ita dum reſiſtit, ceſſatque, eorumdem eſt promotrix, aduocatrix & conſeruatrix. Vni quidem, quoniam cùm hepar aliqua ex parte ſiccius ſit & calidius, multa biliosa & ichoroſa generat, quæ aluum facilè turbant, ac emouent. Sed dices: Si hepar ſiccum, ſiccitas autem facultatem retentricem iuuat, cur non retinet potius? Dicemus autem quod attinet ad illam εὐεξίαν & εὐχροιαν, vtramque malam fuiſſe. Omnis enim εὐεξία & εὐχροια quæ præter rationem aduenit, quæque naturę legibus conſuetis non continetur, immò potiùs eſt ob veteris & ſolemnis euacuationis ſuppreſſionem, quàm ob partium ſolidarum repletionem & inſtaurationem, mala eſt vt ſignum & vt cauſa. Vt ſignum, quia cùm extenuationis ſint argumenta in aliis partibus, repletionis autem in aliis: inæqualitas illa nutritionis declarat ſolum abdomen plenum eſſe, meſenterium plenum, vnde vetus ſtercus retentum illam εὐχροιαν ſecundùm quid, non abſolutè bonam inducit. Quod ſi æqualis eſſet ea εὐεξία, declararet omnes partes ſolidas alimentum cepiſſe: vt cauſa autem mala eſt, quoniam morbos à cacochymia & à plenitudine indicat. A plenitudine quidem non ſanguinis, ſed humorum in abdomine contentorum, quæ plenitudo cum cacochymia confunditur. Hinc quibus mulieribus menſes, aut viris hæmorrhoïdes ſubſiſtunt, eæ impinguantur, an propterea bene habent? Non, immò eſt inſtar euexiæ athletarum. Et Hippocrates doctè lib. de morbis, dum de ſuffuſione pituitæ à capite loquitur, aut carnes rarefactas & excalfactas diffuſam illam pituitam facilè in ſe recipere, & poſteà εὐεξίαν inferre. Sed illa εὐεξία lubrica eſt, & periculi plena. Item libro Coacar. animad-

uerſionum, Coloris bonitas, & ſudores ſinefebre, aut inordinatam diætam docent, aut vetus ſtercus ſubeſſe. Veteris ſtercoris nomine poteſt audire euacuationem aliquam ſolemnem ſubſiſtentem. An hæc bonitas coloris bona eſt? Nequaquam: immò prodromos & anteſignanus morborum. Vt nec ea bonitas coloris quæ in peripneumonicis apparet. Ideò decipiebantur veteres, qui minimè contenti bonâ valetudine, & bonitate actionum ſanguinem & lacertos quærebant, ex cóque metiebantur ſanitatem, cùm quis ſucculentus & plenus, & bene habitus foret. Sed eos Galenus reprehendit. Sic non quoties quis ſaturato rubore eſt, dicere oportet eum eſſe valdè ſanum: nec item quoties quis ita affectus eſt, dicere oportet eum eſſe tẽperamento ſanguineo. Nam eſſe tales certũ eſt colores quale alimentum, non propterea tamen ſanguinis dominatum declarat rubens gena. Nam bifariam rubent genæ, aut propter ſanguinis abundantiam, & tunc eos ſanguineos eſſe dices, & ij quadrati eſſe ſolent, rudibundi, parum de rebus ſolliciti (niſi inclinante æſtate corpus minimè perſpiret) & liberaliores eſſe oportet in ſanguine mittendo: aut ob caloris exceſſum cum humorum ichoroſorum copia & dominatu, præſertim ſi in iis potiùs ſit ἀνωῤῥοπὴν, quàm κατωῤῥοπὴν. Scire enim oportet in aliis hepar ſuas habere inclinationes infernas, in aliis ſupernas. Vnde pedes ſępè quibuſdam ſunt frigidiſſimi, quibus manus calidiſſimæ: & contrà. Si ob caloris tantùm exceſſum, ij ſunt ſæpè macri, furioſi, bilioſi, mœſti, iniurioſi, iniqui, tenaces, mali, verſuti, melancholici; vrinas ſæpè aqueas habent, vtpote hepate exugente ſtatim ob calorem & ſiccitatem id quod humidum eſt, & multùm meiunt, quod falsò catarrhis attribuunt, cùm ſit veluti diabetica affectio; eo enim pacto affectum eſt hepar, quo aliquando renes: immò in renibus non poteſt non eſſe talis diatheſis qualis in hepate: facilè enim conſentiunt. Declarauit ille æger qui veluti diabeten habebat in vico de la Mortellerie, cùm certiſſima eſſent argumenta ſicci, ſqualidi, & arentis & calidi hepatis. Et hoc diligenter notandum eſt. Caue ergo ne valdè decipiaris iudicans de temperamẽto ſanguinis ex eo quod quis foret ſubrubeus; fallax enim id eſt. Hippocrates videtur aliam cauſam colorationis ſtatuere in ſuis libris; colorum mutationes fiunt corde venas laxante, aut eodem conſtringente; laxante quidem florentes, pellucidi,

Lib. de oſſ. nat.

rubicundi, constringente virides & ὑπόχλωροι. Ac si dicat in quibusdam per effumationem tantùm & vaporum emissionem colorem induci, qui vapores si retineantur, tum mala coloratio adesse solet. Sed id potiùs pendet ex dispositione ea quam diximus. Nisi dicas cor quoque plurimùm posse ob spiritus & calorem quem pulmonibus inducit. Vt quibus pulsus paruus & languidus, constrictusque, si color rubeus adsit, non vi caloris adsit, sed nescio cuius vaporis qui effertur. Quibus autem cor bene dilatatur, & sanguinei sunt, iis bona coloratio ex se. De febre autem quæ mulierem istam adorta fuerat, ita disputatum est. In omni morborum depulsione de morbo primùm constare oportet. Atque de morbo quidem quis, quæ idea, vt quæ huius aut illius corporis ἰδιοσυγκρισίαν sequatur. Nam pro corporum varietate euariant quoque. Si morbi species non statim se prodat, maior pars negotij naturæ committitur. Illa enim legitimâ vitæ ratione adhibitâ patefaciet id de quo dubitatur, cùm incerta medicatio non nisi dispendio decernatur. Hoc autem maximè in inconstantibus temporibus fit. Quod in hac muliere spectatur. [2] Nam qui morbus primò & per se (quod tamen raro vsu venit, & ideò declarat dîathesin iam in partibus factam) quartanum typum periodum receperat, mox eundem reiiciens confusus in sese est. Quartanam esse periodus declarat, ætas consentiens, tempus inæquale & autumnale. Vt quemadmodum eadem die modò calor, modò frigus fit: ita inæqualibus temporibus inæquales motus febres morbíque habeant. Et quod argumentum maximum dignotionis morbi, quodque Galenus 1. ad Glauconem plurimi facit, immò pluris quàm circuitionis formam, est quòd hoc tempore multi tales grassentur morbi. Contra tamẽ quartanam non esse aliquis doceat, quod nulla ferè ἀπυρεξία, cùm tamen Galenus asserat maximè in quartanis omne quod exustum est discuti ac euacuari. [3] Sed fortè de ordinatis intelligit. Item quòd accessio in sudores non desinat, quod tamen 1. ad Glauconem requirit Galenus. Quod acerrimus calor qualis in tertianis, quòd nullus rigor, immò ne horror quidem. Quod fit tribus de causis, aut quòd sensus præstantia non sit, quòd materies retusa sit, & naturam non stimulet, aut quòd nulla motionis vehementia. Cùm enim rigor motus sit multus, id est numerosas habens motiones, cum impetu, breue habens quietis tempus : horror omnia quidem ha-

Libr. de typis.

Gal. 1. ad Glauc.

3 de diff. febr.

ber, sed remissiora, frigus sine motu in cute sentitur. In rigore corpus concutitur, virtute cum humore lactante: in horrore cutis & musculi cum quadam lassitudine, pigritiâ, & mouendi difficultate concutitur. In frigore nulla concussio, sed sola cutis inalgescit. Rigorem afferunt sensus pręstantia, materia naturam irritans, & motionis vehementia. Si causæ hæ validiores, rigor inducetur: si remittantur, id est, sensus hebetior, materia minùs calida, acris, ad motum pigrior, virtus robusta, horror: id est, cutis & musculorum concussio. Tertianam veram rigor antecedit, quia caliditas exactiorem sensum reddit, humor mordicat, virtus robusta est ob siccitatem mediocrem quam habent biliosi. In quotidiana humoris frigiditate sensus obtunditur, humore robur fatiscit, materia nec mordet, nec facilè mouetur, ideò adest solum frigus. Quartanas & spurias tertianas & quotidianas quibus bilis admista, & semitertianas anteit, horror medium locum occupans inter frigus & rigorem. Nam causæ non sunt vt in tertiana validæ, nec vt in quotidiana languidæ. Et Galenus ait perfrigerationem aliquando tertianas anteire, & leuem rigorem, præsertim si virtus debilis, & sensus hebes sit. Immò (quod notandum est) permultæ continuæ, & quæ vnicâ finiuntur accessione, à leui rigore & frigore incipiunt, immò & pleuritides ob materiæ vel inæqualitatem & malignitatem: maximè verò id obseruatur in corporibus delicatioribus: in tertianis pulsus magni, vehementes, celeres, omnis inæqualitatis, præterquàm febrilis expertes. Magnitudo & celeritas ad robur arteriæ, vrgentem necessitatem & sequax instrumentum refertur: frequentia ad necessitatem, vehementia ad robur. Galenus lib. de typis, paruum & frequentem pulsum agnoscit. Sed locus erroneus est, & facilè iis assribo qui hunc librum Galeni esse negent.

Lib. de typis.

Nec enim ea paruitas pulsus in tertiana esse potest, sed in quartanis pulsus medio loco constitutus est inter pulsum tertianarum & quartanarum. Pulsus rari & tardi sunt, nisi increscat aut vrgeat febris. Nam postulante vsu crebriores & celeriores sunt, ita tamen vt natiua quædam tarditas & raritas maneat. Rari pulsus sunt, cum interpositis longis interuallis arteria pulsat: tardi cum longo tempore paruum spatium percurritur. In pulsu causa agens est virtus, quæ per

ſpatium arteriam mouet, ab eius medio ad circumferentiam dum diſtenditur, & eandem reflectit à circunferentia ad medium, interpoſitâ quiete dum contrahitur. Sic cùm vrget neceſſitas, ſpatiumque liberum eſt, & corpus arteriæ quod mouetur virtuti paret quæ agit; tunc pulſus magnus celer & frequens fit. Contrà ſi vſus non vrget, ſpatium non liberum, arteria virtuti non obſequatur, pulſus fit rarus, tardus. Nam nec vſus celer refrigerium deſiderat, nec ſpatium liberum eſt, ſed humorum vaporumque copiâ præpeditum. Inæqualitas in pulſu quartanariorum facilè deprehenditur etiam in vno pulſu. Cùm enim inæqualitas fiat vrgente neceſſitate, facultate obſequente, ſed motum interrumpente, impedienteque materiæ copiâ, aut craſſitudine, aut inſtrumenti affectu, vt obſtructione, aut compreſſione, vel conſtrictione inæqualitas neceſſariò inſequitur. Hæc omnia doctiſſimus Scholiaſtes & Paraphraſtes Galeni in priore ad Glauconem exemplis & hypotheſibus illuſtrauit: quæ omnia memoriâ ſunt digniſſima. Sed hæc intelliguntur de iis præſertim quartanis, in quibus ater ſuccus frigidus & ſiccus, calidus tantùm per modum putredinis febrem accēdit. Nam prout humor, aut eſt ἑτερογενὴς aut ὁμογενὴς; ita facultate validâ, aut infirmâ, vſu poſtulante, aut non pro conditione humoris, & inſtrumento hoc vel illo modo affecto; ita pulſus de raritate aut tarditate remittit, acceditque ad tertianarum aut quotidianarũ pulſum. Nam nemo dubitat pleriſque ſuccreſcere humores biliosos futuræ tertianæ parentes, qui tamen retuſi, debilitatique, alitérque affecti quàm deceat, aut quòd adſit autũnus iam, aut inſtet, aliam naturam accerſant, febremque quartanam inferant. Quemadmodum enim humor naturâ ſuâ frigidus, & talis à tempeſtate factus, cùm alioqui ratione ſuæ frigiditatis inferiora petere debeat, tamen ad partes ſuperiores conſcendit in iuuenibus, quod temperamentum calidum corporis ſuſcipientis & patientis humorem alium curſum motumque capere cogat quàm ipſa natura ſuadeat: Ita quoque humor natus ex ſe tertianam inuehere, ratione tempeſtatis poteſt tanquam de ſua diſcedens natura aliam inducere febrem Iſtam hypotheſim ex Hippocrate & Galeno deſumpſimus: reddit enim rationem cur iuuenibus parotides molles & pituitoſæ natæ fuerint, cùm materia ipſa cali-

Com. in part. II. sect. 1. l. I. Epid.

ginosa frigidáque foret, natáque ad generandos in partibus inferis abscessus: quia, inquit, iuuenes erant, vt calor iuuenilis materiam aliorsum conuerterit quàm à natura haberet. Nunc redeamus: Ergo in illa muliere hæc argumenta suadebant non veram esse quartanam, quòd nulla apyrexia, quòd accessio in sudores non desineret, quòd horror non esset; denique quoniã inæqualitas in vno pulsu quæ in quartanis maximè esse solet, vt antè dictum est, nec natiua tarditas varietasque adesset. Quod fit quòd exquisitus non sit humor atrabilarius frigidus & siccus, vt cinis; sed biliosus, qui tamen caliginosior factus, alius febris autor factus est quàm pro ratione sui, quòd vrgeat necessitas magis flabellationis, quàm in veris quartanis, in quibus quoniam humor frigidior sicciórque est, non tantam molestiam affert calor, immò in plerisque plus ipsa horrifica concussio conquassatióque molesta est quàm calor febrilis. Accedit quod in hac biliosa muliere non ita instrumentum præpeditum est vaporum à materia frigida siccáque elatorum crassitie & copia, debuerat incidere in tertianam, sed humor qui erat biliosus aliam naturam acquisiuit, immò & malignitatem, vnde quandam continuitatem afferebat. Nam illud est valdè notandum quod scribit Galenus, *Nulla febris cum inflammatione, aut maligna humorum putredine intermißionem habet: cùm verò intermittit febris, vtrumque abest.* At dices: Si quo tempore cacoethia humorum est, autumno maximè: ergo acutissimi morbi pullulare debent. Sed dicimus & acutissimos & longissimos morbos in autumnum incidere: hos quidem cùm potiùs congeries est fæcis quàm humoris maligni: illos verò cùm contrà fit. Ac quòd id accidat autumno, Hippocrates scribit, Primum, quòd quartanæ autumno longissimæ, & idem de aliis quibusdam morbis. De malignis ita scribit: *Autumno morbi acutißimi & exitiales magna ex parte.* Galenus rationem reddit, *quòd eodem die calor & frigus adsit: Item quòd æstatem autumnus sequatur, in qua assantur humores, & vires debilitantur: tum quia humores sub finem æstatis ad difflationem erant parati, appetente autumno intrò truduntur. Et hæc omnibus communia sunt, maiora verò ex multitudine prauorum humorum cum fructibus vsi fuerunt multis.* Idem quod in Aphorism. repetit, in Epid. & in lib. 6. *Ferinum autumno & cordis dolores, & horridum, & melancholicum.* Quadruplex

Com. in aph. 43. lib. 4.

Aph. 25. lib. 2.

Aphor. 9. lib. 3.

Lib. 2. Epid. sect. 1.

autem est feritas: vna, lumbricorum; secunda, maniæ; destilla-
tionis altera; quarta, cancri & elephantiaseos. Horum malo-
rum causas duas assignauit; vnam mali humoris qui tunc gene-
ratur abundantiam, alteram temporis illius inæqualitatem. De-
nique hoc tempore grassantur morbi mali ob cacoëthiam hu-
moris, venenatam qualitatem, inflammationem, impedimen-
tum partium principum, difficultatem curandi, cruditatem hu-
morum cacochymiæ coniunctam, temporis inæqualitatem, ob
adustionem ratione æstatis præteritæ: virium debilitatem præ-
terito tempore allatam, inclinationem humoris foris, intrò, &
præsertim manè & vesperi. Hippocrates enim vesperi morbos
autumnales maximè recrudescere: denique ob fructuum vsum
immodicum.

In muliere ista humor biliosus est dilutus quidem, & φλεγμα-
τώδης, efferatus tamen tam malam febrem committit. Et fortè
ille humor aliquâ tenuitate præditus, subigendo, tenuando, agi-
tando, causa est tam inæqualis ἐπισημασίας, vt idem faciat quod
theriaca initio febrium quartanarum data; hæc enim duplices
triplicesque quartanas facit, quia tempore & loco non præscri-
pta incidit penetrando, & vnum humorem diuidit, duosque ex
vno facit. Statim à sumpto cibo micat calor, aut ratione eius
subtilitatis: vel quia intus calor est siccus & arens, qui quemad-
modum in hecticis, rei humidæ accessu facilè facilè exuscita-
tur, & ἐκλάμπει. Quod ad curationem; Audito Quartanæ no-
mine statim ad incidentia, tenuantia, calfacientia, vel etiam
vehementiuscula confugimus: sed hæc omnia hîc locum non
habent. Nam ideâ distinguitur ab aliis quartanis. Maximè verò
diætæ ratio habenda, quòd futura morbi longitudo vires vali-
das requirat. Abstinendum glutinantibus, succum crassum
generantibus, humectandum: quanquam Galen. videtur in-
terdicere humectantia. Sed codex græcus erroneus est; nam
cùm dicit temperandum ἀπὸ τῶν ὑγραινόντων, legendum ξηραινόντων:
nam refrigerantia & siccantia nocent. Quæstio, an in quartana
sectioni venæ locus sit. Galenus in tertiana notha, & in quarta-
na, cùm de sectione venæ agit, ex hypothesi de ea loquitur. De
tertiana notha ita: *Si sanguinis missione opus est, ea non omittatur;*
quasi in tertianis nothis non probet necessariò venæ sectionē.
At Galenus de tertiana notha loquitur, quæ maximam affinita-
tem cum quotidianis habet. De quartana ita sensit: *Quartanas*
per

Lib. 1. ad Glauc.

1. ad Glauc.

ad Glaucon. 1.

per initia moderatè tractabis. Nullum vehemens medicamentum aut vacuationem adhibebis, nisi ſanguis admodùm exuperare videatur. Et ſi ſecta vena ſanguis niger ac craſſus, qualis maximè in lienoſis perſpicitur, profluat, audacter mittiendus; ſin flauus ac tenuis, ſtatim ſiſtendus. Idem Galenus de melancholicis loquens, diſſerit. *Cùm*, ait, *opinio erit in vniuerſi corporis venis melancholicum ſanguinem contineri, quo certiorem habeas notitiam, vena media ſecetur. Quod ſi fluens ſanguis non videatur melancholicus, ſiſtatur: ſin melancholicus appareat vacua quantum pro laborantis natura videatur.* Itaque de quartana ex hypotheſi loquitur; *Si ſanguis admodùm exuperet*: vbi notanda vis vocis *admodum*. Nec dubium eſſe debet quin ſi corpus frigidum ſit & ſiccum (quod corpus verè quartanis implicatur) à ſectione venæ temperandum ſit. At mulier hæc de qua res agitatur, calida eſt & ſicca, æſtuat, ſitit, iactatio, leuia deliria, empyreuma magnum, continuitas quædam, immò nondum ſtatus typus: metus orgaſmi, vrinæ ſunt flammeæ, mulier eſt. Mulieres autem luculentiores phlebotomias ferunt. Itaque ſecanda vena eſt opportunè. Purgationes non ita valent ne duplex quartana incidat: vt de Medico narrat Galenus, qui quartanario ſuccum cyrenaicum præſcribit, coniicitque ægrum in triplicem quartanam.

7. cap. l. 3. de loc. aff.

1. ad Glauc.

De ſignis prognoſticis ita ſtatuendum eſt. Omnis ſecuritas aut ex parte morbi, aut ſubiecti, aut vtriuſque. Morbus diuturnus, ſecurus ferè, vt ait Galenus paſſim: immò ab aliis morbis vindicat, ait Hippocrates. Quanquam Galenus docet comm. in partic. 4. ſect. 3. lib. 1. Epidem. eas febres quartanas, quæ ex liene ſequuntur, id eſt vitium aliquod peculiare in liene hydropem ſimilemque affectum prouocare: non quin propterea quartana eo nomine non ſit ſecura, ſed ex euentu id fit. Et neceſſariò febris hæc quartana longa futura eſt, primùm quod per ſe talis eſt, & maximè quæ hyemem attingit: deinde quia corpus inclinantis ætatis eſt, minimùm perſpirans. Tertiò quia epidemius nunc morbus eſt, vt quemadmodum tempeſtas eſt generatrix, ita & conſeruatrix eſſe dicatur. Niſi quis obiiciat morbum minùs longum fore, quòd ita ſit inordinatus: & quæcumque febres eadem horâ repetunt, ſunt ægrè ſolubiles. Hîc enim intelligi non debet de autumnalibus quos certa de cauſa erraticos eſſe diximus. Accedit quod huic mulieri lien ſit infirmus. Si autem infirmitas lienis æſtiuas quartanas facit, contra

Part. 7. ſect. 6. lib. 6. Epid. & part. 4. ſect. 3. lib. 1. Epid.

aphorifmum, ficut quodam loco Hippocrates animaduertit, multò magis conferet ifta lienis infirmitas ad conferuationem quartanarum. Nec certè aliter ceffit. Nam per duos annos perfeuerauit ea febris, aliàs ordinata, aliàs complicata, aliàs continua, aliàs aliter affecta. Et in vigore acceffionis quoniam turgefcebat humor biliofus, erant deliria perpetua. Sed quod mirum eft, & Medicis multùm negotij dedit, eft quod exacto primo anno tanta fatuæ pituitæ copia in os recurfabat, vt hoc omstomachi infeftum effet, multùm ægræ tædij afferret, necnon appetentiam omnem proiiceret. Dubitabatur an id à pulmonibus foret, an à capite, an ab hypochondriis natante aluo humiditate, quæ liberum exitum non haberet. Illa mulier pulmones habebat infirmos, & fata erat ftirpe plurimùm morbis obnoxiâ. Caput quoque incalfactum erat à calore febrili. Quemadmodum autem fol incalfaciens cerebrum διαχύσεις facit (vt ait Hippocrates) corpusque multâ imbuit humiditate: ita calor febrilis & confumere poteft humiditatem partibus exiftentibus robuftis, & liquefacere partibus exiftentibus infirmis, & loco legitimæ nutritionis multam humiditatem poteft tanquã causa per accidens inducere. Per accidens, quoniam partes debilitat, fic vt proprium alimentum non probè conficiant; & quoniam appetentiam deiicit, corpúsque fitibundum reddit, rerum liquidiorum crebrior vfus eft, & proinde multarum humiditatum prouentus. Atque ego exiftimo tantæ humiditatis & pulmones & caput autores fuiffe. Et illud annotauit Galenus in febribus quartanis, loquens de iis quæ fuperueniunt talibus febribus: *Quartanum typum infequuntur inappetentiæ, faliuationes aliquando ex caufis contrariis appetentiæ intenfæ, tufsiculáque ipfis adeft, quando corporis habitus corrumpitur.* Et loquens paulò antè de quotidianis, quod antè eft etiam annotatum: fed tamen ob loci excellentiam repetere non erit alienum, *aut productis quotidianis rheumatifmos thoracis fuccedere.* Quod fit aliis partibus debilitatis, & à fuppreffione proprij excrementi quod à fe amandare nequeunt laborantibus. Vnde cùm mulier hæc potiùs amuletis & palliatiuâ curâ à quartana liberata effet, & quandam *cacochymiam* comparaffet, inopinatò incidit in inflammationem pulmonis, à qua breui interiit. Prætereà idem Galenus vnum obferuauit de quartanis, quod perpetuæ memoriæ tradendum eft, cùm & ad prognofim pertineat, & ad præcauendum ne quid tale contin-

Lib. de aëre & locis.

Lib. 1. de morbis.

Lib de Typis, c. 4.

gat, lib. de Typis. Typus quartanus dum febris vehementior euadit ipse sibi complicatior, vt duo & tres fiant quartani, vel etiam vsque ad quandam continuitatem perueniant: rursum dum moderatior est, ad vnum typum reducitur, fit etiam periculosus ob implicita mala, quia phthisim & hydropicas suffusiones sæpè efficiat. Metuebamus huic mulieri hydropem, præsertim siccum; sed nil tale contigit. Remedia quæ sequuntur præscripta fuerunt.

℞. conseru. buglos. cichorij, ceterach & apij an. ℥j. ſ. folior. senæ puluerisat. ʒ ij. rheibarb. electi ʒ ſ. cum decocto polypodij. fiat opiata vtenda sæpe. Decoctum polypodij erit factum perfectè cum saccharo.

℞ succor. menth. absynth. buglos. an. ʒ iij. in quibus infunde agarici albi ʒ ij. fiat syrupus coctus perfectè cum saccharo.

℞ succorum depurat. buglos. borag. pomor. de curtipend. meliss. scaril. an. ℥j. sacchari qu. suff. fiat syrupus, de quo capiat sub finem access.

ANNOTATIONES.

1. Huc pertinet illud Hippocratis 2 Epidem. ὀξυτυμία *excitata in quibusdam coloris bonitatem affert.*

2. Plerique casuri in quartanas, sentiunt dolorem lienis. Hinc Galen. cap. 4. lib. de Typis, asserit quartanam sequi lienis phlegmonem & tumorem. Oportet dicere quod cùm febris quartana primò prehendit iam est dispositio aliqua in corpore ad susceptionem, & materia in angustiis venarum quodammodo est infiltrata, vt loquuntur veteres, ita vt ea dispositio & infiltratio sequens aut contumaciam materiæ, aut eiusdem tenuitatem, morbi longi aut breuis sit causa. Nec credere oportet in corpore semper ipsius lienis aut iecoris fomitem esse morbi. Nam in humoribus est qui aut circum lienem continentur, aut circa hepar. Tales autem humores retinent de natura partium quibus vicini sunt.

3. Et lib. de Typis, ait tertianas, & quartanas accessionem habere breuem, ἄνεσιν *longam: quotidianæ autem longam habent accessionem, breuem autem* ἄνεσιν. *Nomine autem aneseos intelligere quoque oportet intermissionem. In 2. de different. febr. intermissionis tempus paruum esse vult. At tamen lib. 1. ad Glaucon. contrarium asserit, immò raritatem & tarditatem in pulsu post accessionem agnoscit.*

CONSILIVM LXV.

In quo quæſtiones tres explicantur. Prima de Hypnoticis: Secunda de vſu medicamentorum, & præpropera venæ ſectione in febribus quibuſdam. Tertia de ratione purgandi macilenta corpora.

DVO ſunt hoc conſilio plurimùm annotanda, quorum obſeruatio ad artem præclarè & caſtè exercendam conferet. Primum de vſu hypnoticorum: ſecundum de vſu medicamentorum, & præpropera venæ ſectione in pleriſque febribus, in quibus ægri æſtuant quidem, & tamen non ſitiunt valdè, tametſi lingua indicet multùm ſubeſſe caloris. Tertium addam de corporibus macilentis, quæ cùm purgare volumus, eis etiam ægrotantium ipſorum voto valida applicamus remedia. Ad primum inflectit ſeſe oratio noſtra. Somnus triplex eſt, naturalis, à cauſa naturali, vt cùm ſuauis vapor cerebri meatus leniter obſtruit & humectat: in quo ſatis eſt capi ſenſus aut intercipi vt ferientur, ceſſentque ab opere: vnde cantu, ſtrepitu cytharæ, illapſu inflexúque blando aquæ ſomnus blandus irrepit, non partâ vllâ in cerebro obſtructione, nec vllâ re cerebrum opplente. Quod tamen Ariſtoteli placuit, vt exiſtimaret nunquam illabi quempiam in ſomnum niſi res aliqua cerebrum oppleat, aut ſaltem colliquatio fiat aliqua. Quod abſonum videtur. Vnde enim colliquatio iſta cùm cantus, blandáque & ſonora vox ſomnum inducit? Galenus autem docet ſomnũ etiam longum nondum contra naturam exiſtentem etiam à ſola cerebri refrigeratione oriri, nullâ de humore factâ mentione. Quod autem ſolius refrigerationis mentio facta fuerit, patet ex ea diuiſione quam proponit; *Si refrigeratio* (ait) *cerebro contingat, ſomnum profundum facit; ſi refrigeratio fortis iuncta humiditati lethargicas affectiones inducit; ſi autem ſiccitati,* καταλήψεις. Sic à ſola refrigeratione, mediocri tamen, ſomnus profundus conciliatur, qui nōdum aut comatis, aut ſimilis affectus rationem habet, niſi difficilis ſit expergefactionis. Cùm enim hoc contingit tum contra naturam ſomnus exiſtit. Et tamen licèt non ſit difficilis expergefactio, non deſinit quidam ſomnus longus in malis duci.

Proptereáque errauerunt quidam veteres existimantes nullũ somnum longum mediocritatem superare, esseque contra naturam: vigilias verò contra naturam quasdam longas posse existere. Sed si vigiliæ modum superant, naturamque lædunt, cur non & somnus? Horum dogmata à Galeno pluribus labefactãtur in commentariis in aphor. vti & eorum qui soporiferas affectiones & contra naturam existentes, somnum esse longum dixerunt, præsertim dum incipiunt. Sic quidam somnus est naturalis per blandam anathymiasin cerebrum capientem, actionésque cessare ferientem, sensibus quodammodò ligatis, qui per vigilias absoluuntur. Alius est contra naturam à causa alieniore, vt Galenus pluribus locis explicat, vt in catalepsi, cataphora, apoplexia, veterno, & aliis generis eiusdem apparet. Tertius autem medius, ab vtrisque causis nascens, & is à naturali longiùs recedit, contra tamen naturam nondum planè existit. Eiusmodi somnus in pueris & temulentis apparet, & interdum iuuat ad coctionem & ebrietatem tollendam. Vnde Carus ab Hippocrate non videtur omninò damnatus, tametsi contra naturam affectio sit, & affectio sit soporifera δυσδιέγερτος, (quæ vox somnum maximè contra naturam reddit, vt ex 2. Aphorism. patet) Galenus in Comment. & in pueris & temulentis, & ægris τὸν ὕπνον δυσδιέγερτον obseruauit, præsertim cùm diu per morbum vigilassent, profuisse plurimùm. Plura illo commentario 2. Prorrhet. legere possis. Porro ille somnus qui καρῶδές τι habet, modum quidem naturæ excedit, & fit à causa quantitate potiùs quàm qualitate molestâ. Sed est somnus alius veluti quartus vsu rerum soporiferarum inductus, cuius gratiâ sermo hic est institutus, vt doceamus quibus modis inducto illo somno in ægrorum commoda peccetur, & cùm ita peccetur, quæ ratio sit ineunda, & quatenus in eius inductione, ne nimietate & insolentiâ erretur, sit insistendum. Cæterùm somnus ille hypnoticis inductus, cùm blandam benignamque anathymiasin causam sui agnoscat, à naturali desciscit, somnóque contra naturam similior redditur, quod refrigeratione & humectatione fiat, duabus nimirum rebus febrium causæ calidæ & siccæ oppositus. Et quatenus ita inducitur contra naturam aut præter naturam somnus dicitur, quatenus autem nonnihil adiumenti affert, immò plus commodi naturam recreando

Gal. in ahpor. 3, lib. 2.

Cap. 5. l. 3. de loc. affec. & comm. in aphor. 3. lib. 2.

In Prorrhet. par. 28. lib. 2.

Com. in aphor. 3.

diuturnis vigiliis laſſatam, tritam, fractam, debilitatamque, quàm detrimenti, quòd inducatur à rebus contra naturam exiſtentibus, quódque aliquando in malam διάθεσιν trahat cerebrũ. Sic mediocritas tenenda maximè eſt. Vt autem ſomnus etiam maximè naturalis, aliàs iuuat, aliàs nocet, vt initio paroxyſmorum; ſic ſomnus contra naturam etiam iuuat ex euentu, cùm ſit melius naturam vigiliis afflictam quacunque ratione leuari, quã eam ſinere atteri, ac afflictiorem reddi. Vnumquodque autem ex eo metuendum, quod aut officiat, aut iuuet, vt de hæmorrhagia Galenus contendit, quæ etſi contra naturam ſuo genere exiſtat, opus tamen naturæ vtilitate ipſa conferenda, dicatur. Idem de ſomno. Sed in eo conciliando prodigos nos eſſe non oportet, ſatis eſt eſſe liberales. Etenim & ineuntibus morbis, & in vigore, & omni tempore morbi, ſiue etiam calidi, ſiue frigidi morbi ſint, dummodò aliqua ſit ſomni vacuitas, vt videantur Medici ſemper aliquid moliri, hypnoticorum vſu ſeſe ægris conſulere arbitrantur. At errant longè. Nam ſæpè καρηβαρίας, & alia id genus mala inducunt. Dum enim exitu prohibentur excrementa ἀτμώδεα, cerebrum offenditur. Galenus ex ſententia Hippocratis ſententiam commemoratione dignam profert de incommodis vigiliarum immodicarum, præſertim factâ quadam ad inſuetas mutatione vigilias, & ſomni longioris præter conſuetudinem inducti, diſputans. Exempli gratiâ, in morbo aut ſanitate quis vigilat etiam ſupra mediocritatem, ſomnifera adhibes, tu in contrariam partem naturam adducis, & mutationem affers, noces plurimùm. ' Nam & vigiliæ ἰσχυραὶ cibos crudos incoctóſque reddunt, ait illo loco Hippocrates: & mutatio ad ſomnum multum ſiue per ſe, ſiue de induſtria inductum, quod in comment. elegantiſſimè Galenus vocat ὕπνον ἐπιτηδευθέντα torporem, ſegnitiem, langorem, grauitatem capitis, & ἐφθότητα affert, vt dicit Hippocrates. Nomine τῆς ἐφθότητος accommodatè & ſignificanter Galenus vult intelligi τοῦ τόνου ἔκλυσιν, id eſt virium ac roboris exolutionem: Latinè autem redditur ἐφθότης excoctio: & homines qui immodicè dormiunt ἑψημένοι dicuntur, latinè recocti excoctique, gallicè *perboulus;* quòd eorum caro ſit humidior reddita, habitúſque corporis albicantior & tumidior, idque fit ob ſuppreſſionem fuliginoſi excrementi, halituoſique, quod per vigilias digeri deberet ac exhalare. Plura

Aphor 1 lib. 2. Apho.

Lib. de differen. morb.

Com. in part. 55. lib. 2 de diæ. acut

illo commentario legi possunt. Et hæc præsertim in sanis intelliguntur, quibus arctior profundiórque somnus placet & longior. Sed in ægris est vbi hypnotica conferant, est vbi officiant plurimùm.

In affectibus calidis cerebri, vigiliis, & febribus continuis soporifera maximè Medici vsurpant. Vigiliæ fiunt propter calorem primæ partis sensificæ, ait Galenus, idque vel propter simplicem intemperiem, vel ob copiam biliosi humoris in eadem parte ferocientis. Hoc videndum in calidis affectionibus cerebri, siue sit intemperies simplex, siue cum humore, ne imprudenter vsurpemus hypnotica, siue in tempore, siue in vsus crebritate. nam sic ex calida intemperie fit frigida, quod pessimum est. Accedit quod exitu prohibeantur humores tenues, siue quod per ventrem euacuari possent, siue per halitum. At dices, incrassantur? quid tum? Bonum quidem eorum acrimoniam retundere vsu temperantium, non autem stupefacientiũ vsu. Et licèt retundant, ista retusio à talibus facta plus afferet incommodi nam difflatu per cutim, & refluxu à capite tanquã parte principe prohibentur humores, deinde repressi in capite vsu stupefacientium vim suam cerebro imprimunt. Vnde videmus etiam fatuos, stolidósque quosdam effici vsu narcoticorum etiam moderatorũ. In tempore quidem peccatur, cùm initio morborum damus; obstruimus enim tunc, materiamque crudiorẽ reddimus, & naturam hebetiorem reddimus, nedum vegetiorem. Et omniũ grauissimè peccant etiã in vigore morborum stupefacientia hypnoticáque præscribentes: nam tunc natura aggreditur coctionem, materia est mitificata, facultas vitalis & naturalis fortes etiamnum persistunt, animalis autem infirma est: ob quam infirmitatem Galenus vetat ne quid tentemus. At stupefacientia cerebrum ipsum hebetius reddendo, infirmius faciunt; propterea error committitur maximus. Quin etiam contra quod Galenus dicit in vigore aliquando facultates sunt attonitæ & imbecillæ, ac tunc hypnoticon non cõfert. sopiuntur enim ipsæ facultates, nec ἐρεθισμὸν humoris percipiũt: & ita crisis non fit. Dicam quod experientiâ compertum est, huc pertinens maximè & obseruandum diligenter, ne quid tale in communem hominum perniciem perpetretur. Gener cuiusdam satellitis Regij nomine Candæi febre causode laborabat,

Com. in 3 lib. 2.

Medicorũ error.

Com. in apho. 29. lib. 3.

Insomnis erat. Circa nonum diem cùm naturæ aggressio cô-cursióque expectanda esset, capiti pullus exenteratus est applicitus, eodémque tẽpore syrupus diacodyonis cum decocto lactucæ præscriptus. Illi & præsentibus visa sunt mitiora. Tribus aut quatuor horis post cùm sese in somnum conuertisset, inuentus est exanimis & extinctus. [4] Credibile est hoc contigisse quod per stupefacientia somniferáque facultates languidiores redditæ forent, die præsertim critico. Sic humores non stimularunt naturam, aut eam languidam stimularunt, eodémque vsu suppressâ malignâ materiâ quæ per sudores aut aluum proiici debuisset: sic mors de repente inuasit. Idem in Cymæterio Sancti Ioannis mulieri contigit, nam cùm in vigore morbi stupefacientia præscripta essent; nam de repente refrixerunt partes, ac interiit. Idem ad insigne S. Trinitatis vico S. Antonij. Itaque nec initio morborum, nec in vigore sunt admouenda stupefacientia, præsertim in acutis, nec pulli exenterati; nam multùm conturbant, & ad caput alliciunt suo calore; vnde sensuum fit oblæsio. At opportunè dari possunt in morborum incremento.

Præter autem exemplorum fidem, idem clariùs manifestiúsque reddi potest autoritate Tralliani, qui narcoticorum anodynorumque vsum viribus præsertim infirmis suspectum esse ait, immò etiam mortem sæpè inde aduenire confirmat. Nam influxum refluxúmque humoris impediunt, obstruunt, naturam hebetant, eiusque aciem retundunt, & alia consimilia afferre solent. De iis plura legere possis apud Donatum ab Altomari.

De phrenitide c. 6.

De corporibus macilentis, attenuatis, squalentibus, aridis, astrictáque aluo præditis hoc loco agendum est, an his validioribus medicamentis sit consulendum, quod non nisi ægrè aluus illis soluatur. Cùm vna ex causis astrictionis alui causa sit retentricis firmitas, præcordiorumque χαῦνος, videmus frustrà eiusmodi naturas validioribus medicamentis vexare, aut quod eorum querelis obtemperemus, qui operam nostram ludant, pote quibus medicamento nostro aluus non sit soluta, aut quòd malè credamus: quòd aluus ægriùs, & magis πρὸς ἀνάλωιν egerit, redditque, vt in Prorrheticis & Prognost. loquitur Hippocrates, eò de validioribus medicamentis

camentis esse agitandum. At longè fallimur. Eiusmodi ventres siccos, arentes, ex Hippocratis libris vocare possumus, *ambustos, exustos ve* duobus in locis: priore, cùm loquitur de lapidis generatione ob æstum ventris: *Quibus*, ait, *aluus ardens ac feruida fuerit, his vesica coardescit*: Posteriore autem dum loquitur de aquarum delectu: *Quorum ventres duri sunt, & ad hoc idonei vt amburantur, his dulcissimæ, leuissimæ, ac splendidissimæ aquæ ex vsu sunt.* Non duras aquas præscribit, non aluminosas, non nitrosas, quæ tamen viderentur aluum solicitare, contra dulcia, mollia, liquidáque præscribit. [5] Eadem & medicamentorum ratio esse debet. Nam vt ad ventres ardentes, aquæ molles & dulces; ad ventres, inquam, ciendos conferunt, sic & medicamenta eccoprotica, lenientia, mitigantia, leniendo soluentia. Contrà verò obsunt plurimùm ea quæ astringendo purgant, aut quæ impensè calfaciunt, vt omnia quæ scammonium recipiunt. Nam cùm siccitas ex iis sit quæ facultatem retentricem roborant, firmantque, ex quo alui pigrities consequatur, nemo dubitat plurimùm incommodi allatum iri si impensè siccantia & calfacientia medicamenta corpori facultatem retentricem præ siccitate robustam habenti exhibeantur. [6] Sic pueriliter errant Medici id genus medicamentorum consulentes. Itaque cùm corpora gracilia, sicca, duritie alui prædita ad medicamentorum vsum adducimus, lenientia potiùs quàm valdè attrahentia vsurpare debemus. Immò ea corpora præhumectare oportet eo modo quo & consulit Hippocrates in Aphorismis, loquens de vsu Elleborismi. Ideò quidam ex nostratibus Medicis sic illa corpora purgabat, vt per tres dies continuos, & bolis cassiæ tanquam alimento sumptis, & iusculis vitulinis præhumectaret ac præpararet. Quæ omnia admonita volumus, vt ignaris, aut doctis quidem, sed tritâ viâ vtentibus: & ita turpiter hallucinatis recta medendi ratio præmonstretur. Aliquid simile scriptum est ab Aëtio in sua medendi methodo. Item eadem res breuibus verbis à nobis explicatur huius libri initio.

Tertium à nobis erat institutum de iis qui febricitant insigniter satis, sed non valdè sitiunt, & leuibus momentis exhorrescunt, in quibus non est æquum vsum magnorum remediorum accelerare, præsertim cœlo paulò frigidiore. Innumeros vidimus hyeme tepidiore febricitantes eo modo quo descriptum à nobis est, quibus Medici præproperè vulgatam nimiùm me-

Lib. de aëre & aquis.

4 Aphor.

Cap. 4. Tetrabil. 3. serm. 1. & ca. 13. eiusd. Tetrabili & serm. eiusd.

dendi viam ſequentes, & ſectionem & purgationem adhibent, decepti & illâ vulgatâ nimiùm viâ, & malè in vſum conuertentes illos Hippocratis aphoriſmos Hippocr. *In principiis morborum ſi quid videtur mouendum, moue.* Item, *In acutis paſſionibus rarò, & id initio,* &c. Item, *In his tardare, malum.* Nam alius aphoriſmus, *Cocta medicari ac mouere, non cruda, modò non turgent, nec in principiis, &c.* Hic (inquam) aphoriſmus eſt multò generalior eo quo nituntur, *In principiis morborum ſi quid mouendum, moue.* Etenim per comparationem tantùm loquitur, conferens principium & augmentum cum aliis temporibus, in quibus ab opere deſiſtendum ſuadet. Sed cùm vetat mouere ea quæ cruda ſunt, cauet ne remediis noſtris agitemus fruſtrà ægros quòd ludatur opera. Et cùm vult non morandum eſſe, ſed ſtatim aliquid moliendum de acutis morbis agit. Dicimus autem in acutis reuerâ non eſſe procraſtinandum, ſed ſtatim moliendum aliquid: non idem eſt iudicium de iis qui parem acutiem non habent. Et reuerâ in vtriſque eccoprotica dare ſufficit, non ſcammoniata eradicantia medicamenta, in quo grauiter peccatur. Et reuerâ quibus blando medicamento initio conſultum eſt, ii meliùs habuerunt, progreſſóque morbo ſine ſtrophis plus vno medicamentulo exercuerunt, quàm valido medicamento initio. Et auſim hoc affirmare pleroſque vſu eiuſmodi medicamentorum dum fruſtrà conamur initio materiam euellere, excreuiſſe tantùm multam ſeroſitatem quæ morbum contumaciorem reddidit, & nil profuit. Et maximè in eo errant Medici quod aphoriſmum iſtum, *Si quid videtur mouendum, &c.* & *Tardare malum,* æquè æſtate & hyeme & autumno vſurpant. Potiùs audire debent illud, *Plurima non turgent,* vt non ita ad medicationes feſtinent, & ſectionem venæ. Et reuerâ ſectione venæ ita citò celebrata in morbis non acutis, laudabilis tantùm ſanguis educitur cum magna virium iactura. Sic melius eſſet leniens medicamentum bis exhibere, & ſectionem differre. [7] Sed hæc ſatis per ſe manifeſta ſunt, & tamen pleroſque latent veteri medendi methodo addictos. Etenim nemo dubitat hyeme & autumno contumaciores eſſe humores, & minùs fluxiles quàm æſtate, aut verno tempore, præſertim ſub finem. Et ita fruſtrà, temeréque fortibus medicationibus diuexantur ægri. Signa porrò duo adiunximus febribus hybernis, in ſatis ingenti febre non magnam ſitim, & frequentem frigoris ſenſionem, & rigo-

22. lib. 1.

res.[8] Quæ duo posteriora non tam sunt à motu humorum, quàm quia conclusus calor est intùs in venis insidens multò maior quàm se foris proferat: ideò reuocatio fit spirituum & sanguinis. Itaque nimium externi frigoris appulsum facilè percipiunt, & ita leuiter exhorrescunt. Accedit & humoris qui tunc in vitio est contumacia. Nam retinens de natura hyemis est partim biliosus, partim pituitosus; vt mirum non sit si istam inæqualitatem inducat.

ANNOTATIONES.

1. *Aliud est coctum & mitificatum, aliud crudum & incoctum. Nam* τὰ ὠμὰ *coctionem admittunt, in familiaremque naturæ succum conuertuntur:* τὰ ἄπεπτα *non item, sed tantùm mitificantur.*

2. Ἐμφυμῶδοι *dicentur effœti, turgiduli, & excocti. Et Hippocr. quod notandum est, notat quandam constitutionem temporis, in qua febres desinebant statim, sed reuertebantur, & ægri erant* ἀσώδεες, ἀπόσιτοι. ἑφθοὶ *excocti.*

3. *Quæstio præclara est; An facultatis animalis ratio sit habenda in morbis: Et an verum quod Galenus ait; Nil tentandum in vigore morborum, cùm facultas animalis sit infirma, an ea infirmitas sit æstimanda. Non certè quoad motum, nil attinet enim moueri; sed quoad sensum. Vnde videmus obstupefactis sensibus motus naturales fieri symptomaticos; Magna enim facultatum inter se consensio est.*

4. *Somnus per se stupefacit, corpus torpidum reddit ac graue: meatus obstruit, vt præclarè Hippocrates lib. de flatibus docet: multò magis id præstat si præter naturam inducatur. Maximè autem vsum somniferorum verebimur in iis quibus frigidius cerebrum, quamuis vigilent; quia facilè vires exerit in cerebrum res somnifera.*

5. *Ego obseruaui in operibus artis, medicamentum etiam blandum horis pomeridianis tribus horis à prandio exhibitum magnum habere effectum. Hinc discere possumus in his quibus aluus admodum astricta est ex vsu esse si quatuor horis à prandio exhibeamus pharmacum.*

6. *Tamen Hippocrates lib. de Locis in homine, tutiùs macilentos purgat quàm crassos.*

7. *Præsertim nisi sit explicatus pulsus, aut certò scias à sanguinis copia obrutum pulsum, non à copia humorum in mesaræo contentorum.*

8. *Galenus com. in part. 26. sect. 3. lib. 6. Epid. scribit omnes cacochymos cùm repentè calfiunt inhorrescere.*

CONSILIVM LXVI.

De fluore vterino. Pro illustri Domina de Marchaumont.

ANTE disputatum est de profluuio ab vtero, cuius variæ causę, & species ab Hippocrate explicantur in libris de morbis mulier. vt antè dictum est. Hic remedia præscribentur quibus fluor quidam vterinus in illustri Domina oppugnatus fuit, sed non victus, qui illi ardorem summum & dolorem in lumbis excitabat: vt iis mulieribus contingit quæ ita affectæ sunt.

℞ rad. petrosel. fœnicul. cort. cappar. an. ℥ ij. polyp. rad. plantag. an. ℥ j. chamædr. & capill. an. m. 1. buglos. beton. scariol. agrimon. an. m. j. s. sem. melon. cucum. bardanæ, vrticæ, pipinel. milij solis an. ℥ s. sem. raphani ʒ ij. summitat. maluæ, veronicæ, vrticæ, herniariæ an. m. j. pass. glyc. ana ℥ s. mercurial. m. ij. fiat decoct. In colat. ad lib. dissol. sacchari albi lib. j. express. ℥ ij. rhab. & ℥ j. agar. infus. in parte decoct.

℞ succorum pomor. de curtip. buglos. meliss. borag. an. ℥ iij. decoct. passul. glyc. thamarind. florum violar. lib. s. inf. fol. senæ ℥ iij. agar. ℥ j. s. sacch. lib. j. fiat syrupus coctus. Dosis ℥ ij. ex decoct. semin. acetos. portulacæ, melon. & florum nenuph.

Ob istum ardorem hoc fuit institutum.

℞ vnguenti refrig. ℥ ij. pro litu renum. ℞. medull. crurum cerui ℥ j. s. Lauetur pluries in aqua ros. adde ol. ros. ℥ j. mastich. ʒ iij. fiat litus pro spina dorsi.

Ingressa est balneum, & mastiche cum oleo absynth. & cera stomacho applicata est.

℞. faucium lucij, coralli rub. an. ℈ ij. cornu cerui vsti, margar. elect. carab. an. ʒ j. tartari vini albi præpar. ℈ j. sacchari ros. quod suff. fiat puluis, cuius capiat duo cochlearia cum decoct. absynthij.

℞ electuarij diatrag. frig. ℥ j. glycyrrh. ʒ ij. terræ sigil. lotæ aqua ros. ʒ j. 4 semin. frigid. maior. & seminis papaueris albi an. ʒ j. s. fiat puluis, vtatur cum syrupo violato.

℞ pulpæ sem. melon. cucurb. citrul. amygdalarum dulcium an. ʒ ij. terantur, & fiat emulsio cum decoct. rad. gram. asparagi, glycyrr. addendo sacchari ℥ j.

Et cùm illi lien obduruiſſet, hoc quod ſequitur eſt inſtitutum.

℞ gummi pini, ceræ nouæ, an. ℥ ij. picis naualis & reſinæ an. ℥ j. ſulphuris viui ℥ ij. diſſolu. in aceto forti: omnia extende ſuper alutam pro regione lienis.

Fotus aſtringens.

℞ aquæ fabrorum lib. ſ. malicor. balauſt. nucis cupr. & berberis an. ʒ ſ. fiat decoct. in colat. diſſol. ſangu. dracon. thuris an. ʒ j.

Eidem cùm menſtrua non fluerent olim quæ ſequuntur preſcripta fuerunt.

℞. rub. maioris, fœnic. petroſel. aſparagi, rad. capp. polypod. cort. tamar. an. ℥ ſ. rad. biſtor. ʒ ij. agripal. calaminth. an. m. ſ. omnium capil. an. p. ij meliſſ. hyſſopi, agrimon. ſcariol. an. m. j. ſemin. aniſi, endiuiæ, cuſcutæ an. ʒ ij. florum card. anthos, geneſt. an. p. j. fiat decoct. ad lib. In colat. diſſol. ſyrup. de arth. ℥ iij. diarrhod. abbat. ʒ ij. fiat apozema.

℞ ceterach. pulueriſ. raſuræ eboris, cornu cerui, cara, an. ℈ j. cinam. gr. iij. puluer. electuarij diacub. ℈ ſ. oßis de corde cerui, margar. elect. puluer. diarrhod. aromat. roſ. an. gr. viij. cum ſaccharo in aqu. bugloſſæ ſoluto. Fiat electuarium per tabellas. Deinde fiat fotus ex decoct. herbarum vterinarum, rad. apij, cypp. calami aromat. rad. fœnic. apij, rub. maior. valerianæ, artemiſiæ, nepet. pulegij, calament. biſtortæ, dictamni.

℞ trochiſcor. de myrrha ℥ ſ. iniectorum in carbones fumus excipiatur.

℞ ſuccor. arthemiſ. hyſſ. agripal. herbæ cati. an. quart. j. ſaccha. quod ſufficit. fiat ſyrupus: capiat ℥ j. ſ. cum ℥ iij decoct. lupulorum, arthemiſiæ & cinamomi.

℞ ladani ʒ iij. benioin ʒ j. ſ. caryophyll. ℈ ij. cum oleo de ben. Fiat ſuffitus concinnatis trochiſcis.

In acerbo dolore vmbilici, & partium vicinarum.

℞ emplaſtri de mucag. vnguent. dialth. gummi ammoniaci in aqua vitæ ſoluti an. ℥ j. ſagap. opop. an. ʒ iij. rad. ariſtoloch. ireos, an. ʒ ij. ſ. cum terebinth. Fiat emplaſtrum. factus ſacculus ex ℥ ij. ſ. radic. altheæ, origan. calament. arth. thymo, biſmal. ſeminib. lini & fœnugr.

℞ prædicti decoct. lib. j. in qua diſſol. confect. de baccis an. ℥ ſ. olei rut. & anet. an. ℥ j. ſ. mithridat. ʒ ij. ſ. fiat clyſter.

℞ ſyrup. de arthem. ℥ j. ſ. decoct. rutæ, ariſtoloch & dictamni ℥ iij.

℞ trochiſc. de myrrh. ʒ ij. caſtorei ʒ j. pulu. ariſtolochiæ rotund. ʒ j. agar. trochiſc. ℈ ij. ſalis gemmæ ℈ ij. croci ℈ j. cum ſyrupo de arthem. Fiat maſſa.

Et cùm quereretur quod non conciperet, hoc præſcriptum eſt.

℞ *ſuccorum calaminthæ, nepetæ, agripalm. arthemiſ. ſcolop. meliſſ. an. ℥ iij. decoctionis ſequ. lib. j.*

℞ *rad. biſtort. eryng. ariſtoloch. an. ℥ ſ. pulegij, thymi, epithy. an. p. ſem. aniſi, fœniculi an. ʒ ij. linguæ auis p. iij. rub. maior. ℥ ſ. matricem leporis, coagul. eiuſdem ʒ ij. Fiat decoct. in lib. ſ. ſuccorum pomorum, lib. j aquæ arthemiſ. & lib. ſ. aquæ marian. Coletur totum, & bulliat donec redeat ad lib. j.*

℞ *prædictam lib. prædictos ſuccos, in quibus maceretur nodulus ʒ ij radicis biſtortæ, & ʒ iij ariſtoloch. & myrrh. ʒ j. croci ſcr. j. ſacchari albi buglоſ. lib. j. fiat ſyrupus coctus: capiat manè ℥ j. ſ. cum decoct. arthemiſ.*

℞ *puluer. matricis leporis in furno ſiccatæ, rad. ariſtoloch. an. ʒ ij ſetæ intinct in Kermes margarit. elect. an. ʒ j. carab. ℈ j. ſacch. bugloſ. ℥ ij. ſ. Capiat quotidie cochlear vnum cum decocto puleg. & paſſ.*

℞ *roſ. rubr. ʒ ij. myrrh. maſtich. an. ʒ j. myrtil. ſang. drac. an. ʒ ſ. ſtyr. calami ℥ ſ. ladani ʒ ij. ambræ griſ. moſchi, ligni aloes an. ℈ ſ. fiant trochiſci pond. ʒ j. excipiatur fumus manè.*

℞ *olibani & myrrh. an. ʒ ſ. ladan. benioin an. ℈ j. ſem. carui, dauci, cumin. & paſtinacæ, agreſt. an. ℈ j. folior. orig. ſicci ʒ j. fiat puluis & cum terebinth. & floribus lauendulæ fiant trochiſci: vtatur in ſella perforata.*

CONSILIVM LXVII.

De febre hectica..

IACOB Carpent naturâ bilioſus, & præcalidis viſceribus præditus, poſt purulentas vrinas in febrem hecticam incidit inteſtinis vlceratis. Tandem aluus liquidis excrementis fluxit facultate hepatis & œconomiâ iam iam labaſcente & labefactatâ. Verumque illud in eo compertum eſt quod ab Hippocrate dictum eſt; *Si ex aluo tenuia, ægro minimè ſentiente, cùm tamen liberè ratiocinetur, malum vt hepatico.* De cuius aphoriſmi veritate antè dictum eſt. Nam ſummam paupertatem caloris naturalis, caſumque facultatis in hepate ſitæ ſignificat. Ventum eſt ad lac aſinæ: & cùm ne hilum proficeretur, infirmitatiſque & virium lapſus maiora ederentur argumenta, deſtillato inſtaurante ei conſultum eſt.

℞ *turtures num. 3. pedes vituli & agni iuuenis vel capreolorum an.*

num. 4. hepata gallinarum & capi iuuenis an. 6. num. pellicularum stomachi gallinarum ℥ j. berberis conditi, granorum granatorum an. ℥ ij. carnes quatuor myrobol. emblic. carnosar. pinearum pistacearum an. ℥ ij. iuiub. sebest. an num. 20. testud. nemo. tres, conser. rosar. symph. an. ℥ ij. micam panis albi macerati in decocto capi iuuenis, decoctionis duorum pullorum & carn. vitullin. alterator. cum seminib. frigidis, & papau. & hordei lib. ij. fiat omnium distillatio in alambico.

℞ rosar. rubr. malabath. an. p. ij. scabios. & rad. dictam. an. p. ß. rad. cypp. cal. aromat. scœnanth. an. ʒ j. ß. ligni aloes & cedri an. ʒ ij. Fiat decoct. in vino albo & aqu. rosar. In colat. ad lib. j. dissolu. pulu. diamargar. frig. ʒ ij. theriac. & mithrid. an. ʒ j. ß. fiat epith. pro corde.

CONSILIVM LXVIII.

De Gonorrhœa virulenta.

NOBILIS mulier à marito inita, qui cum prostibulo impuro concubuerat, inquinatur: hinc gonorrhœa virulenta malè fluorem muliebrem repræsentans. Quæ excernuntur cum virore pallescunt. Iam fluxus ille per annos perseuerauerat, illam à variis morbis vindicans. Tamen propter contagionem massæque sanguinis labem valetudinaria est; quoniam, credo, non satis largiter virulentus ille humor decurrit. Menses planè subsistunt. Atque hinc illincque metus ingruit quidam. Nam si supprimatur illud βρωμῶδες & virulentum, pernicies consequetur, sin fluat tametsi suo exitu commoditatem affert, tamen in maciem ita laborantem coniiciet. Quod plerisque vsu venit; siquidem non potest non afficere partes per quas traducitur, ineunte vere quo præsertim tempore omnia repuerascunt, summam in renibus grauitatem sentit. Deiicitur appetentia: languet: munia non obit sua. Dolores in ventre excitantur toto. Quo medicamento extheo & syrupo laxat, sæpè adiuta fuerat, eodem occurritur: malum recrudescit. Tandem diu noctúque ita vexatur vt ferendo non sit. Pulsus languidus & sepultus: facultatum omnium ferè concussio, ac maximè vitalis. Sursum deorsum fertur materia. Quæritur quid sit opus. Sensim atque sensim crescunt dolores pungentes & ferientes, diuellentésque membranas. Dolor turgens est, & qualem Ga-

lenus deſcribit in lib. 3. de locis aff. id eſt, in partibus quibu-
dam ſentitur dolor veluti à remota alia parte velut radice de-
uatus; quod notandum eſt, falsò credunt colicum eſſe dolore
proptereáque, vt ferè fit, liberales nos eſſe debere in vſu rerum
calidarum: immò tali vſu ægreſcebat magis: In eam ſententiam
ventum eſt, vt crederemus in prouocando illo fluore incum-
bendum eſſe, alioqui fruſtrà operam daturos. Atque ita proc-
ſum eſt. Primùm is clyſter iniectus.

*℞ maluæ, biſmal. arthemiſiæ an. m. j. ſem. pæoniæ rubentis ℥ j. ag-
palmæ p. j. rad. petroſel. aſparagi an. ℥ j. ſem. lini, fænugr. an. ℥ ſ. f-
decoct. In colat. diſſol. terebinth. ℥ ij. ſacchar. rub. ℥ j. olei lilior. & ch-
mæmel. an. ℥ j. ſ. vitellos ouorum duorum. fiat clyſter.*

Eodem die excitatus vomitus materiei virulentę, & eius q-
olim per inferiora ferebatur. Non à ventriculo erat, ſed ab i-
cinore & regione renum, vt coniecturis deprehendebatur.
Quæſtio, an eſſet ſiſtendus, an iuuandus. Non placuit iuuare-
ne materiam quæ per inferiora moueri deberet, aliorſum re-
uelleremus. Vrgentibus doloribus coacti ſumus adhibere ba-
neum, vti ſucco amygdalar. dulc. cum vino hippocrat. Ceſſa-
bant ſtatim dolores: è balneo egreſſæ redibant. Secta vena
maleolo adhibiti peſſi ex hiera diacolocynt. puluere hie-
& galyopſ. addita ſtyrace liquida: & inuoluti ſunt ſantalo. D-
inde pilulis de hiera cum agarico & rheo conſultum eſt. Ta-
dem repetiti clyſteres primo ſimiles. Et præſcriptus bolus ſe-
quens poſt balnea:

℞ terebinth. venetæ ℨ iij. rheib. ℈ j. cum ſyrup. capil. ven. capiat.

Secta vena in brachio ob turgentem in lumbis dolorem.
Applicatæ cruribus cucurbitulæ. Tandem ad decoctum ſarſ-
parillæ ventum eſt ad proliciendos ſudores. Prouocati ſu-
atque ij admodum fœtentes. Vtcunque conualuit.

CONSILIVM LXIX.

De febre erratica.

PVER annos natus nouem, præcalidis viſceribus, & capi-
ſatis amplo, cùm olim ſatis imbecillus & valetudinarius
iam paulò grandior factus, certis quibuſdam interuallis acce-
ſione-

sionem habet febrilem cum atroce capitis dolore. Derepentè & incogitatò prehendit dolor capitis, deinde febris vehementissima cum oculorum rubore & genarum, ac si ynocho prehenderetur. Accessio est duodecim ferè horarum, aliquando multò minor, & sudore finitur: Tum alacer existit. Quæritur quæ causa huius febris quinquies sexiesve in anno repetentis: & quid tandem sit euenturum inde. Non est dubium quin ex Galeno, periodo reduces febres & dispositionem partis, & materiam habeant causam sui. Quænam dispositio, an in cerebro, an in hepate, an in mesenterio? Fortè in cerebro est, vnde dicimus quasdam esse febres partium proprias, vt hepaticas febres, lienosas, cuiusmodi febres virginum fœdis coloribus laborantium, alias cephalicas, quæ non modò symptomaticæ dicentur, sed & essentiales. Sic collectæ in cerebro materiæ motu, siue putredine (quæ non ita facilè acquiritur in cerebro vt in ventre inferiore) febris excitari potest, quæ discussione materiei facilè euanescit. Et quod magis mirum, hæmitriteæ febres tabificæ dicuntur, ac si peculiariter affectionem pulmonum sequerentur, quod Galeno in Epidemiis placuisse videtur. Et ego legi siue apud Galenum, siue apud alium nescio quem autorem, septenas febres, id est quæ septimo quoque die, & quintanas quæ quinto quoque die repetunt, tabidorum proprias esse, ac si peculiarem collectionem humoris in pulmone contenti sequerentur: & tamen essentiales febres dicuntur. Si in isto puello materia in mesenterio coërcita, sed mota, & non exclusa, tam tetrum capitis dolorem excitans, febrem facit; cur non plurium horarum aut dierum? cur non putret? Si putris, cur putredinis notas non edit? & tamen vrinæ sunt admodum tenues & aqueæ, quas in pueris damnat Hippocrates. Si putris, cur non promittit producitque febrem? Nec enim diaria esse videtur, cùm huius non sit proprium tam sæuum symptoma inducere, & tantam in vrinis mutationem afferre. Mihi videbatur febris à liene esse, quòd Hippocrates obseruauerit in febribus erraticis vrinas tenues esse splenicas: & etiam sæpè sine tumore perspicuo dolet illi regio lienis: quod declarat in eo esse imbecillitatem & circum partem illam melancholici humoris de natura biliosi retinentis collectionem, à qua efferuntur vapores non maligni quidem (vnde enim tanta malignitas in puero) sed veluti flatulenti qui dolorem acerbum efferunt: quisi

Gal. sub fin. lib. 2. de differ. febr.

Et Hippocrats part. 9. sect. 2. lib 1. Epid.

Quintanæ febres & ante tabem, & tabidis factis adsunt.

Lib. 3 Prognost

In Coac.

in cor reperent, palmum cordis afferrent, si in ventriculos cerebri aliquid epilepticum: sed per inanes meandros feruntur, vnde dolor tantùm capitis excitatur. Et reverà tenuitas vrinarum, error febris, taciturnitas pueri, dolor ad sinistrum hypochondrium surgens, splenicum quid significant. Accedit & prima educatio. Nam & mater, & nutrix magnis molestiis in gestationis & lactationis tempore captæ fuerunt. At ex Hippocrate qualia gestationis tempore patitur mater, talia infans: & idem de nutrice. Adustio enim quædam facta est humorum. Id iuuat plurimùm hepatis calida intemperies, quæ succos exurit. Quod si aut maior copia foret materiæ, aut à pituita non superaretur; aut si putredinem acquireret maiorem, cùm leue tantùm rudimentum esse videatur, maior quoque febris sequeretur: Et nisi prouideatur, verẽdum ne aut quartanarius, aut epilepticus per consensum fiat, aut successu temporis per propriam cerebri affectionem. Et illum humorem verum putredinis characterem non habentem natura secernere nititur, sed non excludit tamen. Ac verendum ne illud tandem contingat quod in Prorrhetico ab Hippocrate dictum est: *Cui circa lumbos dolores sine appetitus amißione voluuntur ac reuoluuntur, iis si dolor adaugetur atque intenditur cum febre & cibi fastidio, conuulsiui aliquid fit*: supp. per translationem materiei quæ diu in ventre inferiore cunctata malignitatem acquisiuit; cuius ratione in cerebro epileptica symptomata est excitatura: Ac tandem tempus ipsum nobis aperiet quid futurum sit. Tamen dum id expectatur, non erit alienum & toti corpori, & partibus quibusdam consulere: ac toti quidem corpori sequenti decoct.

Lib. de nat. pueri.

℞ lupulor. & florum violar. an. p. j. radicum aperitiuar. an. ℥ ij. infunde folior. senæ ℥ iij. cinamomi ℈ j. In express. dissol. syrup. de cichor. simpl. ℥ ß. fiat potus.

℞ conseru. rosar. buglos. & rorismar. an. ℥ ij. theriacæ ℥ ß. cum syrupo conseru. citrij. fiat optata vtenda serò.

Item *℞ rad. enulæ camp. rad. bryoniæ an. ℥ ij. polypod. fumiter. scolopend. ceterach & maluar. an. ℥ j. florum sambuci, chamæmeli, stæchad. an. p. j. sem. fœnugr. lini an. ℥ ß. coquant. in aqu. & vino albo. Contundantur addendo ceram. fiat in modum emplastri ex mucag. rerum prædictarum. Sed priùs oportet fouere partem decocto illo.*

Inter cętera verò conferet vere hoc nouo venam basilicam dextram ad vnum vasculum tundere.

CONSILIVM LXX.

De Hydrope.

PETRVS Guerardus mense octobri cùm de stomachi inflatione quereretur, post curas aliquot medicamentum sumpsit. Satis laudabilem effectum præstitit. Hic vir quoties in morbos incidit, à Medicis pro desperato sæpè relinquitur, adeò magnis, obscuris, incognitisque morbis impetitur. Nam hinc vires elanguent, & cum virium infirmitate magna est cacochymia, vt quod affectionis remedium est, cum virium pugnet custodia. Qualia illi contigerint, & quid consilij captum fuerit, aperiam. Inappetens ciborum erat: aut nulla, aut exigua febris. Sputa pessima. Paulò post in metaphreno tumores, & in tibiis. facies tumens: pulsus languidus, paruus, sæpè inæqualis: frequentes defectiones, quibus nisi vino occurreretur, metus esset repentini interitus. Octauo post decubitum die circa æquinoctium hybernum, & cum ecliptica lunæ affectione conuulsus est planè, ac in propinquo mortem esse putabamus. De mutatione crebra pulsus ita philosophabamur: Hoc enim contingit vel affectione propriâ cordis, vel ratione orificij ventriculi oppressi, vel contumacis in primis venis obstructionis, quæ liberum spiritibus ingressum & regressum impedit; vel pulmonum infarctorum: vel quia legitimum non suppetit alimentum cordi, pote elatis, aut paucis, aut prauis spiritibus à materia olida contenta in ventre. Nam cùm à vena arteriosa suppeditatur alimentum corruptum & semiustum, aut quia per arteriam venosam impeditam non liberè transfluit aër, mirum non est si magna mutatio in pulsu contingat. At maior horum pars concurrere videtur. Quod autem inæqualitas perspicua fit in multis pulsibus, & nonnunquam intercalaris intermissio, id eo modo contingere videtur quo & in Antipatro ob obstructionem læuium arteriarum: potest & propter pulmonum ipsorum infarctum prouenire, aut mollitudinem & laxitatem eorumdem, vtpote qui in costam incumbunt; quod annotauit Hippocrates. Maximè verò videtur fieri ex prauitate anathymiaseos, declarauit, indicauitque curatio. Nam pro gradibus purgationis pul-

Gal. lib. 4. de loc. aff. cap. vlt.

Lib. de locis in homine.

sus restituebatur. Et Hippocrates obseruat in affectibus pul-
monum, præsertim si inflammatio sit, insignem mutationem
pulsus, & animi defectionem. Quod nos animaduertimus sæ-
pè: immò & quoties multâ pituitâ offarcti sunt pulmones, & si
à capite catarrhus illabitur. Testis Petrus Dangers pictor, &
vidua domini Bigand: & putant sibi animum deficere. Quod
pauci animaduertentes, illud ad inanitionem reuocant, & ad
repletionem confugiunt. Idem in hoc ægro videtur quod &
in conualescentibus. Nam vt ex Galeno patet, ideò non profi-
ciunt, aut quia infirmitas corporis est, aut cacochymia: vtrum-
que in hunc ægrum cadere videtur; nam & partium est infirmi-
tas à praua diæta fortè ac vitæ instituto contracta, & cacochy-
mia subest, quod ex symptomatis potest apparere; vt mirum
non sit si & ea appetat quæ ex vsu non sunt, & edendo non pro-
ficiat. Nam & ipsarum partium natiua & gentilitia est imbecil-
litas, & multa in multis partibus cacochymia quæ impedit quo
minùs calor naturalis quantulus est elucere queat.

Lib. de morbis.

In lib. 2. Aphor.

Quod ad tumores istos œdematosos attinet, dicimus eos
trifariam contingere, aut vt in morbis longis, vnde ægros in-
sufflatos dicimus infirmitate caloris naturalis; & hoc tantùm ex
euentu fit: aut tanquam morbus est, aut vt symptoma. Sym-
ptoma, vt in hydrope; idque bifariam, aut affecto hepate pri-
mariò, secundariòve, vnde verus nascitur hydrops: aut per
colliquationem quandam carnium; & velut putrefactionem.
Hinc [1] Hippocr. in lib. de affect. aut de morbis, ait, hydropem,
impropriè dictũ, fieri cùm in morbis longis diu ægri impurgati
manent; hinc corruptio carnis, & tumores œdematosi. Morbus
autem tumor est cùm alius consequens non est, sed per se &
primò actionem lædit.

Cacopragia hepatis & tumoris autor est, & extenuationis.
Tumoris, si in defectu sanguificationis consistat res, extenua-
tionis autem si vitium in humore sit. Quanquam Hippocrates
obseruat in morbis funestissimis contingere quandam leuco-
phlegmatiæ speciem ob malignam qualitatem & flatulentam,
quod in domino le Fuzelier phthisico à nobis visum est, cui to-
tùm corpus moribundo intumuit, ac facilè disparuit. Sic &
à pulmonibus, & ab hepate, & à liene extenuatio & tumor po-
test contingere. Quod de liene annotauit Hippocrates: *Quibus
corpus extenuatur, lien efflorescit, & contrà.* vt etiam ex Hippocrate

2 Prorrhet.

Lib. de loc. in ho.

Lib. 2. de nat. fac.

Galenus demonstrat. Sed in huiusmodi tumoribus solum humorem agnoscere, non autem flatum quoque admistum repugnat sensui. Vnde enim fluxus & refluxus tam subitus in hydrope, vt modò intumeant pedes, ventre deturgente, aut contrà, nisi comes sit flatus earum mutationum autor? [2] Quod de hydrope ipso demonstrat Hippocrates lib. de flatibus. Sic aut inopia erit caloris naturalis flatum discutere nequeuntis, aut dominatus caloris præter naturam, materiam phlegmaticam in ventum facilè conuertentis. Vnde alio loco docuimus aeruginosos contra sententiam Hippocratis flatuosos esse posse. Et admirabilis locus est apud Hippocratem dum rationem reddit cur in hydrope dolor non sit, cùm tamen partes tumeant: in arthritide cùm tantus tumor non sit, & proinde non tanta distensio (quæ ex sententia Galeni in Aphorismis doloris causa est in articulari affectu) ait autem in hydrope humorem non consistere, sed vagari, proptereáque dolorem non inferre: contrà in arthritide & paucum esse, & consistere. Atque vt breuì absoluam: In morbis dignoscendis videndum an sint simplices, an complicati: & rursus an sit aliquid gentilitiũ, an peculiari diætę & vitę instituti ratione aliquid fiat. Complicati morbi sunt cùm diuersæ partes conflictantur, quarum vt natura diuersa, symptomata quoquę sunt varia, & tametsi communi naturâ conueniant, tamen specifica distinguntur in ægro complicati morbi videntur, catarrhus, tumor œdematosus, deliquia animi frequentia quæ eum valdè exercuerunt: quæ omnia ab eodem fonte manare videntur. Oedematosum tumorem appressorum digitorum manentia vestigia designant. Multis de causis (vt antè dictum est) tumor iste euenire potuit, quarum non vna in hoc ægro consideranda est, sed plures. Vnum tantùm monere oportet, an non etiam à cerebro repetenda sit illius tumoris origo, præsertim quatenus metaphrenum intumescit. Etenim Hippocrates scribit etiam hydropis originem à cerebro repeti debere: quomodo audiendus Hippocrates in Aphorism. cùm ait, *hydropem esse maniæ solutorium*, quòd sit translata à corpore cerebri vi motúque naturæ materia in partes subiectas.

Lib. de locis in homine.

Com. in apho. 49. lib. 6.

Lib. d loc. in hom

Aphor. 5 lib.

Quicquid sit in affectuum complicatione, difficile tenetur pars primaria affectus causa, quòd sæpè à capite in partes superas, sæpe ab his in illas fiat defluxio, sæpè proprij humoris generatio per corruptionem propriam ob partis diathesim ma-

lam. Quæ omnia morborum difficilem cognitionem reddunt.

In hoc ægro eadem ratio habenda quæ & ædium ruinosarum, vt pro gradibus purgationis in instaurando per epicrasin corpore operam demus.

Ad eductionem putris materiæ quæ pulmonibus tenaciter adhæret, ex vsu erunt thoracici linctus ex decocto rad. ari, petrosel. glycyrr. eryng. ireos hyssop. bipinel. sem. bombacis cum syrupo capill. ven. oxymelite, & syrupo de hyssopo.

Cordi applicatum est emplastrum ex conser. buglos. borag. confect. Alkermes, mithrid. theriaca, puluere malabathri, & meliss.

Ventriculo fotus ex his quæ vim haberent roborandi, & coquendi. Ad hepar oxyrrhodinum ex oleo absynth. & rosarum, cum ceroto santalino. Deinde institutus syrupus hic:

℞. omnium herbar. capillarium an. m. j. seminis carth. ℥ j. vngulæ cabal. m. ij. radicum omn. aperitiuar. in vino albo maceratar. an. ℥ j. ireos floren. & eryngiorum an. ℥ ß. buglos. cichorij, pimpin. scolopen. polypodij, an. m. j. fiat decoct. ad lib. j. addendo cicerum rubr. & flor. violar. an. p. ij. in qua infunde rheib. ℥ ij. santal. citr. & cinnam. an. ʒ j. ß. fiat syrupus coctus cum lib. j. sacch. & ℥ iij. syrup. rosar. palid.

Item *℞ agar. trochisc. ʒ ij. rheib. ʒ j. ß. pulu. hieræ ʒ ij. massæ pilul. assaiereth & sine quibus an. ʒ j. cum succo absynth. fiat massa pilul. vtenda vt dicetur.*

Deinde opiatæ sunt institutæ, & condita, quibus vtebatur, superbibendo parum vini albi odoriferi, aut vini hippocrat.

ANNOTATIONES.

1. Hippocrates obseruat quod qui purgati non sunt in morbis, per succrescentem cacochymiam in hydropem incidunt. An verò cocochymia hydropis causa? Ita herclè. Ita enim Galenus explicans illud Hippocratis, quod tempore pestifero quidam in hydropem inciderint, hydrops ex abundantia prauorum succorum quosdam inuasit. Comm. in part. 15. sect. 3. lib. 3 Epid.

2. Et hæc sunt argumenta Hippocr. lib. de flatibus. Humor enim nisi comitem flatum habeat, id non potest efficere.

3. Mirùm non est si hydrops in hoc ægro ferè inexpugnabilis fuerit. Etenim verum illud est quod à Celso scribitur cap. 21. lib. 3. Hydrops sæpè per se incipit, sæpè alteri vetusto morbo, maximéque quartanæ superue-

nit, faciliùs in seruis quàm in liberis tollitur: quia cùm desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptiùs his succurritur qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est.

CONSILIVM LXXI.

De febre maligna.

IOANNES Cheuarry post labores aliquot, cursus, equitationes & comessationes, cœpit lassitudine tentari tensiuâ: febris continua, lingua prærubra, sitis inexhausta, omnium ferè partium ἀδυναμία sine causa manifesta, vrinæ laudabiles nimiùm: ecthymata tandem paruerunt: roborato ore ventriculi & corde, euacuatâ multâ bile olidâ restitutus est. Morbus à quadam erat colliquatione, quod declararunt dolores in faucibus tam internis quàm externis (vt sic loquar) Item deiectiones tenues & liquidæ, quas Hippocrat. ὑδατόχλα vocat in Epidemiis. Nam quod in bile tenuiꝰ erat excernebatur, crassior pars remanebat. In partibus imis erat phlogosis, cuius occasione constitimus in blandis medicamentis, iisque lenibus & humectantibus, cum ratione summæ infirmitatis, quæ præter rationem aderat, vix ac ne vix sectionem venæ aggredi auderemus. Ac reuerâ non est audacter tentanda, sed parcè & cum meditatione. Nec nos mouit quod in acutis mouere oporteat, cùm hoc præsertim de iis audiendum sit in quibus orgasmus est: in hoc autem ægro omnia videbantur mitia & tranquilla, sed latentis putredinis aut malignitatis erat suspicio. Accedit quod hyeme febris ista orta esset, in qua humores quodammodo ἐλεγματῶντι febris erat laboriosa, non eâ tantùm ratione, quia labores, corporisque motiones præcessissent, sed ob lassitudinis sensum ob copiam humorum viscosorum febrem committentium, vt in Epidemiis explicat Galenus.

Et vt Hippocrates sub finem prioris Prorrhet. sect. 1. duplicem facit phrenitim, vnam manifestam, alteram occultam: occultam quidem, in qua signa manifesta non apparent, sed tabes quædam mala impressa manet in cerebro; ita duplex est febris, vna manifesta, quæ se pulsu & vrinis manifestè prodit, occulta quæ neutro sese manifestat. Hæc deterior est, quoniam & Me-

Com. in part. 3. sect. 4. lib. 6. Epid.

dicos sæpè fugit. Huius generis est febris quæ ægrum diuexat, iactationes sunt, ἀλυσμοὶ ναυτιώδεες καὶ ἀνέμετοι, κόποι, vrinę tenues, sed flammeę; pulsus frequens, sed remissus, & quasi compressus, sed analogus interno incendio. Ingens sitis, dolor gutturis & faucium, qualem antè in malis temporum constitutionibus obseruauimus, & per modum colliquationis; impotentia & infirmitas maxima sine causa manifesta: deinde eruptio ecthymaton.

In facultate naturali sitis, fastidium sine magno calore qui foris appareret, vrinæ tenues. In animali impotentia maxima, & ad motum pigrities & tarditas. In vitali, pulsus remissio. Indifferentia, ecthymata, iactationes & ἀλυσμοὶ, lassitudines, dolores gutturis.

Impotentia ista terrori fuit, quia in febre mediocri corpus ita impotens esse præter rationem, malum; nam nulla est κενεαγγία, quod declarat vel intemperiem partis principis, vel copiam materiæ grauantis, vel obsidionem cordis à maligno, vt ex Galeno videri potest.

Sic in ęgro isto febris laboriosa erat, & idem ei contingebat quod & in sicca ophthalmia, in qua quod est tenuissimum excernitur, crassius verò manet; aut vt in angina sicca eidem Hippocr. Vrinæ erant tenues, sed erant boni coloris, quod si ad tenuitatem malus aliquis color accessisset, pessimæ essent, vt doctè in histor. de Clazomenio obseruat Hippocrat. & post eum Galenus.

Com. in part. 5. lib. 2. Prorrh. Lib. de aëre & loc. 4 Acut. In Epid.

Ecthymata apparuerunt vt in Sileno, sed potiùs fuerunt papulæ rubræ & tenues, aut maculæ ob ingentem phlogosim quæ ex materia coercita anathymiasim tetram educebat ac suscitabat. In ista imbecillitate non voluimus dare hypnotica, ne naturam pigram magis redderemus. Iuuimus ægrum vsu acidorũ, & eorum quæ contra malignam vim pugnarent. Sanguinis detractioni pepercimus, nec abs re. Quoties enim ingentis cuiusdam ariditatis in partibus imis suspicio est, & argumenta, nec non obsidio facultatum, & ἀδυναμίαι, audax ne esto in secanda vena: aut si secare consilium est propter phlogosim, parcissimâ id manu faciendum est; alioqui in magnum discrimẽ vitæ ægrũ coniicies. Quod & in ripa Celestinorum in vxore cuiusdam cinerum venditoris obseruauimus, quam febris maligna occupabat; sensim enim naturę motu, qui tamen symptomaticus vide-

videbatur, euacuatâ fœdâ materiâ, mox aqueâ, mox paulò crassiore & biliosiore: item confirmatis corde & ventriculo, & vsu epithematon temperatiore reddito calore per Dei immortalis gratiam primæ eam restituimus sanitati, cùm tamen multa lethifera signa apparuissent.

In tonsore Caroli successore, cùm laboraret ferè eadem febre, immò horrifica esset, id est in continuitate quosdam ex interuallis horrores, obseruauimus aliquando frequenti venæ sectioni locum esse, aliquando eandem repetitam plurimùm obesse. Prodest quidem cùm iactationes & ἀλυσμοὶ καὶ ἄσαι, non tam fiunt à maligno, quàm à calore impensè aucto, & à cacochymi sanguinis copia: cuius argumenta sunt rigores aut horrores, qui non tam fiunt per caloris affectionem, aut eius absentiam, quàm putrentis humoris membranis & partibus spermaticis sentientibus molesti prouentum. Nam postquam horruerunt, statim incalescunt, deinde rigescunt. Galenus autem in Epidem. scribit illud vsuvenire vt quoties humores corrupti incalescant, leues horrores inducant. Quod cùm euenit, audaciùs sectio venæ tentari debet, non vt quid semel fiat (quia in humorum prauorum prouentu rarò vires sufficiunt) sed iteratò. Atque huic tonsori multa sectione venæ occurrimus, vt insigniter sæuientem febrem confoderemus ac iugularemus. Sed cùm horrores qui adsunt materiæ ἀνωμαλίαν & τὸ ἑτερογενὲς significant, aut cùm verè periodici sunt, aut symptomatici, caue ne hinc secandæ venæ occasionem quæras. Item cùm iactationes & λιποθυμία oris ventriculi κάκωσιν sequuntur, cunctantiùs timidiúsque sectionem venæ aggredieris. Ideò aliquando est vbi potiùs febris ratio habenda, quàm causæ febrem committentis in cacochymia consistentis. Est vbi etiam potior ratio habenda causæ ipsius quàm febris. Quanquam purgatio febris causam potiùs respicit, quàm febrem ipsam: sectio venæ & febrem & causam.

CONSILIVM LXXII.

De febre maligna.

STABVLARIVS in vico de la Mortellerie à castris rediens, benè quidem habebat. Militiæ morbo detentus erat: & nos eum à pulmonis inflammatione vindicaueramus. Corpore erat squalido, visceribus admodum intemperatis. Vino meraco apprimè delectabatur. Circa vesperum cùm leuiter febriret, indulsit tamen genio. Circa quartam nocturnam febre adeò insigni prehensus est, præcedente horrore, vt animam agere videretur. Pulsus insigniter elatus, magnus, validus, frequens: ingens in præcordiis æstus, hypochondriorum murmur obaudiebatur, mox contrahebantur: frequens magnaque respiratio, oppressio, iactationes, vrinę flammeæ, aluus nigra reddebat, vomituriebat: per quatuor horas viguit febris: sensim declinauit. De vtroque latere queritur ac si pleuriticus foret. Percipiebatur raptus humorum sursum. Febris erat plena iactatione: lingua scabra. [1] Intumescebant sensim hypochondria. Tertia nocturna cùm βραχύπνους effectus fuisset, & extima alsissent, moritur. Cadauer intumuit adeò vt semidoliolũ referret. Rubentibus, nigricantibúsque maculis obseritur. Malignus erat morbus. Et de eo Galenus videtur agere in Epidem. dum obseruat contingere in febribus malignissimis & acutissimis, vt initio incendij febrilis summa sint omnia: magna & frequens respiratio, in toto corpore fusio, perceptióque caloris contra naturã, eiúsque acerrimi. Sed paulò post deferuent partes, desæuítque febris, adeò vt ea nulla restare videatur. Æger βραχύπνους fit, quoniam cùm summus esset adeò calor, vt nullus eo maior extare queat, digeritur prauè feruefactis omninò humoribus, & spiritibus exustis retostísque, vt remaneat tãtùm paucus ac exiguus calor natiuus. Eique quantulus est, exigua, breuísque spiritus ductio sufficit. Atque calor iste natiuus priùs extinguitur, quàm noua denuò accessio febrilis surgere queat.

ANNOTATIONES.

1. *Quod huic ægro contigit vt morituro aluus inflaretur, & corpus inflaretur, & corpus obsereretur maculis. Idem Nicolai filio euenit lib. 7 Epid.*

CONSILIVM LXXIII.

De Conuulsione, & complicatis vteri affectibus.

VXOR Ioannis Tancré Equitis Regij filium suum primogenitum peperit. Hic exuccus aridúsque emissus est: sed tamen quæ aqua cum fœtu effluere debuit, ea obstetricum & clinicarum mulierum testimonio sensim atque sensim effluxit. δυστοκία fuit adeò vt crederent vtero vim aliquam illatam esse. Toto tempore decubitus aluo fuit admodùm obstrictâ, & iam dolores aliquos in ventre sentiebat. Indita sunt enemata, & medicamenta satis valida præscriptà sunt. Aluus inde non multùm subducitur. Præterito tempore decubitus cùm iam sibi ad munia prima redeundum putaret, & lac artificio suppressum esset, quòd eam lactare coniunx nollet, circùm vmbilicum adeóque imum ventrem dolores oriuntur. Enemata induntur valida, & potiones. Indurescit inde aluus magis, minúsque cedit remediis. Dolores inualescunt. Ad mulierum consilium res redit. Tunc & fouere, & vterinum affectum causari, immittere in balneum, medicorum consilium tanquam eius rei ignarorum reiicere, condemnare. Terebinthinam cum stupis applicare, & sexcenta alia vsurpare remedia, frequentes clysteres indere ex carminatiuis & anodynis. Incredibile dictu quanta fuerit vsurpatorum remediorum sylua. Et prout quæque mulier erudita videbatur, ita eius remedia probata sunt. Aliæ quæ vteri reponendi artem profitentur, & manu, & igne, & cucurbitulis multa moliuntur. Nil proficitur, ægrescit medendo humores vsu istorum remediorum impensè calidorum funduntur, ichorosi & saniosi fiunt, ferociunt, acuuntúrque nil tale cogitantibus. In ista humorum conculcatione & agitatione, cùm tamen propter astrictiorem aluum exitu supernè infernéque prohiberentur,

ægram conuulſiones epilepticæ veræ adoriuntur, intra horas duodecim octies aut nouies conuellitur, omniáque terrore & ſtupore plena ſunt. Ad diuinitatem iſtud referunt, proptereáque nil ampliùs reliquum eſſe præſidij autumant. Ceſſante cõuulſione epilepticâ ἄφωνος tamen manebat. Lingua exerebatur ſemipedis longitudine. Intumuerat, ſauciabatur, ac concerpebatur. Hæc nono morbi die paruerunt cum meo quidem iudicio naturam tæderet tantæ diuturnitatis, eáque aliquid moliri vellet. Ad Medicos rebus penè conclamatis concurſum eſt. Spectatores fabulæ toto die fuerunt: clyſmata ex hiera diacolocynthidos & aliis ſubdiderunt: aquarum theriacalium & cõſimilium vſu conſuluerunt. Puluis hieræ poculo datus eſt. Aliis videbatur opportuna ſectio venæ, quòd ſecretio videretur illius materiæ quæ per alui ſuppreſſionem in hypochondriis τὸ ἐγκόνδεις acquiſiuerat: & quæ in genus neruoſum tranſlata, cùm olim in venis concluſa foret, conuellendi occaſionem dedit. Inepta aliis viſa eſt, cùm natura videretur fathiſcere, & quòd in paroxyſmis epilepticis vſurpata crimine non careret. Siue hic ratio plus valuerit quàm fortuna, aut contrà (ſiquidem fortunâ duce potiùs periculo ægrę tentatum hoc eſt) ſanguis demitur ad tria ingentia vaſcula. Affatim riuuloſéque fluit. Ab eo tempore non conuellitur, ſed redit ad ſe: tamen ſubſultus quidam & contractiunculæ, quę potiùs ex ſententia Galen. σπωνχοὶ, quàm σπασμοὶ dicentur, apparent. Die ſequenti initum eſt conſilium. Illius affectionis cauſa creditur ſanguinis cumulus, impetus & incitatio, necnon excrementorum in aluo prouentus. Et cùm aluus denſa eſſet, facta quædam eſt humorum & ſanguinis conculcatio; hinc phlogoſis, & à phlogoſi vaſorum coarctatio & anguſtia, ac ſi aluus ambuſta & ſicca diceretur. Sic metus erat voluuli. Et niſi conuulſiones iſtæ incidiſſent per quandam ſeroſæ partis & malignioris (vt ita dicam) ſequeſtrationem, voluulus incidiſſet. [1] Hippocrates hunc morbum adumbrauit, cùm ait dolores in hypochondriis reſides & reuolutos, ſi augeantur; & febrem faſtidiumque cibi accerſant, conuulſionem afferre per diadochen & metaſtaſim humorum malignam qualitatem, temporis ſucceſſu per ſuppreſſionem adeptorum. Ac credibilis iuuenem iſtam mulierculam hepate viſceribúſque præcalidis præditam, & tamen ſuperficie corporis ſubalbida, molliuſculáque carne (vnde facilè ea imbuitur ſan-

Lib. 3. Prorrhe.

guine, inflammationésque concitat (vt de mulieribus docet Hippocrates mammarum muliebrium exemplo [2]) in eam affectionem incidiſſe tribus de cauſis : ob alui ſuppreſſionem, quæ ipſa per ſe incommoda affert multa, ob exuberantiam ſanguinis, qui in mãmas fluere prohibitus eſt. Tertio ob cacochymiã. Sic prudenter prouiſum eſt vt bis, terve ſanguis detraheretur ad tollendam plenitudinem & phlogoſin, quam vſus rerum admotarum calidiorum adauxerat, colluuies humorum adimeretur, aluus leniretur. Lenienda enim aluus fuit, non irritanda vehementibus medicamentis & ſiccantibus calfaciẽtibúsque. Quod notandum eſt, & à nobis obſeruatum in capite de ea re præſcripto, vt leuetur eorum error, qui cùm vident aluum tardam, ad impensè calida confugiunt. Contrà plus proficitur vſu rerum temperatarum. Iniecti ergo ſunt clyſteres primis contrarij, ex decoctis capitum veruecinorum, & omazorum cum borag. bugloſ. vtraque malua, & radicibus eius, ſeminibus melonum, cucumeris, endiuiæ, ex diaprun. non laxatiuo, diacaſſia. Immò oleum fuit ſuſpectum ob calorem, niſi quod liliaceum & violatum magnâ copiâ iniectum eſt. Reiecta ſunt ea quæ calfacerent in vſu τῶν ἀνωδύνων καὶ χαλαστικῶν, & temperatorum conſiſtitur. Stuppę iniectę ſunt in aquam egelidam vt ſaturarentur, deinde in ſeſquilibra butyri recentis, & tantundẽ olei viol. imbutę ſunt toti abdomini applicitę. Potiones ex oleo amygdal. dulc. recenter extracto, cum decocto maluarum, bugloſ. ſemin. frigid. lactuc. & ſem. alκεκengi, ex caſſia ſoluta, catholicone, diapruno ſimplici, cum ſyrupo viol. aliàs ſyrupo roſarum pallid. Quod validis medicamentis obtineri non potuit, id rerum blandiorum vſus eſt aſſecutus. [3] Si quando aliàs in ea muliere maximè obſeruari debuit quod ſcribit Hippocrates: *Cauendum eſt ne inflammatas partes medicamentis vexemus*, &c. Repetitæ ſunt iſtę potiones, & iuſcula liquidiſſima. Tandem ad colluuiem contumaciorem & abſtruſam magis in iuſculis tabell. diacarthami ſæpè diſſoluimus magno profectu. Sæpè id factum hinc benè habuit. Vrinę prę calore nigreſcebant, & flammeę erant : ſtatim aluus ſubſiſtebat, & ſpiratodea reddebat. Immò narrabat ęgra ſe circum lumbos & in regione venarum vteri ſentire pulſum, ſubſultúmque arteriarum, & calorem immodicum. Niſi viribus metuiſſemus, largiſſimè ſanguinem dempſiſſemus. Per octo aut duodecim dies benè

Sub fine li. de glãd.

4. Acut.

habet. Sed tamen dolores ſe mediocres in regione pubis & lumborum perſentiſcere dicebat. Sed hi aliis inferiores erāt. Ecce dum eam primæ ſanitati reſtitutam credimus, grauiùs quàm antè conflictatur, de nocte exacerbantur dolores, adeò vt ea manus ſibi inferre cogitet. Interdiu leuantur, aluus aſtringitur, in inguinibus dolorem ſentit, & in ſuris tibiarum maximè in plantis pedum intolerabilem. Inſomnis nullo conſiſtit loco. Vomitiones æruginoſæ frequentes: renum regio inflammari videtur. Ad prima remedia & venæ ſectionem recurritur. Parum proficitur. Vrinæ aliàs flammeæ, aliàs aqueæ, aliàs ſabuloſæ apparent: ſic erant diſtantes. Et quod vrinę diſtantes turbationem aliquam declarant, Hippocrat. cùm in eadem vrina eſt diſtantia, id eſt inæqualitas contentorum. Idem poteſt dici de vrinis cùm vno die ac altero aliàs aliter affectæ excernuntur. Nos vterinum aliquid eſſe dicebamus. Et obſtetrices & chirurgi narrabant collum vteri quodammodò diſtortum, & ingentem intus calorem percipi. Ligamentorum cornuumque erat affectio aliqua. dolor tunc repetiit cùm illa ſomniaret ſe à ſuo coniuge iniri, & coire voluptuosè. Sic factus erat eò ſanguinis concurſus, & furor, appetentiáque vteri contigerat. Quodque mirandum, magis ab vtero flatus erumpebant; quod Aëtius obſeruat in cap. de inflatione vteri, & ſatyriaſi. [4] Et vt ingenuè dicam, complicati erant affectus: ſatyriaſis erat quædam, & phlogoſis circum vterum. Secta vena in brachio, ſecta in malleolo magnâ quantitate. Cataplaſmata lenientia admota. Oxyrhodini embroche frequens. Nil aut parum proficitur. Tandem conſulitur clyſteribus anodynis, in quibus philonium romanum diſſoluitur. Iniicitur oleum liliorum & violar. in vterum. Peſſi ex terebinth. bdellio, opopan. ariſtoloch. & tametſi phlogoſeos & ὀπφλογίσματος ſuſpicio foret: tamen quia os vteri non contingebant, ex vſu peſſariorum profluuium ſanguinis ex vtero expectabamus, eóque conſilio venam malleoli tutuderamus. Iuuabatur peſſis, fortè ob titillationem. Clinica mulier candelas ex ſebo indebat loco peſſuli: manifeſtam ſentiebat alleuationem. Inditi ſunt hi peſſi.

Aph. 133 lib. 7.

Aëtius ſerm. 4. tetrab. 4.

℞ opopan. bdellij, gummi elemi an. ℥ ſ. terebinth. ʒ ij. ceræ ℥j. fiat peſſus acutus puluere diacolocynthidos.

Inſeſſus ex ruta, chamæmelo, meliloto.

Sed cùm hæc non iuuarent, & dolores vrgerent, & pectinis, inguinum, maximéque ſurarum, & plantarum pedis cum caloris ſenſu. Periclitatum eſt hoc remedium.

℞. rad. alth. & lilior. an. ℥ iij. mal. ſenecio. viol. biſmal. melil. chamæmel. creſsionis an. m. iij. ſem. lini, cytonior. pſyll. fænic. burgund. & alth. an. ʒj. ſ. [5] hyoſci. & papau. albi an. m. iij. fiat decoctio in aqua. fiat paſſatura: in qua adde opij thebaici & populeonis an. ℥ ſ. Fiat cataplaſma admouendum pubi, poplitibus, & inguinibus.

Veſicæ ſuillæ impleantur eo decocto, & admoueantur. Eadem materialia capiantur, & coquantur pro ſemicupio. Per metrenchyten de eo decocto in vterum iniectio fiat.

Renibus applicatum emplaſtrum ex philonio rom. & vnguento Comitiſ.

Hoc remedio conualuit, dormiuit, ſedati ſunt omnes dolores.

ANNOTATIONES.

1. Colicos dolores ſæpè in epilepſiam deſinere nouum non eſt, immò & in artuum reſolutionem. Quod Paulus Aegineta annotauit, & poſt eum Auicennas.

2. Conuulſiones iſtæ febri ſuperuenerant, & febrem quodammodo ſoluerunt. Ita enim aliquando conuulſio commodè febri ſuperuenit, vt ad finem lib. de criſibus docet Hippocr.

3. Et ſi quando aliàs in hoc maximè verum fuit quod eodem loco 4° Acutor. in præcordiorum inflammatione ſectionem venæ eſſe principale remedium. Vide hiſtoriam Nicolææ le Bé. Et cùm dolor in noſtra ægra regionem vteri attingeret, mirum cur toties è brachio ſanguinem ſuſtulerimus, potiùs à malleolo trahendus erat. Vnde quæſtio præclara, an in vteri inflammatione & dolores immo in ſuppreſſione menſium demendus ſanguis è brachio. Non vult Galenus cap. 11. lib. de ſang. miſſione. Reclamat quoque & demonſtrat Akakia in 2. ad Glaucon. Contrà ſentit Aëtius. Ac credo quoſdam Medicos medendo aberrare plurimùm.

4. Si ea quæ ab Hippocrate dicuntur de flatu in vtero legamus lib. 2 de morbis mulier. multa huic mulieri talia ſymptomata eueniſſe comperiemus. Hæc autem inflatio cùm eſt inter anguſtias vteri, dolor eſt maior. Non reformidat venæ ſectionem, cùm caloris magni magna ſit ſuſpicio, Potuit eſſe inflammatio aliqua. Nam cùm vteri fundus aut cauitas inflammatur, in imo ventre dolor eſt, & minimo digitorum preſſu irritatur. Nec eſt quod obiiciat quis vehementem non fuiſſe febrem; non enim

in eo affectu ingentem esse necesse est: cùm multis de causis moderata esse possit. Tamen accidentia horrifica sunt sæpè, & quæ Aëtius cap. 83. Tetrab. 4. serm. 4. describit. Chirurgis manu ægram contingentibus quodammodo relaxatus vterus esse videbatur: quod non absimile videri poterat; siquidem fieri non posset quin præ dolore magna aliqua mutatio in vtero contingeret. Accedit frequens vsus chalasticorum & oleorum, & rerum humidarum propter dolores applicatorum, quæ aliquam relaxationem afferre potuerunt, immò appetentia coitus & veneris abstinentia paululùm de loco suo dimoueri potuit.

5. Hippocrates non reformidat vsum narcoticorum in doloribus vteri.

CONSILIVM LXXVI.

De Pleuritide.

FILIOLA domini Floræi cùm sub dio, partim in sole versata esset, dolere caput cœpit, & tussire. Febris prǣhendit acuta, & quæ tamen ex interuallis maior esse videretur. Omnes noctes plenæ molestiarum fuerunt. Maximè enim ad sextam serotinam & febris & reliqua exacerbabantur. Iactabatur, nullo consistebat loco. Tussis & tussiendi cupiditas illam perpetuò infestabat. Nil è pulmone educere poterat, tametsi esset stridula. In pulmone humoris concursatio, quæ obaudiretur. Sitis erat ingens & implacabilis. Frequens & breuis respiratio cum difficultate. Postquam tussiuerat, statim eiulabat. Aliquando in partibus extimis febris mitescere videbatur. Immo leniter perfrigerabantur ac si noua foret accessio. Sed illud fallax fuit. Pugnabatur cum febre, & tussi quod eam partim à capite excitari crederemus, partim à resudatione ichoris à calefacta pituita in pulmone. Octauo die symptomaticus alui fluor. Nono interiit. Aperto cadauere latus sinistrum purulentnm erat, & pars pulmonis quæ illud contingeret. Immò & pus, in capacitatem fusum erat. Pleuritis fuit.

Nos valdè decepti fuimus existimantes tussim à capite esse. Sed quod tam frequens esset, & sicca, & cum difficultate spirandi iūcta, illud aut inflammationem in pulmone, aut in latere, aut in vtroque satis significare poterat. Tamen vnum desiderabatur, vt ægra de dolore lateris quereretur: Hoc expectabamus, interea

intereà ignoratione rei præsidium in inflammationibus thoracis vsurpari solitum magno incommodo omisimus. Et si illud vsurpauissemus certis signis nequeuntes assequi vtra pars esset affecta, è latere dextro sanguinem nullo profectu detraxissemus. Itaque puellæ peruicacia & morositas maximam periculi partem creauit. Rubor genarum non erat, tamen ferè perpetuò adest in inflammatione partium thoracis. Item aliquando clauso ore dormiebat: quod nos in eam adduxit opinionem, vt crederemus costas non esse obsessas. Sed omnis ista ratio nos decepit valdè. Tamen vix excusari possumus quin sanguinem demere debuerimus cum inflammationis in thorace magna esset suspicio. Ad sectionem venæ & insignis febris, & inflammationis suspicio, & sitis inextinguibilis, & iactationes ob incendium natæ, & maximè difficultas illa spirandi hortari debuerât. Nam cùm difficultatis differentiæ à motu ipso sumantur, vt velox, tardáque respiratio dicatur, à materia calida & frigida, à thorace, magna, parua, à quiete densa, rara, quemadmodum magna & frequens incendium in corde arguit, magna & rara delirium: parua & frequens in febribus aut œdema, aut impedimentum in thorace, vt inflammationem, aut quid simile. Cùm videremus ingenti præsente æstu puellam habere frequentem admodum respirationem, & tamen paruam veluti oppresso & coangustato thorace, de inflammatione aliqua suspicari nos oportebat. Tamen hoc asserimus sæpè nos obseruasse in pueris valdè febrientibus frequentem paruamque respirationem, licèt affectus thorax non esset. Sed nonnunquam magna intercidit respiratio in omnem dimensionem dilatato thorace. At in hac puella nil tale obseruauimus: immò cùm dilatare thoracem vellet, subsultabat quodammodò, & vociferabatur. Hæc à nobis eo consilio scribuntur, vt cùm aliàs, tum maximè puerorum curam suscipientes, tanto diligentiores in eorum morbis nos præstemus, quantò minùs certos de suarum affectionum idea reddere nos solent. Immò cum pueris tanquã mutis ægris nos rem habere existimemus; vt quoniam ex relatione, quæ tamen in dignoscendis morbis plurimi facienda est, nil certi, nilque pensi habemus, aliis coniecturis, signis & symptomatũ obseruationibus nitamur, alioqui puerorũ salus valdè periclitatur. Nec enim ab ista ægra puella expectandum erat vt

dolorem lateris pungentem quereretur quò secundæ venæ occasionem porrigeret, sed aliis modis res erat assequenda.

CONSILIVM LXXVII.

De febre semitertiana.

DOMINA de Chalmontio & ea mulier quæ ad insigne ensis regij commorabatur, eadem ferè febre detineri videbantur, sed sorte fatóque inæquali.[1] Vna enim iam grandæuis, & malè pulmonibus affecta interiit, altera non item. Febris erat assidua, aliàs interdiù, aliàs noctu exacerbationes habens. Vna dies leuior, altera acerbior, in morem τριταιοφυῶν aut ἡμιτριταίων. Non tertiana erat exquisita, quia horas duodecim superabat; non absolutè tertiana, quia horas quindecim superat, vt sentit Galenus: fortè longa videbitur tertiana, quòd tempus intermissionis sit admodùm breue. Tamen quoniam nulla febris vacuitas visa est, nomine tertianæ donanda non fuit. Et si fortè remissio aliqua erat, minimâ occasione præhendebat horror cum perfrictione quadam, adeò vt ad hemitritæon accedere videretur. Nisi fortè timeamus ne Galenus nos rideat, vt & quosdam ætatis suæ Medicos, qui longam tertianam cum hæmitritæo confundebant. At longa tertiana remissionem habet & intermissionem aliquam, hemitritæus nil habet intermissionis, vt Galenus in Epidemiis scribit. Quanquam lib. de Typis longè aliter sentiens, hemitritæis aliquam intermissionem attribuit. Sed puto hunc librum Galeni non esse. Febris dicta τριταιοφυὴς, latinè tertiumgena, constituitur ab Hippocrate continua altero die remittens; quod Hippocrates ὑποκυφίζεσθαι vocat, tertio quoque die exacerbatur. Hæc febris in mulieres dictas incidere videbatur. huius hæc est descriptio:

Com. in apho. 23 sect. 2. lib 6 Epid.

Ibid.

Galenus secũ pugnat.

Sect. 2. li. 1 Epid.

Cùm annus frigidus aquilonius cum humiditate fuisset, omnes per hyemem commodè habebant. At sub ver decubuerunt. Febres tunc continuæ tertianarum more inuadebant, violentissimæ, longissimæ (idque ob coctionis difficultatem, & oppressionem naturæ à vehementioribus symptomatis) laboriosissimæ: lenes à primo, de cætero increscebant: aliquantum remittebantur, rursum ex intermissione vehementiùs incessebant, &c.

Itaque febris quæ mulierem illam adoriebatur, erat potius

διαιτωοφυὴς, de qua videtur ab Hippocrate pronunciatum; *Quæcumque febres tertiâ die fortiores fiunt omnes malæ: quoquo modo intermiserint, &c.* Intermissionis vacuitatem causam habere putat Galenus aut inflammationem, aut humorum κακοήθειαν. Ac de illis febribus quas τριταιοφυεῖς cum Hippocrate vocare possumus, quatuor notanda sunt. Primum est, quòd è malignarum febriū genere sint, opinione Galeni. Secundum quod illis proprium est, vt & malignis febribus; vt diebus decretoriis deteriores fiant. Tertium iis conuenit vt nox præcedens accessionem molestior sit, secundùm Hippocratem. Nam à frigido & bilioso sunt humore, vt mirum non sit si de nocte molestias habeant. Nam dum biliosus humor acutam febrem facit, putrescunt interea humores frigidi, vnde reaccenditur febris: & tamen alio in loco hæc omnia hemitritæis tribui solent. Reuerà magna est affinitas inter hemitritæas febres & τριταιοφυεῖς, vt in nostro Definitionum Commentario explicatum est. Quartum est quod notari debet: si febres illæ tertio quoque exasperentur, cùm tamen continuæ sint, an illis diebus tertiis licet aut venam secare, aut purgare? Non videtur, sed potiùs moliendum est aliquid die mitiore. Reuerâ si manifesta tranquillitas comparatione factâ cum alio die apparet, & apparet quoque manifesta exasperatio die altero, eligendus is est qui eam præsefert tranquillitatem, vt aliquid moliamur. In vtraque muliere erat anxietas summa, quæ à calore acri omnia confundente, & os superius ventriculi molestante contingebat. Implacabiles erant renum dolores, vrinæ ferè crudæ. Coniiciebamus circum ventriculum collectam esse humorum copiam, vnde defectiones animi excitato vapore sequerentur.

4 Apho.

Com. in apho 25. sect. 2. lib 1. Epid.

Part. 23. sect. 2. lib 6 Epid.

Sed mirum fuit magis quod in illustri domina à Calmontio apparuit: nam cùm habitum corporis haberet tumidiusculum, pituitosum, minimè difflabilem, corpus internum æstuabat, omnia quæ excernebantur erant biliosa: tota massa sanguinis erat corrupta. Et quod mirum, pulsus erat vibrans, qualis in ingentibus inflammationibus apparere solet. Cumque esset annosa, mirabantur Medici quomodo in febris assiduitate ista pulsus vibratio, elatio, magnitudóque tandiu perstitisset. At animosa erat mulier, nullis aut corporis, aut animi laboribus defatigari solita, nulli pene celeritate cedens, irasci celeris, ad omnes actiones expedita: cor compactum habebat, & faculta-

tem vitalem omnium validiſſimam habebat (nec enim tamdiu tam violentæ diræque febris moleſtias tuliſſet) de eáque illud dici potuit quod in aphor. ſcripſit Hippocr. *Qui conſueti ſunt labores ferre, etſi imbecilli ſint, aut ſenes, non conſuetis fortibus atque iuuenibus faciliùs ferunt.* Itaque pulſus erat validus, cùm vitalis facultas eſſet valida, auctus erat vſus, inſtrumentum cedebat, vt mirum non fuerit ſi talis pulſus extiterit: & reuerà talis ad finem vſque perſeuerauit. Sed quod magis mirum fuit, eſt quod vno die quinquies aut ſexies rigeret ac ſi noua acceſſio foret. Horroris illius aut rigoris cauſam aut coniiciebant nouæ materię accenſionem, aut ſuppuratum in pulmonibus, aut aliquid ſimile. Obſeruatum eſt ab antiquis frequentis & per vices repetentis cauſam horroris eſſe ſuppuratum: quod in pulmonibus hoc facit [3]: ſed ſi in pulmonibus id fiat, multò magis, aut pariter quoque in aliis partibus fieri debet. Aperto cadauere ſiniſtra pars pulmonis erat purulenta: ſed id crebri horroris cauſa non erat. Nam ſtatim ab iſto horrore calor adurens ſurgebat manum tangentis feriens, adeóque vola manus & planta pedum incaluerat, vt nullus ferè eum calorem ferret. Horroris autem illius cauſa eſſe potuit inæqualitas quædam materię, & τὸ ἐπεργῶδες, vt quæ materia in maioribus venis coërcetur, & vniuſmodi eſt continuam faciat calore continenter cordi communicato, necnon vapore elato: quod dum fit à calore iſto alia corrumpitur materia in habitu corporis (in quo ficus periodicarum febrium continetur & conſiſtit) eáque materia reduplicationis eſt cauſa; quę reduplicatio habet aut leuem perfrigerationem, aut horrorem anteſignanum, vt idem fiat quod in hemitritęis febribus quas κατ' ἐξοχὴν φρικώδεας paſſim cum Hippocrate Galenus appellat. Quotidiana enim habet frigus tantùm, & ſi continua eſt, non habet. Tertiana autem rigorem habet: & tamen cùm hemitritęus ex quotidiana continua (quod tamen minùs propriè dicitur, cùm nomen quotidianę continuitatis nomen excludere videatur) & tertianâ intermittente componatur, dum ita confunduntur, ſymptomata quoque confuſa habent. Et qui horror per ſe neutrius eſt ſi ſola ſpectetur, vtriuſque confuſę eſſe poteſt. Et libri prioris ad Glauconem Paraphraſtes dum quęrit in quas febres rigor horrorque incidant, agnoſcit intermittentes, quibus nimirum horror aut rigor periodicus eſt, anteſignanus: item ſemitertianas quibus proprius

Aph. 49 lib. 2.

est horror; immò κατ' ἐξοχὴν horrificæ dicuntur. Quanquam Galenus docet posse existere semitertianas sine horrore: sed hoc in vno tantùm casu ponit, cùm scilicet tabescentes comitatur febris semitertiana: successu enim temporis horroris occasio tollitur, præsertim materia pituitosa consumitur horroris causa, nisi fortè aliunde horrescendi veniat occasio. Aut enim à suppurato oriri potest, aut fortè quia diuturnitate temporis corpus & excarne & exangue redditum minimâ occasione inhorrescit. Ergo de periodicis & semitertianis dicta sint. Nunc de continuis. Quædam sunt continuæ, homonymōs tamen dictæ, quæ cùm ex multis particularibus accessionibus procedant, fit vt prioris finem altera accessio cum horrore præueniat: & in his horror adest. Aliæ quoque permultæ sunt continuæ, & quæ vnâ finiuntur accessione, à leui rigore vel frigore incipientes ob materiæ inæqualitatem, vel malignitatem. Sunt & aliæ quas Hippocrates horrificas vocat (ego verò hoc non legi, nam solas semitertianas horrificas vocat, & hanc admittit appellationem Galenus) quod per totam ferè accessionem earum corpus inhorrescat, idque vel reduplicato febris incremento, vel eo ipso citra reduplicationem inæqualiter increscente. In quibus si longioribus interuallis horror remeat, reduplicatio dicitur & fit, maximè in semitertianis; sin breuioribus, horrificus, inæqualisque motus dicitur. [4] Sed audiamus ipsum Galenum, quē citat Paraphrastes, locum enim haud legi. *Febrium continuarum tertio die repetentium quædam cum horrore venientes, cùm à primo impetu ad incrementum se conferunt, tametsi non mediocriter prægressæ videantur, alterum horrorem cum constrictione inducunt; ab hoc alterū incrementum, deinde aliam constrictionem & horrorem. nam iterum bis & ter repetunt. Postridie aliam priore minorem habent accessionem sine priorum repetitione, isque est perpetuus orbis, vt binæ binis diebus fiant accessiones.* Et illud, *binas, binis diebus*, interpretor, tertio quoque die duæ accessiones fieri videntur. *Aliæ sunt continuæ tertio quoque die repetitiones habentes citra illas horrificas inuasiones, vnamque habent accessionem tertio quoque die, accessione carent secundo die. vnum enim habent continuum & æquabile ab inuasione ad vigorem incrementum.* Priores febres ἡμιτριταίους vocaueris; posteriores τριταιοφυεῖς: quæ τριταιοφυεῖς medium locum habent inter ἡμιτριταίους & intermittentes febres: nam illis sunt meliores, his verò deteriores. Et pro vtrisque notanda hæc distinctio, quod in hemitritæis tertio

Com. in part. 5. sect. 3 lib 1. Epid.

Com. in part. 5 sect. 3. li. 1. Epid.

Ibid.

quoque die duæ fiant accessiones, & secundo die fit vna acces-
sio. [6] Quod mirum cur secundo die dicat fieri vnam accessio-
nem, cùm continua sit quotidiana. Sed ego puto manifestum
quoddam esse argumentum cuiusdam ἐπισημασίας, quod non ad-
est in iis quas vocat τριταιοφυεῖς. Nam tertio quoque die sine hor-
rore habent aliquam repetitionem, seu accessionem, secundo
die non habent accessionem, cùm sit vniusmodi febris. Item
sciendum in hemitritæis manifestos esse horrores & inæquali-
tates, quòd in his quæ dicuntur τριταιοφυεῖς non cernitur. Nisi
fortè dicas & obiicias illud Hippocratis descriptionem febriũ
τριταιοφυῶν facientis in Epid. *Rigores omnibus inordinati erant & er-
rantes.* Si ergo horrores ita in illas continuas incidunt, in quo
distinguetur hemitritæus ἀπὸ τοῦ τριταιοφυοῦς? Nos dicimus aliud
esse inordinatos esse rigores minimosque in febribus cõtinuis,
aliud dicere ordinatos esse. Nam in hæmitritæis non sunt inor-
dinati, errantes & minimi, sed validi, stati, & vehementes. Et
ideò propriè dicitur horrifica. Sed si in alia febre continua er-
ratici incidunt horrores, non perinde horrificæ vocabuntur.
Quod vt pleniùs intelligatur, causa & hemitritæi & triteophy-
eos est explicãda. Verus hemitritæus à duobus humoribus, est à
bilioso & pituitoso: & si æqualiter exuperet humor vterque ex-
quisitus, fiet semitertianus typus. Prout autem humor vnus
paucior est altero, ita quoque aut vera aut non vera semitertia-
na est. Vera febris τριταιοφυὴς ab humore quidem bilioso, sed len-
tiore febre fit & coctu difficiliore. Quod si horrores habeat,
non iam vnum humorem agnoscit, sed duos, & ad hemitritæon
accedit. Proinde Galenus eod. Commentario de triteophyis
horrores errabundos loquens, ait eas à duobus humoribus ori-
ri, pituitosis & biliosis. Et ferè dum τριταιοφυεῖς explicat, idem di-
cit quod & de hemitritæis. Atque vt ingenuè dicam, magna est
societas inter vtrasque, præsertim cùm horrores sunt coniun-
cti. Itaque cum doctiss. Akakia de illis horrificis continuis scri-
bit: *Si longioribus interuallis horror remeat, reduplicatio & dicitur, &
fit, maximè in semitertianis: sin breuioribus, horrificus inæqualisque
motus dicitur.* Obscuriùs enim dicit quod nos antè diximus: Si
stati ac vehementes, & ex maiori interuallo horrores redeun-
tes, tunc vera est semitertiana: sin erratici sint horrores, parui,
& ex breuioribus interuallis, continua potiùs τριταιοφυὴς dicetur.
In hac muliere febris erat τριταιοφυὴς, ad semitertianę naturam

Part 25. sect. 2. li. 1. Epid.

Com. in part. 25. sect. 2 lib 1 Epid.

Com. in part 5 sect. 3: li. 1 Epid.

accedens, & humor pituitosus quidam secretus videbatur, qui nouorum horrorum erat occasio. Nec alienum erit monere Galeno placuisse cum veteribus febres istas τριταιοφυεῖς inflammationem sequi partium internarum. Quod & in hac muliere obseruatum est: totum enim corpus internum incendio conflagrabat; & cùm iræ esset præcipitis, in cysti cholidocho nouem lapilli ciceribus rubris duplo maiores inuenti sunt. Hepar incendio incanduerat: totus sanguis putris erat & lacteus. Obiit die 27 totius morbi.

Com. in part. 5, sect. 3: li. 1 Epid.

Sed & vnum animaduertere oportet, quod & therasian, & diagnosin in primis facit omnibus iecorariis, id est, quibus grãdius hepar, amplius, tumentius & calidius, cum febribus magnis prehenduntur, maxima ex parte tempore vrgentis febris dolores in clauiculis [7], & secundùm omoplatas sentire satis vehementes. In pleuritide quidem cùm vno loco inflammatio aut phlegmone consistat, tamen in parte longè remota ob communicationem & continuitatem membranarum dolor intolerabilis sæpè sentitur qui maiores sæpè molestias exhibet quàm ipsa pleuritis. Et signa diagnosticam pleuritidis aut superiores, aut inferiores partes occupantis Hippocrates desumit ex dolore aut clauiculas aut ileos regionem occupante, hepate accenso, aut inflammato, aut per insignem febrem æstuante plurimùm, dolor potest ad iugulum peruenire. [8] Reperio enim bifariam dolorem tensiuum ratione ipsius iecoris surgere. Aut enim hepar nothis costis alligatur, & tunc dolor ad clauiculam percipitur ratione distentæ membranæ [9]. Quibus non adligatur, à vasorum ipsorum potiùs quàm membranarum distensione dolor surgit. Et vt ait Galenus, proprius venæ arteriæque dolor, veluti in longitudinem extensæ chordę speciem refert. Quod est notandum, ne cùm hos dolores in febribus aut inflammationibus hepatis ortos videris, frustrà de catarrho comminiscaris. Probabile est enim dolores pro partium affectarum situ aut esse ἀναῤῥόπως aut καταῤῥόπως. Actum die 15 Septemb. 1574.

2 Acut.

Lib. 2 loc. aff.

ANNOTATIONES.

1. *Hæc febris fuit ea, quam τῦφον vocat Hippocrates libro de internis affectionibus.*

2. *Febres τριταιοφυεῖς mediæ sunt inter hemitritæas & tertianas lon-*

gas, aut alias febres quæ habent intermißionem. Comm. in Aphoriſ. 23. ſect. 2. lib. 6 Epidem.

3. Galenus docet quàm acer calor excitetur ob fumoſam ſubſtantiam à pituita putri & ſalſa excitatam. Comment. in part. 16. lib. 4 Acut. Reuerà inæqualitas materiæ cauſa fuit illius horroris tam frequentis.

4. Iſta deſumuntur ex Epidemiorum Commentario, & propriè ad τειτωιοφυεῖς *febres poſſunt attribui.*

5. Vel leges; In binis diebus tres fieri acceßiones, vt vno leuiori die fiat vna acceßio pituitoſa, ſecundo duæ acceßiones.

6 Nomen παροξυσμῶ *etiam in continuis poteſt vſurpari. nam cùm febris exaſperatur, licèt continua ſit, poteſt dici* παροξύνεται.

7. Nam quemadmodum ineuntibus paroxyſmis intumeſcit & expanditur hepar contingens diaphragma, vnde difficilis ſpiratio contingit: ita quoque dum æſtuat iecur, intumeſcentia eſt quædam; hinc tractui ſimilis contentio: quo fit vt per communicationem vaſa ſuperiora afficiantur.

4. Quia tamen corpus hepatis vnum eſt & continuum, ſæpè ſigna inflammatarum gibbarum & ſimarum exquiſitè dignoſci non poſſunt.

9. Membranarum dolor eſt punctorius, ſenſimque expanditur, punctorio ſenſu tanquam in centro laborantis loci in parte eſt. Tenſionis ſenſus circumcirca muſculum eſt. Vlt. cap. lib. de ſanguinis miſſione, & cap. 1. lib. 2. locor. affect. Sic vnum & idem poteſt punctorium ſenſum inferre & tenſiuum, ſed diuersâ ratione.

CONSILIVM LXXVIII.

De ſanguinis ſputo.

DVÆ ſunt partes in ægro iſto, quæ aut infirmitatem, aut vitium, aut vtrumque videntur contraxiſſe, pulmo, & lien. Quæ cùm aliàs, tum maximè in iis quibus hepatis intemperies eſt aliqua calida, propterea acrioris ſanguinis parẽs & procreatrix, facilè ſuæ infirmitatis ſignum edunt aliquod. Lien quidem, dum hepar non bene repurgat, quòd plus ſucci nigri generetur, aut quòd imbecillus fiat, potè legitimo alimento à iecore ſuppeditato, non confirmatus. Pulmo autem, quia cùm ſit pars biliosa, facilè attrahens ob motus perennitatem, vt in Epidemiis

pidemiis Hippocrates annotauit; *Attractio, pulmo, incendium,* id est, æstus ingens in partibus, & raritas, motúsque perpetuitas pulmonis attractionis sanguinis & spiritus maximæ causæ existunt, fit vt si acrior fit sanguis qui à iecore fluit, rapitúrque, augeatur aliqua ex parte intemperies, & hæmoptyisi æger sit obnoxius; vnde tabes: quod huic ægro nostro iam à longo tẽpore contigit. Nam qui vnà cum tussi è pulmone sanguis educitur, extunditurque, exulcerationis sensum exhibens, satis declarat duorum alterum, aut acriorem esse sanguinem qui ab hepate in cor, & ab hoc in venam arteriosam resilit, vnde aliqua fit διαβρώσεως: aut tenuiorem esse, vnde anastomasis, aut diapedesis. Nam cùm nutritio pulmonis, & aliarum partium, sententiâ Galeni non tam per oscilla venarum, quàm per earum tunicas fiat; natura arteriosam venam machinata est artificiosè, ne vasis raritas & pulmonis validior attractio efficeret vt statim sanguis, qui est pulmonis nutrimentum, absumeretur, & sic causa esset marcoris ipsius pulmonis, affectumque illum induceret, quem Hippocrates in libris de Morbis tabem siccam vocat, quemadmodum & pulmonem siccum. Sic vasis arteriosi crassities facit vt restagnet, resideatque sanguis, & tardiùs in nutritionem pulmonis facessat. Itaque si qua venæ arteriosæ tenuitas à natura est data, & ab ipsa conformatione, vt iis contingit quibus naturâ venæ sunt angustæ, & instar tenuium staminum, ij facilè sanguinem è pulmone educunt: sed id periculo caret, cùm tribuendum hoc sit tenuitati ipsius vasis. Sed si vas ipsum ritè conformatum, si crassiusculum & pluribus villis intextum, & tamen eductio fit sputi cruenti sæpè; hoc cacochymiæ, acrimoniæque humorum asscribendum. Ita enim omnis humor acer erodit, sibi viam facit, cuniculósque agit. Propterea perperam Medici faciunt, qui vbi primùm aliquem hæmoptoicum vident, illum frequenti venæ sectione fatigant: sic enim pulmoni & lateribus infirmitas conciliatur. Itaque distinctione opus est. nam si eductio sanguinis aut propter tenuitatem sanguinis, aut venæ arteriosæ gracilitatem contingit, hîc parciores in secanda vena esse oportet: sin omnibus ritè comparatis ob sanguinis prauitatem id fiat, liberaliores esse fas est, alioqui grauiter in commoda ægrorum peccatur. Nos autem in hoc ægro nostro potiùs animaduertimus coniicimúsque sanguinis calorem, acrimoniamque cuiusdam διαβρώσεως causam

esse, quæ in tabem ægrum coniectura est, nisi arte prouideatur. Quemadmodũ enim hominibus alatis quos 6 Epid. πτερυγώδεας vocat, sententia Galeni flatus ruptionis venarum causa esse potest, qui flatus ob imbecillitatem caloris surgere solet in eiusmodi hominibus ita alatis factis per facultatis formatricis impotentiam; vnde tabi obnoxij sunt maximè, ita quoque acer calor eiusdem affectus causa esse potest, dum humores & spiritus generat acres, subtiles, acutos & mordaces. [1] Iuuare quoque potest destillatio à capite. Tamen in eam venimus opinionem, vt non existimemus caput per se non esse affectum, sed ex euentu tantùm. Si enim destillatio ipsa hæmoptoïseos autor fuisset, iam tabidus interiisset. Quinto enim Methodi medendi cap. 14 & 15 satis docet Galenus quàm breuì tabescant quibus ferina destillatio sputi cruenti autor est. [2] Sed si aut conformationis vitio, aut acrimoniâ sanguinis id fiat, non tam præceps est morbus. Sic errant qui in omni metu tabis, & omni tussi ad caput recurrunt tanquam autorem primarium. Sæpè enim id tantùm contingit secundariò. Hippocrates hoc primus animaduertit lib. 1 de Morbis, dum docet quomodo caput pulmoni consentiat in attractione. Nam pulmo calfactus attrahit, & caput facilè calefit; vnde vtraque pars conspirat in perniciem ægri. Tamen facilè qui affectus erat secundarius, fit primarius in iis qui ad tabem deuergunt ob tabificam qualitatem. [3] Huius ægri affectum lib. 2 de Morbis depinxit, dum describit affectũ, quem Græcè vocat φθοιὼ, quæ non oritur aut vitio parentum, aut vlcere concepto in pulmone, sed tantùm propter intemperiem quandam partium. Ideóque ait eum affectum esse curabilem, & ante annos decem non necare.

De splene non putamus laborandum: quandoquidem non existimamus id tanti esse vt eò conuertamus nostram industriam. Etsi enim signa quædam elucent quæ aliquid hypochondriacum resipiunt ac redolent, putamus leuiora ista fore si hepati consultum fuerit. Accidit fortè quod cùm natura sit satis hilaris, diuturnæ infirmitatis tædio affectus, & sanitatis desiderio languens, animum suum demiserit, contraxeritque.

Ac censemus primo quoque tempore repurgato priùs corpore illum ad vsum lactis asinini relegandum esse, habeat domi paratam opiatam ex decocto rerum aperientium & thoracicarum cum multo polypodio, in quo incoquentur ℥ iiij folior.

ſenæ, additis ℥ ij caſſ. & ℥ j. conſeru. bugloſ. & capill. ven. fiet opiata vtenda aliquando, vt tibi videbitur.

Cenſemus ſemel aliquando repurgandum ſatis valido medicamento, vt diaphœnico, aut electuario diacarth. diſſoluto in iuſculo ad elidendam vim ſcammonij. Et ne mirum ſit cur probetur aliquando validior purgatio, cùm in morbis thoracis ab omnibus recentioribus lenientia medicamenta probentur: dicimus id fieri propter humorum acrimoniam & cacochymiam, quam non ſuperabit leniens & eccoproticum medicamentum. Quod facimus conſilio Galeni, quem Fracaſtoreus ſecutus eſt cap. 15. lib. 5 Methodi, vbi diſputat de curatione hæmoptoicorum per diaurosin & capitis vitium. Locus præclarus. Bis anno ſecabitur vena, ineunte autumno proximo ſecanda erit. Veſperi cubiturus vtatur conſeruâ roſarum, nenuph. viol. additis gran. maſtic. & olib. habeat ſyrupos domi ad iuuandam expectorationem. Quantum fieri poteſt vino abſtineat. Vtatur elixis potiùs. Paretur puluis ex ſaccharo cando, pulm. vulpis, penid. glycyrrh. cuius cochlear in ouum immittatur, & capiat manè. Vel trochiſci ex hoc puluere formabuntur cum gum. tragacant. addito pulu. boli arm. aq. roſar. lot.

ANNOTATIONES.

1. *Omnis puris excretio poſt ſputum ſanguinis mala. Spuitionem ſanguinis omnem non ſequitur puris excretio: ſed ſi* πλύσις, κακοήθης. *Talis eſt autem omninò ex pulmone. Hippocr. Aphor. 15. lib. 7.*

2. *Sed hunc morbum meliùs Hippocrates explicat lib. de internis affect. & vocat tabem ex deſcenſu putris pituitæ. Locus præclarus. Hippocrates valenter purgat.*

3. *Talis phthoe à capite eſt,* διὰ τὸ διάχυσίν τινα, *vt Hippocrates 2 de morbis loquitur initio. Sed inter cæteros locus vnus præclarus eſt lib. 1. de morbis, quomodo pituitæ liquefactæ deſcenſus afferat incommoda in oculis, pulmone, ventriculo.*

4. *Circa hunc ægrum, & alios conſimiles duo quæri poſſunt: An validis opus habet medicamentis: quod Hippocrat. & Galen. videtur conuenire. Item an in ſuſpicione puris & affectorum pulmonum, iuſculorum, & rerum liquidiorum vſus conferat. Nam putres ſunt ſæpè declarat puris ſputum, nec modo vomica eſt aliqua, ſed corpus ipſum vitioſum eſt. Si ſiccum ſano propinquius, errant qui nimiùm humectant. De hac Gale-*

nus cap. vlt. lib. 4. loc. affect. & lib. 2 Epidemiorum.

5. Hippocrates conformiter ad istam opinionem lib. de internis affect. in descensu putris à capite pituitæ valenter purgat.

CONSILIVM LXXIX.

De Febre Typhode.

VXOR Domini Vieillart mense Iulio incidit in febrem typhoden ab antiquis vocatam. Focus eius in partibus aluo propinquis erat conceptus in materia phlegmatica mista bile, aut in materia biliosa pituitefacta, vt ita loquar; & symptomata elucebant vtriusque humoris mxitionem significantia. Cùm febris exacerbabatur obmutescebat, pulsus deficere videbatur, syncopizabat, vigilabat, obdormiscebat aliàs; & id genus terrifica erant symptomata. Verebantur medici ne cerebrum secundariò læsum tandem alteraretur, vnde aut cataphora, aut coma vigilans sequeretur. Tametsi autem langueret pulsus, tamen à validis medicamentis Medici non destiterunt, quòd viderent exigendam, oppugnandámque multiplicem materiam mali authorem.

Sæpè repurgata est medicamento ex rheo & folliculis. Clysteres frequentes iniecti ad euacuationem & reuulsionem. Vicesies sumpsit cornu vnicornis, & reliqua cardiaca. Sed id frustrà fiebat, cùm malum tyrannidem in cerebrum exerceret, vnde metus cataphorę & paraphrenitidis, his remediis occursum est.

℞. folior. pæoniæ, fœnic. saluiæ, maiora. betonicæ, an. m. j. rad. pæoniæ, angel. acori an. ʒ ij. scariolæ, acetos. florum nenuph. an. m. j. mercur. betæ an. m. ij. Fiat decoct. in sero lactis, addendo epithym. p. ij. In colat. dissol. confect. hamech ℥ j. diaphœn. ʒ ij. syrup. rosar. pallid. ℥ j. ß. fiat clyster.

℞ olei castor. ℥ j. ol. chamæm. ℥ j. ß. pro litu colli.

℞ olei chamæm. ℥ ij. cum pulu. angel. & castorei. fiat litus.

℞. aquar. pæoniæ & angel. an. ℥ ij. passent. per manicam hippoc.

℞. theriaces & mithrid. veteris an. ℥ ß. conser. rosar. borag. meliss. an. ʒ iij. pro corde.

℞. destill. restaurat. & aquæ hord. an. lib. ß. Vtatur.

Cùm ingens in toto ventre incendium perciperetur, hoc quod ſequitur præſcriptum eſt.

℞. mucag. ſem. alth. pſyllij & cyton. extract. in aqu. roſ. an. ℥ iij. ceroti ſantal. ℥ j. aceti ℥ ij. ol. roſ. & chamæm. an. ʒ j. ſ. Fiat linimentũ pro toto ventre.

℞ aqu. imperialis & aqu. ſaluiæ an. ℥ ij. Vtatur. Item & mithridatio.

℞. decoct. hordei ℥ iv. ſyrup. nenuph. ℥ j. ſ.

Et tunc incumbebant Medici in ſomni conciliationem.

Parata hordeata ex cremore hordei non contuſi, ſed expreſſi. Dealbatum eſt hordeatum amygdalis, & dulcoratum ſaccharo roſ.

℞. cõf. alkermes ℈ j. conſer. bugloſ. nenuphar. an. ʒ ſ. raſur. vnicor. gr. ij. cum folijs auri. fiat bolus.

Repurgata confect. hamech & rheobarb.

℞. conſer. nenuphar. & roſ. an. ʒ vj. aceti ℥ j. ſ. lactucæ m. ſ. Fiat frontale.

℞. raſur. vnicor. gr. iv. raſuræ eboris, margar. elect. an. gr. v. capiat cum aqua cardui.

℞. abſynt. roſ. rub. fol. ſaluiæ, maior. an. m. j. ſantal. ʒ ij. Fiant ſacculi pro ſtomacho.

Clyſteres iniecti diſſolutis ℥ ij caſſiæ & ℥ j. catholic.

℞. aqu. lactuc. ſolan. acetoſ. roſ. an. ℥ ij. aceti roſ. ℥ j. ſ. pulu. roſarũ, ſantal. an. ʒ ij. pulu. abſynth. ʒ j. Fiat epithema pro iecore.

℞. flor. nenuph. viol. bugloſ. an. p. j. folior. lactu. m. ſ. papau. albi, cap. I. ſemin. meron. ʒ j. Fiat decoct. pro doſi. & cum ℥ j. diacody. potus.

℞. ſem. raphan. ʒ j. ſem. atripl. ʒ ſ. coquantur in oxymel. ſimpl. In colat ad ℥ iiij. diſſol. ſucci amygdalar. dulc. ℥ j. ſ. fiat vomitorium.

Ad renes fiunt irrigationes ex aqua ſolatri, ſemperuiu, lactuca, cum aceto.

CONSILIVM LXXX.

De Gonorrhœa virulenta.

MERCATOR quidam vnâ muliere non contentus, quantum licuit libidinosè vixit: & cum proſtibulis verſatus, inquinatus eſt, vnde & gonorrhœa & vlcuſcla cacoëthea in

in pudendo manauerunt: Tamen sibi præcauens, aduocato Medicorum consilio, in luem non incidit. Sed cùm rem leuiusculam putaret, semine illius virulentæ gonorrhœæ intempestiuiùs suppressæ rediuiuo sentit dolorem acerbum in spina, & lumborum regione: immò in pene vlcuscula repullulant, statimque euanescunt. Difficultatem spirandi nonnullam habet, ἀνόρεκτος est, macrescit in dies, dolet totam spinam, & lumbos. Inito consilio dictum est id totum esse à reliquiis istius virulentiæ, quæ sensim vires acquirit: immò & rudimentum esse illius affectionis quam Hippocrates in libris de Morbis tabem ex dorso vocauit. Itaque tametsi ad oppugnandam vim morbi valeret vsus guaiaci, tamen de macie erat verendum. Itaque creditur satius esse corpus reficere, & intereà non esse alienum vt interponeretur vsus hydroticorum temperatorum, vt non proliciantur sudores, sed vt potiùs sensim humores desiccentur, & maligna qualitas emendetur. Consilij hæc sunt capita.

Bis hebdomade iniiciatur clyster emolliens & detergens. Primo quoque tempore vtatur bolo caßiæ cum rheobarbaro. Aperiatur basilica dextri brachij ad tria vascula.

Vtatur semel paucâ terebinth. cum syrupo de althæa. Pauca autem sit quantitas, ne hinc aluus soluatur, sed tantùm vt vasa munda fiant.

Linatur frequenter spina oleo mastiches, cytonio-rosato cum aceto.

Deinde vtatur lacte asinino per dies viginti continuos.

In pastibus decocto sarsepariliæ diluto satis, idque cum passulis.

Tandem cùm renutritus fuerit, ad decoctum schinæ & sarsepariliæ minimè dilutum adducetur, si semen mali longiùs disseminetur.

Et cùm perseueraret dolor, & calor summus in renibus, hoc quod sequitur fuit institutum.

℞. sapæ lib. ß. mucaginis decoctionis maluæ, bismal. violarum, seminis psyllij, melonum: adde opij ℈ ij. & applicetur instar cataplasmatis regioni renum.

CONSILIVM LXXX.

De febre Assode.

LAVRENTIVS Prætor post curas, sollicitudines, iras, & intemperantem victum, generosorumque vinorũ vsum, horruit, & insigniter febricitauit. De eo verum illud Hippocratis: *Morbi sensim generantur, sed affatim repenteque adoriuntur.* Cùm solita exerceret munia in acutissimam febrem incidit, statimque magna virium iactura apparuit. Nox implacidissima, iactationes, æstus, sitis implacabilis, facies paulò post hippocratis. Natura visa est choleram morbum tentare. Excreta sunt ὑδατόχολα; multi generis, fœtidissima: pulsus paruus, frequens, difficilis respiratio, sopor: oppressio stomachi: desurgebat sæpè, sed inaniter, & falsa quædam erat imaginatio & opinio aut flatus, aut doloris ventrem vrgentis, quod animum laborare, deliri óque occupari significat; quemadmodum Hippocrates scripsit, & apertiùs Galenus in Comment. *Ventrem tum murmurantem, tum rugientem cum inanibus surrectionibus, quidam phreniticon esse contendunt. Sic duobus errant modis: nam nec ea quæ sub sensum cadunt sentiunt, quanquam cum dolore fiant: vel quæ sub sensum cadunt videntur sentire. Altero modo, quia sæpè è lecto desurgunt ac si solicitati & demorsi essent: & tamen non mordentur. Sic falsò se morderi putant.* Tametsi ex vsu videretur sectio venæ, nil tentatum est ob virium metum. Tamen vrgente difficultate spirandi, & æstu summo, secta vena, Nihilo leuius habuit. Quęcumque excernerentur siue suprà siue infrà, omnia cruda erãt. Vrinæ citrinæ, confusæ: ἴλιχος: & post missum sanguinem deterior virium conditio fuit. Quinto interiit. Morbus peracutus fuit. Aliquid fuit περιπνευμονικὸν; tamen pulsus inflammationem nõ indicabat. Ex interuallis dolor erat lateris aliquis, sed fugax. Rondeletius autem obseruat cum peripneumoniis adesse dolores nonnullos laterum & sterni, febris, vt prædictum est, vehementissima adorsa est, & statim secuta est virium magna iactura. Iactatio erat & anxietas ἀνέμετος infirmitatem naturæ & obsidionem ventriculi designans. Et febris erat ἀσώδης. Nec mi-

Par. 16. sect. 3. Prorrhet.

rùm si horrifica statim fuit febris, qualis phrenitico obtigit in Epidemiis. Nil profectum, quòd remedia morbo essent inferiora.

CONSILIVM LXXXI.

De hepatis inflammatione.

IOANNIS Puthonne vxor post solicitudines, curas, cùm valdè cacochyma esset, in ardentissimam febrem incidit. Nullo loco stare poterat: vires febris eundo acquirebat. Iactabatur plurimùm: vtrumque hypochondrium intumuerat. Ne minimum quidem digitorum pulsum ferebat. Densitas erat linguæ ob ingens incendium & defectum humiditatis. Septimo ictericа interiit. At hic icterus licèt suo die critico eruperit, tamen funestus fuit, quia non tam erat à suffusione bilis quæ febrem committeret, quàm à phlogosi ipsius hepatis. Et reuerà leuiter tantùm corporis superficies erat infecta, nec morbi par erat suffusio. Hepar erat inflammatum, & fauces præcludi visæ sunt, quod ad clauiculas dolor pertineret. Sanguis tantùm semel detractus, quòd iam morbi dies exactus foret antequam Medicus vocaretur.

CONSILIVM LXXXII.

De febre continua cum eruptione parotidum.

TONSOR quidam iuuenis pituitosus partim & sanguineus cùm loco & tempore curaretur, septimo die morbi sudores habuit copiosos. Octauo die summa virium erat iactura facta: & cùm febris expers foret, necnon satis luculentam habuisset hæmorrhagiam, tamen nono die parotides apparuerũt. Illæ erant satis mansuetæ, potiùs quantitatem materiæ quàm qualitatem secutę ac præseferentes. Digerendis illis consultum est, mox suppurandis. Nil profectum est. Tamen cùm recurreret materia quæ aliorsum rapi videbatur, tandem maioribus machinamentis suppuratum tentandum fuit. Hinc discas sæpè non

non esse funestas parotides, vt in plerisque solent, præsertim si materia earum sit εὐήθης καὶ εὔσειτης, quomodo multas in Epidem. innocuas esse testatur. At in Prorrhetico bifariam parotidon eruptionem malam esse probat, tum quòd per parotidas abscessus morbo non sit par: tum quòd qui abscessus ad partes superiores fiunt, perniciosi esse soleant.

1 Epid. sect. 1.
3 Prorrhet.

CONSILIVM LXXXIII.

De febre continua.

CVIVSDAM Victoris vxor cùm febre laboraret cõtinuâ morbo iam progresso Medicos accersiuit. Affecto iam morbo illud faciendũ fuit, quod iam factum, si de re maturiùs consultum, oportuisset. Et cùm serò melius fuerit præstari quàm nunquam, quòd res operam celerem postularet, nono die secta est vena ad duo vascula. Natura istâ sectione irritata crisin anteuertit. Itaque vesperi illa toto horruit corpore, ἐφίδρωσις longa, vox clangosa, πνεῦμα πρεσπίπτον. Partium extimarum frigus qualiter in iam morituris apparet. De funere cogitabatur. Cûm exigua salutis spes foret, qualicumque ista excretione natura erecta fuit. Fluxus dysentericus: conualuit.

Hinc discere oportet nefas esse tumultuariam nonnullorum curandi rationem sequi, qui susquedéque ferunt si diebus criticis, aut aliis quibusvis aut feriantur venæ, aut medicamenta præscribantur. At nos obseruauimus sæpè leues irritationes ab artificio Medici factas, motus & perturbationes, tumultúsque excitare magnos. Et si instãtibus crisibus (præsertim si morbus biliosus sit, & benè ordinatus) medicamenta dantur, sæpè hypercatharseis inducunt. Quod centies verum deprehendi. Et id primus edisseruit Hippocrates.

Lib. de Medicamentis.

CONSILIVM LXXXIV.

De febre continua cum grauibus ſymptomatis.

ROBERTVM febris continua magnas de nocte exacerbationes habens corripuit. Incolumis illac-tenus vixerat. Membra delaſſata fractáque appulſum manus non ferentia. Dolor capitis acerbus: iactationes perpetuæ. Quarto die purgatus: quinto ſecta vena: ſexto apozemate ex foliculis repurgatus. Bilioſa multa: ſeptimò nil apparuit. Vrinæ non multum flammeæ, tenues, ſed boni coloris. Quod ſi ad tenuitatem coloris prauitas acceſſiſſet, peſſimum id foret. Sed ſaltem ad morbi longitudinem apparuerunt, vt Clazomenio contigit. Octauo iterùm repurgatus. Nono comatoſus factus & delirus. Febris ingens: vrinæ tenues, ſubflauę. Aluus eo minimè ſentiente perenniter fluebat. Id ſymptomaticum erat, quia ſenſim fiebat. Omnis excretio bilioſa. Decimo & vndecimo eadem. Lingua obtremiſcens. Quod Galenus ad facultatis animalis imbecillitatem refert, eſtque ſignum non conſtantis mentis. *Cerebrum enim*, ait, *afficitur, affectióque ipſa calida eſt: quod calor motionem perpetuam afferat, contra frigus immobilitatem.* Et in Aphoriſmis: *Si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars ſtupore elanguit, hoc melancholicum eſt.* Galenus in comment. τὸ μελαγχολικὸν interpretatur non vt ad affectum melancholicum referatur, ſed ad humoris dominatum. Quanquam ἡ μελαγχολία καὶ τὰ μελαγχολικὰ non ad humorem, ſed ad diatheſin & affectionem, affectionísque ſpeciē refertur. [1] Sic incontinentia linguæ repentè incidens eſt μελαγχολικὸν quid, id eſt, ait Galenus, eſt ab humore melancholico quatenus eſt quid viſcidum, lentũ, craſſum, propter ſimilitudinem ad pituitam accedens: vt tum humor melancholicus, tum pituitoſus illius affectus cauſa dicatur. Quanquam ſtupor & ἀκράτεια linguæ non ſunt affectus melancholici, id eſt qui redoleant, reſipiantque naturam veri humoris melancholici. Sed homonymως affectus melancholici dicuntur. Priorem rationem de analogia inter humorem melancholicum & pituitam fuſiùs explicat Galenus; ait enim apoplexias, conuulſiones, cæcitates promiſcuè & ab humore melancholico, & à pituita fieri,

1 Epid.

Com. in part 20. lib. 1. Prorrhe.

Aph. 40. lib. 7.

Com in Aph. 56. lib. 6.

quoniam vtrique humori communis eſt craſſitudo. Sed furor non fit à ſucco melancholico quatenus frigiditatem habet & craſſitudinem: ſiquidem oportet aliquid eſſe quod irritet & incitet. Et cùm dicit Galen. interpretans illud Hippoc. quomodo quadragenariis & quinquagen. apoplexiæ fiant, ait illa in ætate maximè abũdare τὸν τῆς μελαίνης χυμ. Interpres vertit, ſuccũ atræ bilis, nos potiùs ſuccũ melancholicũ dicemus. Nam atra bilis propriè dicta non facit iſtas ἀκινησίας, ἐκπλήξεις, ſed potiùs efferat, impellitque corpus. hinc in Aphor. *Si*, ait, *multitudo humorum eſt μελαγχολικωτέρα, timores fiunt, & affectus qui propriè melancholici dicuntur: ſin talis non fuerit, id eſt, ſi ad aliam naturam vergat, ſi aut potiùs de humore pituitoſo reſipiat, aut de bilioſo, aut alius generis humore, labores ac conuulſiones*. Et tamen antè dixit promiſcuè & ſuccum melancholicum & pituitam cæcitates, apoplexias, conuulſiones facere, non autem furores, quòd ad furores qualitas aliqua requiratur. Cùm itaque quinquageſimo anno fiunt apoplexiæ, non dicuntur fieri ab atrabilario humore, vt vertit Interpres, ſed à ſucco melancholico qui hac ætate ſuperfluit. Atque vt tandem finis fiat, ac loci inter ſe concilientur, ſciendum humorem melancholicum, immò & pituitoſum, aut potiùs ratione materiæ & molis affectus inducere, aut ratione qualitatis malæ quam vterque accerſiuit humor. Si ratione molis, conuulſiones, apoplexiæ, & ſimiles affectus inducuntur, vt cæcitates. Si ratione qualitatis, pauores, timores, pathemata melancholica, vt deliria ſine febre. Quomodo doctiſſimè Galenus docet, quomodo vere, hyeme, & autumno dolores podagrici excitentur ab eodem humore, ſed non eodem numero. Nam hyeme & vere hos dolores citat, & quatenus copiâ peccat, & quatenus qualitate: at autumno quatenus qualitate peccat: quod omninò animaduertendum eſt. Sed reuertamur ad id vnde digreſſi ſumus. Mirum cur dicat Galenus tremorem linguæ affecto cerebro ob humorem bilioſum, non autem frigidum, quòd cùm tremor motus quidam ſit, neceſſariò humor ſit mouens, qui ἀκινησίαν non afferat: At melancholicus & pituitoſus & ſtuporem, & ἀκράτειαν linguæ, & ἀκινησίαν affert. Vnde & 6 Epid. de humore pituitoſo, eiúſque ſero loquens ait vtrique eſſe proprium vt ſtuporem frigúſque inducat. Si frigidus, tenax, lentus & craſſus humor ratione ſui craſſamenti tetanos, conuulſiones, ac concuſſiuos motus efficiat, quare non potiùs

Aph. 57. lib. 6.

Com. in Aph. 67. lib. 4

Aph. 55. lib. 6.

Com. in part. 3. sect. 2. lib. 6.

immobilitatem inducat? Nam hoc ex ſuperioribus demonſtratum eſt. [2] Soporoſus erat: an ille ſopor malus? Locus eſt inſignis apud Hippocratem, quo quærit, τὸ καρῶδες ἆρά γε κακόν; An affectio carotica, aut ſomnus profundus ſiue ſopor vbique malus? Cùm autem κάρος & in bonam partem & in malam ſumatur (quanquam omnis à quacumque cauſa ortum duxerit, ſi cũ ſomno naturali à cauſis moderatis & naturalibus orto cõferatur, in malis poni poteſt) dubitari poteſt an exiſtere poſſit vt non terrefaciat Medicos, & ij non ſtatim admoneãtur ad quiduis moliendum contra ſoporem inexpugnabilem. Somnus naturalis fit à bona cerebri temperie, & ſuaui blandóque vapore. Nos non pluribus explicabimus ſomni & ſoporis differentias, & à quibus cauſis oriantur, quibúſve ſignis diſtinguantur, cùm illa enucleata à nobis fuerint antè. Galenus comm. in particul. illam multis modis καρῶδές τι contingere poſſe docet, & ſomnum vix excitabilem ſolutúque difficilem (quomodo ὁ κάρος definitur) aliquando bonum eſſe poſſe vt ſignum & vt cauſam explicauit. Sed addit, *ſi carus intelligitur profundus, & vix excitabilis ſomnus, & carus morboſus nullam genere diſſidentem diatheſin habeat,* id eſt, ſi nulla ſit mala diſpoſitio aut humoris, aut partis, vt nil ſit præter exceſſum quemdam humoris quantitate opprimentis & ſenſus ligantis: vel nomine τῆς διαθέσεως & naturam, & conditionem affectus audiemus. Vt κάρος diſtinguatur morboſus à ſomno profundo, quòd ſomnus profundus ex copia humidi vtilis generari poſſit; κάρος νοσώδης ex pituita vnde cerebrum humectatur & refrigeratur, & iam ad lethargicam affectionem accedit. [3] Sic profundus ſomnus habet humorem multum, vtilem, quantitate peccantem, cerebrum ferè ſolum humectantem: κάρος, κῶμα, καταφορά, frigidum, lentum, viſcoſumque & inexpugnabilem humorem ἀκίνητον καὶ carentiam quandam ſenſus inuehentem. Et hoc modo omnis carus malus. Profundus ſomnus impropriè κάρος dici poteſt. Itaque Galenus ait, ὁμολογηθείσης τῆς διαθέσεως, ἐν ὀνόματι μόνον ἡ διαφωνία ἐστι: *dummodò fateamur diatheſin ſomni profundi, & τοῦ κάρου non diſtingui, de ſolo nomine controuertitur.* Profundè dormire multos ponit Galenus temulentos:

Pueros,

Ægros, qui per quatuor aut quinque dies vigilauerunt. Et profundus ſomnus his bonus vt ſignum & vt cauſa. Alij profundè dormiunt, & ipſa diatheſis longè diuerſa eſt.

Hippocr. comm. in part. 17. ſect. 4. lib. 6 Epid.

Par. 29. libr. 2 Prorrhe.

Qui ſine motu & ſenſu ſoporantur, qui nec voce, nec punctu-ris, nec ſtimulis excitantur.

Quibus muſculus temporalis percutitur.

In principiis acceſſionum febrilium, immò in febribus arden-tibus.

Et hic profundus ſomnus malus, vt ſignum, & vt cauſa. & κῶμα, & λήθαργος, κάρος, καταφορά que nominari poteſt. Omnis talis ſopor malus vt ſignum & vt cauſa. Nam & cauſa longè contra natu-ram eſt quantitate & qualitate peccans, & reſolutio, oppreſſió-que nonnunquam primi ſenſifici, id eſt cerebri, adeſt. In no-ſtro ægro ſopor iſte malus erat. De funere iam cogitabamus. Sed cùm die duodecimo febris aucta videretur, & natura re-creata, venam aperuimus: inde omnia fœliciora fuerunt. Cre-do naturam iſtâ ſectione quaſi flabellato ſanguine erectam. Decimoquarto ſudores. Vrinæ boni quidem coloris, ſed non indicabant illud incendium quod intus erat. Aluus perpetuò fluebat ſymptomaticè. Videbatur in neſcio qua materia ſecre-ta à venis calor conceptus. Sed cùm febris continua eſſet, ta-men ſæpè ἡ ἀπυρεξίης ſenſus erat aliquis, cùm tamen nulla foret: immutarique illa febris falſa erat & mentita. Simile quid in E-pidemiis legitur, cùm tamen febres eſſent continuæ. Nam Hippocrates per tres dies apparuiſſe febris vacuitatem fatetur. Ex hac hiſtoria doceri poſſumus ſymptomaticas ſæpè alui flu-xiones, vt cùm ſine ſenſu ægri, ſenſim atque ſenſim humores ſecedunt (διαχωρήματα τὰ ἰόντα vocat Hippocrates) quod & copiã, & perpetuam generationem, & naturæ quandam reſolutionem ſignificat, profuiſſe κατὰ συμβεβηκός. In morbis omnibus malignis qualiſcumque fuerit excretio, quoniam virulentæ materiæ ex-cretione quomodocumque id fiat, iuuatur plurimùm, profu-tura eſt. [5] Et quod & humoris qualitate, & excretionis modo ſymptomaticum eſſe dicetur, id ex euentu, ſi quid virium re-ſtiterit, criticum erit. Secundò puto ideò laxis fibris aluum la-xatam eſſe, quod ad diem ferè criticum medicamentum datum ſit. At iam ex Hippocrate docuimus medicamentis præſcriptis diebus inſtantibus criticis, aut ſecta vena hypercatharſeis eſſe faciles: quod nos in pleriſque obſeruauimus. Nam ſequuntur ſæpè ſudores diaphoretici. Si natura valeat, aut arte erecta fue-rit, liberantur quidem, ſed diu imbecilli manent, & vix à mor-bis releuantur: ſin imbecilla fuerit natura, eodem die quo vel

Hiſto. 12 & 13. part. ſect. 3 lib. 1. Epid.

4. aphor.

medicamentum datum, vel secta vena, moriuntur. Quod calamitatis & infamiæ est plenissimum. Verùm antequam huic consilio finem imponamus, non erit alienum annotare quæ paulò ante diximus ex Galen. comment. in Prorrhet. In affectionibus febrilibus, præsertim ἐν ἐπισημασίαις, cùm exacerbantur morbi ac repullulant, sæpè esse κάρον καὶ κῶμα. Mirum cur Galenus non dixit κατὰ τοὺς πυρετοὺς, sed dixit κατὰ νόσους πυρετώδεις. Quod fortè abs re dictum non est, & magnâ animaduersione dignum existimo. Ac primùm scire oportet duplicem esse febrem, vnâ essentialem, symptomaticam aliam. A febribus autem absolutè dictis & essentialibus dicuntur capi qui absque inflammatione, vel abscessu, vel dolore, vel erysipelate, vel absque aliquo mébro præcipuè affecto ægrotant. Item addit comment. in aphor. 66. lib. 4. *Contumacem obstructionem & fortem, cui febris superueniens symptomatica esse dicitur.* Si autem vel inflãmatio aliqua sit, vel aliquid simile quod febrem excitet, is absolutè febricitare non dicetur. Hæc Galenus. Cùm itaque in febrium exacerbationibus κατὰ νόσους πυρετώδεις per febriles morbos, non autem absolutè dixit κατὰ τοὺς πυρετοὺς, videtur id significare. Catoche, catalepticа affectio cadit in febres, præsertim eas quas committit nescio quæ in parte dispositio; vt cùm materia est in cerebro, & doctrinæ gratiâ febris cephalica dicetur, per motum humoris in capite contenti, qui à massa sanguinis & concretione separatus esse dicetur: aut cùm est in ventriculo, aut in hepate sit febris Elodes, Typhodes, Erysipelatodes: atque tunc si catoche incidat, non dicetur propriè cadere in febrem, sed in affectum febrilem. nam febres essentiales, quarum materia per venas sparsa & fusa est, ex se non habent coniunctas catochas, catalepseis, comata. Sed sub finem earum symptomaticè potest aut coma, aut similis affectio aduenire, & hoc malum vt signum & vt causa. Sed cùm in Episimasia morborum febrilium soporosi affectus surgunt, affectionem & prauam dispositionem non in genere venoso, sed aut in ventriculo, aut mesenterio, aut in cerebro ipso significat: & ad prauum exitum sæpè hę febres tendunt. In tribus id genus febris obseruauimus. Vxor domini Vieillard, de qua abundè suprà, eam habuit, & febris erat typhodis, exacerbatáque febre mox delirabat, mox attonita sopitáque planè erat. Filius domini Magni Medici annos 10 natus, idem passus est. Idem quoque & Procurator Dumon-

tier, de quo in principio ferè huius libri. Quæ omnia annotata volui, vt hoc tanquam insolens non dicant Medici, sed vt inquisitâ tanti mali causâ, legitima medendi methodus inueniatur.

ANNOTATIONES.

1. *In eo sensu* ἰχοφώνους & παφλάζοντας, id est τραυλοὺς *ait melancholicos morbos experiri solere: quod mirum est, cùm vtrique sint frigidi, humidi, molles, effœminati, & veluti aquei. Hippocrates lib. 2. Epidem. sect. 5.*

2. *De somno initio febrium, in febribus, & dum corpus æstuat intus. Hippocrates comment. in part. 17. sect. 4. lib. 6 Epid.*

3. *Tamen quidam Coma ab oppreßione cerebri oriri dicunt; Caron ab eiusdem resolutione.*

4. *Reperio aliam soporosam affectionem Lethargum appellatam, idque ob speciem quandam peripneumoniæ. Vide lib. 2 nostri Ephemer. Quomodo comata etiam in principio febrium ardentium inciderint, annotat Galenus ex Hippocrate comm. in partic. 37. sect. 3. lib. 3 Epid.*

5. *Etsi per hypercatharsin istam educuntur putria, corruptáque; tamen melius fuerat ea non agitauisse. Multa enim sunt in corpore corrupta quæ suo gremio adhuc natura continet ac regit, etsi facultatem eius retentricem forti medicamento & attrahente concutias; non mirum si laxatis fibris omnia effluant magno virium dispendio.*

6. *Quæstio verò esse poßit an coma incidens in febrem sub finem fiat vitio particularis cerebri, vel vitio totius corporis. Particulari vitio, vt quoniam in morbis longis & acutis quibusdam singulæ partes sese exonerant, si in cerebro materia moueatur quæ coma inferat. Vniuersi corporis vitio, vt fiat per depositionem venent morbum causantis in cerebrum ipsum: & talia comata & symptomata incidunt in febres desinentes natura falsas crises moliente. Id enim est indicatorium, non indicans.*

CONSILIVM LXXXV.

De febre maligna.

IOANNES de Longueuille à castris rediens febre malignâ prehensus est, quæ multos in castris statiuis ad Rupellam iu-

gulauit. Admirabile eſt qualia ſymptomata contigerint, vt poſteà narrabo. Initio febris mitis, qualis accendi ſolet potiùs in ſpiritibus & in materia phlegmatica quàm in bilioſa, quòd motus ſubitos non haberet. Dolor capitis ab initio ſæuiſſimus: dolores vagi: calor multus intus: pulſus ſatis frequens, ſed non multùm elatus: lingua initio planè arida, & tamen calor ſimilis non percipiebatur. Aluus ſatis bellè reddebat. Circa ſeptimum ſecta vena, & ſanguis planè putris educitur. Singulis noctibus omnia grauiora: viſa eſt lingua nigricans: vrinæ initio confuſæ & flammeæ, bilioſæ. Nono vrina citrina, mala, luſca. Delirabat: facies ἐξέρυθρος: oculi ardentes, aliàs comatoſus: delirij aut lethargici affectus erat metus. Itaque conſilio quorumdam practicorum non reformidantium vſum vehementioris catartici, tametſi febrilis calor dehortari videatur, data eſt tabella electuarij diacarthami in iuſculo, quæ elicuit multam materiam olidam, albicantem, ac ſi diceres pultem quandam. Hoc autem factum vt maiore vi reuelleretur vapor ab iſta materia eleuatus qui ſubeſt, aut coma, aut lethargum eſſet inducturus, vnde parotidon metus fieret. Noctem vndecimam moleſtiarum pleniſſimam habuit. Manè deficiebat pulſus, mox formicans apparuit. Idem penè per tres horas manſit. Mortem in propinquo denũciabamus. Credibile tunc naturam moliri voluiſſe criſin, ſed & debilis, & materiâ nondum præparatâ id non potuit. Cordi applicatur catapl. ex mithridatio, theriaca, addito puluere diamargar. frigid. Potu datur theriaca, confectio Alkermes cum aqua theriacali, aquis cardiacis, vino albo, ſyrup. granatorum & granis aliquot ambræ. Pulſus ad ſe redit poſt inſignem illam mutationem, & iactationes multas. Vrinæ ab eo tempore inæquales, ſed maxima ex parte crudæ erant & aqueę: & tamen non habebant alienum colorem aut contentum. Nil de incēdio interno declarabant, omnia cruda erant. Cibum capiebat, lingua aridiſſima; quod mirum, cùm vrinæ aliter ſeſe haberent. Aluus cœpit liquida deiicere. Decimoquarto nil commemorabile. Semiſopitus. Nil de materia in præcordiis contenta excernebatur, quæ verè illius febris cauſa erat, & ſeges. Summa erat virium infirmitas. Decimoſexto datum rheum: tenuia ὑδατόχολα excreuit: nil craſſum: nullus ſudor. Vrinæ tenues perſeuerabant: tales apparuerunt quales in Clazomenio: & longitudo morbi ſignificata eſt. Et niſi ætatis firmitas obſtitiſſet,

vix

vix eam vim morbi sustinuisset. A die duodecimo nil secessit erassum nisi sub finem effectus medicamenti. Morbus qui acutus erat, incipit longus esse: sensim euacuatur educiturque materia in hypochondriis contenta: & quod educitur, crassitie pultem referebat. Sic conualescit. Consultum est vt ad tenuis ichoris excretionem qui sæpè spiritus contaminat febre etiamnum præsente, sed concedente multùm exiberentur ℥ viij decoctionis schinæ cum multa scabiosa paratę, additâ ʒ j cinnamomi.

Hinc discere oportet eos qui optimo habitu præditi sunt, & integrâ sanitate, non lubricâ, vt plerique biliosi, tenues, fruuntur, dum de sanitatis statione depelluntur, crudos admodùm morbos experiri, & horum vires sustentari debere donec morbus mitificetur. Vnde in plerisque qui omnium robustissimi essent, istâ malignâ temporis constitutione horrenda symptomata obseruauimus: & ij penè sani morbis tentati sunt, ab iisdemque iugulati sunt. Itaque hîc magna cautio adhibenda, ne si valida initio medicamenta data fuerint, agitemus materiam quam educere nequeamus; intereáque nil aliud agamus quàm vt naturam infirmemus, minúsque idoneam reddamus ad sustinendam tantam morbi contumaciam & longitudinem.

CONSILIVM LXXXVI.

De febre maligna.

IOANNES du Teil simili ferè morbo correptus est. Is iuuenis erat, robustus, lacertosus, expeditus; & incredibile dictu quot & quanta affuerint symptomata, vt ancipites fuerimus de morbi exitu ad vicesimumquintum diem. Audio illum mœrore aliquo affectum quòd res in Amore secundæ non essent: At tametsi quorumdam Medicorum opinione, procatarcticarum causarum obseruatio in morbis curandis inutilis videatur, tamen in dignoscendis, præsertim quod ad ideam morbi spectat, plurimùm posse videtur. Hinc Hippocrates in historia de Sileno, causarum procatarcticarum meminit, & non abs re, vt Galenus in Comment. docet. Mirum quod ait Galenus in lib. de different. febr. febres putridas à causa procatarctica non

Hist. 2. sect. 3. lib. 1 Epid.

Cap. 7. lib. 2.

oriri. Cur itaque Hippocrates causarum procatarcticarum meminit, vt cùm loquitur de quodam, qui cùm rudimentum febris haberet, incidit in febrem perniciosam: quòd cùm iam leuiter febricitaret, largiter potauit. Illum errorem commissum tanti facit Galenus, vt periculum creauisse existimarit. Itē dum Euryanactidis filiæ historiam commemorat, causam procatarcticam quandam non omisit: hanc racemum gustasse dicebant. Etsi conditio vitæ, vt si quis ruri degat, aut in vrbe, ad constitutionem morborum tenendam apprimè conducit, cur non & causa procatarctica? Sed cùm Galenus loco supradicto ait causas procatarcticas putridam febrem non parere, non negat quin possit excitari à causa procatarctica, sed putrens nisi fuerit humor, non generatur febris putrida. Nam loquens de Sileno ait, illum in diariam debuisse incidere ob causas istas externas: sed quia corpus morbo erat obnoxium, facilè impressio facta est in humoribus. Pluribus commentar. in illam historiā explicat quâ ratione à causis illis procactarticis tam perniciosæ febres excitentur. Itaque mœstitia concepta potuit aliquid afferre. Et hîc non verebor dicere obseruasse me omnes morbos qui mœroribus affectibusque animi successêre, aut eosdem perpetuos comites habent, esse δυσκρίτους καὶ δυσλύτους. Cùm medicamentum blandum sumpsisset, voluit sibi venam secari postridie: & cùm noctem implacidissimam habuisset, manè toto erupit sudor corpore: & cùm indicta esset hora Chirurgo secandæ venæ, aut erumpebat adhuc sudor, aut paulò antè præcesserat, cùm imprudenter iam præ sudore corpore resoluto vena reseratur; vnde animus defecit, nec mirum est. Adeò occasio præceps est, & aliàs captanda est, aliàs omittenda: tametsi hoc vel illud agendum meritò videatur. Parum sanguinis detractum est, ob deliquium succedens. Ab eo tempore adeò languidus fuit, vt nullâ parte corpus mouere posset, immò ne minimam manus contrectationem ferebat: an id ab illo errore commisso manarit, ignoratur. Tamen hoc potuit iuuare plurimùm. Febris erat adeò κακοήθης, (morbum autem malè moratum definit Galenus cùm mitior non fit, tametsi omnia legitimè fuerint administrata) vt id ratione febris contingere potuerit. Febris continua: iactationes assiduæ, virium lapsus. Ad sextum diem pulsus plenus quasi explicatâ febre, hinc capitur secandæ venæ occasio. Nil alleuatur. Vrinæ flammeæ, aliàs sanorum

Hist. 2. sect. 3. lib. 1 Epid.
Hist. 6. sect. 2. li. 3 Epid.

Com. in par. 1. sec. 3. lib. 1 Epid.

Quid morbus κακοήθης.

Com. in part. 1. sect. 3. li. 1 Epid.

ſimiles, cùm tamen febris perſeueraret: quod in ſuperiore ægro obſeruatum eſt. Non ſentiebat quicquam mali, ſed mens ægrotabat. Morbus in eodem ſtatu perſeuerabat: non meminerat multorum: ſemiſopitus erat: comatoſus: & reverà niſi ſymptomatica per aluum euacuatio ſucceſſiſſet (quam euacuationem qualiſcumque ſit, in malis morbis iuuare plurimùm, antè demonſtratum eſt) aut comatoſus interiiſſet, aut moleſtas parotides habuiſſet.[1] Sed ſubductio alui illa, illo minimè ſentiente, & perenniter ſuas ſyndones concatante, infœlici eo exitu illum liberauit. Item vrinam reddere non meminerat. Satis bellè cibum capiebat, & capere meminerat: cetera obliuiſcebatur. Fluente aluo etiam nil manifeſtò febris remittebatur: ſed tandem obſeruatum illum fluorem febris finem attuliſſe. Tanquam pondus iners in lecto iacebat, prouoluebatur non ſuo, ſed aliorum nutu. In neutrum latus ſuo nutu decumbere poterat. Nulla mutatio in pulſu, in vrinis erat. Et quod mirum, diebus criticis natura aliquid moliri volebat: ſed cùm nil præclarè facere poſſet, manabant ſudores frigidi: pulſus deficiebat, contrahebatur. Si natura potens fuiſſet, criſis in eos dies incidiſſet. Deinde prior pulſus redibat. Lingua aridiſſima, ſitis tamen nulla; nec enim ſe ſitire putabat. At δίψα παραλόγως λυθεῖσα κακόν. Sed delirabat. Ignorabatur quæ cauſa tantæ virium ruinæ foret cùm corpus iuuenile foret. mos illius morbi inauditus Nō potuit non ſuſpectus eſſe morbus, quòd ſine cauſa manifeſta adeò impotēs factus fuiſſet. Ad decimū ſextū & ſeptimū diem circa os ſacrum tumor niger ambuſto & carbunculo ſimilis apparuit.[2] Non ſentiebat, licèt eſſet dolorificus. Erat carbūculus. Aluus fluebat, & id commodè. Circa viceſimum diem reſtitit aluus: ſpes ſalutis fuit: ad ſe rediit. Corpus erat arens, ſqualidum, velut exuſtum. Erat occultum incendium quod humores exuſſerat.

Febris erat ἀναύδης, peſtilens, quæ illum interemiſſet, niſi alui profluuium etiam ſymptomaticum (quanquam omnia quæ fiunt ſymptomaticè ſunt ſuſpecta) ſucceſſiſſet. Iuuit quoque ætas, quam magni facit Galenus comm. in Epidemior. libros, ad ſuſtinendam malignam vim morborum & longitudinem.

ANNOTATIONES.

1. *Vide locum præclarum de malis excretionibus quæ aliquando bonæ ſunt æſtimandæ ex fine, non ex cauſa, in ſequentib. & ante Conſiliū III.*

2. *Hoc non fuit criticum, sed symptomaticum, etsi multa talia excreta fuissent: illi fortè melius fuisset, vt ex lib. de atra bile constat, cap. 4. Tamen vtrumque hoc naturam iuuit.*

Propriè erat phygethlon, vt in explicatione aphor. de gibbis diximus.

3. *De eo verus aphorismus in Coacis*: Mentis emotiones taciturnæ, non quiescentes, oculis circunspicientes, spiritum extra efferentes, perniciosæ sunt: sed & ita affecti ad insaniam deueniūt. Qui verò in ventris turbatione ita exacerbantur, his nigra circa indicationem prodeunt. *Quod huic ægro contigit. Et si vires sufficissent, vix contineri potuisset.*

CONSILIVM LXXXVII.

De destillatione in pulmones.

ILLVSTRIS viri filia (cuius nomini parcendum ducimus) annos nata quinque, cœpit valetudinaria esse, cùm annis superioribus integrâ sanitate, prout tulit ætas, frueretur. Nata est auia gibbosa, proinde procliui ad affectus pulmonis. Hinc congenita ad tabem dispositio. Hippocrates in Epidem. meminit cuiusdam filiæ ad tabem propensæ, cuius dispositio ad tabem mediocris morbi, & ad necandum non sufficientis aduentum ita adiuuit, vt in ista morbi lenitudine obiuerit. Et idcò Hippocrates sub finem historiæ adiecit, ἦν δὲ συγγενικὸν φθιῶδες. Quod ab Hippocrate Galenus in Commentario adiectum dixit, vt conuellatur quorumdam Sophistarum opinio existimâtium nullum esse congenitum affectum: vnde mirum quî fiat vt hæc puella cùm olim excederet humiditatis pueriles mediocritatē, vnde ἄναρθρος apparebat, vt nec articuli, nec venę forēt conspicuæ: nunc quasi mutato temperamento, præter rationē macra, λεπτὴ, extenuatáque appareat; vt omnes & articuli & venæ facilè sub aspectum cadant. Hoc ad vermes relatum est: sed tamen cùm malum perseuerare videretur, & summa esset catarrhi & destillationis in pulmones facilitas, immò & sororem habuisset quæ à congestione humoris frigidi cataleptica interierit, ferinam destillationem huius mali occasionem arbitramur.[1] Accedit quod præter ętatem, prętereque morem hemorrhagiam patiatur, quod, sicut & genarum rubor pulmoni-

Hist. 6. sect. 2. li. 3 Epid.

corum proprium existit. Sic de illa tria quęsita sunt: Cur pręter rationem macruerit, cur à natura & statu abs re ita desciuerit; an lacti asinino locus sit, & num id vermium generationi, cui obnoxia est, officiat. Sanitas quidem in firmitate aliquâ consistit, & actionum bonitate: & eos dicimus sanos quibus corpus εὔχροον & solidum est: tamen vtrumque fallax. Etenim pulmonicis suffunditur rubore facies ob affluxum sanguinis & caloris vaporem, & tamen iste rubor bonus est. Extenuationis causę sunt penuria alimenti, exercitationes plures, vigiliæ, dolor, morbus, & præcipuè si colliquans fuerit, prauitas humorum, imbecillitas denique ipsa. In hac vermes fortè aliquid potuerunt [2], sed destillatio multùm potest: vnde videmus eos facile marcescere quibus destillationes sunt perennes, nisi insufflentur ac intumescant. Quęrebatur num lac asininum ex vsu foret; quoniam calor acer quodammodo est, æruginosa expectorat quæ moram in substantia pulmonis trahentia erodunt, & ideò sputum cruentum promouent, ideò lac ex vsu foret. Nam vt seri exuberantia superat, ita pinguedine cæteris cedit: & mel aut saccharum admiscendum vt seri acrimonia retundatur, quod in ventriculum vacuum ingestum facilè fundum refrigeraret.

Sed obiicies; minimâ alteratione opus habet: immò Galen. videtur velle lac alterationem in ventriculo non habere. Item cùm laudemus lac asinæ, quòd facilè transeat, mel aut saccharum istam transeundi facilitatem impediet; vtrumque enim admistum lac ipsum incrassat. Tamen tum vt lac ipsum suâ serositate fundum ventriculi non lædat, nec facilè irritando diarrhœam aliquam afferat, saccharum admiscemus; faciet enim vt moram in ventriculo aliquam trahat, & ita coquatur, deinde coctum à natura distribuatur. Et vt aliis locis obseruauimus ex Galeno, si aut mel, aut sal lacti admisceatur, fieri non potest vt lac in ventriculo concrescat. Immò dum serum pręscribit iis quibus ilia obmurmurant, & salem & mel remiscet. Cęterùm visum est è re fore si loco lactis asinini, hyeme præsertim, quo tempore butyrosum lac non suppetit ob herbarum penuriam, aut negligentiam eorum qui non ad auxilium, sed ad quæstum, asinas alunt, vteretur iusculo consumpto ferè pullo & carne vitulinâ, cum passulis, hordeo ritè lauto, cichorio, lactuc. seride, acetosa, & pugillus hysopi sub finem in eo iure madescat. Nil

Cap. 6. Lib. 6 de placitis.

3 de alimentis.

Com. in apho. 64. lib. 5.

aliud in ientaculo dabitur. Quod si magno vsu eiusmodi iuscu-lorum fibræ alui laxentur, aut albicans deiectio appareat, temperandum erit: firmatâ deinde aluo redeundum erit. Cùm catarrhus infestabit, bolus cassiæ deuorabitur: aut si aluus liquescat, eiusmodi tabellæ concinnabuntur.

℞ electuar. diaireos simplicis ʒ ß. electuarij triasant. simplicis ʒj. rasuræ ebor. cornu cerui, puluer. glycyrr. an. gr. vj. cinnamomi gr. 3. ambræ griseæ gr. ij. rhabarb. ʒ ij. ß. cum sacchar̀o in aqua rosar. soluto. Fiant tabellæ ʒ ij. deauratæ. Vtatur sæpe.

Vtetur pineis & amygdalis decorticatis cum saccharo. Vel pineæ excipientur saccharo rosato. Sæpè syrup. de bechio, conserua bechij, syrupo de siccis. Liberale prandium esto, parca cœna: serò assa, elixa manè conuenient. Caput vernice suffiendum. Thorax illinendus, & panno escarlatæ contegendus. Hydromel hyeme conueniet. In aqua mica panis albi macerabitur. Vitandus statim à cibo somnus. Coriādrum sæpè mādet. Panis erit syncomistus: sin macrescere videbitur, vtetur pane pisto & subacto in lacte. Vitanda ciborum varietas. Iupiter frigidus fugiendus. Hyeme aëre calido moderatóque continebitur.

ANNOTATIONES.

1. *Nam Aristoteles vult puellas ante statum menstruorum tempus nec varicosas, nec hæmorrhagicas, nec menstruas esse debere.*

2. *Initio destillationum quidem corpus plenum est, sed post emaciatur ac extenuatur, vt ex lib. 1. de morbis apparet.*

CONSILIVM LXXXVIII.

In quo quæritur, Cur exiguâ puris excretione animus facilè deficit?

CVM Medici vulgò in missione sanguinis liberales esse soleant, mirum sit cur in educendo pure tam restringantur. Tamen quæ materies in pus abit, sanguis actu erat, siue is intra naturæ limites contineretur, siue ab iisdem recederet. At experientia probauit exiguo pure aut vi excreto, aut suâ sponte

mananti, maiorem virium iacturam contingere, quàm si sanguis aut pleniùs detrahatur, aut sponte fundatur. Ideò vetabat Hippocrates ne purulentis conferta fiat euacuatio: & tamen luculentæ venæ sectiones ab eodem commendantur; immò procedit sæpè donec sectione animus linquat, deficiatque. Quæ duo inter se pugnant. Cur si dum tumor aliquis partem occupat cum tensione & rubore, sectione ad leipothymiam celebratâ, tumorem prohibemus incremento, immò non modò materiam antecedentem auertimus, sed de coniuncta adimimus (quod liuor sanguinis docet) quæ proxima puris materia est? immò ferè pus est, cur cùm sanguis iam actu & reapse pus erit, idem non factitabitur? Sed contra eductio paulatim fit metu exolutionis virium & spirituum. Testamur nos dolorem lateris quatriduanum & vehementem, cùm frustra ternam sectionem celebrauissemus, & sanguinem laudabilem detraxissemus, sectâ quartò venâ radicitùs sustulisse, cùm tria insignia vascula sanguine purulento plena detracta essent. Itaque alleuatio ægri tam subita, & eductæ materiæ qualitas, coniunctam ipsam materiam decisam detractamque confirmauit, & tamen conferta est euacuatio, cur non animus deficiebat? Cur itaque conferta sanguinis excretio non æquè exoluat ac puris ipsius eductio? Nam in febribus putridis cùm sanguis subviridis, aut purulentus adimitur, idque insigniter, minùs id naturæ molestum est quàm si in iisdem febribus laudabilis sanguis minore copiâ detraheretur? Declarat ægri alacritas cùm saniosus sanguis eductus est: sed num iste saniosus sanguis puri analogos est? Ideò Princeps aliter quàm quidam Medici, quorum opinionem explosit Galenus, qui post quartum diem nefas esse ducerēt ferire venam, in periodicis febribus tertium paroxysmum expectari voluit, vt non priùs celebretur sectio quàm à se mutatus sanguis fuerit: ac si putaret naturam alacriorē fore putri excretâ materiâ, quàm sanguine laudabili. Dysenteriæ & hæmorrhagiæ sæpè visuntur αὐτόματοι. In quibus ἀθρόος sanguis educitur: mulieres aliàs vomunt, aliàs insignes satis per vterum effluxiones patiuntur exiguo virium dispendio, & tantula puris excretio, tantæ virium exolutionis causa existit? Galenus explicat quidem cur à ruptione interni phymatis puris effusio leipothymiam accersat, dicitque id fieri ob spiritus vitalis dissipationem. ' An non etiam missio sanguinis

Aph. 27. lib. 6.

Aph. 23. lib. 1. & 4 sanit. tuēd.

Com. in histor. de anaxione.

Com. in aphor. 8. lib. 7.

ſpiritus effluunt? Cur ſpiritus ſanguinis ac puris non æquè ſunt comites? Immò pus contra naturam quid eſt, & ſin excluſioné indicat, vt ſanguis ſui conſeruationem. Quod ſi & pure & ſanguine effluēte ſpiritus vitales inaniuntur, in phlebotomia cùm ſanguinis largior ſit excretio, maior quoque ſpirituum erit euacuatio. At credo, arteriotomia ſine manifeſta iſta exolutione fit, & tamen confertim ſpiritus vitales effluunt ac exiliunt.

Sunt qui ad dolorem qui in aperienda vomica infligitur, recurrunt, vt idem fiat quod in ſectione venæ malleoli; quæ quoniam dolorifica eſt, ideò deliquium affert potiùs quàm ſectio in alia vis parte. Sic quia aperta vomica cauterio aut ferro dolor fit, pus membranas pungit dum effluit, ſpiritus euacuantur, neruuli neceſſariò feriuntur, tumor aderat dolorificus (at nil æquè vires deiicit ac dolor) eóque magis quò partibus neruoſis eſt propinquior, aut emunctoriis partium: immò in minimis furunculis tantus ſæpe dolor adeſt, cùm exigua moles ſit materiæ, vt animus ſæpe linquat (niſi fortè ad τὴν κακοήθειαν id referatur) mirumne ſit ſi ratione doloris qui ob tumorem & inflammationem præcedit, & eius qui aut cauterio, aut ferro infligitur, & ratione cæſionis neruulorum arteriolarumque, & acrimoniæ rei effluentis, & vaporis qui à mota putri materia excitari ſolet, tantopere vires exoluantur? Immò, quod mirum, ſi portiuncula aliqua ſanguinis cum pure effluat, vt pus cruentum ſit, maior eſt virium ruina. Vnde hoc eſt ſi dolor hanc leipothymiam affert ob diſciſſionem corpuſculorum illorum, in ſectione venæ ſecantur quoque vaſa & cutis: item diu ſanguis effluit donec tria compleantur vaſa, non tam diu pus fluit. Cur curſus ſanguinis diuturnior non afferat eam leipothymiam, quàm breuiſſimo tempore puris effuſio? Dum abſcinditur ſphacelatum crus, arteriꝫ magnꝫ & nerui ſcinduntur nullâ ferè animi defectione, in tormentis feſtuca contunduntur rumpunturque artus, & tamen nullus animo deficitur? Niſi Minima arteriolarum ſectio tantꝫ exolutionis autor erit? Niſi fortè dicas in cruris ablatione, & artuum confractione violentam eſſe ſpirituum agitationem, vt natura omnes tum vires & opes explicet maiori vi non ceſſura. At cùm pus educitur, languet natura, nec ſeſe ita erigit.

Alij exiſtimant ideò puris eductionem maiorem virium iacturam intendere, quòd natura in partem abſceſſu occupatam

multum

multùm ſanguinis & ſpiritus miſerit tanquam ſuppetias ſuas. Quorum omnium euacuatio contingit cùm pus effluit; hinc animi defectio. Natura quidē opē ſubſidiariam latura in affectā partem ea relegauit. At non eſt probabile ob euacuationem ſanguinis & ſpiritus in ſubſidium miſſorum tantam perturbationem & defectionem euenire. Multò enim maior vtriuſque fit euacuatio in phlebotomia, quàm in effluctione puris: immò ſpiritus in parte ipſa contenti, & ſanguis iam corrupti ſunt, & à ſua temperie deſciuerunt: dum per ſectionem ſanguis mittitur, ſpiritus limpidi & puri effluunt. At credibilius eſt naturam amantem eſſe rerum gratarum quàm ingratarum, vt criſes liberales teſtantur: quanquam concedimus in tetro etiam pure ſpiritus laudabiles contineri; ſed quæ abſceſſit & depoſita eſt materia naturę moleſta eſt, cùm in pus verſa nonniſi ſui excluſionem inſinuat: ſecreta iam eſt, & ideò excluſioni parata, particularem quandam in membro affecto plethoram facit. Ideò excluſio videtur à natura fieri. At cedò, quanta ſolet eſſe naturę alacritas cùm id excluditur quo premebatur?

Galenus cauſam videtur aliqua ex parte explicaſſe, cur conferta aquæ aut puris excluſio non ſit molienda; non quin tota excludi debeat, ſed non ἀθρόως. Et cùm illud ἀθρόως ſignificet contrarium τῷ κατ' βραχὺ, & τῷ κατ' σμικρὸν, id eſt, & ad quantitatem, & ad tempus referatur: ita hoc loco ſumitur, vt fiat excluſio totius puris, non in vno tempore, ſed in pluribus, vt pluribus vicibus vna conferta copioſáque excluſio compenſetur. Quod autem nunc aperta vomica excernitur, confertim quodammodo fieri debet, ne ſi pauca puris excretio longo tempore fiat, iſtâ diuturnitate debilitet: ſed vno tēpore omnis euacuatio nō eſt moliēda. Gal. verba ſunt: *Cùm quis tumor ſuppurat, & is magnꝰ, æquè eſt periculoſa in alijs partibus confertim facta euacuatio, ac aquæ in ventre, & in thorace puris, cùm ilicò animus linquat, vires labaſcāt, vt ei imbecillitati viriumque ruinæ remedium quæratur. In iis itaque ob magnam corporum diuiſionem, diſsidium ac diſtentionem oſcilla corporum quorumdam arterioſorum adaperiuntur, quæ priùs tanquam ἐπίπωμα quoddam, id eſt, operculum pus ipſum continebant, quo confertim euacuato, multorum vnà ſpirituum effluxio contingit, & conſecutio. (vtitur enim verbis συνέπεσθαι καὶ ἐκκρίνεσθαι) hincque laborantibus creatur periculum.* Hîc meminit tumoris magni, qui neceſſariò diremptionem, diſſidium, diſtentionemque magnam affert; vnde dolo-

res, vt & distentio, & tumoris magnitudo ad inducendam istã, de qua sermo est, imbecillitatem, videantur concurrere. Tamen si diligenter locus legatur, eam virium iacturam vni spirituum euacuationi attribuit: Euacuationem ipsam infert arteriarum sectio, quæ pus ipsum continebant tanquam operculum quoddam. At iam docuimus non sufficere ad leipothymiam inducendam istam spirituum exclusionem, cùm & in arteriotomia arteriarum corpus secetur (dicitur enim ἀπὸ τῦ τὸ ἀρτηρειῶν σῶμα τέμνειν) & in phlebotomia spirituum fiet euacuatio. Alio in loco autem puris exclusione ἔκλυσιν induci ob exclusionem spiritus vitalis docet. Hic generaliùs τὸ πνεύματος exhaustum recenset, non addit τῦ ζωτικῦ πνεύματος: & hoc nectit theorema: *Commune est omnibus ruptionibus vt exolutio virium defectióque animi consequatur, idque ob spiritus vitalis effluxum.* At antè quæsitum est, cur eruptione puris sequatur potiùs vitalis spiritus inanitio, quàm sanguinis detractione? Nam non ineptè quidam interpretantur eam leipothymiam ad quam vsque ducit aliquando Hippocrates in magnis doloribus & inflammationibus, de exclusione spiritus animalis, eáque non inclusiua, sed exclusiua, vt desinat fluere cùm ea aduentat, non cùm actu iam est: quoniam vacuatio spiritus vitalis plus periculi intentet, quàm spiritus animalis. Propterea τῆς συγκοπῆς nomen vsurpant pro præcipiti omnium virium ruina, euacuato aut dissipato spiritu vitali, qui spirituum animalium est fons & scaturigo. Nomen autem Leipothymiæ & λειποψυχίας ad defectionem animi referunt ob spiritus animales exhaustos; vt τῆς ἐκλύσεως nomen ad vtrumque referatur. Cùm tamen ait commune esse omnium ruptionum vt animi defectio contingat, non est vsus verbo syncopes, sed leipothymiæ: vim autem eius adauget nomine τῆς ἐκλύσεως, quam ferè vocem ἀντὶ τῆς ἐκλύσεως, aut τῆς ἀδυναμίας vsurpant. Et cùm leipothymia ipsa potest virium ἀντιαρκία esse, cùm syncope non potest esse.

Com. in aphor. 8. lib. 7.

Nos autem cùm parum probabiles tantæ exolutionis causas ob paucitatem effluentis puris comperiamus, alias excogitare, & breuì exponere in animo est. Paulò antè cumulum rationum adduximus ob quas ea dissolutio eueniat; quoniam (pace Galeni dicam) non est satis dicere id fieri ob spirituum effluxum. Dolor qui à ferro aut cauterio infligitur, immò & doloris opinio quâ inhorrescunt cùm abscessus ruptionem subolfaciunt punctio membranarum dum pus fluit, euacuatio spirituum

ſectio neruulorum, arteriolarumque & cutis, dolor qui primus aderat ob puris ebullitionem & putredinem, necnon partium tum diſtentionem, tum diremptum, tetra anathymiaſis ab erũpente elata pure; denique hæ omnes cauſæ in vnum coeuntes hanc fortè exolutionem afferunt, non autem vna atque altera cauſa, alioqui ſanguinis detractio maiorem virium proſternendarum occaſionem afferret. At nos probabiles alias cauſas comminiſcimur. Pus etſi excluſionem ſui indicat, naturæ tamen opus eſt, immò quid elaboratius quàm ſanguis: & cùm in cauſa antecedente ſanguis ſit laudabilis, ex euentu aliena fit natura, quoniam tanquam onus depoſitum eſt in partem, aut in ea ipſa parte ob imbecillitatem collectus, aut vi aliquâ attractus, & quantùm poteſt nititur natura eum partibus ſolidis aſſimilare. Porrò natura eſt vis ipſa partiũ ſolidarum. Et ſi vis infertur partibus ſolidis, non ſine querela id fit. Æqualitas, albor, læuitas declarat naturam eò proceſſiſſe, vt ſi materies pateretur, id totum exactum excultumque tanquam cambium, vltimâ aſſimilatione in naturam partis conuerteret. [3] Sic & ratione qualitatis, quatenus refert ideam ſpermaticarum partium, & ratione ſpiritus tum in materia coerciti, tum ad eam perenniter affluentis, non poteſt artificio Medici erumpere, niſi naturâ reclamante; tum quia ſpiritus exiliunt, tum quòd pepaſmum receperat, ac idem ei pene ſit ac ſi propria foret πέψις. Eodem enim in pepſi & pepaſmo naturæ conſilium dirigitur. Hippocrates ſcribit πῦον φλεβὸς καὶ ἀρτηρίας τροφή. *Pus venæ & arteriæ eſt alimentum*: vel arteria & vena propriè nutriuntur materiâ albâ & ſanguine dealbato, vel cùm natura morâ conficit ſanguinem in pus tanquam in familiarem materiam agit ac ſi ea in alimentum eſſet ceſſura. Hinc videmus ſi parum ſanguinis cum pure effluit, exolutionem maiorem ſequi, quod ex eo ſanguine tanquam vltimo alimento in ſinu iam partis depoſito natura carere nequeat, & non, niſi cum querela, effluere ſinat. Quid ſi puri cum ſpermate tantam analogiam eſſe dicamus, vt quemadmodum tantula ſeminis excretio ob materiei ipſius naturam, quod iam ferè pars ſolida ſit, & res naturæ benigna, & ſpirituum copiam, corpus breuì proſternat, ita & puris eruptio? In vtroque naturæ charactere elucet; ideo Hippocrates ſemen partem hominis potentiſſimam conuincit, quòd eo tantulo excreto homo imbecillimus relinquatur. [3] Pus & ſemen partes potentes dici poſſunt, quòd in

Lib. de genit.

vtrumque natura vires excreuerit, tanquam in rem proximè in alimentum cessuram, non partium carnosarum, sed spermaticarum. At sanguis etsi naturæ gratus, non adeò tamen gratus ac id quod iam characterem, ideam & naturam partis solidæ (in qua vis omnis hæret) suscepit. Accedit quod multus adeò in corpore sanguis sit, vt detractionis incommodũ (nisi quis adeò imbecillus sit vt minimum non ferat in corpore tumultum) non facilè sentiatur. Addam ad superiores rationes vnam, in pure quid malignum continetur, vt eo agitato per sectionem facilè per arteriolas ad cor vis deferatur. Hinc in malignis tumoribus, præsertim si neruis insignibus propinqui sint, vulgò eruptione pauci puris tanta exolutio sequatur, vt in propinquo mors esse videatur. Et quòd sanguis tumorem faciens extra vasa sit, minùs molesta esse deberet detractio quàm si in vasis contineretur, & à natura regeretur. At quia è vasis effluxit, faciliùs corrumpitur, tetrumque vaporem spirat, vnde nisi tempore excludatur, cùm confectum pus est, breuì liuescit & graueolet, & inficit partem. Quod ab Hippocrate dictum, *Si sanguis in ventrem effunditur, suppurat.* Galenus ait melius esse si dicamus corrumpi. Hinc patet egressum sanguinis è cõceptaculis corruptionis causam esse. Quæ corruptio inficiens spiritus dum mouetur (quia omnis materia putris quiescens minus mala esse solet quàm si moueatur) & excluditur, mirum-ne sit si λειποθυμία, aut ἔκλυσις consequatur.

Aph. 20. lib. 6.

ANNOTATIONES.

1. *Immò in praxi obseruamus cùm sanguis impurus educitur luculentè, id fieri & exiguo virium dispendio, dummodò corpus sit repurgatum: cùm sanguis purus educitur, statim exolutio sequitur: at impuro sanguini cum pure analogia est.*

2. *Et sudor, & seminis excretio licet exigua, & puris, vires conuellit.*

3. *Videmus chylosam euacuationem per aluum plus afferre exolutionis virium, quàm multam aliam euacuationem.*

4. *Qui fit vt copiosa hæmorrhagia, aut per aluum exclusio non tam deiiciat vires quàm sudor? Quoniam cum sudore spiritus euacuantur multi, & rori ipsi, id est, vltimo partium alimento vis infertur. Quomodo & cùm pus tanquam partis vltimum alimentum, demitur, vis quoque parti inferri videtur.*

5 Tamen aliquis obiiciat de lacte, quod cùm sit vltimum alimentum, & album, tamen magna satis copia detrahitur innocuè. Alij recurrunt ad opinionem Aristotelis, qui putat mutationem tam subitam incidere cùm pus, aut simile quid effluit, quod in locum euacuati puris calidi succedat aër frigdus, minimè mutatus, qui ferit membranas.

CONSILIVM LXXXIX.

De Parotidibus.

IANO Memmio dolores aurium tertio die excitantur. Quæritur an isti dolores & hæmorrhagiæ in tertium & quintum diem incidentes criticæ? Cur non criticæ essent? & tamen vtrũque tertio & quinto die Medicis suspectum fuit. Si sudores tertio & quinto incipientes boni, cur non & parotides, & alia id genus? Galenus in comment. ait non sudores tantùm in eos dies incidentes, bonos, sed & deiectiones, & abscessus, si modò effatu digni. Scio quidem Hippocratem nolle eos dies esse decretorios; tamen τὰ κρίσιμα in eos dies possunt incidere: Ac si dicat, Iudicatoria quæ non iudicant suspecta sunt: sed hoc bonum si saltem iudicatoria in dies indices & intercalares. Itaque eo modo tertius & quintus iudicantes erunt, quatenus signa, & casus qui diebus illis apparent non sunt mala, si dies illi cùm aliis malis diebus comparentur. Nec abs re ait, si sudores tertiò incipiant, vt per verbum, incipere, significetur aggressio naturæ quæ ob tarditatem non potest adhuc indicare: cur non etiam quartus dies iudicatoria tantùm signa habere dicatur, cùm nebula quarto apparens sit indicatoria, non iudicans. Sed alia est ratio, nam index dicitur, & nebula indicium dat futuræ criseos. Sed cùm tertio aut quarto die sudores incipiunt, vt concedam eos non iudicare, quia tamen iam potentis naturę aggressionem significant, ideò in bonis sunt. Et oportet illud quod fit naturam validam ostendere, vt si riuulosè iis diebus fluat sanguis, licèt non indicet, tamen bonum est id fieri factâ collatione cum alio naturæ conatu languidiusculo. Nec abs re addit Galenus, *deiectiones* (quod idem de ceteris excretionibus debet intelligi) *tertio & quarto die apparentes, & incipientes* (quod posterius verbũ debet notari) *bono esse si modò sint* ἀξιόλογοι. Sed omninò parotides

4 Aphor.

non videntur criticæ, sed potiùs iudicatoriæ, quocumque modo & die apparuerint, quoniam sunt abscessus morbo impares, nec febrem soluunt; & quia dolorificæ sunt, & propter vicinitatem cerebri: tum maximè quia omnis translatio à partibus inferis ad superas suspecta esse debet. Quæ omnia pleniùs Galenus comm. in Prorrhet.

Com. in part. 67. sect. 3. li. Prorrhe.

CONSILIVM XC.

Ad Quartanam leipothymiæ implexam.

SVPERIORIBVS paginis duarum mulierum quartanâ laborantium historia commemorata est, ac præsertim eius quæ Dorsæi Præsidis vxorem occupabat. Nunc verò æquum est adiicere ea quæ euenerint, & de quibus coacti Medici deliberarint. Cùm difficultas esset summa in inuestiganda causa cuiusdam leipothymiæ quæ illam terrefaciebat, consilium initum est ea de re satis celebre. Tum demum ea deliquia quæ comites habent sudores frigidos, & partium extimarum, sed præsertim crurum & tibiarum rigores, cùm accessiones febris quartanæ desinere visæ sunt, aut cùm parum commemorabiles forent, complicatas diebus intercalaribus alias accessiones, ordinatis deteriores haberent: vt aut semitertianæ febris suspicio esset, aut lentæ, aut complicatarum accessionum, aut nouæ materiæ in nouo foco excitatæ. Et quòd mirum est, tum demum, semen morbi quod sepultum visum est, excitatur ac reuiuiscit cùm menses erumpunt: immò obseruauit omnia in peius ruere, tum cùm fluxerunt menses, etsi copiosè satis profluxerint. Nos huius rei duas tresve causas affingere voluimus: nam incertarum rerum non ita firma certáque ratio reddi potest: Prima est illa perturbatio quæ euenit erumpentibus mensibus, vt quemadmodum alias menstruas mulieres ante effluxum sanguinis varia attingunt symptomata (vnde malæ septimanæ vulgo dicuntur) si hanc illa symptomata sequantur. Ante eruptionem enim nihil penè affligitur. Secunda est, quia cùm ipsa satis superque ex obseruatione suæ peculiaris naturæ phlebotomiam non ferat quantulacumque sit, mirum non sit si per vterum excretionem floriduli sanguinis non ferat, tametsi excretio illa sola sit

naturalis, & mirificè alias mulieres iuuet; quia pauco abundat sanguine, siccum habet aridumque & calens impensè hepar, vt eius minimam iacturam non patiatur. Tertia est ῥοῦς γυναικεῖος, quo maximè tenetur post eruptionem mensium; quasi vasa vteri ita conniueant & concidant, vt illa fœda excretio non fiat nisi vi naturæ vasa ad fluxum mensium reserentur: vt materia fluxus illius fœdi quæ veluti prostat & pro foribus est, quâ data porta larga copia excernatur. Ac reuerà multò cumulatiùs & magis affatim excernitur fluxus menstruus, quàm antequã fluxerint. Accedit quod omnis commotio materiei fœdæ & lutosæ inquinet & inficiat prauis halitibus spiracula corporis & partes maximè momentaneas afficiat, quasi commota camarina, vt aiunt. Sic quia omnes quasi partes commouentur, colluuies restagnans resesque excitatur, quæ in corpore præsertim languidiusculo magnos excitat tumultus. Si mineræ virtutum starẽt, non ita percelleretur. At minimis momentis corpora natura imbecilla, & infirmis partibus prædita, & maximè morbis afflictiora debiliora reddita, valdè turbantur ac eliduntur. Nos autem satis obseruauimus partes internas imbecillas esse: siquandò autem mutatio commotióque accidat, id fit maximè cum vteri vasa reserantur, aut vterus ipse mouetur. Nam si qua pars alia toti corpori consentit, & ex Hippocrate totum corpus συγκινεῖται, commouetur, vt vnius motum altera pars facilè excipiat. Deliquia ista non ita nos terrebant quod syncoptica non viderentur; nam nec magna, nec frequentia, nec sine causa erant manifesta: quanquam successu temporis euenire posset vt ad eam naturam accederent. Mulier ista ferè hypochondriaca est, obstructionibus mirum in modum patet; quod declarauerunt fœdi colores quibus illa per annos duodecim laborauit. Si aut exquisitus sensus ventriculi, aut natiua infirmitas deliquij causa foret, cur non aliis temporibus æquè deficeret anima? Narrauit quidem percepisse se à sinistro hypochondrio surgentem anathymiasin quæ cor petiuisset. Duo erant valdè notanda, quid causæ esset cur in accessionibus ordinatis non deficeret animus, sed in extraordinariis? vt ita dicam. Posterius, si ita obstructas habet mesenterij venas (quod solemnia alui profluuia declarant) quid causæ sit vt tantum meiat, & crassas admodùm vrinas habeat. Nam & exiguus mictus esse deberet, & vrinæ tenues ac veluti percolatæ esse deberent. De vrinis ita dicen-

Lib. de locis in hom.

dum. Multæ vrinæ fiunt aut copiâ potus, aut defluxu catarrhoſo, aut per expreſſionem aliquam, aut per attractionem, vt in diabete fit. In hac perennis eſt defluxio à capite, nitroſi ſunt humores, hepar ſqualens & calens, vt idem hepati contingat, quod renibus in diabete: immò perpetuò ſentit quoddam incendium in regione hepatis. Et niſi aut defluxlo perennis eſſet, aut metu hydropis ipſa ſibi à potu temperaret, ſitim haberet inextinguibilem; immò non poteſt fallere ſitim, nec aliorum more qui pitiſſatione contenti ſunt, eam explet niſi pleniſſimo hauſtu. Probabilem ꝗ iſtius muliebris cauſam afferebamus ex Hippocrate, quod ex cerebro eſſet: *ſi mordet, à ventre eſt*, ait Hippocrates; *ſi non mordet, à capite*. Quanquam lib. de locis in homine, id quod ab interno capite manat, mordere aſſeuerat. Summa eſt inappetentia, quia cum ſumma cura excogitatur cibus, & cùm offertur ſtatim abominabilîs eſt, ſummæ inappetentiæ eſt argumentum, ait Galenus in hiſtoria de Euryanactis filia.

Lib. de natura muliebri

Hiſt. 6. part. ſect. 2. lib. 3. Epidem.

Maximè verò omnium tantæ mutationis cauſam ad ſolſtitiũ hibernum reduximus. Nam quemadmodum circa æquinoctiũ autumnale ea grauiſſimè habuit, ita inſtante hyberno ſolſtitio non mirum ſit ſi tanta mutatio eueniat.

Verùm quod maximè in ea mirandum fuit, eſt ἔκλυσις illa in qua omnium quidem meminit, ratiocinatur probè, cibum capit, nec eſt ἀπόσιτος, & tamen ne minimum ferè corpus mouere poteſt, immò ne manum quidem ad os adducere, adeò impotens fit. Et id maximè euenit cùm febris ſuſcitatur: nam eodem pene momento facies tota erubeſcit, calor in ſuris tibiarum acerrimus percipitur, & manet tanquam ἐκλελυμένη. Credibile eſt per cæcos meatus tetrum vaporem ſeſe inſinuare, qui ſi aut recta in cor ferretur, aut in principium neruorum, terrifica magis ſymptomata excitaret. Vix autem talis morbus, & quod id ingenium habeat, vnquam à Medicis eſt obſeruatum. Neſcitur quo id referendum ſit. Et, quod mirandum magis, nulla ferè in pulſu mutatio percipitur etiam manentibus iſtis deliquiis. Ad ea ſymptomata corrigenda hæc ſunt ordinata:

Frictiones crurum & tibiarum: Applicatio cucurbitularum internis fœmoribus: Item maiora fruſtula panis toſti iiſdem fœmoribus applicata. Noduli ex roſis & caryophyllis qui macerantur in aceto vt naribus admoueantur. Item fruſtula panis

toſti in aceto macerata, & quæ admoueantur naribus. Grana granatorum deſtillata frequentia. Et hæ tabellæ:

℞ pulueris electuar. diamb. & lætit. Gal. an. ℈ j. diarrhodon abb. ʒ ſ. raſuræ ebo. cornu cerui, margar. elect. an. ℈ j. raſuræ vnicor. gr. x. cum ſacch. ſoluto in aq. roſ. fiant tabellæ.

Item *℞ confect. Alkermes ʒ j. theriac. & mithridat. an. ʒ ij. conſer. bugloſ. & meliſſ. an. ℥ ij. pulu. diamarg. frig. ℈ ij. Fiat pults admouenda cordi ſuper membranulam.*

℞ ambræ griſ. gr. ij. raſuræ vnicorn. gr. vj. rhabarb. gr. x. Fiant pilulæ cum vino albo.

℞. aquar. meliſ. card. bugloſ. & morſus an. ℥ ij. colentur per manicam hippocr. cum elect. diatrag. frig. ſant. roſ. & pauco cinam. Capiat cum parte deſtill. reſtauratiui ſequentis.

℞. conſer. bugloſ. nenuphar. viol. meliſ. flor. cichorij & vngul. an. ℥ iij. iuiub. ſebeſt. an. xx. num. pinearum piſtaciarum an. ℥ ij. paſſul. mundat. quar. j. glycyr. contuſæ ℥ ij. carnem caudarum cancrorum fluuiatil. parat. & macerat. in lacte lib. ſ. carnem duorum aut trium turturum, carnem vnius capi iuuenis & duarum perdicum, ſem. bombacis, citrij, melonum, an. ℥ ſ. decoct. duorum pullorum cum hordeo, ſcariol. acetoſ. bugloſ. & borag. alteratorum, lib. vj. Miſceantur omnia diligenter ſecundùm artem. Diſtillentur per cineres in alambico vitreo.

℞ præd. deſtillati lib. ſ. paſſetur per manicam hippocratis cum ſacch. cando. capiat tempore deliquij cum tertia parte aquarum ſtillatitiarum.

ANNOTATIONES.

1. *Nam Hippocrates lib. 1. de morbis mulier. annotat* bilioſis mulieribus ob menſtruam purgationem, puſilanimitatem, & multa alia incommoda ſequi.

2. *Si Galenus cap. 13. lib. de miſſione ſanguinis, dum loquitur de viris, ait tum liberalius vacuandum cùm homines ſunt mediocriter graciles, & amplas venas habent, & minimè candidi ſunt, nec tenerâ carne præditi. At hæc mulier tenerâ carne prædita eſt, gracilis, venas anguſtas habet, &c.*

3. *Illam valdè exercuit immodicus ſanguinis fluor. Mirum non fuit ſi pro aſſumpti cibi ratione non roboretur, ac præſertim pedes exangues penè ſint. Hippocrates lib. 2. de morbis mulier. ſcribit vnum valdè notandum:* Sanguis rubicundus multus fluit ex febribus, & torpor

corporis, & crurum perfrigeratio aduenit, dolor claiculatum. *Non abs re dixit* ex febribus; *& hoc commentario dignum est. Nam contrà, aliis mulieribus affectis febre in totum menses desinunt: cur ergo aliis febres excitant?*

3. *Et ei cùm immoderatiùs fluerent menses, visum est optimum vt pararetur syrupus astringens quo medio mensium cursu vteretur ad reprimendum illum, & ad succum & vim recuperandam in tibiis litus ex oleo violato comparatus est priùs lauto decocto chamæm. & rosar. Fotus ex decocto omazorum addito vino albo.*

CONSILIVM XCI.

De hepatis phlogosi.

DO. Lyssæi seruus febre acutâ corripitur. Dolor ad hypochondrium dextrum. Satis colligebamus non esse pleuritim. Tamen summa erat difficultas ducendæ animæ, & quæ in horas increscceret. Spes erat eam sedatum iri vno medicamento. Contrà aucta est. Metus suffocationis. Reuerà phlogosis erat pituitosa circum eas partes, & nisi ternâ sectione venæ prouisum fuisset, metus erat abscessus. Hippocrates scripsit; *Quibus dolor ad hypochondrium sine inflammatione, his febris superueniens, solutio.* Si morsus est, & dolor, hoc inflammationem, aut quid simile significat. Si talis dispositio non adfuerit, & morsus abfuerit, dolor tum fit aut propter obstructionem, aut flatum, aut inæqualem aliquam intemperiem: quæ omnia calor febrilis tollit. Quanquam de obstructione dubitari potest. Nam si magna febrium putridarum pars ab obstructione est, obstructio ista febrem afferret, nedum febris eam tolleret. Sed cùm febris in isto ægro sęuiret magis, nec de flatu, nec de sola obstructione verebamur, sed de inflammatione potiùs, aut simili aliqua affectione. Et verò ex Galeno ita ratiocinabamur: Carnosâ parte hepatis inflammatâ grauis fit dolor: tunica circumducta, vel vasis inflammatis, acutus. Sed biliosus humor & acutus dolorem auget: item spiritus flatuosus exitum non habens: remittit autem pituitosus. Si mediocris dolor est, & non pungit, vt qui in membrana succingente est, nec ad claiculam aut ilia pertingit: contingit ipsum dolorem fieri, carnosis

Aph 40. lib. 6.

Com. in aphor. 5. lib. 6.

costarum partibus affectis: ideò non est periculosum, nec magno eget auxilio. Ceterùm cum hepate inflammato dolor ad iugulum peruenit, potiùs sequitur venæ cauæ aut arteriȩ distensionem quàm membranæ. Nam proprius dolor venæ & arteriȩ est tanquam extensæ in longum chordæ. Nil prius fuit quàm & ad anteuertendam istam inflammationem quam futuram suspicabamur, & ad febrim iugulandam quâ fortè consumptus esset, ter venam ferire, & largiter sanguinem detrahere.

ANNOTATIONES.

1. *In plerisque mulieribus, præsertim quibus hepar præcalidum, & quæ in vsu vini essent liberaliores, talem affectum animaduertimus, vt in ea quæ ad rosam rubram habitat. Cùm causa quæ affectum parit, præsertim calidum, extra diaphragma est, adest quidem spirandi difficultas, sed tussis non adest: nisi proximè atringat diaphragma, vt in inflammatione gibbarum hepatis contingit; in qua inanis est tussis, non propriè dicta tussis, quòd id contingat ob transsudationem quandam.*

2. In febribus circa viscera dolores mali, *aphor. 66. lib. 4. Galenus istos dolores non vult esse à forti obstructione, ab inflammatione, ab erysipelate, aut abscessu, alioqui quæ adesset febris ea tantùm symptomatica foret. Comment. in aphor. illum. & in aphor. 73. lib. 4.*

CONSILIVM XCII.

De præcautione febris lentæ & destillationis in pulmones.

HVGONI scribæ in metu febris lentæ & destillationis in pulmones, cùm hepar in vitio videretur, maioráque postea minarentur, hæc instituuntur.

℞. radicũ cichor. acetos. gram. polyp. glyc. asparagi an. ℥ j. endiuiæ, buglos. borag. fumar. agrimon. scariolæ, scolopend. ceterach, cortic. interioris ramorum viridium tamaricis an. m. j. sem. melon. citrij. cardui benedicti & carth. an. ʒ iij. sem. anisi, papauer. alb. an. ʒ j. passul. integr. prunorum dulc. an. p. 4. corticum pomor. redolentium ℥ ij. Fiat decoct. ad lib. ij. ad consumptionem medietatis.

℞. præd. decoctionis lib. ß. succi pomor. dulc. fragran. quart. j. sacch. & syrup. viol. an. ℥ j. ß. fiat iulep clarum aromatis. santal. citrino, &

cortice citrij ſicco. Capiat alternis matutinis tribus horis ante cibum.

℞. eiuſdem decoct. lib. ſ. ſucci pomorum dulc. ℥ iiij. vini albi debilis ℥ ij. folior. ſenæ ℥ ſ. agarici trochiſ. ʒ ij. rhabarb. ʒ iij. cinam. ſantal. citrini & ligni aloes veri an. ʒ j. Infunde per noctem. fiat expreſſ. diſſol. ſacch ℥ ij. ſyrup. viol. & de cichor. ſimpl. an. ℥ j. Fiat apozema, clarific. & aromatiſ. vtatur ſigillatim poſt ſingulas apozematis doſes.

℞ pulu. electuarij diatrag. frig. diatrium ſantal. diamarg. frig. an. ʒ ſ. diarrhod. abb. ℈ j. arom. roſ. Gabr. ℈ ſ. Fiat electuar. per tabell. pond. ʒ ij. cum ſacchar. ſoluto in aqu. roſ. endiuiæ, in quibus priùs ʒ ij. glycyr. rad. infuſæ fuerint. Sumat vnam manè ante ſuum iuſculum.

Bis menſe ſupradicto ſyrupo purgetur, vel ſyrupo de cichor. compoſ. cum rhabarb.

Alius puluis.

℞. pulu. elect. diatrag. frig. & diaireos an. ℈ j. lign. al. ℈ ſ boli arm. ℈ ſ. rhabarb. gr. xij. ſacchari penid. ʒ ſ. margar. elect. gr. vj. vnicorn. gr. iij. cum ſacch. ſoluto aqu. bugloſ. macerat. roſ. ſiccar. & infuſion. gr. vj cinnam. fiant tabellæ.

Iuuabit aliquando tempore pluuioſo aloe ad ℈ ij. cum pane ſacerdotali; ita vt toto die vtatur iuſculo refrigerante, & elixis, & capiat ℥ vj aquæ ſaccharatæ, & fiet in ingreſſu lecti poſt cœnam ſobriam.

Capiat lac aſininum ex ſaccharo priùs ſoluto in aqua ex cochleari vt minùs hæreat.

Vtatur vino diluto. Vinum autem diluetur aquâ in qua pomi à curtipendulo fruſta aliquot maduerint.

℞. polypod. ℥ ij. rad. cichor. glycyr. an. ℥ j. bugloſ. m. j. meliſſ. ſcariol. an. m. j. ceterach m. ij. ſem. citon. melon. conciſor. an. ℈ iij. flor. violar. tapſi barb. an. p. ij. Coqu. in lib. j ſ. ſucci pomorum. diſſol. ſacchar. lib. j. vtatur quotidie manè & ſerò, ſi volet.

CONSILIVM XCIII.

De Arthritide.

MORBORVM quidam cogniti ſunt, incogniti alij. Ad incognitos multa remedia adhibentur analogiſmo quodam & epilogiſmo quæſita, periculi faciundi causâ: & ita infra modum conſidetur, vt ſi non aliquod commemorabile auxilium afferimus, ſaltem non obſimus. Et intereà ſi ſecundùm rationē

omnia fiant, nec tamen pro agentium voto res procedant, perseuerandum in remediis quoad aut certum magis sit de morbo ac constituatur, aut noua occasio, nonnunquam consilium quęratur. Cognitio morbi plurimùm ad remedij inuentionem valet, immò & cognitio morbi & curatio retro meant ac reciprocantur, vt quodam in loco asseuerat Hippocrates. Non tamen si morbus cognitus, omninò curationem admittit. In eo genere sunt epilepsia, febris quartana, apoplexia, cephalalgia, calculus, quorum sæpe causa & idea sunt in propatulo, & tamen pro derelictis habentur. In horum censu habenda arthritis (quæ tum dicitur cùm aut omnes partes occupantur, cúmque erraticè modò pars vna, modò altera obsidetur?) Ita enim doctè admodùm Galenus distinguit arthritin ab articulorum dolore generaliter dicto. Nam illo in aphorismo Hippocrates ait arthritides in squaloribus oriri; Galenus functus legitimo interpretis officio negat arthritin verè dictam in siccis temporibus oriri posse: Ac si dicat necessariò humorem adesse debere: at qui adesse potest in siccitatibus (quas αὐχμοὺς vocat) Itaque dolores quidem articulorum excitari possunt tali in tempore, at non arthritis. Et citat Hippocratem in Epidem. *In Aeno legumina comedentibus infirmitas crurum, & qui orobis vescebantur genuum dolores habebant*: non arthriticos vocat, sed genua dolentes. Sic aliud est arthritis, aliud articulorum dolor: & tandem concludit arthritin vocari non cùm vnius articuli dolor est, sed cùm multorum. Quanquam mancus etiam est eo loco Galenus. Et cùm pars vna siue articulus laborat, tum à parte nomen sortitur morbus, diciturque aut chiragra, si manus; aut podagra, si pedes occupentur. Ac de arthritidis causa, periodis, materia, scaturigine, morbi essentia, hyparxi, motu, cur si sequantur inflammationes conuulsiones non oriantur, an vnus sit humor, an multiplex, immò & de remediis ita inter Medicos pugnatur, vt nil dum hactenus statutum sit. Vnde Paulus: *Huius affectus variæ causæ à me explicantur, interdum verò cæca ipsius origo est.* Et mirum esse possit cur qui ischiade laborant ferè de aliis articulis non cõquerãtur, cùm tamẽ morbus coxarius ad arthritin pertineat: at si vel gonagra vel podagra quẽpiã molestet, nõ priùs hunc dolorem ad arthritin referimus, quàm viderimus aliam partem occupari ac dolere; immò, vt antè exposuimus, arthritidis essentia in hoc consistit, vt vagus, incertus, & periodicus dolor

Com. in aphor. 16 lib. 3.

Lib. 2. Epid & part. 13. sect. 4. l. 6 Epid.

Cap. 78. lib. 3.

ſit articulorum cum tenſione & magna acerbitate. Si in aliis ſpeciebus arthritidis non vna pars laborat, cur non & materia quæ iſchiadicũ morbũ facit aliò transfertur, & in aliis articulis dolorem excitat? Nam Paulus ſcribit coxendicem (id eſt coxendicis morbum) ab articulari morbo nihil differre, niſi quòd ipſius cauſa in ſola coxarum compage articulóque concretus inſideat: & tacitè diluit quæſtionem iſtam; ac ſi dicat, in coxario morbo materiam contumacem eſſe magis & craſſam, in aliis ſpeciebus articularis morbi magis mobilem; vt mirùm non ſit ſi aliæ atque aliæ partes obſideantur. Quanquam & vidimus in quibuſdam iſchiadicis erraticam eſſe affectionem, & occupatâ ſummâ natium parte articulos quoque pedum influxu eiuſdem materiei conflictari. Sed rarius. Gorræus arthritin definit articuli tumorem dolorificum, quem fluxio in eum decumbẽs excitauit. Quidam inflammationem definiunt, ſed malè, quòd plus aliquando ſit œdematis, quàm inflammationis. Marcellus, vt diligenter annotat Manardus, definiebat inflammationem eſſe permanentem, malè affectis neruis dolores grauiſſimos excitantem, At fit ſæpe ſine inflammatione, nec permanens eſt dolor iſte ſemper, nec in neruis fit ſemper, nec ſemper validiſſimos affert dolores. Ceterùm oſſa connectuntur tribus modis: vel enim inuicem coaleſcunt, modò ſine materiei alicuius interuentu, vt in mollioribus & fungoſis, modò intercedente aliquâ materiâ, vt in duris & ſiccis per ſymphyſin. Vel ita committuntur inter ſe, vt obſcurum & difficilem motum habeant per ſynarthroſin; vel manifeſtum & euidentem per diarthroſin. In prima articulorum connexione dolores non fiunt articulorum, in ſecunda raro, niſi quòd tophi & œdematoſi tumores fiunt, vt in articulationibus carpi & metacarpi. Tertia verò arthritidis ſedes eſt inter membranas, tendones, & ligamenta quæ à perioſtio oriuntur, & proinde ſenſum habent; ex quibus omnibus firmatur articulus: hinc dolor vehementiſſimus excitatur, ſi qua illic materia intercipiatur: ſiue acrimonia humor agat, vt bilis; ſiue frigiditate, vt pituita; ſiue aſperitate, vt gypſea; ſiue diſtenſione membranarum & ligamentorum, aut inflammatione, quod ab omnibus humoribus fieri poteſt cum ſymptomatis tamen cuiuſque humoris propriis. Ac de arthritide dicam, vt quæ cauſa, quæ materiæ ſcaturigo, an ſanguis eam poſſit committere, an à venis & arteriis, an à capite

Cap. 77. lib. 3.

Lib. 8.

ſolo, an ſit inflammatio, an in acetabulo materia contineatur, an ligamenta humore imbuantur, & quæ multi varia diſputant, ac inter ceteros Fernelius hac in parte παραδοξοποιὸς. Quanquam tanto viro ſuppeditant ſuę rationes: nos quidem ſoluere, plenisque velis nauigare deliberaueramus, ſed cùm ex recentioribus plerique multa de ea re ſcriptitarint, & contra Fernelium ediſſeruerint, contractis orationis velis pauca afferre cogitamus; ne idem quod illi cum faſtidio legentium ſcribamus, & ne ſi nudati fuerimus aliorum coloribus, vt Horatiana Cornicula implumes ridiculíque maneamus. Ac primùm, an ſanguis ſit materia? Quidam aſſerunt ſanguinem arthritin non poſſe committere, quòd neceſſum eſſet ſuppurari ſi in articulum incideret. At non eſt neceſſe omnem ſanguinis affluxum affuſionemque phlegmonem concitare, niſi in muſculum, aut in carnem fiat, nec in pus abit niſi calore loci ſuppuratio adiuuetur. Id quod in articulo exangui, membranoſo, frigidóque contingere non poteſt. Sic arthritis phlegmone proprie non dicitur, ſed tumor phlegmonodes dici poteſt.

Dubitant an in pyxidem influat humor, an non? [a] Fernelius negat in cauum articuli humorem deſcendere, aut in ſpatium quod inter oſſium extrema intereſt, ſed in vincula duntaxat, atque eas membranas quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt atque ambiunt, ac etiam in tendines eò directos. At duo argumenta affert: prius quod in chiragra tophacea humor in calculum concretus apertâ cute ex articulis digitorum eruatur vinculo quod ſitum in pyxide vtrumque os colligat, intacto, ac illæſo. Poſterius, ſi in iſchiade humor noxius in coxendicis pyxidem conderetur, non tam vehementem dolorem inferret, quòd vinculum expers ſenſus ſit, nec tam latè diffuſum. Et Galenus explicans quomodo abſceſſus fiant in febribus laborioſis in articulos, aut ſubiectam materiam laborum & ſponte natorum & non ſponte natorum eſſe totum genus muſculoſum; & caliditatem maximè efficere quid in laboribus ex motu; vt mirùm non ſit ſi vnà cum muſculis articuli laborent, & ad hos articulos abſceſſus fiat, quòd vtrique & muſculi & articuli concaluerint: vnde tamen non patet an velit in ipſos articulos fluxionem fieri. Nec valet argumentum Fernelij de illæſo vinculo interno (nàm de externo nil dicimus.) nam ſi fateatur in acetabulo ipſo lapidem aut tophum concreſcere, fateaturque quo-

Com in apho. 81. lib. 4.

que necesse est materiam in illud inane spatium irrumpere.[3] Et quoniam illud vinculum forte est & validum & insensile, non ita ab humore afficitur. Et tametsi expers ipsius per se sit sensus, non sequitur tamen dolorem in ea parte non excitari per distẽsionem, & quia res aliena in loco vbi non debet, includatur. Meliùs Gorræus cùm explicat quid sit articulum occupare, articuli nomine non modò ossis, quod inseritur caput, nec alterius ossis cotylen intelligo, sed & ligamenta, & membranas, & tendines, & quicquid ad articuli structuram firmitatemque natam comparauit. Nam per arthritides non modò eæ partes à morbo sunt immunes, cùm etiam in longiùs dissitas partes affectionis labes perueniat. Sed non explicat in cauitatémne ipsam humor illabatur. Porrò cùm duplicia sint ligamenta, alia sensu sunt prædita, alia non. Quæ à media ossis parte oriuntur, vt quę tibiam cum coxa coniungunt, ea sensu vacant. Quæ à periostio sunt, ea sensum habent exquisitum. Atque hæc sicut & tendines in arthritide maximè laborant, doloremque inferunt. Nam inter tendinem & ligamentum quod tendinem integit, colligitur materia; hinc dolores.

Maior difficultas de materia, & de parte à qua illa defluat materia. Inter ceteros mordicùs pertinacitérque, non sine probabilitate tamen, defendit Fernelius, & à capite solo esse, & humorem pituitosum serosumque, non sanguinem, non bilem, aut succum melancholicum. Ac rationes quidem eius in turba valent, sed singulas facilè est discutere ac dissoluere.

Ac primum, si humor frigidus est vti vult, cur non potiùs stuporem affert? Nam ait Galenus, *Pituitæ & sero eius inest vt torporem effitiat, non mordacitatem, nisi fortè ita sit alienum à natura, vt aut salsum, aut acidum fiat.* Et cùm, authore Fernelio, pituitosus & frigidus humor autor sit arthritidos, vnde tanta doloris acerbitas surget? Et in Aphorismis dum reddit rationem cur hyeme & autumno dolores podagrici excitentur, ait hyeme quidem id fieri, quòd quantitate & qualitate humores infestent, ac peccent.[4] Autumno autem solùm secundùm qualitatem. Hinc patet qualitatem humoris solam ad podagram sufficere, vt ea copia non requiratur pituitæ, quam vult Fernelius.

Com. in part. 38, sect. 2 lib 6, Epid.

Com in aphor. 55 lib. 6.

Rondeletius dum agitare vult Fernelium, malè illius verba citat. Nam non placet Fernelio per venas, & per spinalem medullam, & per neruos fluxionem fieri: sed per inanes mæandros &

aquæ ductus sub cute. Item non vult illum mucum qui per palatum deerrat arthritin committere: sed per partes capitis externas extra caluam positas vult sensim decurrere humorem.

Lib. 1. de loc. aff.

Reuerà pro Fernelio facit locus præclarus quo Hippocrates explicat septem fluxiones è capite: & loquens de fluxione quę retrò fit, ait; *Fiunt articulorum ac coxendicum dolores à talibus morbis (id est hydrope & suffusionibus aquæ) sanatis, cum id quod morbum efficit sanatur, & quod in carne relictum fuerit, cui non sit exitus, nec intrò, nec foras egressum fuerit, sed tuberculum efficiens, fugit in id quod cedit, ac tum dolores articulorum efficit.*

Ibid.

Sed contra Fernelium facit id quod ab eodem Hippocrate scribitur. nam loquens de ophthalmia, duplicem mucum statuit, vnum ab interno capite, & hic salsus est, doloremque excitat, alium deforis per extremam cutim capitis, eumque compressum; & hic salsus cùm non sit, dolorem non mouet in oculis: ergo pari ratione dolorem non excitabit si in articulos inciderit: credibiliùsque eum humorem qui in articulis dolorem excitat, ab interno capite emanare.

At à pericranio, ait, humor descendit. Si à solo pericranio, cur non aliæ partes debiles humorem depositum à partibus robustis excipient? Quasi verò articuli nequeant tanquam imbecilli ab aliis partibus validis humorem superuacuum recipere. Et sit ita, magna fluxionum pars à capite fit, quod attinet nouos hos sub cute aquæductus comminisci, & non potiùs apertos ductus & canales consignare? Et cùm auctore Hippocrate abscessus fiant per neruos, arterias, venas, membranas, ossaque ipsa, credibilius est humorem per eas partes fluere ac refluere, per quas alimentum decurrit & defluit ad partes alendas. At coactus est ad caput confugere, quod credibile non existimet tam syncerum humorem è venis complectentibus reliquos humores secerni qui articularem dolorem sit generaturus. At facilè syncerus humor fit, si vel in parte fiat congestio, vel si à cerebro humor descendat. Non quòd ea sit pituita quæ per infundibulum in ventriculum, aut pulmones deerrat, quia oporteret eam in venas resumi, quod est absurdum. Sed quæ sub cute per inania quædam laxáque musculorum spatia (vnde doloris in transitu vacuitas est) fluxionis hunc modum tenet, vt quasi inundatio aluei & eluuies quædam in cauitatem articulorum & partes vicinas incurrat ac illabatur. At si Fernelius negat ideò

ab interno corpore in articulos humorem rapi posse, quod & via non sit facilis, & secretionem oporteat fieri humoris à massa sanguinis: Quid primùm respondebit de abscessibus qui fiunt in crisibus in articulos materiâ morbificâ & secretâ à massa sanguinis, aut saltem in ventre contentâ? Liber quartus Aphorismorum testatur abundè & resurgentibus à morbo, & laboriosis febribus detentis, & aliis similiter affectis in maxillas & alios articulos humorem rapi, cùm absurdum sit capitis partibus extimis eum descendere. Cùm copiosa vrina à profluens Archigenis seruũ ab abscessu in articulos liberauit, an non materia illa in venis contenta erat? Alba, leuis, & æqualis materies copiosa, & quę per vrinas fluere debet dum abscessum in articulum facit, an non à capite emanat? Hoc asserere puerile foret. Prætereà dum fiunt apostemata modò syncera, modò mista, carbones, exanthemata, & alia id genus materia seposita & secreta, nunquid à venis & arteriis fluxit, & eadem potest in partes circumsitas articulis influere, & dolorem excitare? At caput in vitio non est. Sed audiamus Galenum Comment. in 6 Epidemior. dum explicat quomodo audiendum sit quod Hippocrates scribit quod excitato dolore colico quieuerit arthriticus dolor, & contrà: hanc rationem reddit: *Ideò hoc fit*, ait, *quòd humorum in artus currentium ad colon intestinum impetus conuersus est.* Quod satis apertè ab interno corpore facilè per ductus tum manifestos, tum cæcos humores modò in hanc partem, modò in illam rapi posse, necnon fieri communicationem inter artus & intestina. Quanquam de hoc fortè dubitari potest.

com. in part. 3. sect. 3. li. 6 Epid.

Præterea quid respondeat Fernelius Hippocrati, qui ita scribit; *Dysenteria intempestiuè suppressa abscessum in costis aut visceribus, aut in articulis facit. Num igitur biliosus abscessus in articulis, sanguineus in costis aut visceribus fit?* Vbi duo aduersus Fernelium notari possunt: prius est, si humor qui dysenteriam committit, siue biliosus, siue melancholicus sit, inclinationem habet in aluum interiorem: & idem in artus potest abscedere, & rursus ab artubus in aluum. Ergo error est manifestus Ferneli; comminisci à capitis tantùm partibus externis humorem dimanare qui arthritin sit commissurus? Posterius est quod tacitè biliosas etiam fluxiones & synceras in articulo fieri indicat Hippocrates, quod tamen non arridet

In Coac.

Fernelio, vt qui omnem arthritin ab humore frigido esse velit: Tamen loco illi de dysenteria respondere posset Fernelius, quod nimirùm fluxionum alui & dysenteriarum sæpè Hippocratis opinione caput origo sit: quod si verum est, nil hic locus contra illum facit. Nam qui humor à capite delabens dysenteriam facit, si desinat dysenteriam inducere, & aliò cursum suum inflectat, vtpote in partes externas, tum articulares affectiones potest inducere. Vt cùm Hippocrates scribit in Aphorismis vomitum diuturnam diarrhœam soluere, id videtur fieri quòd à capite humor in ventrem descẽdat, qui aluum solicitans & læuigans id afferat. Quod si illa materia vomitione excludatur, cessat affectus. Sic cùm humor à capite delabens in extima cutis deerrat, dysenteriæ finem affert. Atque hæc probabilitate nituntur. Contra Fernelium & id facit. Si lassitudines spontaneæ & articulorum quædam debilitationes & effœminationes vt gressus impotentia sit, ab humorum per corpus sparsorum, & à maligno sero quod in corpore superfluit, oriuntur: numquid causa aucta articulorum veros dolores excitabit? & tamen caput in vitio non est. Vidimus iuuenem annos 15 natum, arthriticũ, eâ maximè ratione factum, quòd in eruptione exanthematon non esset legitimè repurgatus: an non humor iste à capite est? Et Hippocrates aliud videtur contra Fernelium obiicere; *Quibus sanis hyeme circa lumbos frigiditas & grauitas ex leui causa, & aluus suppressa, ventriculo probè agente, his ischias, aut renum dolor, aut vrinæ stillicidium contigerit fortè.* Hic declarat ischiadem (quæ ad arthritidin refertur; quanquam Galenus ischiadicos negat propriè arthriticos à Græcis appellari) oriri non tam ab externo capite, quàm ab interno corpore. Et si suppressio mensium, aut hæmorrhoïdum, aut solemnis alicuius euacuationis potest arthritin immittere, cur necessariò caput tanquam mali autorem accusabis. Internas autem humorum ῥοπὰς ϗ ὀργασμοὺς ϗ πολυιδεομὰς in ischium aut articulos manifestissimè aliis in aphorismis Hippocrates docuit, idque contra Fernelium. Atque vtinam summus vir Fernelius eas audiuisset. *Quibus de repente dum sine febre sunt, præcordij & oris ventriculi dolor, ac circa crura ac infernas partes, & aluus in tumorem eleuatur, soluit venæ sectio & alui fluxio: his febrire nocet. Longa enim febres fiunt, & tusses, & singultus, his ad solutionem tendenti-*

In Coac.

Com. in part. 3. sect. 4. Epidem. & in par. 3. lib. 6. Epidem.

Apho. 65 lib. 5.

In Coac.

bus dolor fortis coxarum aut crurum, aut puris ſputum; aut oculorum priuatio contingit. Item: *Dolores ad hypochondria in febre, voce interceptâ, ſine ſudore ſoluti, malum; his ad coxendices dolores fiunt.* Quibus ex locis patet materiam coxarum morbum effecturam in hypochondrio latere, non autem à capite deriuari.

Rationes quidem multas, easque probabiles Fernelius affert, quibus conuincere ſe poſſe putat neceſſarium eſſe humoris arthritin commiſſuri defluxum à capite, tum quòd non ita ſyncerus humor ab interno corpore ex venis & arteriis raperetur ad morbum generandum. Neque tam liber aditus foret, quàm eſt pituitæ, aut ſero à capite prolapſo per ſubiectas cuti partes & occultas quaſdam vias. Attamen videmur multa oppoſuiſſe Fernelio quæ eius ſententiam valdè debilitant.

Non videtur parum veriſimilis ea ratio quam affert de crudo ſucco qui in hydropicis tibias occupat, tumoremque facit, & tamen articularem morbum non parit. Gorræus putat hoc argumento voluiſſe Fernelium pituitam non committere arthritin, & rationum machinas in Fernelium ſtruit. Sed errat toto cælo Gorræus. Nec enim hoc placuit Fernelio, alioqui ſui planè diſſimilis foret vt qui acriter defendat omnem arthritin à pituita frigidóque humore eſſe aut eius ſero. Sed hoc voluit Fernelius tuendo pertinaciter ſuam ſententiam, à cerebro neceſſariò defluere humorem frigidum qui malum committat: Quia ſi humor qui ab interno corpore aut per venas, aut per arterias, aut per alios aquæductus in tibias cruráque natus eſſe generare arthritin, maximè id fieret in copia ſucci crudi ac pituitoſi, qui etiam redundat in tibiis & brachiis hydropicorum. At hic humor non id facit.

Sed reſpondeat Fernelius. Nunquid qui fluit ac refluit in tibiis hydropicorum pituitoſus humor ſi in articulum influat poteſt facere dolorem & arthritin? Si idem humor & natura & ingenio, & numero à cerebro manaret, numquid arthritin poſſet committere in articulum illapſus? Quid impedit quominus id faciat? An quia per venas & arterias influit? At tu ipſe fateris per alios ductus quàm per venas fluere? Numquid iidem ſunt ductus occulti per quos & humor à cerebro deflueret? An quia iſte humor non à cerebro eſt? Quaſi verò humor crudus aut vitioſus ab hepate malo & malè officium

faciẽte non æquè dolores excitaret ac qui à cerebro est? Quasi verò in cerebro istam idiosyncrisiam, indolem, naturam, ac propriè talem acquirat quâ dolores arthriticos efficiat? Cur ergo in tumentibus tibiis virginum fœdos colores patientium dolores etiam in vacuitate quadam febris quotidie obseruamus acerbiores? Numquid idem humor qui fusus dolores in tibijs excitat, si idem in articulum quempiam incideret, articulum quoque diuexaret? In ictericis quibusdam fuso ab hepate & interno corpore sero humorum acri ac maligno implacabiles dolores comperimus, nihil etiamnum hepate ad id conferente. Hippocrates autor admirabilis obscurè quidem rationẽ videtur dedisse cur in hydrope cum multus circum articulos humor sit qui distentionem faciat (distentio autem maximè dolorem in articulis facit, ait Galenus) dolor quoque non assit: in arthritide autem cùm paucus humor sit, tanta doloris sit acerbitas. Ita autem scribit postquam de hydrope locutus est: *Si modicus fluxus fuerit (respectu magni fluxus qui in hydrope fit, vnde repentè intumescere & detumescere partem videmus) coxendicum & articulorum dolorem facit cùm fluere cessauerit. Nam vt modicus & vndequaque ab omnibus partibus fortioribus depulsus ad articulos refugium facit.* Tamen non videtur hæc ratio satis. Nam si paucus humor arthritin facit, cur non multus faciet? In cachexia & hydrope multus est. Frustrà igitur & temerè Fernelius affert tumorem istum cachecticorum vt doceat necessariò à cerebro affluere humorem, quia qui ab aliis partibus emanat humor natus esset dolores arthriticos parere, id maximè fieret in copia succi crudioris. Pace tanti viri dicam, idipsum non intellexit. Atque dicendi confutandíque initium ab ipso Hippocrate sumam. Et quia mancus in hac parte est, cætera supplebo. Tria requirit loco superiùs adducto vt fiat dolor articularis, vt sit modicus fluxus, vt fluere desinat, vt refugiat ad articulum: quartum & addemus, quod vim quoque suam habet, vt à partibus omnibus fortioribus ad articulum depulsus sit. Vis in eo ponitur, quod dicit paucum esse & depulsum à partibus omnibus fortioribus, nam si multus est, æqualem quandam intemperiem facit, immò suâ mole obruens indolentiam affert. Et quibus intument tibiæ, brachia, artus quoque ipsi (vt ἀνάρθροι dicantur) ij stuporis sensum habent: sed cùm paucus & effusus in neruos cum mole sua non obruat, satis quid eius possit qua-

Lib. de locis in hom.

Com. in aph. 49. lib. 6.

Lib. de locis in hom.

litas ostendit. Deinde quòd à partibus pellatur satis indicat suâ qualitate adeò molestum esse, vt necessarium sit aliquid virulentiæ habere, declarat acerbitas doloris, orgasmus. Nam nunc hic articulus obsidetur, nunc ille: & totius manus & pedis, modò hic digitus, modò ille, modò veterem sedem occupans in ea consistit & furorem exercet. Vnde videmus sæpè magnos esse cruciatus cùm nil tumens & dissimile appareat, nil lacunosum, nil salebrosum. At in leucophlegmatia cùm intumeat corpus totum præ copia crudi humoris, & in cachexia cùm redundet humor serosus & malus, sæpè à dolore vacuitas est quædam. Secunda conditio est vt humor fluere desinat; quod bifariam audiendum, vel vt iam actu consistat fluxio, alioqui dolor non adesset, nisi fugax fortassis, vel vt per neruosum genus, non autem per venosum humor vagetur. Quod ad prius attinet, falsum est dicere non excitari dolorem nisi consistat fluxio: oportet quidem materiei partem consistere, aut omninò fluxionem cessare non oportet. Sed vt dolor perseueret, humor consistat oportet. De posteriore ita dicam. Hippocrates primus docuit morbos venarum leuiores esse, fugaces, contra neruorum obstinatos ac contumaces. Et hic locus maximè cōferet ad eorum intelligentiam, perspicientiamque quæ dicimus. Ac primûm audiatur Hippocrates: *Quicumque morbus à venis oritur debilior & leuior est quàm qui à neruis. Diffluit enim vnà cum humore qui in venis inest, & non quiescit. Et natura venis in humore est in carnibus*, *Græcè* ϗ ἡ φύσις τῇσιν φλεψὶν ἐν ὑγρῷ ἐὸν ἐν τῇσι σαρξί, *& Nerui autem sicci sunt, & cauitates non habent, & ad ossa consistunt, & maximè ab ossibus nutriuntur; nutriuntur autem & à carnibus, & colorem inter carnem & ossa medium habent, & humidiores sunt ac carnosiores quàm ossa, sicciores & magis ossei quàm carnes. Quicumque morbus ad neruos ipsos peruenerit, firmatur, & quiescit eodem loco, & difficile est ipsum educere.* Qui locus docere potuit Fernelium quæ causa sit cur sæpè tumeant detumescantq; partes, cùm tamē dolores non excitentur in articulis. Humor enim in venis continetur, non in neruis, aut saltem non consistit quiescitque in neruis. Oportet autem quietem habêre antequam ibi dolorem creare possit. Et antequam vltrà progredior quoniam ille locus obscurus est quo antè paulò dixit, *& natura venis in humore est in carnibus*: & nonnullis difficultatem

negetiumque dedit, illum explicabo. Comparat genus venoſum cum neruoſo. Neruoſi generis nomine & membranas & tendines, & ligamenta, & perioſtium intelligit, item & neruos propriè dictos qui muſculos propriè dictos contexunt. Nam caro ſimplex, nerui & venæ muſculum condunt. Et dum ita comparat neruos cum venis vult venarum naturam humidiorem eſſe duabus de cauſis, tum quod ratione ſuarum cauitatum humores contineant, qui cum ὑγρὰ, dicantur, & conſiſtentiam liquidam habeant, & humectent corpus cui inſunt, & quod ſæpe perfluunt & perluunt: tum quod venæ in carnibus ipſis ſint quas enutriunt: Sic cum dicit, *Natura venis in humore eſt in carnibus*, id eſt, proprium eſt venarum, vt & humorem contineant, & in re humida ſint, id eſt, in carne: Et niſi multiplex earum tunica impediret, facilè rumperentur. Sic nerui venis dicuntur duriores, (quanquam multiplex ſit tunica) quod cauitatem non habeant, quod tendines ſint, quod ligamenta, membranæ, venæ molliores ob cauitatem, quia in carne molli ſunt, quia continet rem fluxilem. Sic metonymicos res continens dicitur mollis & humida ratione & rei quam continet, & rei in qua continetur & fouetur. Vel cum dicit, Natura venis eſt in humore, in carnibus: vt nomen illud, carnibus ſit explicatio nominis, *in humore*. Caro enim res humida eſt, ſic vena in humore eſt, id eſt in carnibus, in quibus, & ſedem, & firmitatem, & augmentum, & munus habet vena. At nerui ſicci ſunt, quia non ſunt in carnibus, & res humidas non continent vt venæ, & à rebus ſiccis oriuntur, id eſt, ab oſſibus, quod ipſe Hippocrates docet dum ait, Nerui ad oſſa conſiſtunt, & maximam partem ab oſſibus nutriuntur: Quanquam ſunt & alij qui à carnibus nutriuntur, vt qui muſculos componunt. Et vt omiſſa interpretatione illius periodi quam obiter explicauimus, ad rem redeamus, ideo morbi qui in neruis ſunt, firmantur quod dura eorum conſiſtentia ſit, qui in venis, id eſt, à venis ſunt, fluunt fugacéſque ſunt magis: quod hac ratione maximè demonſtrat Hippocr. *Communicant omnes venæ & confluunt inter ſe mutuò, aliæ ſibi ipſis committuntur ac coincidunt, aliæ verò & venulas è venis extentas.* Ac de diſtinctione morborum neruos occupantium ac genus venoſum initio illius libri de locis in homine ita ſcribit, *Quod ſiccius eſt morbos magis recipit,*

Lib. de locis in homine.

& magis dolet à natura: humidum verò minùs. Morbus qui in ſicco eſt ſtabilitur ac conſiſtit, qui in humido eſt, diffluit, & aliàs aliam partem occupat, & transmigrans quietem facit, & citiùs ſedatur vt potè in humido non ſtabilitus. Quem locum de intemperie humida & ſicca intelligunt, ſed male: Vere enim hic locus pertinet ad alium qui ſequitur de morbis neruorum ac venarum. Sed hæc relinquamus.

Tertia conditio ex his quas propoſuimus, eſt vt ad arthritidis generationem humor in articulum, aut ſaltem partes proximè articulum ambientes, & exquiſito præditas ſenſu, incurrat. Quòd miror non animaduertiſſe Fernelium, qui indiſtinctè proponit in cachexia non oboriri arthritin, cum tamen ſit humor crudus: proinde neceſſariò à cerebri manare. Adeóne ignarus Fernelius vt non fateatur oboriri dolorem articularem, ſi qui redundat in cachecticis humor in articulum deſcendat, includatur, atque ibi interceptus interclusúſque corrumpatur. Nam non omne excrementum quod in partem impingitur ſtatim dolorem parit. ſed aliàs cum ſua natura efferum eſt & mordax primò quoque tempore dolorem infligit: aliàs non niſi temporis ſucceſſu acrimoniam, aut dolorificam aliam qualitatem nanciſcens eundem infert dolorem. Itaque pace Fernelij dicam nil quicquã efficit quod de humore cachecticorum obiicit. Siquidem ſi pituita ſit ἄπνος; ſi tantùm ſit crudus humor infra ſanguinem, ſed qui proximè in ſanguinẽ degeneret, ſi calor eſſet melior, non eſt neceſſe à tali humore, dolorem excitari. Nullas enim moleſtias exhibet, vt nec ſanguis.

Nam in hydropicis quoniam hepar aliqua ex parte eſt refrigeratum, ſanguis quoque aliqua ex parte refrigeratus eſt, & crudus: ſed incoctus non dicitur. Alibi autem ex Galeno diſtinximus ἄπεπτον καὶ ὠμόν. Et talis ſememicoctus ſanguis dolorem non creat. Hinc lencophlegmaticos nõ videmus laborare: In cachecticis quibuſdam & iis pręſertim virginibus quas fœdus deturpat color, dolores capitis, artium & ſurarum intolerabiles videmus. Et quemadmodum ex muccis & pituitis quæ à capite deſcendunt aliæ tuſſes excitant aliàs humidas, aliàs ſiccas, nonnullæ nullas tuſſes proritant, aliæ ſtatim negotium dant pulmoni eúmque vlcerant, vt quæ ſunt efferæ & ichore præditæ, aliæ etiam ingenti copia nil incommodi afferunt, ſed poſtquam moram aliquam in pulmone ſine vlla moleſtia egerunt, coctæ craſ-

ſeſactæque facillimè extunduntur: Idem iudicium eſt de humoribus qui in artus dilabuntur. Nam cum tibiæ intumeſcunt humore, aut brachia, & articulorum loci, non ſtatim dolor fit, ne ſi quidem in articulum humor influxerit, ſed requiritur certa quędam qualitas qua humor donatus repentè concitat dolores atroces. Et in hoc diſputationis cardo vertitur. Proinde docuimus antè ex Galeno in libro 6. Epid. pituitam quidem torporem inducere, ſed ſi aut ſalſa ſit, aut acida ea atrociſſimis cum doloribus ſeſe prodit. Quod & in doloribus colicis vſu-uenit. Quot ſunt enim quorũ inteſtina multa pituita ſunt oblita obſitáque, quos nullus coli dolor cruciauit? At ſi gypſea eſt pituita, ſalſa, acidáque, aut vitrea; ea ſuæ præſentiæ excitandis grauibus doloribus notas ac argumenta edit. Et hæc aduerſus Fernelium de loco, quanquam pluribus res explicari poſſet: obitérque de humoris qualitate & conditione diximus, ſed rem totam negotiumque de humore accuratiùs ſumus iam pertractaturi.

De humore qui cauſa eſt arthritidis, ita ſentit Fernelius: *Humor continens arthritidis cauſa tam varius non eſt atque traditur: nec enim ſanguineus, nec blioſus, nec melancholicus eſt vnquam, ſed omnino, vel pituitoſus, vel ſeroſus.* Tam grauiter iterum peccandi, & hoc contra veteres aſſerendi occaſionem dedit illa alia erronea opinio quàm paulò antè exploſimus, de origine arthritidon omnium cerebro, quod aut pituitoſum ſolùm humorem, aut ſeroſum cerebrum ſuppeditet. Sic duas illas erroneas opiniones ita complicauit, vt alia alteram pepererit, & toti antiquitati oppoſuerit. Si enim humor vnus foret pituitoſus tam ſæui articulorum hoſtis autor, quid veteres practicos in eam opinionem adduceret, vt pro arthritidon diſtinctione & cauſarum, remedia quoque diſtinguerent? At remedia inſtituunt ad bilioſam arthritin, ad ſanguineam, ad ſeroſam. Ergo verum eſt tot eſſe ſpecies, alioqui in rem ægrorum grauiſſimè peccaretur. Atque antè iam refutauimus argumenta eorum qui negant fluxionem vllam eſſe ſanguineam quę arthritin quoque ſanguineam creet, quod neceſſe eſſet in pus ſanguinem verti. At ſanguis quidem cum dicitur ſuppurari cum in ventrem erumpit, verbum ſuppurari generaliùs pro corrumpi ſumitur, ait Galenus. Et aliud eſt in ventrem, aliud in articulum irruere. Quanquam & in articulo ſuppurat, id eſt corrumpitur, malam alienámque qualita-

Aetius tetrab. 3. ſermo 4. 14. 15. 16

tem accersit, vnde in sua generatione, & in loco, à quo mittitur, laudabilis ex euentu mala qualitate insignitur. Deinde sanguis in carnibus corrumpitur quidem ac suppurat propriè, sed non in articulis. Immò cum in articulum incidit recrudescit quodammodo, & suam maturitatem amittit. Quod fortè imposuit Fernelio, quod videat inflammationes in articulis non nisi intra 40 dies solui, & pituitescere quodammodo omnes qui in articulos fluunt humores; immò si priùs calidi forent, ob loci naturam incrudescere. Quod mirum ne sit. Nam & Hippocrates in libris de morbis scribit contingere, vt à pulmone ipso pus in thoracem erumpat, & tametsi antequam eruperit maturum sit, tamen dies aliquot expectari vult donec rursum pus ipsum maturescat: Sic mutatione loci maturitas puris exolescit, aut saltem diminuta retunditur tanquam materia perfrigerata.

Lib. 3. de morbis cap. de pleuritide ex dorso.

Similiter in febribus materia cocta mitificatáque in partem aliquam relegata recrudescit. Et in sexto Epidemiorum cum loquitur Hippo. de concretione lapidis in vesica, ait Gal. frigiditate vesicæ, tanquam corporis exanguis lapidis coagmentationem iuuari. Itaque fieri potest vt frigiditate articuli sanguis, aut alius humor eò influens, licèt sit calidus, facilè suum calorem amittat. Non tamen ideo frigidus homor arthritidis causa est. Ideò Hippo. dicebat sanguinem esse natura frigidum, quia cum sit de genere aqueorum, facilè suum calorem amittat. Sed ad huius rei de qua agitur demonstrationem conferet plurimum ea demonstratio quàm attulit Gal. in Aphor. explicans cur inflammatio in podagricis intra dies quadraginta cesset, & non ante. Quod fortè pro Fernelio faciet. Nam inflammationem quæ arthritidi superuenit ex euentu tantùm contingere ait, nempè vi doloris. Ita autem scribit, *Quæ carnosas partes occupat inflammatio morborum acutorum subiicitur termino, quoniam carnis substantia mollior est & rarior natura ligamentorum. Vnde & tardius inflammantur chordæ ac nerui si vulnerati fuerint (Græ è πρώθηται, Leonicenus vertit, ex ictu) & longiori tempore ad consistentiam inflammationis perueniunt & tardiùs sanantur. Qua enim ratione vix aliquid externi in se recipiunt, cum duræ sint ac densæ huiusmodi partes, hac ipsa ratione vix à se dimittunt. Quapropter solutionis terminus est dies quadragesimus, quia quum in articulationibus humores sint, & li-*

Com. in part. 15. sect. 3. lib. 6. Epid.

Lib. de corde.

Com. in Apho. 9. lib. 6. Apho.

gamenta amplexantia ipsas oportet euacuari ἀτμωδῶς, *id est, in modum vaporis*. Mirum autem est cur dicat tam ægrè admitti humores à membranus & ligamentis, & à neruis cum videamus eos qui articulari dolore tenentur facillimè modò hanc partem, modò illam laborare. At si tam ægrè admitterent humores non tam subitò dolor indè surgeret. Quinetiam facillimè & tremores, & conuulsiones in febribus videmus excitari: si neruorum ea est durities & tendinum & membranarum, quomodo tanta est aptitudo? Nam videtur æquum esse vt idem fiat, quod & in pleuritide fieri scribit Galenus: dum enim confert pulmonem cum membrana costas succingente, ait pulmonem ratione suæ mollitudinis paratum esse ad recipiendum quemuis humorem, non item membranas, quod hæ non ita facilè admittant humorem quemuis, sed biliosos magis: vnde maior pleuritidon pars ab humore est bilioso. Si articulorum ea comparata ratio est vt eadem horum sit natura, atque membranarum succingentium costas, oportet necessariò, aut tenuem & biliosum, aut planè serosum humorem qui arthritides faciat, aut falsum est quod in hoc atque illo articulo tam subitò dolor excitetur. Duræ sunt partes, humor est frigidus & pituita, vt vult Fernelius: immò negat, aut esse bilem, aut sanguinem, quomodo tam facilè humor admittitur? æquum non videtur. Quomodo enim tam crassus humor in cauitatem & locum διαρθρώσεως, subiret, cum lentor & pigrities id impediat? Quanquam possit quis respondere imbecillitatem partis quandam dissectionem afferre, & aptitudinem ad fluctionem facilè admittendam. Accedit quod humorem in orgasmo esse oporteat: orgasmum autem adiuuat ichor quidam malignus qui animat, impellit, ciet, & mouet humorem sua natura segnem & pigrum. Atque articulares dolores etiam à valdè calida causa oboriri testatur Gal. vbi docet morbos connutritos in senecta relinquere: interpretatur de calida hemicrania, calido renum affectu & articularibus doloribus à calida causa obortis, quibus omnibus obrepens senectus tanquam frigida remedio existit. Nec dissentanea docet in Apho. dum ait dolores articulorum in squaloribus à fluxione non fieri, quod cum tempus siccum sit non videtur natum ad superfluitates generandas quæ arthritin committat: Sed si caliditas immodica fuerit ab acribus humoribus possunt arthritides excitari. Itaque miror quomodo

[Margin: *Com. in Aphor. 33. lib. 6.*]

[Margin: *Com. in part. 6. sectio 5. lib. 6. epid.*]

[Margin: *Com. in Apho. 16. lib. 3.*]

Fernelius tam lōgè à veterum dogmatis desciuerit, vt præiudicatam suam opinionem tam mordicùs defendat. Etsi enim magna arthritidon pars, siue per defluxū id fiat, siue per congestionē, ab humore frigido est, tamen errore non vacat asserere omnes ab humore frigido esse eóque à capite emananti. In quo grauiter in ægrorū commoda peccatur. Nā est vbi calidis vtendū remediis, est vbi frigidis, est vbi moderatis: Quod sit omnis à pituita esset ad calfacientia perpetuò esset recurrendū. Item aliud est agitare medicamentis caput eique consulere, aliud aliam partem. At si solum caput autor existeret, ad id vnum dirigendum esset omne consilium nostrum. Itaq; magni interest ad curationē morbi, & ad ægrorū salutem multò ante cōstituere an soli capiti malū acceptum sit ferendū, an sola pituita aut eius serum in vitio sit. Quanquam vt antè dictum est fortè imposuit Fernelio quod humor qui actu in articulo cōtinetur quadamtenus frigidus, aut frigefactus sit, quod ita sit comparata ratio articulorum, vt quia multas habeant partes spermaticas & frigidas, affluentem humorem etiam natura calidum, & à calido loco deriuatum infrigident ac incrudent, vt ita loquar, quod ex Hippocrate demonstratum est.[9] Cum itaque & experientia, & ratio, & authoritas Hippocr.[10] quam suprà non meminimus afferre, quæ statuit aliquas arthritides à bile esse, dictet præter pituitam aliàs esse causas arthritidis, & aliam autorem mali partem quam caput, relicto Fernelio amplecti oportet methodum medendi aliorum, ne mala rei opinione inducti malè remedia alia pro aliis vsurpemus: Ac facilè mihi persuadeo, ideò sæpè articulares dolores inualescere magis, ac ægrescere medendo ægros, quod audito arthritidis nomine statim ad calida remedia deueniamus eáque impensè calfacientia & digerentia. Quòd si semper materia frigida foret, non esset verisimilè, ita malum insolescere, ac furere, cùm contrariorum curatio per contraria legitimè instituatur, nisi fortè dicas (quod etiam probabile est) dolorē quoq; augescere, quod vsu rerum ita calidarum quibus statim vtimur sine iudicio & distinctione, quod morbi nullę sint induciæ, sæpè fluxiones irritētur, qua irritatione dolor quoque increscit. Dum enim humor turget fluitque nil est deterius quā fotibus, aut emplastris ex rebus calidis vti: Vel etiam vsu nostrorum remediorum sæpè dolor augetur, quòd materia sit ἑτερογενής, vt quod remedium vni humoris parti conuenit, alteri

Gal. ad Apho. 2. lib. 6.

Hippocrates lib. de internis affectionibus.

plurimum obsit, vt quod remedium primo loco vsurpandum duxeris, illo relicto statim ad aliud confugias. Accedit quod humor qui arthritides efficit, maxima ex parte venenati cuiusdam seri naturam resipiat redoleátque quod per se pepasmum mitificationemque non admittit: Immò vsu remediorum, nisi valdè sint anodyna; incandescit ferocitque magis. Nec mirum est si sæpè irrita sit opera nostra, morbúsque iste medicorum nuncupetur opprobrium.[11] Cæterùm contrà quàm senserit Fernelius certa sunt signa quibus dignoscas à capite humorem subtus cutim, aut per spinalem medullam defluere, aut ab hepate & visceribus per venas & arterias deriuari. Et quæ defluxiones à capite sunt magis, sunt synceræ, quæ à visceribus minùs syncerræ sunt, quod humores promiscuè in vasis coerceantur ac confluant[12]. Quod miror Fernelium non animaduertisse. Signa ista diagnostica & Ætius & Rondeletius sunt persecuti. Nos illa omittemus & si quando vsus inciderit, ex istis venabimur, ne si illa adiiciamus in molem oratio excrescat.

Cum iniretur consilium pro Forcerij mercatoris cognato cui dolores arthritici sunt familiares, & autumno & verè repetunt maximè, creditum est serum maximè putre à visceribus manante, causam reducis istius mali esse. Declarat curatio. Nam nulla habita capitis ratione cumprimùm expurgata regio prima ventriculi & educti multi serosi humores electuario diacarth. & syrup. rosarum solutiuo, præripiebatur occasio reditus: Ac quæsitum est, si humor frigidus & pituita arthritidis author, cur pituitosi non sunt podagrici, cũ peculiaris iste humor redundet?

Si à capite est cur qui chæradas habent, quarum origo maximè tribuitur ab Hippocrate, non sunt podagrici, aut alia specie arthritidis laborant? verisimile id esset si caput autor esset mali. Nil obstat obiicere tophos qui in arthritide apparent vt doceas materiam esse phlegmaticam: nam biliosus humor & alius à pituita vsu refrigerantium, aut digerẽtium nimium, aut à parte frigida frigefactus tophos inducere potest.

Lib. de glandul.

Multi olim arthritici liberati sunt morbo, sed epileptici, aut apoplectici interiêre: repertum est cerebrum aqua plenum, sic verisimile est à cerebro malum esse.

Si semper à frigido humore esset arthritis cóque à cerebro labente chæradas efficeret, aut dolores in transitu excitaret, aut præeuntem haberet grauitatem capitis, aut nucæ colli. At sæpè

nil tale apparet, vnde colligas aliundè plerumque esse.

Ad præcautionem tam sæui mali, & euacuationem serilliu s putris morbi relapsum committentis visum est vt vteretur hyeme decoct. foliorum senæ cum hermodactylis, & sæpè syrup. rosarum pallidarum cum succo mercurialis.

Vere pilulæ commendantur sine quibus, de hermodacty. & fœtidæ. Autumno & vere si quid suadeat tundatur vena, viuat abstemius.

Partibus dolentibus adhibeatur vnguentum de limacibus, aut madeant panni in mucagine limacum.

Vrgentibus doloribus folia hyoscyami cocta in lacte cum capitibus papau. & floribus chamæmeli adhibeantur parti.

ANNOTATIONES.

[1] *Hipp. lib. de dieb. Decretoriis docet Ischiadicos dolores esse à congestione & concretione humorum in acetabulis præsertim post incalfactionem à sole.*

[2] *Gal. Com. ad Aphor. 49 lib. 6. ita ait, fluctionem arthritin facientem primum suscipiunt loca dearticulationum, deinceps circumstantia omnia ad cutim vsque. Et quia implentur articulationes etiam quæ circumiacent ligamenta extenduntur. Nerui & chordæ illic non inflammantur, sed tantùm dolent cum dearticulationes extenduntur.*

3* *Galenus Com. in Apho. 49. lib. 6. tanti doloris in arthritide causam ad distensionem reuocauit.*

4* *Fernelius hic valdè ratione niteretur, quod si humor biliosus arthritin committeret necessariò inflammationem faceret. Cur enim membranæ in thorace tam facilè inflammantur in pleuritide, & in arthritide tam ægrè si eadem est materia?*

5* *Et in 2. Epid. 1. sectio. 3. splenis & viscerum tumores & inflammationes in articulorum morbos desinere scribit: Et in sectione 7. lib. 6. Epid. Tusses in articulorum morbos desinunt per translationem, vt credere est. Maximè verò sunt siccæ tusses, quia alio materia præripitur. Et sub finem sectio. 8 lib. 6. Epid. in suppreßione mensium dolores & rubores articulorum nascuntur: ergo, id est, ab interno corpore non à capite. Et quod maius, in vlceribus articulorum & partium externarum si tumores sint rubicundi, & statim euanescunt, dysenteria cruenta oboritur, vide consensum externorum cum internis, vt à capite id non fiat.*

6* Locus est præclarus cap. 12. Sermonis 4. Tetrab. 3. Aetij vbi docet multas causas ob quas suppuratio in articulis non fiat.

7* Hippocr. lib. 2. Epid. part. siue historia 3. docet quomodo tophi in arthritide generentur.

8* Anno 1575. qui siccus & squalidus erat maxima fuit articulorum dolorum vbertas.

9*. Hic locus est valdè notandus: & contra Fernelium facit, idem in cerebro visitur: nam substantia cerebri vaporem calidum & refrigerat. Quod si quis neget illum librum germanum esse librum Hippocratis, legat Aphorismum 25. lib. 5. Apho. vbi vult autor affusione aquæ frigidæ articulorum tumores & dolores tollere, tum ob reuocationem caloris, tum propter inductionem torporis. Quid respondebitur Galeno qui in coxendicis dolore in malleolo arteriam secuit cum affectus esset ab humore calidissimo? sub finem lib. de sanguinis missione. Quid diceret Fernel. quum plerique acerbis articulorum doloribus vexantur, cum nullos aut exiguos dolores, aut in capite, aut in collo senserint? Quasi verò tam effera materia & serum à capite manare queat, & non excitare dolores transeundo? fieri id non posset. Si nitrosa & salsa fluxio à capite tantos in transitu dolores excitat, immò & in metaphreno, & quà transit quandam inducit phthisin; an credibile materiam quæ guttam facit pepasmi ex se expertem, opinione Fernelij per tot partes subtus & cuniculosè transmitti, & nullos penè dolores excitari? Sic credendum est imbecillitatem naturalem partis, aut acquisititiam, quia omnis dolor in parte digestiuam facultatem & coctricem debilitat, & propterea facilis fit prouentus excrementi loco veræ nutritionis, facilè ad arthritin facere, vt si qua depuratio & defœcatio sit sanguinis, eam fæcem facilè admittat. Nisi Fernelius dicat in sua generatione non esse tam malam materiam, sed tempore & mora eam acquirere malignitatem. Quod idem dixit Gal. de tussis materia quæ in scrotum descendit part. 12. sect. 1. lib. 1. Epid.

11*. Si cruditates, crapula & similia eiusmodi arthriticos efficiunt quid causæ est cur caput accuses?

12*. Quid impediet quominus dicamus nec à capite esse materiam arthritidis, nec fortè ab interno corpore, sed eo modo per dispositionem articularem generari in habitu corpori quo elephas in aliis, & chœrades in aliis. Nam in habitu ipso vitium est, & cancrosa & chœradica dispositio, & articulosa, vt sic dicam.

CONSILIVM XCII.

De Gonorrhœa virulenta.

QVENDAM fœda Gonorrhœa detinebat. Cum eam negligeret, nec medicorum consilio satis diligenter audiret, suppressa est, & ea contigêre de quibus paulò antè dictum est. Imprudenter & parum sciens quid tam virulentæ materiæ suppressio vehat, vxorem suam compressit. Medio grauiditatis tempore dysentericum & serosum profluuium mulier patitur, quo vix liberatur. Ac prudenter Medici non censuerunt statim suppresso isto profluuio, laboranti consultum iri. Audiuerant enim nonnihil de mariti diuersione ad alias mulieres & & quæuis impura prostibula. Ideò in eam suspicionem venerunt, vt contractum hoc malum à portione virulenti seri crederent. Ac, opinor, ea fortè in luem veneream incidisset. Nono mense fœtus educitur purus & incontaminatus. Quod mirum fuit cum satus esset patre adhuc semen tam diri veneni continente. Sed non diu impunè tulit innocens hæc proles impuritatis paternæ luens pœnas. Nam cum fortè matri propinatum esset pharmacum alius rei causa, & iussum esset lactari infantem etiam medio purgationis tempore: Repente multis corporis partibus argumenta certa luis & scabiei Hispanicæ paruerũt. Continuò vocari medicos & Chirurgos, iniri consilium, rem reformidari, metui matri nutrici. Ablactatur infans nondum duos menses natus. Paruo lacte pascitur ex vitreo vase collum gruis habente. Prouisum puello hoc remediolo:

℞. butyr. recentis non salsi lauti in aqu. saluiæ ℥iiij. argenti viui extincti aqu. eadem saluiæ ʒij. facta subactione in mortario diligenter, paretur linimentum.

Ad arcendam autem luem veneream quæ verè eam posset tandem adoriri, ita matri prouidetur:

℞. Limaturæ ligni sancti ℥iij. saluu. beton. cham. epit. stœchados vtriusque, meliss. morsus & scabios. an. m. j. ß. Absinth. centaurij minoris buglos. borag. an. m. j. rad. ireos florent. scordij, tormentil. tunicis & dictamn.

ctamn. an. ℥ j ſ. ſeminis cit. card. ſeſel. ſileris monta. pœoniæ an. ℥ ſ. radicis pœoniæ & angel. an. ſ. gentianæ ʒ iij. theriac. veteris & mithrid. an. ℥ i. ſ. Opiatæ Fernelij ℥ i. ſ. madeant omnia in vino albo odorifero, adde ſucci pomorum ℥ iij pul. diamarg. frig. lætit. & diarrh. abb. an. ʒ j. aqu. nenuph. lib. ſ. concludantur omnia alambico, & fiat diſtillatio.

℞. Conſ. flo. nenuph. bugl. anth. an. ℥ j. conſeruæ acori ℥ ſ. cort. citrij. cond. ℥ ij. pul. el. diamar. coral. rub. carab. ſeminis angel. & rad. biſtort. an. ℈ j. marg. elect. ℈ j. elect. diarrh. abb. triaſant. an. ℥ i. mithrid. ʒ ij. cum ſyrup. conſeru. citrij fiat opiata, vtenda ad ʒ ij. hora ſomni.

℞. aq. theriac. ſcab. cardui. an. ℥ iij ſ. paſſentur per manicam Hipp. cum ſacch. & pauco cinn. cap. cochle. duo ieiunus à ſommo excitatus.

℞. Sarſeparil. q. I. meliſſ. ſtœchados radicum omn. aperit. ſcordij, mercur. ſaluiæ, beton. an. m. j. rad. acori, eryng. ariſto. ang. an. ℥ ſ. enul. camp. m. j. fruſta pomorum redolentium, fumar. abſinth. an. p. j. bipinell. m. j. poly. paſſul. an. m. j. ſeminis pœon. ſeſel. an. ℥ ſ. fiat decoctio ad lib. j. infunde foliorum ſenæ ℥ iij. adde expreſſ. ℥ j. ſ. agar. trochiſ. infuſi in aqu. beton. & ſal. cum ʒ ij. cinnam. & ligni aloës ʒ j. adde ſyrup. roſ. pallid. ℥ ij. & ſacch. ſufficiens.

℞. conſeruæ ſtœch. ſal. beton. meliſſ. anth. an. ℥ j. ſ. cort. citrij conditi. ℥ j. zinzib. conditi. ℈ ij. conſer. accori ʒ i. ſ. myrob. emblic. & confectionis alK. an. ʒ ij. conſeruæ bugloſ. ℥ ij. theriaces ʒ ij. opiatæ Fernelij. ʒ. j. ſ. excipiantur omnia cum ſyrup. conſeruationis citrij.

℞. Ambræ griz. ℈ j. pul. læt. de gemmis archonit. an. ʒ ſ. diarr. abb. & diamarg. frig. an. ℈ i. cinnam. gr. 4. pul. radicis angel. & tormentillæ. an. ℈ j. cum ſacch. ſoluto. in aqua card. infuſionis ʒ ſ. ligni aloës. fiant tabellæ pondere ℥ ſ. vtendæ?

℞. Theriaces, mithrid. an. ℥ ij. confectio Alkermes ʒ 6. elect. de gemmis ℥ ſ. limaturæ interioris guaiaci. ℥ iij. ſeminis pœoniæ & citrij. an. ʒ 6. conſeruæ viol. & bugloſ. an. ʒ i ſ. ſucci pomor. odorifero. & aq. nenuph. an. lib. ſ. Ponantur omnia in alambico & vtatur ea aqu. intrando in laconicum.

Item ℞. rad. enulæ, angel. tormentil. capparū. Eringio. apij, petro, poly. an. ℥ ij. meliſſ. ſcab. bipinel. plantag. an. m. ij. lupul. bugloſ. ſcolop. ceterach. an. m. j, fumar. primul. veris. an. p. j. ſemin. bomb. dictam. citri. an. ℥ ij. conſ. enul. camp. acori. meliſſ. an. ℥ i ſ. pul. elect. de ſucco roſarum diamarg. frig. an. ℥ ſ. decoct. ℥ iiij. guaiaci, & ℥ ij. ſchinæ ℔. ij. decocti plantag. ℥ ij. theriac. & mithrid. an. ℥ i. ſ. Adde aquarum cordialium. lib. ij. Ponantur omnia in alambico.

De febre lenta symptomatica.

CONSILIVM XCIV.

CONSVLIS Amorræi filia annos duodecim plus minúsve nata sæpè animo deficitur, immò aliàs putat sibi præcludi fauces, aliàs halitum nescio quem sentit cum cardiogmo, capitis dolore, præsertim in anteriore parte. Dolor non est pertinax [1]. Coloris est vicissitudo in facie, modò cum pallore quodã rubescit, modò pallet solùm, suffusa aliàs aliqua ex parte est facies. Argumenta sunt fœdorum colorum: destillatio tenuis est in pulmones, aliquando spirandi difficultas. Metuebatur illi ne periculoso aliquo tandem cerebri morbo tacta intereat: vt eius sorori contigit, quæ Cataleptica post febres erraticas, interiit.

[2] Initum consilium prophylacticum potiùs quam therapeuticum calido & sicco hepate erat, adeóque calido vt partim alimentum corrumperet, (vnde illud 6. Epid. *qui ventre sunt calido, carnes habent frigidas*) partim aliquid attraheret, reliquum media veluti via in lactibus resideret. Nam quoties repurgatur, pulti simillimam excretionem facit biliosam, olidam, vermium parentem; vndè & aliquando vermium molestiam sustinuit. Sic obstructio id ipsum iuuat. Quod autem obstructio sit eáque cruda, declarant vrinæ in calidiusculo corpore aqueæ existentes. At nec ratione corporis, nec ratione febriculæ quæ sæpè apparet, nec ætatis ratione tales apparere debent. Nam in pueris aqueæ vrinæ ab Hippocrate damnantur in prognostico. Quanquam in nostris Epidemiorum libris animaduertimus ex Hipp. *In erraticis febribus aqueas vrinas splenicas esse.* Quòd fortè in hac contingit puella. Mutationem colorum ad elationem vaporum fugacium referebamus, nec non ad animi imbecillitatem & caloris, qui facilè intro recurrat. Hippocrates huius quidem rei generalem rationem dedit, *Colorum mutationes fiunt corde constringente se, aut laxante*: laxante quidem fiunt benè colorati & rubicundi, constringente verò pallidi & virides. Et illa cõχεσις, quæ aliquando apparet, in malis poni potest, aut homonymôs

In Coacis.

Lib. de Corde.

bona est [3]. Caloris in pulmonibus maioris indiciũ esse potest. Videtur quidẽ dolor iste capitis symptomaticus esse, tum quod fugax sit (quanquam si dolor capitis per protopathiam sit, necessariò non existat stabilis) & videatur tantùm per vaporis, aut exhalationis elationem fieri. Nam punctionem morsúmque in ventriculo præsentit. At verendum tandem ne dolor iste ita ius vindiciarum in caput habeat, vt non ampliùs per sympathiam, sed per protopathiam fiat. Nam cum partes laborant per consensum, id fit aut quia facultas non suppeditatur, aut materia vt in respiratione, aut per vapores [4]. Cum prioribus duobus modis fit id, actio quidẽ læsa est, sed pars à qua suscipitur actio illæsa est, sed cum pars aliqua per consensum laborat ob summissos vapores, actio quidem partis læditur, & ipsa pars laborãs per sympathiam afficitur: sed ita afficitur, vt si dispositio in parte aliqua fiat, iam non ampliùs secundariò, sed primariò pars laboret ipsa. Ac probabile excitari ichores à partibus inferis. Porrò opinione Galen. ichores tribus de causis in ventriculum incidunt, aut propter mœrores, aut dolores, aut infirmitatem ventriculi: Accedit & longa abstinentia, & compassio. Ac reuera statuere oportet in hoc corpusculo caliditatem & siccitatem cum squalore, vnde magna excitandorum fumorum occasio nata est. Quemadmodum enim excedens humiditas immoderato calori iuncta corpus languidum & decoctum reddit, necnon effœminatum: Ita calor acer mordaxque dum humores accendit, acuit, irritat, excitandis vaporibus magnam ansam porrigit. Post vnam atque alteram purgationem syrup. solennis est institutus ex bechicis, thoracicis, splenicis, foliculis, sena, agarico præparatis, & coctis vt decet. Item hæ tabellæ institutæ.

Cap. 6. lib. x. de loc. aff.

Com. in apho. 50. lib. 6.

℞. *Seminis pœoniæ gra. 8. marg. el. corall. vtriusque spod. tochiscorum è carabe. an. ℈j. eboris, cornu cerui. an. ℈ſ. oßis de corde cerui pulueris coriandri & diarrh. abb. an. ℈j. cum sacch. in aqu. card. soluto, fiat tabell.*

℞. *Conseru. beton. stæchad. rof. buglof. an. ℥. j. conseruæ anthos ʒij. corticis citrij conditi ʒ iij. rasuræ eboris, cornu cerui an. ℈j. theriaces ʒj. fiat opiata cum syrup. conseru. myrob.*

℞. *Pulueris hieræ ʒj. agar. troch. & rhab. an. ℈j. cap. ℈j. aut ʒſ. huius massæ.*

Vtatur quotidie iusculo mane in egressu lecti: æstate lacte asinæ;

Paretur puluis ex lumbricis terræ & chalybe præparato si vtile videatur.

ANNOTATIONES.

1 *Febris ista lenta est & continua, & symptomatica qualem Fernelius describit libro de febribus cap. de symptomaticis lentis.*

2. *Huc pertinet locus commemorabilis lib. 2. de Diæta acutorũ part. 22. Quod Hippoc. Velit concoctionem esse elixationi similem docet, tanquam coctio fiat à calido non sicco squallentique, cuiusmodi est febrilis, sed humido & vaporoso, cuiusmodi est qui in animalibus secundum naturam existit. Fernelius cap. 13. lib. de vrinis istis tenuibus, & aqueis abundè satis.*

3. *Arculanus cap. de Cephalæa, ait, qui dolores capitis sunt per sympath. sæpè cum periodis, & cum paroxysmis fiunt prout sunt causæ periodi, in membro communicante. Quanquam hoc non verum est perpetuò. Nam etiamsi in capite humor sit qui morbum per protopathiam faciat, tamen non perpetuò vexat, sed suas habet periodos: Id vt intelligatur, quoniam difficile est admodum, legendus est comment. ad Aphoris. 28. lib. 6. Aphor. Et de hoc diximus lib. 2. nostrorum consiliorum in hist. de fratre huius puellæ.*

Nam Galenus com. in Apho. 19. lib. 2. de Chronicis morbis disputans, ait illos à crassis humoribus fieri, & paucos ex his per sympathiam fieri, & absque loco affecto, vt potè venis æqualiter humores corruptos continentibus. Sed διαθέσεις νοσώδεις*, vt in hemicraniis longis contingit, possunt esse sine humoribus illis crassis. Sic aliud est,* χρόνιον νόσημα*, aliud* διάθεσις χρονία*. Cæterùm cum dolor est per propriam affectionem est magis continuus quam cum est per sympathiam. Et vis ponenda in verbo, magis, id autem fit, ait Arculanus, aut quia membrum, longo dolore debilitatum facilè aliarum partium excrementa excipit: aut quia per dolorem spiritibus resolutis digestiua & expulsiua facultas, languet: vnde non probè conficit alimentum, nec superfluitates quæ in qualibet digestione resecantur, debitè expellit, &c.*

De Pleuritide notha.

CONSILIVM XCVI.

IOANNES LE MIRE, mercator, cum meloduno Parisicos lintre deuectus petit rigente admodum hyeme, vi frigoris ita calor intrò cogitur, vt indè horruerit valdè, deindè calorem ingentem cōceperit. Media nocte cœpit quæri de dolore fixo ac pungente ad nothas costas. Magna nothæ pleuritidis suspicio est. Is narrabat sępè se ea in parte dolores quos colicos vocabat, solitum esse sentire, qui fomentorum vsu non ita multò post leuarentur. Ac primùm ei credidimus cum tamen apud nos potiùs valeret opinio ac suspicio pleuritidis per congestionem aliquam excitatæ, quam narratio de vetere dolore, coegimus vt aluus enemate sublueretur. Ac dolore perseuerante, vt vrgeretur occasio, tertia pomeridiana bolum cassiæ addita confectionis de dactylis portiuncula ne medicamentulum ignauum maneret, exhibuimus: huius vsu multa corrupta admodum educta sunt. Sequenti die relicta sede priore, dolor ad orificium ventriculi pertinebat. Tunc nos pœnituit, quod non die præcedente venam secuissemus, vt ne inflammatio ad aliam nobilem partem, vti contigit, serperet, ac oberraret. Valdéque timuimus ne in ventriculo malum figeretur, grauioráque omnia nascerentur. Quod aliquando à nobis obseruatum est in vitriarij filio: Qui cum per tres dies de dolore lateris quæstus esset, & neglecta iterùm esset phlebotomia, repentè malum regionem ventriculi ad xiphoidem chartilaginem obsedit. vomendi desiderium, febris ἀσώδης, lipyria, mors repentina. Per tres dies continuos venam ter secuimus: purulentus sanguis detractus est, ne guttula quidem puri sanguinis: viribus metuebatur ob ætatem ingrauescentem. Dolor non erat fixus. Thoracem dilatare omnino non poterat. Respiratio alioqui erat facilis, nisi cum magnum respirare cogeremus. At tum narrabat se aliquid imis costis inhærens sentire quod respirationem eliderct. Sitis & febris erat ingens, omnia cruda. Nam nec aluus nisi solicitata ferebatur, nec quicquam ex facili

è pulmone educebatur. Dubitabamus an diaphragmatis eſſet inflammatio præſertim in parte concaua, præſertim quà attingit nothas coſtas, ſi inflammatio foret illius partis cur non deliraret, quærebamus. Suſpicabamur collectam ibi illam materiã & præſertim ſeroſam (quod dolores vagi apparerent) quæ olim colicos dolores excitarat. Idque eueniſſe arbitrabamur ob ambientem impensè frigidum, vnde ſuppreſſio nata foret. Ad id cogitandum ſitus partis dolentis incitabat. Tamen quærebatur, ſi ea in parte inflammatio eſſet cur non ad clauiculas dolor pertineret? Sed ſectio corporis poſt mortem omnia de quibus dubitabamus aperuit. Ergo cum circa finem diei quarti dubitaremus an quartò ſecanda vena eſſet in tanta ſiccitate morbi, febre, difficultate ſpirandi, dolore: Ecce primarius medicus videns noſtras ſectiones inutiles, ratus collectionem eſſe quandam (vti antè monuimus) ad catharticum confugit idque vehemens admodum, vt vi deturbaretur humor qui infrà diaphragma cõſiſteret. At cum humor nullus eſſet infrà diaphragma morbi autor irritum medicamentũ fuit, & duabus poſt horis hypercatharſin induxit, perturbationem tantam vt breui ægro intereundum fuerit. At vt Hippocrates ſcripſit: *Turpis eſt calamitas dato medicamento eodem die ægrum interire.* Erat infrà ſubſiſtendum.

Lib. de medicamentis.

Quanquam hic difficultas magna eſt. Nam nouimus mulierem cui poſt phlebotomiam cum datum eſſet medicamentum ſequenti die, quia inane fuit medicamentum & non potens ſatis, ſtatim delira facta eſt. Vehementia febris à tam valido medicamento debebat dehortari, item virium infirmitas, tum ratione ætatis, tum multa venæ ſectione inducta. Potiùs ſequendum erat Gal. conſilium cuius verba ad vnguem tenenda ſunt. *Vbi non ſolùm acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt pleuritis, verum & cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda purgatio, atque per ſectionem venæ vacuandum magis etiam ſi ad hypochondrium dolor ſeniatur. Nempè & ſi minùs quidẽ auxilium quàm per purgationem venæ ſequatur, ſecurius tamen multò exiſtit. Immò nullum periculum ſubeundum pendet ex eo quod fit per ſectionem venæ, eo diſcrimen maximũ ſubeunte quod per purgationem tentatur, maximè ſi laborantis naturam non fueris expertus. Si enim naturã non noueris, metus eſt ne plus iuſto vacues, aut nullo pacto naturã moueas, aut ſi moueris, non ſufficienter va-*

Com. ad part. II. lib. 2. de Diata acut.

cues. Quæ omnia magnis in morbis offensas pariunt: quòd non facilè vt in iis qui non febricitant, emendatur. Cum igitur febris non fuerit vehemens, & naturam laborantis expertus fueris, ad medicamentum purgans te conferes, iis quæ ab Hippocrate dicta sunt vsus. Atque hoc in loco tria, animaduertere oportet dum sectionem venæ antefert purgationi: primum est cum meminit febris vehementissimæ, vt vehementia febris dehortari debeat purgationem, præsertim & cum adsit inflammatio: febris autem vehemens & inflammatio purgationem dehortatur, quod medicamentum calorem sit adaucturum: Secundum quod minus auxilium à sectione venæ sequatur, quam à purgatione: Tertium, quod securitas sit magna in sectione venæ, non item in purgatione.

Quæ tria sunt diligenter animaduertenda, ne fortè sententia Galeni malè intellecta nos valdè munitos putemus, cum alioqui grauissimè erremus. Quid enim obest illud quod obiicitur de febre ardentissima, nam in pleuritide ea præsertim quæ occupat hypochondrium: (de ea enim illo loco agit, quanquam & generaliter illud intelligi potest) non est tanta febris: si non tanta febris, & si minùs auxilium affert sectio venæ quam catharsis, vt idem fatetur Galenus, omni ratione amplexanda est purgatio, non autem purgationi præferenda sectio vt securius consilium, & remedium.

Quorsum enim ista securitas, si non prosit remedium? Præterea si febris vehemens, possumus dare medicamentum non ita eradicans, non calfaciens, non agitans. Item quod ad eum calorem quem præbitum medicamentum afferet, iam respondit Galenus in Apho. medicamentum quidem calfacere, sed maius sequi commodum ex euacuatione humorum morbificorum, quàm incommodum ex ea calfactione & febris auctione. Denique si purgatio in vehementia febris nocet, cur non & sectio venæ? Relinquamus Arabas qui in biliosis morbis phlebotomiã reformidant, sequamur ipsum Galen. Is Com. in part. 6. Prorrh. ait resiccatos, nec rigorẽ, nec vacuationem insignẽ, nec simile quid ferrè[2]. Ac exiccatorum nomine & biliosos audiemus, & eos qui biliosissimis & siccis morbis tenebuntur. Pleuritides maxima ex parte biliosæ sunt ex Gal. Cum ergo siccus sit morbus bifariam, & ratione ἐωαφ́ξεως, & quia sæpè nil excernitur præsertim initio, & febris iuncta est, affectus & siccus, & siccans, an locus erit vacuationi per phlebotomiam?

Apho. 24. lib. 1.

Com. in part. 6. sectio. 2.

Com. in Apho. 12. lib. 2.

Prætereà ſi ex Hippo. in mulieribus bilioſis etiam naturalis menſium eruptio formidabilia affert ſymptomata, vt ipſe eo loco docet, frequens ſectio venæ conferet? Quanquam in Cōment. in Aphoriſ. 23. lib. 1. in bilioſis & ardentibus febribus nō reformidat ſectionem venę, etiam ad leipothymiam vſq; Galenus[3], Ad ſuperiora vno verbo reſpondebimus. Omnis inflāmatio facilè iuuatur & tollitur ſectione venæ. Nil enim eſt quod tā facilè refrigeret corpus, & inflammationis occaſionem tollat. At pleuritis inflammatio eſt. Quod autem medicamentum daretur, illud ſuo calore febrem & augebit & corpus ſiccabit, & vix de inflammato loco quicquam educet. Cum dicit minùs auxilium à ſectione afferri, ſed ſecuriùs illud intelliges de inferiorum coſtarum inflammatione. Nam ſi de inflammatione ſuperiorum intelligeret, hoc falſum eſſet.[4] Non enim liber eſt exitus ad excretionem materiæ per partes infernas. At cum pleuritis inferior eſt, cum fiat à congeſtione potiùs, & quæ infrà diaphragma ſunt purgatione per inferiora potiùs exigi debeant quam alia arte, libero etiam exiſtente exitu, potiùs ad catharſin accedendum eſt. Sed ignoratione naturæ eius qui purgatur, & metu incrementi febris vult nos impedire ne tam audacter purgemus, ac venam ſecemus. Iam verò hoc loco ſtatuendum eſt purgationi potiùs intendendum eſſe in pleuritide & dolore occupāte nothas coſtas, ſi tria illa animo comprehenderes: Si medicamentum non ſit perturbans & calfaciens multum, ſi febris non ſit intenſa: ſi inflammatio non ſit magna, ſed potiùs dolor à congeſtione quadam humoris. Vndè grauiter hodie peccatur ab iis qui feſtinanter nimis audito nomine doloris ad latus (vbicumque is dolor ſit) ſtatim ad ſectionem venæ confugiunt. Immò etiam ſi nulla adſit febris, aut exigua, etiam audacter venam ſecant, perſuaſi illa ſentētia Galeni ſuperiùs adducta, quòd ſecuriùs ſit remedium phlebotomia, minus tamen auxilium. At noſſe debent illas conditiones quas attulimus, & quas niſi nouerint, non ſunt digni medicorum nomine. Itaque quemadmodum tardos nimium eſſe non oportet in ſectione venæ celebranda, ita feſtinatio probro eſt. Multi enim dolores pleuritin mentiuntur, in quibus aut ſolum fomentum, aut leuiuſcula purgatio abundè erit: vt ita in humano ſanguine

fundendo liberaliores non ſimus. Nec nos ad ſectionem venæ iteratò immò pluries faciundā incitabit impuri ſanguinis effluxus: Quod pleriſque occaſionem porrexit celebrandæ phlebotomiæ ſæpiùs, & virium frangendarum non ſine magno vitæ periculo.

Aperto cadauere ægri noſtri ren ſiniſter planè putris & corruptus repertus eſt. Inuenti duo in veſica calculi, qui ſuppreſſioni vrinæ in progreſſu morbi occaſionem dederant. Morbi mortiſque cauſa erat hæc: Pulmo erat admodum amplus, thorax anguſtus. Semiputris erat pulmo: Et ita contumaciter ad latus dextrum adhæreſcebat, vt vix auelli potuerit. Abſceſſus in ea parte erat. Et ſua mole & magnitudine ad nothas ferè coſtas deſcēderat. Erat inflammatio mediæ partis pulmonis, præſertim eius quæ abſceſſum fouebat. Adacto cultello chirurgico putris & fœtens ſanies manauit, cuius portio dum decurreret per membranarum continuitatem, dolorem excitabat: & cum efluebat, dolor ceſſabat. Vt mirum non eſſet, ſi modò pars doleret, modò non doleret. Et quoniam oſculum alui medium diaphragma tranſcurrit & ſecat, dum per gibbas diaphragmatis ſerum decurreret à parte putrefacta manans attingerétque oſculum ventriculi, non mirum ſi dolorem in ventriculo ſentiret, ac ſi in capacitate eius malum foret. Quanquam non erat inflammatio in ventriculo; tametſi adeſſe videretur. Hippocrates in libris de morbis falſæ, ementitæque illius pleuritidis deſcriptionem facit: *Fiunt ſuppurati ſi à capite delapſa pituita ad latus agglutinata fuerit & putruerit. Tunc enim latus vt plurimum inflammatur & patitur eadem quæ & ex pleuritide ſuppuratus.* Et quòd de pituita à capite delapſa, dicit Hippocr. Idem poteſt audiri de pituita cui localis eſt in pulmone generatio, maximè verò in ſenibus, aut quibus pulmones non benè perſpirant ob craſſitiem, vt in quibuſdā, viſum eſt, quorum pulmonis ſubſtantia caſeo duriuſculo erat aſſimilis. Aut propter immoderatam vitæ rationem. Quod huic ægro noſtro contigerat. Nam maiorē ſuæ vitæ partem in venando occupabat, in cibo & potu, cum nulla vitę ratio eius animū aliò reuocaret. Inter cætera hepar erat maximè vitiatum, & præſertim pars eius ſuperior erat friabilis, & ὑπόσαθρος. Actum Calend. Febr. 1575.

Lib. 1. de Morbis

ANNOTATIONES.

1 *Hippo.lib. 2. de morbis mulierum, ait fuluum fluorem mulieri euenire cum exhaustus per alium fluorem sanguis, biliosus fit: vnde patet euacuationem sanguinis bilefacere humores, & reliquũ quod adest. Sic in biliosis pleuritidibus frequens sectio non confert. Et vt dicam conferre nunc ad malum vrgens, dum biliosior est factus sanguis maior est in pleuritin incidendi occasio.*

2 *Si Arabum opinio valeret minus tutò in pleuritidibus vena secaretur quod omnes ferè sint biliosæ declarat periodus. Immò Hippo. lib. de locis in homine nomine bilis pleuritin intelligit.*

3 *Hippo. part. 74. lib. 4. Acuto. In pleuritide sanguinem ad leipothymiam mittit, si dolor acutus fuerit. At acutiẽ morbi bilis facit. Ergo præsente bile leipothymia sectione induci potest. Gal. non probat omnino illud Hippocratis, aut quidem plus sanguinis vacuari debere quod dolor sit acutus, sed quod liberius sinamus fluere non ab acutis sumitur indicatio, sed si vires valent, si ætas floruerit, sanguis abundarit, laborantis natura densior, & minùs perspirabilis si consentit tempus anni.*

4 *Manardus ea de re disputauit copiosè satis Epist. 5. lib. 12. Sed & locus est apud Galenum in arte parua vbi scribit, vbi corpus plenum est, vniuersum per partem affectam vacuandum non est: quo ex loco posis reprehendere sectionem venæ quæ fit in pleuritide corpore vniuerso pleno, aut cum pleuritis per regurgitationem sanguinis fit ab hepate. Tunc enim* ἀντίσπασις, *necessaria foret hunc locum adduxit Scaliger in com. de insomniis docens sectionem quæ fit in parte opposita necessariam esse. Vide Com. Akakiæ in locum prædict. Idem* Ακακια *com. in lib. 2. ad glaucon. difficultates istas proponit constanter defendens opinionem de sectione venæ ex eodem latere. Sed mihi videtur falsum attexere, quod inflammato vtero sit potius demendus sanguis ex malleolo.*

De Ischiade.

CONSILIVM XCXV.

DVos exercuêre dolores ischiadici, alij quidem oborti per humoris ἀπόθεσιν, sub finem febris longæ: alteri verò media

hyeme per decubitum materiæ in muſculos natium. Atque ad vtriuſque dolores compeſcendos, tum ad cauſam morbi amouendam multa remedia ſunt inſtituta inter quæ nonnulla huc tranſtulimus.

℞. Maſſæ pilul. de agar. cocciarum, & ſine quibus an. ℈j. malaxentur cum infuſion. ℈j. turbith. gummoſi. infuſi in hydromel. cum zingib. fiant pilulæ.

Item ℞. pulueris diacarth ʒiij. pul. aromat. roſati, & triæſantal. an. ʒß. cum ſacch. ſoluto in aqua cuſcutæ infuſionis. ʒ iij. foliorum ſenæ mundatorum. fiat elect. per lozangas.

℞. Summitatum fœnicul. aneth. & centaur. minoris. an. p. j. baccarum lauri. ℥ ſ. ſeminis aniſi & cumini. an. ℥ ſ. yuæ arthrit. hyperici. an. m. ſ. ſaluiæ majora. an. m. j. rad. capp. ireos, eryng. an. ℥ j. fiat decoct. infundendo agar. optimi, & turbith. gummoſi. an. ʒ ij. ol. aneth. diſſolu. ad ℥ij. & mel anthoſatum cum diaphœnico: fiat clyſt.

Aliquando bulliant. in decoct. clyſteris folia ſenæ: hermodactyl. puluериſat.

Apozemata ex ſaluia, hyſſo. ſtæchade foliculis & agar. conferunt.

℞. Raſuræ ligni guajaci ℥ j. paſſul. ℥ ſ. gly. ℥ ſ. coriand. ʒ iij. infunde per horas ſex in libris ſex aquæ: fiet decoct. ad medias: Coletur cum cinnam. capp. ℥ 6. mane ad ſudores prouocandos.

℞. Mal. biſmal. pariet. flor. chamæmeli ſummitatum aneth. an. m. j. ſ. ſeminis aniſi & fœnicul. an. ℥ j. fiat decoct. in ſacculis in aqua & vino pro fotu locorum dolentium.

Sunt qui ceroneum applicarunt ex emplaſtr. philagr. de melilo. ceroneo, & oxycro. diachylo. alb. gummi elemj. puluer. hermodactylo. ereos & baccis lauri.

℞. Rad. alth. cucum. agreſt. cyp. calam. arom. an. ℥. ſ. folio. ebul. yuæ arthr. & herbæ paraly. an. m. j. chamæ. m. j. ſemi. aniſ. fœnic. ſeſeleos. an. ʒ iij. abſinth. roſ. an. p. j. fiat ſacculi. bulliant ad fotum.

Linatur pars oleo lilio. lumbricorum cum aliqua parte olei de ſaluia.

℞. Rad, camp. bryoniæ, ſigil. beatæ Mariæ an. ℥ j. mal. bis. pariet. yuæ, hyper. ſalu. beto. meliſſ. maio. an. m. j. chamæ. p. j. rad. cyp. calami arom. ſchœnuanth. an. ℥. ſ. ſeminis lini. alth. & fænig. an. ℥ ſ. fiat decoct. pro fotu.

℞. Eadem materialia piſtentur. adde fæcis vini ℥ iiij. pone in ſtuppis comabinis macerannis in aqua vitæ.

℞. Rad. lilio. coctæ cum vino alb. ℥ iiij. axung. huma. & ſuill. an. ℥ ij. ol. chamæ. ℥ ij. fiat litus.

℞. *Empl. de melilo. & cerati philag. an. ℥ iiij. pul. rad. ireos florent. & cyp. an. ℥ ſ. ol. lumbrico. ℥ ij. ceræ nouæ, quod ſuff.*

℞. *Picis nigræ ℥ 6. terebinth. Venetæ ℥ ij. ceræ nouæ ℥ iij. ſulphuris viui. ℥ ſ. rad. ireos pulu. ʒ ij. fiat emplaſtr.*

Poſt vſum cauſticorum hæc ſunt admota.

℞. *Vnguenti martiati & comitiſſæ an. ℥ ij. emplaſtr. palmei ℥ j. de melilo, & muccag. an. ℥. ſ. ol. myrt. & irini. quod ſuff.*

Ad confirmationem ventriculi hoc electuarium præſcriptum eſt.

℞. *Pul. elect. triaſant. ℈ ij. raſuræ eb. cornu cerui margarit. electarum coral. rub. an. ℈ j. rhub. ʒ ij. ſacch. diſſolut. ℥ ij. fiat elect. per tabell.*

℞. *Caſsiæ ℥ ij. catholici & mannæ. an. ℥ j. pulpæ ſebeſth. ℥ ſ. foliorum ſenæ puluer. ℥ j. cum ſyrup. violato. fiat opiata.*

Pro carcinomate vteri.

CONSILIVM XCVI.

MVLIER Xantonenſis carcinomate in vtero laborabat: ita conſultum eſt à medicis.

Purgatio ſit blanda corporis per interualla, clyſteres anodyni, fotus, infeſſus ex anodynis, iniectiones in vterum ex lacte aſinino, vaccino tum per ſe, tum ex ſuccis plantag. ſolatri, hyoſcyami ſi dolores vrgeant addito etiam momento Philonij.

Poſt iniectiones inſuffletur puluis lithargy. pompholigos, myrrhæ, ariſtoloch. lotæ in aqua ſolatri & ſiccatæ, fiant peſſi ex vnguento diapompholigos inducto ſuper linteum, & immiſſo in vterum per ſpecillum vt proximè contingat tumorem filo appenſo, vt extrahi queat. Vitentur calidiora. Ratio victus euchyma. Vtatur vino rubello ſubaſtringente. Prouideatur robori partium principum elect. conditis, epith. His remediis non curationem quæ ſperari poſſit, ſed paulò longiorem vitam & dolorum leuationem ſperamus. Id apud Io. Gorræum fœlicem & primarium medicum fuit decretum.

Ad destillationem in pulmones.

CONSILIVM XCVII.

QVIDAM difficultate ſpirandi detinebatur : necnon catarrhus in pulmones eum infeſtabat. Conſultum illi eſt caſſia & catholico in boli forma, hordeatis, ſyrupis promouentibus ſputum & ſuſpendentibus catarrhum.

℞. Rad. gram. poly. paſſul. gly. an. ℥ ſ. agrimo. beton. hyſſopi ſemini frigid. an. ʒij. iuiub. ſebeſth. an. m. 6. ficus pingues & dactyl. num. 4. florum. p. j. fiat decoct. ad lib. j.

℞. Prædictæ decoct. medium infunde foliorum ſenæ ℥ j. infunde in col. agarici trochiſc. ℥ ſ. diſſolu. ſyrup. viol. & capil. ven. an. ℥ ij. ſacch. candi. ℥. ſ. fiat vt ſyrup. coctus, in reliquo diſſolue diatrag. frig. ℥ j. diair. ſimpl. ℥. ſ. ſyrup. capill. ven. ℥ ij. fiat ſyrup. vtend. loco lohot.

℞. Saluiæ major. flor. nenuph. an. m. j. roſarum. p. j. cinn. ligni aloes caryo. an. ʒ j. ponantur ſimul pro cucupha.

℞. Succi braſ. rub. ℥ iiij. ſacch. candi. ℥ j. oxymel. ℥ j. fiat lohot.

℞. Rad. acor. pæoniæ, ariſtolo. rotun. poly. petro. aſpa. an. ℥ ſ. foliorum beton. ſamb. agrimo. meliſſ. ſcolop. an. m. j. flor. ſtæch. roriſm. ſal. an. p. j. paſſul. glycy. thamar. an. ʒ iij. ſcyllæ præparatæ ℥ ſ. fiat decoct. in qua infunde folio. ſenæ. ℥ ij. ſ. agar. ℥ j. ſantal. citr. ʒ ij. rhub. ℥ ſ. diſſ. ſacch. lib. j. ſyrup. de praſio, & de ſtæchade. an. ℥ ij.

De febre continua.

CONSILIVM XCVIII.

QVIDAM annos natus 20. Delphinas à multo labore in febrem incidit. Tempus erat æſtiuum & auſtrale, febris inſignis, corpus ſqualidum & macilentum. Tertiò die ſecta vena. Sexto fluxit ſanguis è naribus liberaliter. perſeuerat toto die ac nocte. Fit tum ſymptomatica. Nulla arte compeſci

potuit. Qui aderat medicus sinebat fluere sanguinem idè naturα esse ratus. Cum tamen minuerentur vires, sistendo illi incumbitur fit pessus in nares ex fimo asinino in oxycrato lauto, nihil non fit, sed in palatum effluxit, & vt credibile in ventriculum. Singultiebat: ac dubium erat an singultus esset ab inanitione, an à grvmo sanguinis in ventriculo; de vtroque suspicio erat: hoc præscribitur.

♃. Terræ sigil. boli arm. an. ʒ ſ. corall. rub. lapid. hæm. an. ℈ j. oxy. sacch. ℥ ſ. cum aqu. ros. fiat potus.

♃. Destill. restaur. lib. ſ. succi granat. ℥ j. qu. plantag. & ros. an. vnc. ſ. cum sacch. fiat iulep.

Litus regio. ventriculi ex ol. rosato de absinth.

♃. Confectionis alkermes. ʒ ſ. diamarg. frigid. rasur. eb. coral. rub. an. ℈ j. theriac. ℈ ſ. cum syrup. granat. fiat opiata.

♃. Conseruæ ros. viol. bugl. an. ℈ ij. diamarg. frig. ʒ ſ. corall. ℈ j. theria. ʒ ſ. fiat bolus cum syrup. granato.

Ad nonum diẽ tremulus erat, delirabat, cogitabnndus, melanchol. vrinæ perturbatæ, nigricantes, in visceribus incendiũ erat, & κακοήθες. Medici negabant conualiturum, ne si centies essent coctę vrinæ: aluus fœtida deiiciebat, nigricantia. Parotides futuræ prædicebantnr, nisi hæmorrhagia auertisset. Et quid mirum circa diẽ 13. rudimenta parotidon apparuerunt, dolórque ponè aures surgere incipiebat.

Iniecti sunt clysteres refrigerantes.

♃. Aqu. ros. scabios. mors. nenuph. an. ℥. ij. succi lymonum crudi. vnc. ʒ. passentur per manicam cum ʒ ſ. santali.

♃. Vnguenti rosati refrig. vnc. ij. succi semperu. & lact. vnc. j. contundantur omnia in mortario cum aceto ros. pro vnctione lumborum, & spinæ dorsi: Decimo septimo interiit.

De Dysuria.

CONSILIVM XCIX.

GRATIVS querebatur de ardore vrinæ & dysuria. Putabat in vesica calculum esse quod tenues vrinę, deinde subalbidæ fluerent: necnon aderat desidendi cupiditas, & penis

pruriebat. Retulit tum demum se prima huius mali rudimenta sensisse cum criticè post ardentem febrem multa vrina fluxisset. Et cum ille indulsisset veneri multum, non mirum si partes illæ debiles facilè vlceratæ fuerint profluuio vrinæ criticæ. Quæ autem causa effecit plurimum, est quod diureticis sæpè vsus fuerit, falsò persuasus calculum esse: vsu eorum prouocatæ vrinæ & partes calfactæ vlcerari potuêre, verisimile quoque parastatas suo glutinoso humore destitutos, vt facilè vim transeuntis & seminis & vrinæ non sustineant. Res ad catheteris fidem reuocatur. Nullus lapis deprehenditur: immisso cathetere purulenta ferè vrina profluxit. Sic suspicio erat vlceris. Asperitates quædam in collo vesicæ deprehenduntur. Ac illud non omittendum perennem fuisse defluxionem salsæ pituitæ à capite. Quod facilè irritationem in vesica excitabat. Nam facilè ventriculus laxabatur: aluus irritabatur, & eodem filo in vesica stranguria excitabatur. Narrabat se nocturna seminis excretione intolerabilem dolorem sentire, anodynis fomentis perinæi somnus conciliatus est: vsu hydromelitis aquosi initio pastus & intermissione vini prouisum est. Ventriculo consultũ.

℞. Mastiches. ℥. ſ. cort. citr. maior. absinth. cyp. an. ʒ i. ſ. nucis moscatæ, caryoph. galang. an. ℈ j. Cum oleo de absinth. fiat scutum.

Item vsus tabellis roborantibus stomachum vt artis est.

Magna erant argumenta vlceris aliqua in parte latentis. Tamen dicebat se nunquam renes laborauisse. Imperata sunt ea quæ humores mitigarent. Aliquando excernebatur per vrinas materia pituitosa lenta, ductilis & longa instar filamenti. Dominus magnus dicebat duo esse in eo incommoda, exulcerationem orificij vesicæ, & contractionem. Hæc facit vt ferè indesinenter vrina ad excretionem tendat, immò & inuoluntaria aliquando seminis fit excretio. Illa verò vt dolorem vrina transitu ipso inferat. Sic censuit vtendum decocto salsepar. aliàs, aliàs lacte asinino. Ad vigilias assiduas & dolores ei prouisum est vsu philonij rom.

De mola & fluore vterino.

CONSILIVM C.

NOBILIS mulier querebatur de mola, & vterino profluuio, vt nulla esset conceptus spes, hæc sunt præscripta. Molæ & vterini effluuij tam frequentis causa videtur nimia sanguinis humidioris copia, qua semen & eius vis prolifica obruitur, indicio sunt menstrua copiosiora, & à molæ excretione tanquam puerperia per mensem integrum, eóque amplius fluentia. Itaque corpus siccabitur victus ratione, medicamentis, & iis quæ prouocant vrinas & sudores, corporis exercitatione, fame, pauciore victu, & iusculorum abstinentia. Particulatim verò siccandus vterus, tum fotu, tum ceratis quæ eam vim habent, nec menses mouendi. Vere & autumno vteris decoctio. rad. schinæ. Aliquãdo è basilica sanguis parciùs adimetur. Si verò humidiore temperamẽto videbitur, seménque habere humidius, eadem ratione victus vtetur. Parcior sit venus, qua tamen commodè vtetur tribus aut quatuor diebus à mensium eruptione.

Ad animi defectionem.

CONSILIVM CI.

IOANNI RIVIERE, sine febre frequentes animi defectiones, prȩsertim si animo moueretur: Erat enim oxythymus, frigidiusculo temperamento præditus. Ei consultum est infuso rhei ad corroborationẽ ventriculi, & sequentib⁹ pilulis.

℞. Aloes lotæ in aqu. endiu. ʒ ij. rhub. ʒ i. ſ. specier. aromat. rosat. ℈ ſ. cum syrup. de absinth. fiat massa.

℞. Rad. cichor. ℥ i. ſ. fiat decoct. in qua infunde absin. pont. p. ij. in col. ad vnc. ij. dissolu. vini alb. vnc. ſ. fiat potio arom. cinn. & dulcorata.

Data opiata ex confectione Alkermes & conseruis.
Fotus est ventriculus decoct. solenn. herbarum stomachicarum.

Ad facilem vteri gestationem.

CONSILIVM CII.

MVLIER ægrè ferebat quod vterum gestare non posset, ci post purgationem totius corporis iis remediis consulitur.

℞. *Galiopseos. matricar. calamenti, puleg. an. m. j. major. p. j. cyp. calam. aromati. an.* ℥ *j. fiat decoct. pro fotu, vel semicupio.*

℞. *Picis cedrinæ* ℥ *iij. ladani, stiracis calamithæ, benjoing. artemis. & florum melilo. an.* ℥*j. cum ol. & cera fiat empl. pro ventre & osse sacro.*

Contineat se in lecto, & vtatur syrup. capil. vener. cum decoct. artemisiæ & galiopseos aromat.

℞. *Galangæ & ammo. an.* ℥ *j. inuoluatur baculus crassus ad longitudinem sinus vteri: ex iis solutis cum cera & puluere majoranæ fiat pessarium.*

Pro vlcere in regione pubis.

CONSILIVM CIII.

NOBILIS mulier Xantonensis annos nata 40. laborabat vlcere in regione pubis. Aliquando fœtens materia instar fæcis excernebatur illac. Cum hic tumor & vlcus multis de causis oriri possit, vel in ipsis inguinum glandulis, vel ab intestini, aut omenti prolapsu, vel ab vtero in eam incumbente partem, vix resciri potest vnde hoc sit, cum non rescriptum fuerit an antè tormina præcesserint, an menses suppressi fuerint. Itaque nullis apparentibus signis, aut malè affecti vteri, aut intestini maioris, aut ilei, verisimile est in inguen prolapsam esse cæci intestini apophysin, quę tandem computruit & sinum

effecit: Ea apophysi ita affecta non est necesse ea sequi symptomata quæ consequi solent in aliorum, aut tenuiorum, aut crassiorum intestinorum affectu, vt sunt voluulus, alui profluuia, vomitiones. Remedia non alia sint quam quæ ad detergenda vlcera conueniunt, vt sunt iniectiones frequẽtes, immò & vsus lactis asinini. Si malè affecti vteri signa aderunt, huic prouidendum.

De vrinæ incontinentia.

CONSILIVM CIV.

VIRGO iam matura viro vrinam continere non poterat, quod [1] parentibus valdè molestum erat: Ea arte illi occursum est. Abstineat omni iusculo, præsertim in quo radices vreticæ inerunt. Institutus syrupus laxatiuus ex agarico, folicu. & rheu. additis in decoct. myrobalan. addito quoque syrup. rosarum pall. & addita in coquendo plantag.

℞. Saluiæ major. orig. calam. primæ veris, lauandulæ, rutæ. an. m. j. acori cy. an. ℥ j. flor. chamæm. p. j. absinth. p. j. medij corticis quercus & balaust. an. p. j. fiat saccu. qui bulliat in æquis partibus vini astring. & aquæ fabror. foueatur extremo pars spinæ.

℞. Ol. costini, & ol. samb. an. ℥ j. ß. de hyperico. ʒ 6. pul. cyp. ireos florent. an. ℈ ij. pul. balaust. ʒ ß. fiat litus. Item valet emplastr. contra rupturam.

℞. Oßium omnium myrobal. assatorum & extinctorum aceto. an. ʒ j. seminis nasturt. coriandri præparati extincti succo omphacij. an. ʒ i. ß. ambræ citrinæ, cupul. gland. nucis cupress. an. ℈ iij. cum sacch. suff. fiet puluis adde cinn. & corall. rub. an. ℈ j. pelliculæ interioris stomach. gall. ℈ iij. vtetur iure lentium coctarum.

Vtatur clysteribus ex carminatiuis cyp. acoro, calamo arom. salb. majorana melle anthosato, & confectione hieræ.

ANNOTATIO.

1 *Ea de re caput ab Hollerio conscriptum est cap. de iis qui noctu permeiunt lectum, lib. de compos. Medicamentorum.*

CONSILIVM CV.

Ad visus imbecillitatem.

QVIDAM annos vndeviginti nato non ita acutus erat visus, sed in rem intuenti acriùs imminuebatur, sentiebátq; tenebricosum quid ob oculos obuersari: Quod potiùs ad vitium ventriculi cruditate laborantis relatum est. Itaque his remediis prouidetur.

℞. Specierum hieræ picræ dupl. aloe, massæ pilul. sine quibus. an. ℈j. fiant pilulæ cum aqu. euphrag. vtatur sæpè drageta communi à pastu.

℞. Aqu. fœnicul. chelid. rutæ. an. ℥6. aqu. ros. & berb. an. ℥j. misce pro ablutione oculorum.

℞. Seminis fœnicul. aceto macerati & exiccati. ℥j. pulu. euphrag. coriandri præpar. an. ℥ß. cinnam. & mast. an. ʒj. seminis end. mel. & citrij mundati. an. ℈ij. diarrh. abb. & diamarg. frig. an. ℈j. sacch. ros. quod suff. fiat puluis vtend. à pastu.

Frictiones capitis, cucurbitulæ, iussus mandere caryophyl. zedoariam, fœniculum dulce.

℞. Specierum aromat. ros. ℈j. seminis fœnic. dul. pulueris euph. an. ʒj. cinnam. ℈j. macis gra. 4. sacch. ℥iij. fiat. pulu.

CONSILIVM CVI.

Pro quodam qui iam per tres menseis integros laborârat, vt tantæ diuturnitatis causa in medicos tacitè referretur.

DVO maximè hoc loco quæruntur, quæ tam diuturni huius mali causa esse videatur: & an ars nostra tantùm possit, vt qui morbus, tum ratione sui, tum ex euentu fortè protractus est, is breuior artificio nostro reddatur. Nam hoc videmus in tacitis eorum qui huc venêre, & qui ægro assunt, aut amicitiæ gratia eum inuisunt, eo maximè animo vt si aut re, aut alia ratione iuuare possent, id ipsum lubentissimè præstarent ne amici

deessent officio: tacitis, inquam, animis, & mirum & latens esse, vt frequentiore & crebriore medicorum, & coitione & consilio promptius aliquod diuturni languoris præsidium expectent. Quasi factum sit, aut incuria medici qui quotidianam diligentiã præstitit, aut artis defectu, ac impotentia, vt qui morbus & specie, & natura longus futurus erat, talis fortè redderetur. Ac primùm & veterum autoritas, & ratio ipsa, & medẽdi vsus iam cõfirmauit necessariò morbos existere chronicos, in quibus potius ægrotantis miseri patientia tolerantiáque leniendum est desiderium, quam vt se sinat flagrantiore sanitatis (cuius absentia extabuit penè ac afflictus est) cupiditate languescere ac consumi. Vt iis contingit qui rem aliquam voluptate impulsi depereunt, tantóque magis affliguntur ac languent, quantò idipsum quod tantopere expetunt, longiùs abesse opinantur. At iis minuenda leuandáque opinio. Cum Hippo. scribit, *Naturæ morborum Medici.* Duo maximè proponit, & in morbis plerisque naturam cum arte concurrere ad oppugnationem morbi, & etiam sine arte, id est, sine artis manifesto ministerio, naturam morbos tandem euincere ac superare. Non quod hoc de natura elogio Hippocrates artis medicæ dignitatẽ offendat, aut tollat, sed vt & naturæ & arti, duobus morborũ oppugnatoribus, quæ debetur in euictione morborũ gratia referatur. Nam si sola hæc natura morbis mederetur, cur tot se fregisset laboribus in arte excolenda quę multis profuit. An tanquam quid fortuitum, & in fortunæ inani conatu positũ? Scio enim id quod à celso scribitur. *Cum in morbis multum & fortuna conferat, eademque sæpè salutaria, sæpè vana sint, dubitari potest secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. In his quoq; in quibus medicamẽtis maximè vtimur, quamuis profectus euidentior est tamen & sanitatem, & per hæc frustrà quæri, & sine his reddi manifestum est. Sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui à medicis diu diuexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quæ manu curat, euidens est omnem profectum (vt aliquid ab aliis adiuuetur) huic tamen plurimum trahere.* Et Aetius disputans de melancholiæ hypochondriacę curatione & essentia, monet, vt sæpè desistamus instituto, vt potè operam ludentes & temerè validis medicamentis nullum operæ pretium afferentibus miseros ægros fatigantes & vexantes. Vt iam infinitorum morborum cura

6. Epid. part. 1. sect. 5.

Cap. 1. lib. 7.

relinquatur, magno medicorum dedecore: Immò & plerique contumaces morbi magna cum eorum vituperatione, medicorum vocentur opprobrium: vt iam in iis tantùm morbis sese iactent venditéntque medici, qui sua sponte solóque naturæ adminiculo facilè sanarentur. Sed quorum morborum abstrusior est cognitio & paulùm ardua curatio, eos pro derelictis & conclamatis habent: in quibus tamen (si quis artis medicę, & honos, & vsus, & profectus esset) suam industriam & acuere & explicare deberent.

Atque idem ferè medicis contingit quod & nauium gubernatoribus. *Qui nauem regunt in tranquillitate, (si fortè aut deficiant, aut delinquant, non fiunt manifesti: cùm verò deprehenderit ipsos ventus & tempestas, palàm iam conspicui sunt omnibus hominibus quod & ignorantia & culpa erroris sui nauem perdiderint. Sic sanè & multi mali medici cum curant homines nil graue patientes: in quos etiam si quis grauiter delinquat, nil graue faciat. Sunt autem multi tales morbi, & multò sæpiùs quàm graues hominibus accidunt. In talibus sanè delinquentes non fiunt manifesti hominibus idiotis: vbi verò obtigerit magnus, & fortis & periculosus morbus, tum ipsorum delicta, & ars omnibus in conspicuo sunt. Nec enim longè absunt singulorum pœnæ ac cruces, sed breui adsunt.* Hæc Hippocrates. Atque his docet & artis vim, & medici industriam maximè elucere in magnis morbis, cum & leues morbi facilè per se ipsi sanescant, & si quid in iis satagat medicus nullum tamen operæ pretium faciat, cum nulla hic artis vis vigeat. Atque Aetium loco prędicto audiamus: *Multi melancholici ex efficacioribus vomitorijs malè habuerunt. At proinde operæ pretium est nosse, quod multi sic ægrotantes in tempore curationis parum commodi perceperunt. Dimissa verò curatione restituti sunt, natura ante curationem præualente contrà morbos debiles ex medela factos. Quapropter naturæ remissionem dare oportet. Videtur enim vnà cum curationibus affligi: in quiete verò inualescere & superare morbos iam attenuatos.* Cum itaque morbi, aut breues, aut longi sint, & in breuium curatione nil habeat quod ostentet medicus præsertim si leues sint, cum etiam solus sudor extemporaneam afferat medelam, longi autem solo naturę adminiculo tollantur: immò plus sępè ars ipsa officiat quàm prosit: videndum an non casu & fortuna sanitas contingat. Ac primum: idem olim in artem medicā omnium præstantissimam & apprimè ad humani generis salutem

Hippocrates lib. de veteri medicina.

Aetius cap. 10. Tetrab. 2. sermo. 2.

facientem coniiciebatur quod & nunc. Nam primùm quod desperatis salus artis ope restitui nequeat, id vitio arti tradunt: quod autem restituantur aliqui, id à fortuna pendere contendunt. Ac si cœcus & temerarius fortunæ conatus in hac maximè arte spectetur: Hippo. à talibus conuitiis artem, vtpotè innocentem quibus olim illam verberabant vindicauit. *Ego, ait, non priuabo fortunam tanquam nihil operæ pretij afferat. Puto enim morbis qui malè curantur infortunium accedere, qui verò benè, eos bonam fortunam nancisci.* At eo loco multam commendationem arti attribuit, quàm ipsi fortunæ detrahit. Alioqui ægris laborantibus erat ad fortunam confugiendum, non ad artem. Contrà tamen faciunt: ac sic orationi factum dissonat. Idem Hipp. superius dictum ampliùs confirmat: *Non est quod amplius aliquis sermone eorum qui sine medico conualuerunt casum spontaneum vero sermone vehere possit tanquam sanationis causam. Spontaneum quidem nihil apparet ac deprehenditur. Omne enim quod fit propter aliquid fieri comperitur: atque etiam in singulis adeo propter aliquid fieri videtur, spontaneum autem nullam essentiam habet, sed nudum nomen est. Medicina & essentiam habet, & de industria aliquid agit.* Et alio in loco prædictarius multò docet: *Medicina tota inuenta esse dicitur quæ sic medicabet & docet singulas consuetudines & occasiones. Qui sic medicinam nouit, minimè fortunam respicit, aut expectat, sed & citra fortunam, & cum fortuna rectè facit. Constans enim ac firma est medicina, & doctrinæ in ea optimè compositæ minimè fortuna egent. Nam fortuna sui iuris est, & nullius imperio subest, nec optantis est ad eam peruenire. Si enim morborum medicamenta clara sunt, non expectant sanè fortunam ad sanandos morbos.*

Hipp. li. de Arte.

Ibidem.

Lib. de locis in homine.

Sed est vbi medicus fortuna vti videtur, est vbi non videtur. Vt si cum dat pharmacum ad vnum finem tendens, & duo sequantur fœlices exitus, fortunatus dicitur: Contrà si dum datur medicamentum iustè & legitimè, & loco & tempore præscriptum, & in purgatione ipsa casu fortéque vena rumpitur, aut abscessus, cum hoc minimè medicamenti viribus tribui debeat, tamen δυστυχία, dicitur infœlixque euentus. Quæ omnia plenissimè ab Hippo. Describuntur in libris de morbis, & sub finem libri de locis in homine.

Lib. 1.

An fortuna partes aliquas in arte medica teneat disputatum est eo modo quo Galenus dicit fortunam: *Sæpè medico non contemnendam acquirendæ laudis occasionem porrigere, qua tamen ob im-*

Cap. vlt. lib. 5. de locis aff.

peritiam vulgus medicorum vti nescit: Nunc duo breuiter explicanda sunt, prius an artis defectus sit aliquis quod deploratis morbis nil opis adhiberi possit, posterius est vt quæramus de morborum longitudine, & cur ars ipsa non possit sæpè cursum tam diuturni morbi intercipere, quin aliquando annui, aliquãdo septennes morbi reperiantur. De priore Hippocrates abundè egit contra artis medicæ iuratos capitalésque hostes, qui illius artis, quæ tot antè seculis exculta, salutarẽ hominibus opẽ adiunxit, laudes obterere ac labefactare etiam Hippocratis ætate conabantur. At εἰρωνικῶς, Hippocrates in eos inuehitur dum ait, *Qui ideo reijciunt artem medicam quod ea victis à morbo suppetias non ferat, si medicis indignarentur quod ipsorum talia dicentium, vt delirantium curam non habeant, magis herclè meritò succensere debeant, quam iustam artis reprehendendæ occasionem habeant. Si quis enim ab arte potentiam in ea quæ non profitetur, requirat, aut à natura facultatem in ea ad quæ nata non est exigat, is ignorat insaniam potius dementiæ quàm ignorantiæ conuenire. Quare artis vim magis ex merito admiremur, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quam si impossibilibus & desperatis opem aliquam ferre studeat.* De priore satis hæc sunt. Nunc ad posterius.

Lib. de Arte.

Hippocrates mirus breuitatis autor, sed magnarum & sublimium rerum & adumbrator, & scrutator, passim duos humores constituit bilem & pituitam, & eos, τὰ συγγεγονότα vocat: huius hæc sunt verba, ἡ μὲν χολὴ καὶ τὸ φλέγμα γινομένοισί τι συγγίνεται, καὶ ἔστιν ἐν τῷ σώματι καὶ πλέον καὶ ἔλασσον: *id est, nascentibus nobis & bilis, & pituita congenerantur, suntque in corpore plus minúsve.* Eosdem humores solos duos statuit aliis quoque in locis. Libro quartò de morbis quatuor τὰ συγγεγονότα, *constituit bilem, pituitam, sanguinem, hydropem, siue aquam.* Galenus com. in Aphorismos dictum illud Hippocratis de duobus humoribus interpretatur: immò nomine τῆς χολῆς, omnes ferè humores laconicè intelligi docet. Eandem sententiam libri de morbis adumbrare videtur in epidemiis dum ait: *Si hominem calor corripiat, non à bile aut à pituita, sed à lassitudine, aut aliàs febriat, aqua multa irrigato, &c.* Ac si Hippo. omnẽ morbum humoralem, aut à bile, aut à pituita nasci doceat. Sed non absre hoc scripsit Hippocrates. Nam cum videret morbos omnes aut breues esse, aut longos, duo statuendi sunt humores qui illorum morborum causæ ac principia existunt. Non quod adeò ieiunus fuerit Hippocr. vt præter duos illos nullum alium

Lib. 1. de morbis.

Lib. de morbo sacro: Initio libri περὶ παθῶν.

Com. in Aph 42. lib. 7. Sub finẽ lib. 2. Epid.

ſubeſſe docuerit. Verùm vt experientia manifeſtum facit omnis mos, indoles & ingenium morborum, aut pituitam, aut bilem facilè reſipit.

Nam ſanguis facilè in bilem degenerat, immò & videtur Galenus dicere pituitam, per putrefactionem bilis naturam redolere: ſuccus autem melancholicus & pituita aliquid habent συγγενὲς, vt Galenus demonſtrat in Aphor. com. Itaque qui duos humores conſtituit, aliorum vim quodãmodo adumbrat, & ſatis indicat duo ſumma morborum genera, vnum acutorũ, alterum longorum. Atque illorum κρίσις, eſt & repentina mutatio litíſque conteſtatæ diremptio, horum verò λύσις, vt in libris de criſibus demonſtrat Gal. Itaque ex humorum natura qui interna ſunt inſitáque noſtræ generationis principia neceſſariò ſtatuere oportet morbos longos, alios breues. Vt omnem vim naturæ generationiſque primordia adimere conentur, qui omnes longos morbos, aut breues omnes eſſe poſſe credant. Sic humorum vis ipſa & natura pro morborum varietate pugnat. Atque Galenus & Hippocrates ex humorum varietate duo iſta ſumma morborum genera duxerunt: *Morbi acuti ſunt*, ait, *quorum natura in humoribus calidis conſiſtit, qui vel æqualiter per omnes partes animalis fuſi ſunt, vel aliquam partem obſederunt. Morbi verò longi ob lentos, craſſos ac frigidos humores fiunt qui non facilè concoqui poſſunt, & in partibus patientibus impacti ſunt. Ita vt eorum diſpoſitiones magis præduris tumoribus quàm inflammationibus ſimiles exiſtant.* Deinde ſubdit *morbos iſtos longos, aut atræ bilis, aut pituitæ naturam habere.* Porrò illud verum, quòd ſcribit Galenus omnes morbos diuturnos frigidos eſſe: quanquã in Epidemiis quoſdam affectus calidos diuturnos eſſe docet, & qui ſucceſſu temporis conquieſcant, ac præſertim ætate ſenili. Atque hos affectus, νόσους συντρόφους vocat, nomine τοῦ νόσου, generaliùs ſumpto; quemadmodum & ab ipſo Hippocrate fames morbus appellatur. *Immò generaliter, quicquid homini moleſtiam ac triſtitiam affert, id morbus vocatur.* Affectus autem iſti diuturni & calidi tamen ſunt renum paſſiones calidæ & hemicraniæ calidæ. Quanquam maxima ex parte ſuccus frigidus morbos longos facit, calidus breues. Quod & Galenus explicat, dum docet quid Hippoc. velit nomine veteris doloris aut recentis cranone oborti.

Itaque iam apparet quomodo ex parte humorum qui morborum ſunt parentes & cauſa materialis, alij morbi ſint longi, alij breues.

Com. in Aphor. 42. li. 7. Aphor.

Com. in Aph. 50. lib. 6. & 40 lib. 7.

Com. in Aph. 19. lib. 2. Hipp. li. 1. de morbis.

Com. in Aph. 39. lib 2.

Part. 6. ſect. 5. lib. 6. Epid.

breues,

breues. Eodem pertinet ætas, tempus, regio. Nam hyeme etiam omnes humores pituitescunt. Immò ex Hippocrate si medicamentum etiam quoduis hyeme dederis, pituitam multam eliciet, tametsi cholagogon sit, ob dominatum humoris illa tempestate, hinc qui in eam incidunt morbi, longi sunt, tum quia materia est contumax, tum quia vires ad tantam diuturnitatem ferendam sufficiunt. Sed præter humores qui causæ sunt aut breuitatis, aut diuturnitatis morborum, est & alia causa potentissima, nempe διάθεσις, quædam in partibus, quam efficere potissimum vult Galenus relapsum, & circuitionem morborũ. [2] Vnde tametsi omni arte curáque effeceris, vt humores pellantur, nihil tamen præstiteris nisi dispositio ipsa penitus sublata fuerit. Vt mirum sit cur post diuturnum profluuium quo omnis corporis sentina exhausta est, febres etiamnum maneant æquè pertinaces ac antè. Adeò magna vis ipsius διαθέσεως, ad alendum fouendúmque morborum semen. Ac propterea plerisque visum est tantæ in febre quartana diuturnitatis causam non aliundè petendam quam ex cancrosa dispositione in corpore lienis. Nam quas quartanas solus humor melancholicus accendit, eæ non sunt ita diuturnæ: Sed cum lienis ipsius temperies est mutata, citra inflammationem, aut scirrhum, aut obstructionem (quod de hepatis κακοπραγία, docet Galen.) mirum quàm protrahantur affectus ipsi. At cum nõ sit in manu medici, sitũ, istam aut partis διαφθοράν, aut διάθεσιν, aut notam quæ elui nõ potest, & quæ lanis assyrio colore tinctis similis est tollere (vt de alterato cerebro loquitur Gal.) non est quoque in potestate illius vt morbos inde natos, fautos, productos & altos tollat. Immò ne impediat sæpè quominus, aut septennis, aut septimestris morbus fiat. Itaque non humori hæc morborum tædiosa prolixitas, non naturæ, non artis impotentiæ tribuatur, sed isti partium διαθέσει, quæ fomitis instar & alit, & fouet & renouat morbos ferè extinctos.

Lib. de Natu. humana.

Apho. 25. lib. 2.

In fine lib. 2. differ. febr.

Cap. 8. lib. 5. De loc. aff.

Com in part. vltimam lib. 1. Prorrh.

ANNOTATIONES.

[1] *Ideo Hippo. lib. 2. Apho. monebat omnia secundum rationem agenti &c. Et Galen. aptè ad hunc locum, vt cum gutta lapidem ferit, vix est in lapide sensibilis paßio: sic in crudis coctúque difficilibus dispositionibus, in quibus cum aliquid fit cum ratione, non desistendum.*

Id fortaßis mirum fuerit, sed Gal. idem demonstrauit, com. ad part. 17. sect. 2. lib. 1. Prorrh. Vbi docet non proficere quicquam humorum euacuationem, cum iam morbus inductus est.

CONSILIVM CVII.

De Febre quartana arthritide & variis affectibus.

IOANNES FORMAGEVS dum iuuenis esset valdè famelicus erat & ciborum appetens. Vix famen satiabat. Obseruarunt primarij medici eos quibus, aut imbecillus est lien, vt potè non satis officiosè expurgās hepar, aut putris, voraces esse ac veluti voulimo quodam generaliter dicto occupari. Ac re-uera hic de quo nunc agimus splenicus erat, corpore & habitu melancholicus per adustionem, sed tamen moribus & animo satis festiuus & hilaris. Sed literæ illæ interiores, quibus vitiosissima etiam natura potest emendari (exemplo Socratis,) illū ad istam æquitatem & hilaritatem traducere potuerant. At febris quartana longa quâ detentus fuerat, & dolor fixus ad hypochondrium sinistrum, & apertio cadaueris satis testantur quale in liene vitium fuerit. Vix enim quis diuturna febre quartana, & nulla arte medicinali detinetur quin vitium sit in liene, & antecedens, & consequens. Antecedens verò vitium infirmitatem, aut in substantia ipsa aliquid latens & contra naturam quod congenerem affinemque morbum accersat, pariat, alat, foueat, & in multos dies ac annos etiam deducat. Si enim quādam congestionem, humoris melancholici sustuleris, quæ autumnalis, aut hyemalis quartanæ febris author esse potest, ferè fit, vt diuturnæ quartanæ focum habeāt in liene, sed tanto diuturniores fiant, quanto vitium est interiùs, vt totius substantiæ esse dicatur morbus, & κακοπραγία, contingat in parte ipsa. Cōsequens autem vitium voco, illud quod sequitur ex longa obsidione & occupatione ipsius partis. Nam non potest fieri vt morbus aliquis in parte diutiùs stabuletur, quin partem ipsam in qua resider infirmet officiátque, immò deteriorem faciat quàm antequam morbus ipse eam occuparit. Dolor autem qui illum sæpè affligebat in sinistro hypochondrio, satis indicabat

ſubeſſe quippiam contra naturam. Si verum illud quod ſcribit Hippo. *Vbi dolor & calor ibi morbus.* Et cum cibum ingeſſerat, cõquieſcebat dolor. Sic enim credeatur eſſe ab inanitione, quod ingeſto cibo miteſceret. At palliatiua & fictitia iſta erat doloris ſedatio. Atque eo modo multa fiunt & adhibentur quæ dolorem leniunt, cum tamen ea non ſint legitima illius doloris ſedandi remedia. Sed id fit κατὰ τὸ συμβεβηκός. Aperto autem cadauere putris & ſemilacer inuentus lien, & in magnam molem excreuerat, ſed corruptione propriæ ſubſtantiæ in partes veluti minimas conciſus & ſemiroſus videbatur. Præter autem naturale & inſitum ipſi lieni vitium, quod corpuſculum iſtud in tantam corruptionem adducere non poterat, ſed iuuare tantùm, cauſa erat προκαταρκτική, quæ noxam magnam intulerat ipſi lieni. Nam cum fortè in equum conſcendiſſet, vt eum fingeret & moderaretur, artis equeſtris parum peritus tanta vi ab equo depreſſus ac decuſſus eſt in ſolum, vt mirum fuerit cur repẽtè oppreſſus non ſit. Inciderat in latus ſiniſtrum, & pulmo & lien vitium ceperant. Nam lobi pulmonis ſiniſtri adhæſerant coſtis, & in liene ſanguis concretus erat qui è propriis vaſis effuſus, tandem ruptis tunicis quibus concludebatur inopinatam mortem eo quo dicemus modo, intulit.

Ad medium menſis Martij dolere cœpit pedem dextrum, reuera arthritis erat, eáque reſidua ex febre illa quartana de qua paulò antè dictum eſt. Nam narrabat ſe diuturnitatis ſuæ febris quartanæ tædio affectum omnia remedia vndique quæſiuiſſe quibus poſſet citò (ſed non tutò) febre iſta defungi. Conſultum eſt vt hauriret cyathum vnum aceti deſtillati aqua diluti. Reuerà febris viſa eſt extingui. Sed vice illius totũ corpus ſcabie eſt infectum, nec non ab eo tempore in magnis temporum mutationibus articularibus doloribus eſt impeditus. Cum ergo duos integros dies magno pedis articulo laboraſſet, & ad anodyna more ſolito confugiſſet, dum ceſſat dolor iſte, paulò poſt de doloribus hypochondriorum, & præſertim ſiniſtri conqueritur, in neutrum decumbere poterat. Erecta ceruice ſpirare cogebatur. Murmur erat magum & flatuum Ilias, dolores iſtos à flatibus eſſe putabamus, alij verò ab illius refluxu materiæ, & orgaſmo materiæ antecedentis, quæ eiuſdem erat naturę cum ea quę dolores articulares committebat. Reuerà autem, vt multis colligebatur argumentis, contra para-

doxon Fernelij dolores isti articulares non à capite erant, sed ab interno corpore. Etenim antè docuimus quomodo cessans quartana febris in arthritin cesserit. Credibile esse putabamus quod Hippo. in Epid. scripsisset: *Cui intestinũ in dextra parte dolebat & articulorũ morbo laborauit, erat quietior, postquã hic curatus fuit, erat dolẽtior:* Huius in com. Duas causas Gal. reddit: Priorẽ, *quod duobus doloribus vnà non eundem locũ infestantibus, major obscurat minorem:* Posteriorẽ, *quod humorum in artus currentium impetus ad colon intestinum conuersus est.* Allegabatur illud Hippo. De eo cui pollex in pede affectus tam repentinam mortem intentauit. Et de Caluo cui femur doluit & desinente femoris dolore mentis alienatio subinde est consecuta, & quarto die mors. Ac tam subita spiritus interceptio, tam subitus dolor, & impotentia decumbendi in alterutrum latus, magnam translationis symptomaticæ à parte affecta, ad ventrem suspicionem afferebat. Et reuerà adiuuans causa esse potuit, datum medicamentum ex Catholicone: totus dies quo datum medicamentum plenus fuit molestiarum & leipothymiarum. Quæ excernebantur erant virulenta: & istas animi defectiones, à motu istius virosæ materiei esse putabamus. Vox faucibus penè hærebat, facies ferè hippocratica reddita est repẽtè. Quod omnibus terrificum fuit. Accusabatur medicamentum innocẽs, quod satius fuisset secare venam quam purgare. Duabus tribúsue de causis abstinendum fuisse à medicamento contendebant: prima est in generali illo proloquio firmata, quoties duorum solennium remediorum purgationis, & venæ sectionis vsus incidit necessarius, à phlebotomia est auspicandum: quod cum aliàs ex vsu esset, tum maximè in isto casu erat vsurpandum. Nam inflammatio, & dolor qui aderat, & orgasmus maximè phlebotomiam postulabant. Sed inter cæteras causas orgasmus. Nil est enim quod efferos, & tumultuariè agitatos humores compescat æquè cito ac phebotomia. Quod non citò, nec tam facilè facit purgatio. Immò purgatio sæpè turbat humores, & motu ipso deteriores reddit. Omnis enim humor prauus motus, deterior seipso fit dum quiescit. Ac præsertim ad sectionẽ venæ festinandum est, cum per vasa fluxus, refluxúsque esse videtur. Quod si in ventre humor est ac veluti à massa secretus, tum per aluum, aut aliam commodam viam, aptè repurgatur.

Part. 3. sect. 4. lib. 6. Epid.

Histo. 9. sect. 3. lib. 1. Epid.

Com. in partic. 6. sect. 1. lib. 6. Epid.

a Alia ratio quæ nos ad sectionẽ venæ adducere debuerat, est illud quod vulgò obseruatur, in articularibus doloribus, & vo-

mitionibus, & cholera morbo, dum humor est in motu, agitatúrque huc & illuc, à medicamentis purgantibus magna infertur noxa, si tum vsurpantur, cum humores efferi sunt, ac tumultuosè euagantur. Nam rursum agitati à medicamento efferantur magis, & naturæ vis infertur, vt quæ lædatur valdè ob dolores varios quos modo in hac parte, in quàm repit humor, persentit, modo in illa in quam suam tyrannidem humor illabens exercet. Immò fatiscit sæpè natura in eiusmodi purgationibus repentè factis dum humor ὀργᾷ, nisi expectes sedationem aliquam & quietem ipsius humoris. Quod si tibi certò constaret medicamenti vsu humorem vagantem variásque in partes deductum, in ventrem liberumque spatium impulsum iri, quo natura sese illo facilè expediat, tunc tutò purgabis. Sed quia sæpè dum tu intendis auocare humorem, & in aluum intestináque tanquam idonea & conferentia ad euacuandum loca, intruditur humor in partes inanes & membranarum interstitia, vnde crudelissimi oboriuntur dolores, præclarè consulunt, vt coquatur humor: id est mitigetur, reprimatur, modificetur; (nam coctio propriè dicta humorum est crassorum, non autem, tenuium & efferorum,) ne impellatur, quò non oportet, & maiores in ea parte excitet turbas quam antè, & vis naturæ inferatur. Propterea ita audire oportet sententiã istam. Alioqui facilè quis persuaderi possit, tum maximè purgationi locum esse cum turbatur & vagabundè incitatur humor. Ideò dum in arthritide dolores implacabiles excitantur; modo in hac, modo in illa parte, propter raptum humorum, conferret (dicet aliquis) humorem purgare: non expectare donec quiescat, quia fortè serò nimis id fieret, & metus est ne dum ita fuerit effrænis humor, nobilẽ partem obsideat, antéque illam suo virore contaminet quam opẽ subsidiúmq; presens afferre possis. Ratio autem ista versatur in Aphorismo Hipp. *Concocta medicari oportet, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant.* Dum addit, *modo non turgeant,* videtur insinuare occasionem purgandi maximè dum iactatur humor, nec cõsistit. Ac si dicat Hippo. tum maximè purgationi locũ esse cũ impetũ humores faciunt, & dolores suo motu excitant: Nã motus iste quodammodo adiuuabit & attractionem & exclusionem. Cõtra si figi humorem siuerimus, & tempore ad eum exigendum opus erit, & maiore vi amoliendi humorem iam consistentem.

22. li. 2.

In Comment. & fixum. Cui opinioni Galenus subscribit nos admonens, vt primo quoque tempore accingamur ad amouendos vacuandósque humores qui insolenti motu & tumultuario huc atque illuc feruntur: verba Galeni hæc sunt: *Tales humores euacuare conuenit, hoc est, qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt. Eos verò qui sunt aliqua in parte firmati, nec alio auxilio mouere oportet, nec medicari antè coctionem. Tunc enim naturam habemus euacuationi adminiculantem, &c.*

Atque ex hoc loco adduci facilè possumus, vt in clamosis ipsis arthritidis doloribus corpus repurgemus. Tamen cauendum id est valde: alioqui dum commouebis humores, verendum est ne eos inflammes, & in partem affectam incites & impellas, & consistendum in eo quod diximus antè: Si dum purgans medicamentum damus, nobis constaret mitificatum esse & quodammodo repressum humorem qui tantas in corpore excitat tragœdias, & liberos esse exitus, tutò id quidem fieret. Sed cum in artus, aut per vasa, aut per inanitates feratur, metus est ne augeatur fluxus: Ideò videndum, vt dolores placentur (quibus infirmum corpus redditur) quos excitat materia coniuncta, & è vasis elapsa, at tutò tum ad antecedentem concurres. Quanquam concedimus clysmata, aut eccoprotica, non ea quæ calore suo, & vi incitent magis humores & commoueant. Ac præsertim cunctari oportet, & à valido medicamento abstinere cum materia est valdè effera nullúmque pepasmũ admittit. Contemperanda est potius, deinde contemperata mitificatáque impuniùs euacuabitur. Materia autem arthritin faciens ferè illius modi est. Et eo fortè in sensu Hippoc. eos qui prauo vtuntur cibo ægrè medicamenta ferre scribit, nomine eorum qui prauo vtuntur cibo, iis intellectis, & qui prauos assumunt cibos, & quibus intus tanquam diarium reconditi sunt humores praui, qui nomine τῆς τροφῆς, maximè comprehenduntur Hippoc. libro περὶ τροφῆς. Sed ista relinquamus.

Aph. 36. lib. 2.

Mors quę repentè ingruit non fuit (quemadmodum putabamus) recursus illius materiæ quæ in pede dolores excitauerat, aut suppressę materiei virulentę & antecedentis cōmotio, sed ruptâ veluti vomicâ interiit. Etenim pulsatio erat in hypochondrio sinistro adeo potens, vt quęcunque ei hypochondrio superessent ea subsultarent: & pulsatio talis percipiebatur, qualis in abscessibus ad suppuratũ tendentibus. Sed quæstio vnde

collectio iſta ſanguinis. Eam ad caſum prædictum referebamus, vt idem ei contigerit quod & Barnabæ Pantho conſarcinatori, (de quo ante) qui apoſtema annum ferè fouit ac aluit intus à caſu inflictum, quo repentè interiit. Et reuerà caſus iſte iuuare potuit, & infirmitas lieni innata quæ tam diuturnam febrem quartanam fouerat. Quanquam audio illum ſolitũ eſſe queri de ſiniſtro hypochondrio ante caſum iſtum. Sed infirmitas & debilitatio partis & mala diatheſis maximè effecit, vt res admodum leuis, & occaſio exigua tam formidandum malum aduexerit. Nunquam memoria noſtra tam altè palpitans pulſánſque hypochondrium contigeramus. Vt mirum non fuerit ſi ei pars hæc doluerit ſemper, & ſi ita repentinæ cladis interitúſque cauſam intus fouerit. Ac initio quidem tanti momenti rem eſſe nõ putabamus. Sed quemadmodum Galenus annotat, *In doloribus ita obortis nec præcipitanter timidum, nec temerè ſecurum eſſe oportet.* Ac nos fateri oportet mali eſſentiam ignoraſſe deceptóſque ſimilitudine tantùm. Idem de ſe confeſſus eſt Hippocrates, ait Celſus, more magnorum virorum & rerum magnarum fiduciam habentium, quibus nimirum conuenit ſimplex erroris veri confeſſio præſertim in eo miniſterio quod vtilitatis publicæ cauſa memoriæ traditur. Quod ſi cuiuſmodi euentus rei foret animaduertiſſemus, nec rem in certa deſperatione poſitam antè nouiſſemus prognoſtico (quod aiunt) reliquiſſemus. Nec illud eueniſſet, magnâ artis noſtræ quæ multis eſt auxilio, calumniâ, quod contigit. Nam tribus à venæ ſectione horis, derepentè arteria vaſisque aliis, vt credibile eſt, in lienis regione ruptis interiit. *Turpis autem eſt calamitas dato medicamento eodem die ægrum interire*, ait Hippocra. Idem de phlebotomia ſolenni remedio dici poteſt. Et quemadmodum præclarè ſcribit Celſus: *Prudentis eſt hominis primùm eum qui ſeruari non poteſt non attingere, nec ſubire ſuſpicionem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit.* Aliáque commemorabilia illic ſcribuntur. Sed mirum quod contigit: Natura conabatur per vas venoſum in capacitatem reiectare eum ſanguinẽ qui ſua copia & quantitate moleſtus erat: vnde adeo intumuit induruitque ventriculus, vt ſaxeus lapideúſque eſſe videretur. Sed, credo, libera non erat via qua id præſtaretur. Ac plerique eructatione viſcerum in ventriculum aut ſan-

Com. in hiſtoria 5. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Cap. 4. lib. 8.

Lib. de medica. purgantibus.

Cap. 26. lib. 5.

guinis, aut humoris à subita repentináque morte sunt vindicati.

Cap. 1. lib. 6. loco. aff.

Atque eum in sensum ita scribit Galenus de euacuatione sanguinis ex corpore lienis, eáque naturali: *Lien, ait, hepatis exemplo excrementa ex se reiicit, itavt & vomitione melancholicum sanguinem aliquando excernat, qui interdum per inferiora quoque decedit.* Et alio loco ita scribit, *Sunt qui putent nequaquam fieri posse vt sanguis vel ab hepate, vel à liene effluens per ipsum euacuetur: similiter de pure ab ipsis erumpente existimant: Verum per artis exercitationem vtramque opinionem contemplanti mihi, visa est per ipsum ventriculum fieri euacuatio ex dictis visceribus.* Non dicit an id commodè fiat, an non. Sed generaliter de his dictum in aphorismis: *Sanguis quidem suprà, qualiscunque fuerit malus, infrà bonus.* Tamen aliquando videmus excerni. Et iuuari ægros plurimùm tali excretione, si modo sint ferendo: Item si non sit perennis generatio, sed tantùm congestio. Quomodo & Galenus docet prauas etiam vrinas tum colore, tum substantia, tum contentis laudabiles esse ob eam commoditatem quæ inde consequitur. Nam, vt ait, tales vrinæ excernuntur viscere aliquo ac præcipuè iecore sese repurgante facultate sua expultrice.

Cap. 6. lib. 5. De loc. aff.

Aph. 25. lib. 4.

Cap. vltimo l. 5. loco. aff.

At verò in dextro hypochondrio παλμὸς, erat iste & pulsus qui aneurisma subesse declarabat. Itaque ne quis decipiatur eadem ratione qua nos decepti sumus de aneurismate, palmo & pulsatione valida in parte aliqua, paucis est expediendum. Hippocratem dicunt aut nunquam, aut rarò in libris qui extant meminisse, τῶ σφυγμῶ, eo modo quem accipimus, & Galenus ipse accepit in longa enarratione de pulsibus. Sed quoties nomen τῶ σφυγμῶ, reperitur in germanis libris Hippocr. pro manifesta & sensibus conspicua arteriarum pulsatione sumitur. Sic in Ep. scribit, *Cui vena in cubito pulsarit, insanus & iracundus est*, Græcè, ἡ φλὲψ σφύζει: Vtitur verbo σφύζειν. Et in libro acutorum loquens de vsu vini meracioris, ait, hoc autem meracius sumptum παλμὸν τῶ φλεβῶν, id est, σφυγμὸν ποιεῖ facit: Et alio loco dum loquitur de iis qui plus solito comedunt, οἱ κρόταφοι πάλλονται id est, αἱ ἀρτηρίαι ἐν τοῖς κροτάφοις κινοῦνται καὶ σφύζουσι, arteriæ temporum micant & pulsant manifestò, nomine τῶ σφυγμῶ τῆς φλεβὸς ἀντὶ τῆς ἀρτηρίας, vetustè sumpto. Et Hippocrates τῶ σφυγμῶ, nomine, generaliter παλμὸν continet καὶ παλμὸν δὴ κίνησιν, vt vocat Galenus

Vide c. 8. lib. quod animi mores.

Hæc Gal. cap. 9. lib. 6. De Decretis Hippo.

Sectio. 5. lib. 2. Epid.

Lib. 2. de Diæta acut.

Cap. 9. lib. 6. De Decretis.

Galenus in Aphorismis (vt paulò post dicemus) omnémque motum cordis & arteriarum, siue is naturalis sit, siue contra naturam. Quanquam vt propriè accipiatur nil nomen σφυγμὸς, homonymon habet vt contra Agathinum disputat Galenus. Agathinus enim nomine σφυγμȣ, & pulsum propriè dictum, & palpitationem, & vehementem istum motum qui in furiosorum hypochondriis percipitur comprehendebat. Et tamen ea in re Hippocratem fortè secutus est Agathinus. Sed debuerat nosse Hippocratem nondum de proprietate τȣ̃ σφυγμȣ̃ statuisse. Galenus verò diligens scrutator doctrinæ de pulsibus, rerum distinctiones diligentiùs persecutus est.

Com. in Apho. 5. lib. 4.

Cap. 11. lib. 4. De Different. puls.

Sed de pulsante hypochondrio, seu palpitante, nunc pleniùs dicamus, huius meminit plerísque in locis Hippocrates. Propriè autem palpitans hypochondrium, vel cum pulsus percipitur à medico, aut ab ægro eo modo quo dum contingitur arteria in carpo, vel cum tumultuariè palpitat hypochondrium, vt idem percipiatur quod in corde dum palpitatorio motu agitur vitio vel existente in corde ipso, eiusque ambiente membrana, vel aliundè elata materia subuectáque in cor. Ac primum de Sileno; *Hypochondrij contentio submollis vtrinque promissa ad vmbilicum.* Gal. in comm. de contentione illa Hypochon. & de palpitatione assidua eiusdem Hypochondrij loquens, (nam Hippoc. addit sub finem historiæ, *Hypochondrij perpetua palpitatio fuit,*) Ita scribit: *Palpitatio illa perturbationis, vel delirij signum fuit, videtur & aliqua inflammatio fuisse in septo transuerso. Dum enim,* ait Hippo. *Submollis contentio Græcè* ὑπολάπαρος, *id est,* ὑποκενὸς, *subuacua, id est, citra tumorem qui tumor adest cum hypochondria inflammantur. Sed vbi inflammatione septi transuersi hypochondrium per continuitatem sursum trahitur, contenditur absque tumore.* Atque illo loco apparet hypochondrij palpitationem perturbationis signum esse aut delirij. Et hoc in acutis morbis verum est. Hinc Hippocrates in prognosticis ita scribit[6]: *Si pulsus insit hypochondrio, Græcè,* ἢν σφυγμὸς ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ, *perturbationem significat, aut delirium, Græcè* θόρυβον ἢ παραφροσύνην: pulsum intelligit perceptionem motus arteriarum, aut à medico, aut ægro sine admotione manus. Quidam legunt non pulsum, sed palpitationem, vt legatur eodem modo quo & in historia de Sileno cui erat palpitatio in hypochondrio assidua, eáque aut perturbationis, aut delirij erat velut antèsignanus & prænuntia, quan-

Histo. 2. sectio. 3. lib. 1. Epid.

Particul. 31. lib. 1. prognost.

quam de vera palpitatione hoc non poteſt audiri : hæc enim à ſpiritu craſſo & flatulento fit. Sed pulſus & palpitationis nomine audienda vehemens & perceptibilis quædam motio arteriarum, aut magnæ arteriæ dorſo incumbentis, eo modo quo in magnis inflammationibus, ac præcipuè cum ad ſuppuratum tendunt, contingit. Nec enim omni inflammationi pulſus adeſt, ſed ſi ea ſit ingens, & ſuppurato proxima, vt ait Gal. Atque apud Galenum locus eſt præclarus quo docet palpitantem motum in magnis inflammationibus contingere: conſentit enim iis qui iſtum Aphoriſmum ita interpretantur: *In febribus circa ventriculum, & fortis æſtus, & cordis morſus, vel dolor, malum: nomine* τῶ καρδιωγμῶ, *audiunt quidam* (ait Galenus) *crebrum & velocem cordis motum & præcipuè palpitationi ſimilem. Ac tum extremum malum ſignificatur, vim ſcilicet vitalem maximo incendio laborare.* Ergo pulſus ſeu palpitatio, ſeu perceptibilis motus arteriarum in hypochondrio delirium facilè declarat & perturbationem: delirium quidem ſi cætera conſenſerint. Ideo ſubiunxit Hippoc. Sed oculos inſpicere oportet, &c. Sed maximè delirium ſignificatur, ſi inflãmatio ſit, aut in ventriculo, aut in ſepto trãſuerſo, eáque quæ in ventriculo ſatis inſignis, vt in cõmentario ſcribit Galenus. Iecur & lien, & magna arteria partes ſunt in corpore quæ momẽtaneę ſunt[7], & maximè magna arteria, ait Galenus, quæ ſi inflãmatæ fuerint fortè non illud deliriũ quod aut vẽtriculus, aut diaphragma inflãmata afferunt, inducet, ſed perturbationẽ. Quanquã ſi inſignis inflãmatio fuerit, pernicioſum & lethale eſt. Et nomine perturbationis Galen. *Vult intelligi cõmune accidens periculoſarũ omnium affectionum ex quibus non modò ægri, ſed & medici perturbantur*: Vt delirium & inſania ſit quid maius quam perturbatio: ſed ipſa perturbatio adeſt proximè ad delirium accedens. Volunt quidam perturbationem ſignificare timorem quendam de periculo mortis, & ipſius ægri turbationem, nempe corporis ipſius. Atque duo hîc notare oportet, prius cur Galenus dixit perturbationem dici relatiuè, & ad ægros, & ad medicos. Hoc enim ridiculum videtur: Poſterius quid ſit intelligendum, per verbum ἐνέειν. De priore dicam. Miror cur Gal. dicat pulſum ſignificare perturbationem, id eſt, vt perturbetur & æger tum animo, tum corpore, & medicus videns ipſum pulſum hypochondrij. Nam idem Galenus, Ridet ſimilẽ interpretationẽ dicti Hippocra. in Prorrh. &c. *Faciei color*

Cap. 1. lib. 3. Method.

Part. 14. lib. 2. Prorrh.

bonus, & mæſtitia multa, malum. Subſannat enim interpretes Hippoc. qui referebant nomen mœſtitiæ ad medicos, & ad ægros: ad ægros quod qui colore rubro ſaturati ſunt facilè in melancholiam incidant, dum corpus perſpiratione caret, vt docet Galenus περὶ ἐξερύθρων: & ad medicos, vt qui doleant & terreantur, cum viderint bonum colorem in ægro præter rationē Poſterius eſt de verbo εἰλεῖν. Vtitur enim verbo iſto cum magna energia & ſignificationis vi: Significat enim vel pulſum, vel palpitationem profundam, vt excludatur pulſus & palpitatio muſculorum abdominis, qui aut pulſantes, aut palpitantes, nec delirij, nec perturbationis ſignum dant vllum. Præterea in tertio Epid. dum loquitur de Philiſta ait, dextrum hypochondrium, intrò contractum eſt ac inclinans: & in Com. Gale. ait, Hypochondrij contentionem fieri cum ſeptum tranſuerſum alias partes conuellit: tenditur autem ſeptum per idiopathiam & ſympathiam. Per ſympathiam ratione pleuritidis ob inflammationis magnitudinem, & ob neruorum ipſius tenſionem. Per idiopathiam ob ipſius inflammationem. Denique inflammatio lienis, hepatis, & ſepti tranſuerſi eam contentionē hypochondriorum afferre ſolet Galeni opinione. Denique vt generaliter dicamus quoties apud Hippocratem legitur, Hypochondrium hoc vel illo modo contentum eſſe, in eo febrilis affectionis ſedem eſſe oportet, ait Galenus. Comment. in hiſtor. de Hermocrate, hiſt. 2. ſectio. 1. lib. 3. Epid.

Cap. 7. lib. 3. de loc. aff.

Hiſtor. 4. ſect. 2. lib. 3. Epid.

Com. in hiſto. 8. ſect. 2. lib. 3. Epid. & Hiſtoria vltima lib. 3. Epid.

Atque ſunt plerique alij loci, in quibus palpitantis Hypochondrij meminit Hippo. vt in hiſtoria eius qui in dealcis horto iacebat, lib. 3. Epid. ſcribit, *Ad vmbilicum perpetua erat palpitatio.* Et in Coacis, *Iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt, Sanguinis autem fluxio horrorem efficit. Item, dolores circa vmbilicum palpitatorij habent, & aliquid mentis emotorium, &c.* Ac de ægro noſtro hoc verum fuit quod & in Coacis Hippo. ſcribit: *Quibus præcordiorum dolores, oris ventriculi, hepatis, partium circa vmbilicum hi ſanguine per aluum egeſto ſeruantur, non egeſto moriuntur.* Quis enim dubitat quin ſi per venam a liene in ventriculum tendentem, aut per aluum fluxiſſet, ſanguinis copia ſeruatus fuiſſet? Atque ad perpetuam memoriam hoc eſt menti infigendum, quoties quis etiam dum rectus agit de dolore hypochondriorum præſertim profundo conqueritur, oportet non temerè ſecurum eſſe, ſed verendum eſt de reali-

Hist. 13. sect. 3. lib. 3. Epid. — *Com. in part. 15. sect. 1. lib. 3. Epid & Et com. ad Historiam de Sileno lib. 1. Epid.* — *Aph 20. lib. 6.* — *Gal. in Com. Aphorismi illius.* — *Cap. 3. lib. 2 De locis aff.* — *Com. in Aph. 20. lib. 6. Et com. in part. 9. sect. 2. lib. 6. Epid. Lib. de humoribus.*

qua latente. Declarat hic noster æger, & Apollonius in Epidemiis cui consuetus dolor erat ad dextrum Hypochondrium, & hic mortis causa tandem fuit, cum leui alia de causa laborasset. Nam mirantur aliqui sæpè nos leui de causa in morbos incidere: at hęc per se non est causa sufficiens: *Etenim*, ait Galen. *Sunt quædam quæ per se ipsa cõmittere morbũ nequeunt, quæ si ad corpus morbo opportunum accesserint, totius causam morbi creduntur sustinere.*

Duo nunc restant breuiter explicanda, prius de sanguine cur non conuersus in pus fuerit tanti temporis diuturnitate: posterius de aneurysmate. ¦De Priore dicam, Hippocrates ita scribit; *Si in ventrem sanguis preter naturam effunditur, necesse est suppurari* Græcè ἐκπυηθῆναι, id est, φθαρῆναι, corrumpi & in pus verti. Ac primum nosse oportet id quod placet Hippo. Si vnquam sanguis à propria cauitate in aliam quamcunque peruenerit, omnino est impossibile vt sanguis permaneat. Sed an necesse suppurari? Non placet Galeno, cum suppurari nomen sit vnius mutationis in sanguine factæ. Itaque generalius retulerunt ad τὸ φθαρῆναι, id est, vitiari. Sed tribus modis vitiatur sanguis, aut enim in pus vertitur, aut liuescit, aut grumescit; grumescit autem præsertim si in magnam cauitatem ceciderit. Atque non mirum si in ægro nostro non suppuratus fuerit sanguis, sed nigrefactus, & in grumos versus: erat enim magna pars eius in amplam cauitatem elapsa. Nec necesse fuit in grumos verti quod quibusdam placere visum est. Et Galenus ait, dolor pulsans inflammationis est comes, suppuratio autem magnarum tantùm inflammationum comes est. Sic sanguis in ventrem illapsus non propriè suppurat, nisi adsit inflammatio magna. Cæterùm in magnis inflammationibus, & phlegmonis sanguis per minimas partes dispergitur¦in eas cauitates quæ sunt in musculis quas sola ratione contemplamur: sed in ecchymosi in spatia quæ vasis circumiacent effunditur, vt ait Galenus. Ac obiter ne quis dissimilitudine vocum decipiatur aliud est, ἐκχύμωσις, aliud, ἐγχύμωσις. Nam ἐγχύμωσις, significat suffusionem humoris non egressi è propriis conceptaculis, (vnde τὰ ἐγχυμούμενα vocat) ἐκχύμωσις autem significat effusionem humoris è propriis conceptaculis eo modo qui dictus est. Et Galenus vocat τὰς ἐκχυμώσεις, ex vasculis effusiones & inanitiones. Sic quamdiu sanguis à natura regitur ac præsertim si in magnam capacitatem effusus fuerit, non vertitur in pus, aut aliquid simile,

præsertim si inflammatio, aut ingens fuerit febris, quæ sangui-
ni vt & humori omni facilè malam qualitatem accersat, sed ma-
net in grumos versus. Ac in ægro nostro multus erat effusus,
deinde rursus aneurismatis ruptio repentinam mortem attulit.
Sic iste magnus & apparens pulsus non delirium significabat,
sed contineri aliquid contra naturam in capacitate ista, & arte-
riam dilatatam valdè. Ac fortè de isto ęgro audiri potest
Aphorismus lib. 4. *Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis,*
siue quouis alio modo extenuatis nigra bilis, siue vti sanguis niger de-
subter exierit, postridie moriuntur. Sed inter cæteros locos vnus
est commemorabilis libro primo de morbis: *Sæpè quibus vena-*
rum aliqua rupta est à laboribus, aut exercitiis, cum coaluerit alio tempo-
re iterum rumpitur: Vbi verò iterum rupta est sanguinem fundit, &
statim pereunt sanguinem multum fundentes, pus autem per totum
diem excernentes, cõsimili modo pereunt, Veluti in aliis morbis di-
ctum est. Hæc Hippocrates. Ceterùm de aneurysmate,
aut aneurymate cum litera, y, dicendum puto, quod ad tumo-
rum genus relatum sæpè videtur, & tamen de eius vera essentia
nondum planè constat. Galenus de aneurismate, ita agit: *Cum*
quis secare venam ratus arteriam vulnerarit, ægrè confestim sanguis
compescitur. Tamen si res optimè cadat perducta nimirum ad cicatri-
cem diuisione, tamen aneurisma fit. Sic ea essentia est aneurismatis,
vt dilatatio vulnúsque etiamnum ipsius arteriæ adsit, cutè ad
cicatricem perducta. Magna porrò quæstio est, an in aneu-
rismate sit dilatatio solùm, potè vena, aut arteria, ob sanguinis
impetum valdè ampliata, ac dilatata, an reipsa sanguis è vase
sensim profluat prosiliatque. Et id pertinet ad ea de quibus
iam à nobis actum est, dũ quæreremus an necesse sit sanguinẽ
è proprio vase elapsum, sed tamen aliqua ratione in capacitate
retentum ac cohibitum, putrescere. Si enim in aneurismate
sanguis & spiritus è vase effluxit, si corrumpitur, cur nõ abscess-
sum facit, & pus fit? Quæ ratio impulit Fernelium, vt credat
id non fieri: *Credi vix potest*, ait, *per varicem & aneurysma ruptam*
apertámque esse venam aut arteriam. Si enim sanguis è vena aut arte-
ria persiliens, non amplius illis contineretur mox corruptus putresceret,
tumórque fieret generis diuersi. In quo à Galeno in duobus dissen-
tit. Eam esse aneurysmatis naturam statuit, vt sectæ arterię vul
nus maneat, arteria nimirum, nec coëunte, nec glutinata, nec
[illegible] Si vulnus manet, ergo vt sanguis, & spiritus de-

Aph. 28. lib. 4.

Cap. 28. lib. de sang. miss.

Cap. 3. lib. 7. Patho.

Lib. 2. de tumoribus contra naturã.

ſiliat neceſſe eſt. Tamen hoc abſurdum eſſe Fernelius contendit. Poſterius in quo diſſentit eſt, quod ſi ſanguis efflueret, putreſceret, & abſceſſum diuerſi generis faceret. At iam ſuperius ex Galeno docuimus non eſſe neceſſe, vt ſanguis è vaſis ſuis elapſus putreſcat ac ſuppuret. Alias enim mutationes ſubire poſſe ſanguinem à pure demonſtrauit. Tamen probabilitate quadam nititur opinio Fernelij. Si enim maneret arteria aperta, intra dies aliquot, aut intumeſceret valdè pars, aut ſi præ conformatione obſequi ampliúſque dilatari non poſſet, creparet diffringeretúrque media. At aneuryſma diutiùs etiam duraſſe oculata teſtatur fides. Aut igitur ita vulneratum vas conniuet, vt parum admodum tranſiliat ac exudet, aut ſi vas apertum hiánſque ſupponitur, breue intrà tempus abrumpitur tumor: vnde Galenus lib. de ſanguinis miſſione aſſerit ſe aduocatum eſſe vt arteriæ vulneratæ mederetur in malleolo, quod ſanguinis curſus non poſſet cohiberi, credibile eſt aneuryſma fieri non potuiſſe, quòd aperto nimis arteriæ corpore ſanguis & ſpiritus largiùs coeffunderetur. An verò neceſſario è vaſis propriis effuſus ſanguis putreſcat, alius fortè eſt loci atque temporis. Cæterùm aneuryſma à varice ſeiungunt, quod varix ad venæ dilatationem referatur, eámque à ſanguine, aneuryſma autem ad arteriam dilatatam idque copia ſpiritus & ſanguinis tenuioris. At varix in cruribus propriè intelligitur, quanquam & ad alias partes poteſt pertinere. Hippocrates dilatationem venarũ in pulmonibus veluti varicoſam aſtruit, idque σπαδῶνα, vocat ἀπὸ τοῦ σπᾶσθαι, quòd præ dilatatione diuellantur membranæ præ ſanguinis copia ibi inundantis Et ſic in omnibus corporis partibus ob violentum aliquẽ conatum ille σπαδὼν, ſeu, κιρσός, poteſt contingere. Et eodem modo ſe ſe res habet in aliis partibus ac in cruribus. Aetius de aneuryſmate abundè diſſerit, & eius interpres communiter vaſorum dilatationem vocat: vel quòd omnis vaſorum dilatatio aneuryſmatis nomine præhendi poſſit, vel quòd aneuryſma æqualiter, & ad arterias, & ad venas pertineat, vel quod cum aneuryſmatis naturam conſtituat arteriæ ſectio, alia ſimul vaſorum ſit dilatatio & explicatio. Atque in omnibus corporis partibus aneuryſma fieri poſſe docet, ſed in quibuſdam peculiariter. Deinde ſubdit: *Oritur autem omnino vaſorum dilatatio, aut dum ſanguis & ſpiritus ex arteriis*

Com. ad Aph. 20. lib. 6.

In libris de morbis.

Cap. 10. ſermo. 3. Tetrab. 4.

persultant, aut dum oscula earum rumpuntur, aut aperiuntur. Sanguis autem & spiritus paulatim excreti sub cute colliguntur. Et tunc signa sunt certa eius rei, (de quibus eo loco) vt tumor paruus aut magnus, concolor, indolens, ad tactum mollis & spongiosam laxitatem præ se ferens. Digitorum pressui cedit, vt ferè euanescat, sed amotis digitis statim reuertiturus: Id quod in aneurysmatis quæ sine vulnere fiunt apparet. Sed cum arteriæ vulnus præcessit, & deinde coalescente cute vasorum dilatatio contingit, tumor non similiter mollis percipitur. Sanguis enim copiosior spiritu est, qui in grumos coit, & tumorem attollit. Sic explicat clarissimè aneurysmatis naturam, & paucos animaduertisse credo illius morbi veras notas. Et ex eius doctrina licèt aneurysmatis omnis duplex genus statuere, vt aliàs sit cum vulnere arteriæ, atque tunc plus sanguinis quam spiritus est, coeffunditur enim ratione vulneris: vel sine vlcere est, quod fit, ait, ob conatum, aut causam externam, aut internam. Internam vt in melancholicis in quibus malignitas est sanguinis. Atque fit vera dilatatio, & effluxio spiritus & spirituosi sanguinis per quandam διαπήδησιν, quandam speciem ἀναστομώσεως. Quanquam in quibusdam sine apertione manifesta, aut ruptione potest fieri dilatatio eo modo quo in varicosis venis. Quis enim dicat effluere è vasis ruptis, aut erosis, aut apertis sanguinem? Quę opinio impulit Fernelium, vt crederet non exilire è vasis sanguinem in aneurysmate. Sed errat Fernelius, & quicunque credit, aut in omni aneurysmate esse effluxionem reipsa factam, aut nunquam effluxionem esse. Vtérque enim grauiter errat rerum ignoratione & neglecta autorum authoritate. Cum Hippoc. vt paulò antè memini & docet in pulmonibus σπαδῶνα, fieri & vasorum σπάσματα, (vulsuram ad verbum Cornarius vertit) vt in vasis sit tanquam quędam varix (Gręcè κιρσός) si ea in parte magna dilatatio fiat, quis tandem non opinetur verum aneurysma fieri? Atque cum arteria dilatata est valdè tum in signis pulsatio adest. De aneurysmate, quod ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν, ducitur quod ampliare, & dilatare significat, vt potiùs per τὸ υ, quàm per ι, scribi oporteat, abundè clarissimus Gorræus in definitionibus medicis pertractauit. Atque inter cætera bellè explicuit quomodo differant aneurysmata in quibus iam cōclusus sanguis est, & in quibus sensim

influit ac effluit ſpiritus in capacitatẽ coaleſcẽte iã carne.

Quod ad partes aneuryſmata pertinet, cũ alia externas corporis occupent, alia internas, cum in omnibus difficilis admodũ curatio ſit, maximè verò in partiũ internarum aneuryſmatis. Quæ in caput & guttnr incidunt ea medentis manum non admittunt. Quæ ad internas partes ſpectant, ea derepentè & minimè opinantibus medicis ægros ad exitium præcipitant.

Quæri hoc loco poteſt, an ſi in ſiniſtro hypochondrio lateat, tutò ſectio fieri poſſit. Hippocrates in libris de affectionibus vrit ſæpè regionem hepatis, renum, & lienis: ſed in earum partium aneuryſmate minimè, hoc tutum non eſt.

Remedia ægro inſtituta, cum tamen non ei latenti & incurabili aneuryſmati occurreretur, hæc ſequuntur.

Iniecta enemata carminatiua quæ ob diſſipationem flatuum quibus ille abundabat, aliquam alleuationem attulerunt.

Dolenti lienis regioni fotus ex anodynis ex rad. bryoniæ, ſcolopendrij, florum chamæmel. baccarum lauri, iuniperi, ſemin. rutæ adhibentur.

Applicantur frequenter cucurbitulæ: & iis remed. alleuabatur.

Opiata hæc inſtituta:

℞. *Myrobalanum emblicam vnam minutim conciſam, conſeruarum bugloſ. viol. nenuph. & anthos. an. ℥ iij. corticis citrij conditi ℥ ij. raſuræ eboris, cornu cerui, margarit. elect. an. ℈ j. oſsis è corde cerui. ℥ ß. pulueris diarrhodonis abb. & letitiæ. an. gran. 10. ambræ griſeæ gran. 8. cum ſyrup. conſeruationis citrij, fiat opiata.*

Mirum hoc eſt, cum remedia à nobis inſtituta directè non oppugnarent morbum, cum ille medicis incognitus foret, vt euentus probauit, quomodo tamen fotuũ vſu ſe leuari diceret. Caue ne nimium credas ægro, & non interim diligenter animi neruos intendas ad inueſtigationem morbi, vt non ceſſes quandiu certis notis morbum deprehendas. Sunt enim plerique qui malum lenientes quibuſdam remediis ſatis ægro factum credunt: atque intereà miſerrimè ægri opprimuntur morteque rapiuntur. At hoc non ſatis. Et hac vna re multi ſunt decepti, qui applicito vno remedio videntes dolorem leniri, ab inueſtigatione ideæ morborum deſiſtunt. Quod multos in vitæ diſcrimen adduxit.

Et hæc Hiſtoria à nobis adducta cautiores nos & diligentiores

res debet reddere, ne cum ignoratione nostra iuncta sit ægrorum calamitas magno cum artis vituperio, quam tanta hominum coluit celebritas.

Atque ad historiam morbi hoc quoque addi potest, forte vsu cucurbitularum & fotuum, & cataplasmaton ex radice Bryoniæ (quę omnia confusè administrata sunt vt nihil non agere videremur) attractionem maiorem factam fuisse, & mortem acceleratam. Quod in primis Aetius commeminit, & hoc loco siccè non est prætereundum, ne sinamus longiùs manare errores qui quotidie committuntur: *Vidisti tu eodem tempore cum fomentum cuidam adhiberetur eum difficulter spirasse omni superfluitate ad præcordia per calorem attracta. Hic itaque mortuus est cum cataplasmata instar cucurbitæ superfluitates ad partem attrahant. Quidam etiam ipsa cucurbita vsi sunt in præcordiis, hoc vnum ipsi cogitantes vt aliquid circa ægros agere viderentur. Actum die 12. May 1575.*

ANNOTATIONES.

[1] *Hipp. sectio. 3. lib. 2. Epid. Narrat quartanam quoque febrem longam facto impetu in vniuersum corpus, & tumore qui ad lienem erat euanescente desiisse.*

Idem contigit Ioanni Meresse, cuius totum corpus laßitudine ὀστοκόπῳ, *laborabat facta translatione à centro ad totum corpus. Et 4. Epid. notat. De quodam seruo quartanario cui febris conquieuit cum factus esset* τυφώδης, *aut* τυφλώδης: *id est stupidus, vel in totum corpus translata materia, vel in caput. Vnde comatosam & catalepticam induxit affectionem.*

[2] *Hinc disces in metu arthritidis, non nisi cum cautione purgandum quoniam irritatur sæpè materia: Vide librum 2. meorum Epidemiorum.*

[3] *Hoc aduerbio, impuniùs vtitur Cicero. 2. de Diuinatione.*

[4] *In Coacis dum de lethargo disputat vtitur nomine* σφυγμοῦ, *propriè accepto.*

[5] *De palmo summo & admirabili ad vmbilicum & os pectinis narrat, sed rationem non reddit Hippo. 7. Epid. initio in historia de filio Eratolai dysenterico.*

[6] *Et Hipp. notat 5. Epid. Vxori Gorgiæ pulsum in vtero extitisse, id est, motum arteriarum manifestum post menses suppressos. In vxore Philini historia 4. sectio. 3. lib. 1. Epid. die 14. palpitationes fuerunt, sed eas ad crassos & crudos succos in Com. Galenus refert.*

[7] *Magna arteria pars est principalis, com. in part. 31. lib. 1. prognost.*

8 *In Collegio Rhemensi cuidam sacerdoti aneurysma erat in cruribus. Aperto cadauere reperta est magna dilatatio arteriæ, & sanguis in ea arteria concreuerat induruerátque: Indurationis causa tribuebatur immoderato rerum refrigerantium vsui.*

9 *Multi falluntur in principio aneurysmatis à sectione arteriæ non orti. Credunt enim non esse aneurysma, sed tumorem tantùm aliquem præter naturam. Si enim à sectione arteriæ non incipit non est necesse vt sit ea pulsatio quæ adesse solet arteria vulnerata.*

10 *Quæstio est an in omni aneurysmate necessaria sit pulsatio, sine hac enim ne aneurysmatis quidem rudimentum esse posse contendunt.*

CONSILIVM CVIII.

De febre maligna.

NObilis vir D. de Ceruenay, ad insigne crucis viridis cùm accubuisset vxori suæ exanthemata patienti in febrem degenerem incidit. Erat continua, sed exacerbationes habés noctu. Dolores quidam erant circum nothas costas, sed ij adeo parum erant molesti, vt medicos non adduxerint vt eis mederentur. Corpus erat planè bile ac ictero infectum: Præcalida habebat viscera, & ante quartana annua laborârat. Pulsus erat parum elatus, non febri, ac calori, ac linguæ respondens. Qui sanguis detractus est biliosa sanie plenus erat & corruptus, deiectiones planè biliosæ. Et quod nos terruit quinto aut sexto die inopinato sputum reddidit permistum sanguine & bile, & parum nigricans. Pleuritin esse dicebant quod febris esset, & tussis: At ista tussis erat à collecta corrupta ista materia in pulmone. Reuera si pulmonia aut vera pleuritis cum adorta fuisset in tanta materiei in pulmone collectæ corruptione, intra paucos dies interiisset, accedente maximè pulmonis imbecillitate. Sed quoniam nondum aderat occasio, vt aut costæ aut pulmones laborarent, febris tantùm continua occupauit vera & essentialis. Dicat quis, quid illa sputa tam praua & horrenda designabant? Si sputum album esse debet, & omnis expers tincturæ, si vomitiones humorum qui colores alienos habent, aut graueolent malæ sunt, cur non & excreatio alieno colore

imbuta? reuera si ista colorum prauitas inflammationis comes fuisset, aut si actu inflammatio pulmonem prehendisset (vt antè dictum est) vix vlla vitæ salus sperabilis fuisset. Sic erat excrementum collectionis, non subitæ generationis, aut inflammationis consequens. Atque in hoc maximè ægro, vt & in filio Noëi fabri lignarij verum comperimus quod scripsit Hippocrates, περὶ ἀποχρέμψεων: *In febribus quæ non intermittunt excreationes sanguinolentæ, liuentes, graueolentes, biliosæ, omnes malæ sunt. Si benè procedant, bonæ: eadémque ineunda ratio in iis quæ per aluum & vrinas feruntur*: Quid? fieri ne potest, vt quantumuis facilè cedant sputa cruenta, biliosa, graueolentia, liuentia, ea ad salutem pertineant? Sunt enim malæ vt signum, quod partium à quibus manant vitium & corruptionem significent. Nam non modo videndum quàm benè procedant ista, sed vt in qualitate tantopere non peccent. Galenus in com. *Ait Hippo. debuisse potius dicere omnes malas excretiones, si facile fiant, bonas esse excretionis modo, non qualitate, non loco, non materia, non causa. Nam omnes malæ excretiones prauarum signa sunt dispositionum, & fiunt eo modo quo in vlceribus putridis quibus ichores saniosi defluunt, nil dispositioni conferentes. Nonnumquam verò ita sicuti pus ex abscessu dirupto benè expurgans partem laborantem. Indicia verò quod benè excernatur, maxima sunt, & coctio & ægri tolerantia, item morbi species, tempus ni, regio, ætas, naturáque ægrotantis.*

Aph. 47. lib. 4.

At sæpè coctionis argumenta non apparent, cum ea materia quæ excernitur non sit morbi vllius, sed tantùm congesta sit in parte, vt de instituto in ea mitificanda regendáque Natura non fuerit occupata. De excretione è pulmonibus multa Hippocr. In prognosticis, sed tũ de apparentibus pulmonũ morbis, vt de pleuritide aut peripneumonia loquitur. *Inter cætera*, ait, *permixta appareat flaua bilis admodum screatione oportet. Screatio flaua si syncera est, cum periculo est, cãdida verò, glutinosa & rotunda, inutilis est. Si viridis & spumans admodum est, mala est.* Numquid hîc alienos colores, alienámque qualitatem in ptyalismo vituperat: & tamen docuimus & ex quarto Aphorismorum, & ex historia quã hoc loco narrauimus excretiones è pulmone prauas aliquando bonas esse propter eam vtilitatem quæ consequitur ex tali excretione, quod interea partes liberantur ea corrupta materia quâ præpediebantur. Tametsi enim materia mala sit, per accidens tamen ratione finis & boni qui inde secutus est euentus,

Part. 44 lib. 2. progn.

bona dicetur esse. Sic tametsi Natura fluxum sanguinis per hæmorrhoïdes non instituerit, tamen quia inde commoditates ad sanitatis & custodiam & morborum repulsam consequũtur, fluxus iste opus naturæ ex instituto paratum dicitur è Galeno.

Ac duo sunt celebres loci, & omni memoria digni apud Galenum, vt iubeamus valere & exulare imprudentem quorundam temeritatem & crassam ignorantiam cum vident prauas aliquas excretiones: Prior est in lib. de locis affectis: *Sub finem lib. 5.* *Sæpè*, inquit, *hepate robustiore aliqua ex parte effecto pessimæ deiectiones & colore & consistentia apparent, item & vrinæ. Vnde decepti medici putant grauissimum morbi periculum subesse. Sed errant. Nam quibus sine ratiocinatione rudis duntaxat experientia suffragatur, de iis quæ rarò accidunt, experimenta habere nequeunt, veluti eorum quæ sæpè accidunt, facilè meminerunt.* Alter locus quo explicat illum Hippocr. locum. *Part. 51. lib. 2. prog.* *Omnis screatio mala quæ non sedat dolorem, quæ verò sedat dolorem, omnis melior est. Sæpè valuit natura*, (ait Gal.) *prauam vincens affectionem expurgare corpus: & in hoc terrentur multi aspicientes secretæ vitium materiæ, nequaquam cognoscentes vtrum id symptomatis fiat ratione, an quia natura prauam materiam foras expellat.* Atque excretionis bonæ & vtilis notas assignat leuationem doloris (quanquam id non sufficit Galeno) & in primo Aphorismorum, εὐφορίαν[2]. *Com. in Apho. 2. lib. 1.* Atque vt id terminemus de quo dictum est: Notanda duo sunt, prius cur Hippo. vsus sit nomine ἀποχρέμψεως, non πτύαλα, vt in progn. aut πτύσεως: posterius, cur dixit, in febribus non intermittentibus. Quasi verò in febribus essentialibus (nam nomen τοῦ πυρετοῦ, absolutè positum febres essentiales notat) excreatio alicuius sit momẽti, propriumque sit excrementum febris, cum eius materia sit in maioribus vasis clausa non in pulmone. Nam quemadmodum in morbis thoracicis parui penditur vrinarum inspectio, quod nõ sint proprium pulmonis excrementum: Ita in febribus ipsis veris non valet sputorum inspectio, nisi auctoris vice. Quia si ad bonitatem actionis ipsius materiei febrilis sputorum appareat adiungatúrque bonitas & facilis eductio, bonum id signum. Ego verò coniecturas aliquas afferam quibus adductus fortè fuit Hippoc. vt τῆς ἀποχρέμψεως, meminerit. Ac primum id docere voluit vt iis occurrat qui præproperè ac præcipitãter de morbis iudicant, & cum vident aliquid alienius è parte, ac præsertim è pulmone excerni, quod non viderint, statim malè de morbo ominan-

tur, ac ſiniſtrum euentum prędicunt. Immò putres eſſe pulmones dicunt, vt ſi contingat ægris mori ſuam inſcitiam (cum fortè malè curauerint febrim ipſam eſſentialem) excuſatione iſta tegant. Aut dixit hoc, ne relicta febre ad excreationes iſtas malas conuertant ſe, cum tamen malè id fiat. Collectio tantùm erat per tranſudationem ichoris à cacochymia traducti in pulmonem. Aut monet hoc Hippo. ne territi medici inſpectione eorum malorum ſputorum ægros deſerant tanquam conclamatos. At, tametſi materia iſta mala ſit, bona tamen eſt ſi excretionis modus aſſit legitimus, quod vis naturæ paruerit in deſiccanda materia quæ ob moram talem corruptelam contraxerat. Nonne etiam videmus integra fruentes ſanitate mungẽtes ſub viride ſanioſum, δυσώδης. Et tamen cũ mala ſit materia, bonum eſt quod virtus expultrix valeat in excernenda iſta materia, quæ alioquin maiore mora partem labefeciſſet. Quod ſi pleuritis adeſſet, aut morbus proprius pulmonis, & tale ſputũ appareret, fortè non tam ſecurum eſſet, quam ſi in eſſentiali febre appareret. Quare? Quoniam ſi vigeret morbus pulmonis cum tali ſputo, generationis perennis talis ſputi ſuſpicio foret, quod malum eſt. Sed cum inopinato in febre eſſentiali talis mala ἀπόχρεμψις apparet, non tam generatio eſt, quam veteris excrementi collectio, vt iſta mala qualitas & coloratio non tam nata ſit ob alienum calorem, quam moram longam in pulmone. Quanquam non dubium eſt quin ſi illa putreſceret inflammationémque accerſeret in pulmone, malum deterius inueheret, quam ſi alîus eſſet coloris & conſiſtentiæ[3]. Vnde in prognoſticis ſpumantem & viridem ex pulmone excretionem vituperat & maximè ſi ſincêra ſit excretio. Prætereà duo notari debent cur dixerit ἀποχρέμψιες, & febres nõ intermittentes, quod vtrumque (ſi poteſt coniectura aliquid) non citra rationem adiectum eſt. Nam cum nomine τῆς ἀποχρέμψεως, vtitur non autem nomine τοῦ πτυέλου, videtur ſignificanter notare non tam eſſe materiam thoracis morbificam quæ excernitur, quam excrementum aliarum partium, quod in pulmonem influxit, & ob moram aliquam alienũ colorem accerſiuit. Cùm autem ſignificatur vera excretio è pulmone, ſi quis affectus inſtrumenta reſpirationi deuota tenuerit, vtitur voce πτύσεως, aut, πτύελον. Ideo dixit, *in febribus, non intermittentibus*: vt declaret ratione præſentis cacohymiæ & vi caloris humores

Lib. 2. part. 46.

fundentis, & per modum attractionis ipsius pulmonis à partibus inferis, aut per modum transſumptionis & transſudationis colligi in pulmone materiam alienam, quæ aut tuſſi, aut alio modo expectoratur. Et ſic de pulmone malè affecto non oportet nos malè ominari. Per quandam anaſtomoſin, aut ſimilem paſſionem cruentæ poſſunt fieri excretiones è pulmone agitatis humoribus, & ob ſuam acrimoniam vaſa reſerantibus. Si enim facilè in febribus continuis autore Hippocrate, & inflammationes cerebri, & pulmonis facilè poſſunt ſuccedere; nunquid pars materiæ febrilis à pulmone poteſt attrahi iam per ſe maligna, & κακοήθης, & alieno colore imbuta, quæ ſputa ordinaria poteſt tingere, vt inde excreatio derepente immutetur? Vnde dubium eſſe non debet, quin, ſi materia illa diutiùs moretur ibi, pulmones inficiat, ac labefactet. Itaque peropportunè excernitur, bonóque eſt ſi eius facilis fiat eductio, & ſola fiat ἀπόχρεμψις, id eſt, per ſimplicem excreationem ſine vi, ſine tuſſi, ſine violento motu aliquo εὐπετέως, vt loquitur in libro προγνωστικῶν, eductio fiat. Sic nomen τ ἀποχρέμπτειν, facilitatem excretionis declarat, ac ſi materia ipſa in os occurrat eo modo quo cum à capite ῥεῦμα, deſcēdit ſine tuſſi, ſed ſolo linguæ motu expuatur & excreetur id ipſum quod occurrit. Et non mirum ſi ἀπόχρεμψις, fuerit billioſa, nam totum corpus erat bilioſum, cacochymum, & ἰκτερώδες. Et cum Hippo. ait ex ſignis mox apparentibus de morbo iudicandum eſſe, vt in qua pleuritide mox ſputũ apparet, ea breuior & ſecurior dicatur, hoc debet intelligi de morbi excremento, non autem de illa materia extraordinaria. Nam multos pulmonicos & pleuriticos vidimus qui primo die morbi è pulmone reiecerint quibus & protractus morbus & mors ingruit. Quoniam educebatur non id quod morbum faciebat.

1. de morbis.

Aph. 12. lib. 1.

ANNOTATIONES.

1 *Error medicorum qui cum ſputum, aut cruentum, aut ſubcruentum, vident, putant eſſe, aut pleuritin, aut peripnemnoniam. Quæ opinio etſi opinione Gal. & Hippo. paulò poſt confutata eſt, quod ex pulmone ſæpè prauæ fiant excretiones, vt floridæ (id eſt cruentæ) nigricantes, pallidæ, cum tamẽ nec ſit inflammatio, nec pleuritis, nec peripnemnonia. Inter cætera locus eſt cõmemorabilis in hyſtoria de Pythione, lib. 3. Epid. part. 4. ſectio. 1. vbi docet ſextò die varia Pythioni, & cruenta ſputa appa-*

fuisse, cum nec peripnemnonicus, nec pleuriticus foret, nec à capite malum esset, sed à defluxu tantùm materiæ quæ non erat tanta, vt inflammationẽ pareret, aut fortè in pulmone congesta, sed quæ incendium non conceperat.

2 *Huc pertinet locus præclarus, lib. 2. Epid. sectio. 2. vbi loquitur de eruptione Terminthorum in febre continua, & ait, æger autem erat subsplenicus, ac si dicat istam eruptionem non fuisse propriam morbo, sed corpori.*

3 *Ad hunc locum pertinet historia, lib. 5. Epid. de Hipposthene: is ceciderat luctans: cruentum ἔχρεμψε, ait Hippo. & addit, οὐκ ἦν σίαλον. Non erat sputum: quod notandum, erat quidem ἀπόχρεμψις, sed non erat πτύαλον, seu σίαλον. Ideo dixit, Videbatur medicis esse peripnemnonia, sed non erat. Sic caue ne quid in his erres. Et puto nomen σίαλον, pro πτύαλον sumpsisse. Quanquam σίαλον, significat tantùm saliuam non sputum.*

CONSILIVM CIX.

De cordis palpitatione.

VXOR LYSSÆI annos 22. nata palpitationes cordis persentiscit quas formidinẽ appellant, alij tremorẽ & impropriè quidẽ. Quidam ex veteribus imperitè confundũt cũ cardiogmo & cardialgia, maléque tremorẽ vocant. Etenim facultatis animalis imbecillæ symptoma nõ est, nec mot⁹ est mixtus naturæ & morbi, & pars loco non dimouetur: quod trementi parti contingit. At tantùm eleuatur & deprimitur pars. Tamen quod ægri putant cor è loco moueri, ideo tremoris nomine impropriè donatur, quo modo & singultum ventriculi conuulsionem dici demonstrauimus. Conatur enim cor excutere id quod ei molestum est: & cordis eleuatio depressióque definitur subinde præter naturam facta. Cardiogmos autem, & παλμὸς, iidem affectus non sunt quanquam aliquid affine habent. Ante exposuimus Aphorismi illius particulam, *In febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus vel dolor, malum.* Miror cur Gal. in com. Iis assentiatur qui nomine τοῦ καρδιωγμοῦ, intelligant crebrum, velocem & palpitationi similem motum ipsius cordis ob incendium ingens in corde ipso: ex qua Galeni opinione confi-

ciũt incendiũ ac phlegmonẽ in corde τῦ παλμῦ causam esse posse. Quòd à ratione alienum videtur cum Galenus ipse alio loco (sed nondum occurrit locum istum legere) à causa frigida repetat palpitationem. Declarant frigida remedia quæ ad hunc affectum instituta videntur[2]. Ac primùm magna est absurditas statuere idem esse καρδιωγμὸν καὶ παλμὸν, cum cardiogmos ad os ventriculi pertineat maximè palpitatio autem cordis affectio est, quanquam per aliarum partium, & maximè ventriculi consensionem nasci potest. Item καρδιωγμὸς, in cholera morbo & febribus continuis ob morsum ventriculi à flaua bile frequẽs esse solet, vt propterea non debeat numerari inter alia symptomata mala. Quid verò est dicere cardiogmon significare vehementem quendam motum palpitationi similem? dicam quod sentio. Nomine τῦ καρδιωγμῦ, non intelligit affectionem ventriculi ob morsum, sed symptoma quoddam consequens suum æstum in febre, siue æstus sit simplex, siue ob ebullientem flauam bilem in tunicis ventriculi: vt vult in com. Galenus, vt ὁ καρδιωγμὸς, indicet cordis ipsius affectionem cuius affinis est motus quidam palpitatorius, vt quasi vnum ex alio consequatur. Et ideo illi veteres καρδιωγμὸν, non palpitationem significare dixerunt, sed motum vehementem palpitationi similem. Vnde ægri dicunt sibi palpitare cor & quasi ardere præ ingenti æstu quo conflagrant. Hoc quod diximus ne confingere videamur, confirmabimus autoritate Hippoc. qui admirabili quadam explicandi vi docet quænam symptomata consequantur erysipelas pulmonis. Atque inter cætera sunt vomitus bilis & pituitæ, nec non deliquia animi. Quod mirum esse potest, cum erysipelas pulmonis propria sit affectio. Sed admirabilius est id quod dicit de causa cur deliquia animi sequantur pulmonis inflammationem, propter *sanguinis transmutationem derepente contingentem*. Id est, cum inflammatus est pulmo duo sequuntur horrenda, nam spiritus cordis inflammantur: immò & aër attractus dum pulmonem transmittit ita incalescit, vt nullum solatium refrigerij afferat, sic cor languere, & languidè moueri contingit, & dum crebriore & frequentiore motu cieturaliquid παλμῶδες contingit: Item attractio fit sanguinis & spiritus maior ob ardorem, nam incendium attrahit, ait Hippo. Et ob istam attractionẽ subita fit transmutatio sanguinis quæ palpitationis aliquam speciem affert. Sic vides. In magno æstu & deliquia

liquia euenire & palpitationi aliquid ſimile, vt & deliquium & eleuatio depreſſióque pulſus, & crebra mutatio coniungantur. Immò & in morbo, & per ſanitatem cum euariat pulſus, vt è magno in paruum, è frequenti in rarum, è veloci in tardum mutatio fiat, palpitationis magna ſunt argumenta. At dū æſtus ingens in corde eſt, præſertim ſi de repente magna fiat attractio ſpiritus & ſanguinis, & mutatio pulſus & palpitandi occaſio facilè incidit. Ergo cum ingens aliquod incendium eſt, & aliquid eſt palpitans, ob ſimilitudinem quandam cū palpitatione, motus iſte παλμώδης, dicitur. Cæterùm, vt antè dictum eſt, volunt ex Galeno veræ palpitationis cauſam eſſe frigidam. Quod ſi verum eſt cur veteres practici alia remedia inſtituunt calida, & phlebotomiam præſcribunt. Nam in cauſa frigida venam ſecare tutum non eſt. Galenus omnem palpitationem iuuari venæ ſectione author eſt. Et qui Galenum interpretantur ideo locum ſectioni venæ dant etiam poſito quod cauſa frigida palpitationem inducat, quoniam aut minuatur plethora, aut obſtructio ſectione venæ liberetur, aut reuellatur curſus materiei flatuoſæ. Supponit enim Galenus à craſſo vapore palpitationem ferè omnem oriri, ideò non eſt dubium quin & ad diuertendum reuellendúmque curſum phlebotomia, & ad attenuandum attenuans victus conferat. Meſuæus de ſectione venæ loquens in palpitatione ex hypotheſi loquitur, Arculanus etiam ad ſyncopen vſque excluſiuè in palpitante ſanguinem mittit. An propterea imitando iſtorum ſenum conſiliū audacter ſanguis mittetur? Nequaquam. Nam eorum qui palpitationi ſunt obnoxij ita comparata ratio eſt, vt βραχύβιοι ſint, ac ſæpè in phlebotomiis ipſis & purgationibus opprimantur & moriantur: Quod cum calamitoſum ſit, prudētis eſt medici diligenter inſpicere ne ſuſpicionem ſubeat eius, vt occiſi quem ſua ſors peremerit. Meſuæus ita de phlebotomia in palpitatione ſcribit: Si cum cordis tremore fuerit pulſus velocitas & febris, æger ex baſilica minuendus eſt. Ex dextra quidem, ait Arculanus, ad minuendam plethoram, ex ſiniſtra ad remouendum repletionem vaporoſam. Melius enim Arculanus ſentit, meo iudicio, de ſectione iſta venæ partim ex ſiniſtra, partim ex dextra quam Auicennas & Arabes, qui ideò dextras ſecant, quòd palpitationem à ſanguine eſſe credant, ſiniſtras, quòd cùm à vapore orietur, commodè id fiat. Vix

Lib. 5. loco. aff.

enim euenit vt sanguis hunc morbum pariat, sed à vapore est potius, aut à causa consimili. Quanquam sunt qui venam in cruribus, aut poplite secent, si præsertim ab hypochondriis malum est, vt per arteriam cœliacam à parte sinistra, præsertim verò è lienis regione vapor crassus, quem in cor elatum facultas ipsius partis tanquã subsultantem hostem nititur expellere [5]. At erroneum hoc est. Siquidem si hoc valeret, cum palpitationum pars maior ab hypochondriis fit, venas poplitis aut malleoli vtique aperire conueniret. At hoc non fit. Sed exclusâ istâ ratione tanquã parũ probabili, duabus de causis inferiorum venarũ reseratio ex vsu futura est, prior est si suppressio, aut mensiũ, aut hæmorrhoidon in causa sit, posterior autẽ si reuellẽdi studiũ est: Alioqui brachiorũ sectio profutura est potiùs.

Quod autem attinet ad sectionem venæ ad leipothymiam vsque, videtur ea nocens esse, præsertim cum, vt antè dictum est, palpitationi obnoxij ferè dum euacuantur, inopinata præcipitíque morte eripiuntur. Accedit quod palpitatio cordis, vt annotat quidam in Arculanum, dispositio quædam media sit inter pulsum & debilitatem & syncopen. Quod si verum est, & ideo metuatur iste morbus quod cõnatam in se debilitatem, & quasi annexam syncopen habeat (quæ quidẽ syncope morti finitima est cum nomen inuenerit ἀπὸ τοῦ συγκόπτειν, quod vitæ nostræ filum concidat ac desecet) quid attinet nostrâ largâ sanguinis euacuatione, in qua spirituum magna fit dissipatio, accersere syncopen, & ita mortis periculum creare? Sed Arculanus vt acutus & optimus autor, vnam tantum rationẽ affert, quæ nos inducere possit ad tam luculentam & copiosam in palpitatione sanguinis effusionem, vt potè cum in sanguinis copia & orgasmo, & ad cordis arcem raptu metuitur, ne derepente in corde apostema concipiatur, & mors proinde subita intentetur [6]: Aut etiam si inflammationis subitæ sint argumenta quæ ipsius palpitationis causa sit [7]. In isto enim casu, quoniã insignis & subita refrigeratio requiritur, ne breui tota ipsa regia inflammetur ac conflagret, nullum præsentius auxiliũ venæ sectione eáque conferta & copiosa. In cęteris à largis istis euacuationibus temperandum est. Ac de causis illius morbi, qui per se terrificus est, dum cætera sedulo lectori legenda relinquimus, breuiter percurremus. Aliquando in corde ipso affectionis causa est, & tum periculosior existit: aliquando à

partibus vicinis est, aliquando à remotioribus, vt ab vtero, à maligno tibiarum vlcere. Tuberculum in corde, abscessus item affectionis causa esse potest, multus sanguis obstructionem faciens, intemperies calida, vermes cor vellicantes, subita euacuatio, imprægnatio. Quemadmodum enim mulieres quædam veteribus affectionibus præhendi solitæ, cum vtero conceperunt iis liberantur & miraculo absoluuntur, edito verò fœtu repetunt, ita quoque prægnantes mulieres, insolentes morbi possunt inuadere, vt palpitationes & Epilepsiæ, dentium dolores implacabiles, & capitis grauitates. Præter causas commemoratas inflammatio, aqua tunicâ cordis inclusa, item si tunica, aut humorem putrem ac malè olentem in se contineat, aut lapillos, palmum inducit. Item venenata qualitas, spirituosus, aut crassus halitus, vel ab arteriis, vel à corpore cordis, aut à pulmone, aut à liene aliáve parte, aut propinquiore, aut remotiore elatus: Constrictio maior, decubitus in renes & dorsum, præsertim si magna arteria perreptans spinam prematur, à succensis putribus lignis elatus vapor, ductus & attractio spiritus auræque pestilentis. Adhæsio pericardij corpori ipsius cordis, quod in duobus hydropicis obseruatum est. Mucus per quandam colliquationem in cor illabens, (vndè dicunt vulgò quosdam repentè interire quod adeps colliquatus in cor influxerit,) ac tum cùm colliquationis modo mucus iste in cor labitur falsò asthmatici credũtur ægri. Si palpitationem aut inflammatio aut erysipelas committit febris ingens est, pulsus durus & veluti serrans. Si à venenata aura infernè in cor surgente, fugax est malum. Cùm à venenata aura in pestilente statu, præceps virium omnium lapsus est. Cum à muco per modum colliquationis in cor fuso, æger fit anhelosus, parua & densa spiratio est. Vidimus palpitantem affectum ob aneurisma in liene, quòd si in corde ipso aneurisma sit, lethalis est affectus. Quæ palpitatio syncopen veram iunctam habet, insanabilis est. Quæ ab adhæsu pericardij est, lethalis est. Quæ à colliquatione est, insanabilis quoque est: Item & ea quæ à venenata aura est. Atque inter ceteras palpitationis causas vna & communis & vulgaris est, intemperis frigida ventriculi, & iecoris calida. Dum enim ventriculus non benè suum facit officium, & secundam coctionem tanquam correctionem & emendatricem sui prima

non agnoſcit, iecur calidius rapit crudius alimentum, hinc anathymiaſeon prouentus multus, obſtructionum ilias, & ab iſtis obſtructionibus palpitandi occaſio. 10. Quod hypochondriacis ſolenne eſt, cachecticis, & virginibus fœditate coloris infectis vſu-uenit. Galenus horum demonſtrationem videtur afferre tanquam aliud agens com. in iſtum Aphoriſmum, *Qui regio morbo laborant, non multum ventoſi ſunt*: Nam ventorum flatuúmque generationem à duabus cauſis repetit, vna eſt materies ipſa, altera eſt partium corporis earum præſertim quæ ad ventrem attinent, debilitas. Materia eſt crudus, pituitoſus ac frigidus humor qui facilè in flatum ſoluitur. Atque cum regio morbo laborantes calorem habeant acrem, necnon bile potius abundent quam phlegmate, credibiliùs eſt flatuoſos non fieri cum deſit materia. Sed debilitas ventriculi & primarum venarum flatus poteſt eſſe parens ob cruditatem. Cruditas autem ipſa idem ferè præſtat, quod ad generationem ventorum ſpectat, quod & pituitoſus humor. Quanquam diuerſo quodammodo id fit. Sic icterici, & qui calore abundant acri ferè in tympanitem incidunt, ſpeciem hydropis à flatuum copia nati, non ratione phlegmatis in flatū ſoluti, ſed ob debilitatem ventriculi, & cruditatem & corruptionem alimenti ob dominatum caloris acris omnia corrumpentis, & tetros halitus flatúſq; in chylo corrupto & intercepto mediis viis excitantis. Vt mirum ſit cur dicat Gal. *Non admodum contingere, vt* οἱ ἰκτεριώδεις, *partium ad ventrem attinentium habeant imbecillitatem*. Nam tales icterici ſæpè corrumpunt alimentum, coquunt quidem ſed malè. Cùm enim Hipp. ait, θερμοκοίλους, carnes frigidas habere, nunquid θερμοκοίλους, & τοὺς ἰκτεριώδεις confundere poſſumus? Quanquam ita Galeni auctoritatem audire poſſumus, vt dicamus ictericos raró habere imbecillitatem partium ad ventrem attinentium præſertim quod ad munus coctionis attinet: coquunt enim facilè etiam δυσπεπτότατα. Non quin dicamus malè coquere, id eſt, inducere prauitatem quandam in cibum, vnde eos videmus ſubuiridia, & bilioſa facilè & vomitu, & per alium excludere, ſed non eſt ea debilitas, vt malè coquat, id eſt, imminutè. Ac ſi dicamus, icterici, & οἱ θερμόκοιλοι, cum calore multo, ſed eo quodammodo alieno abundant, ſuprà chylum coquunt, & plus bilioſi humoris, in maſſa ſanguinis generant: quibus debilitas eſt ventriculi infra chylum coquunt, & imminutè. Hic eſt quædam βραδυπεψία, & chylus dicitur ὠμὸς, illic δυσπεψία, ob ex-

Apho. vltimo lib. 5.

Com. in Aphor. vltimũ lib. 6. Epid.

cessum qualitatis, & chylus ἄπεπτος dicetur: id est, eò modo affectus ob qualitatem, vt in laudabilem succum non vertatur. Atque ex iis facilè est demonstrare valdè credibile esse eos palpitationibus obnoxios esse quibus ventriculus, & hepar contrariis ferè prædita sunt temperamentis, ratione cruditatum quæ hinc oriuntur.

Ergo cum palpitatio motus sit cordis præter naturam, medio veluti situs inter pulsum, debilitatem & syncopen, quò referri debeat, videndum[11]. Quatuor omnino motus contra naturam genera statuuntur, conuulsiuus, tremulus, concussiuus & palpitans. Tremulus & palpitans causam morbosam sequitur: quandiu quis palpitat, tandiu se iocunditati tradere non potest. Si quid incidat impediens vicissitudinem systoles & diastoles, attractionem & exclusionem spiritus, id causa esse potest palpitationis. Porrò cum quæritur, an quia cor dilatatur, impleatur, an verò contra, respondendum est, cum cor benè affectum est, quia dilatatur, impletur, at cum malè habet, quia impletur, dilatatur, quod cum maximè in palmo contingat, à causa solùm morbifica palpitatio pendeat, necessum est.

Ac de palpitatione plura non scribemus, cum operosum hoc foret, & plenam opinionibus ex aliorum scriptis desumptam tractationem conscribere ridiculum esset, tantum aliquot remedia huic Damisellæ, cuius ergò hæc Commentatio suscepta est, instituta ascribemus. In ea maximè duas causas palpitationis agnoscimus, vnam latentem quandam arteriæ dilatationem in corpore ipsius lienis, quod verisimile, cum in regione ipsius lienis palpitans pulsatio percipiatur. Ac id contingere potuit ob diuturnitatem quartanæ febris quâ est conflictata. Quartana autem aliquid semper residui facit. Alteram, ventriculi imbecillitatem ob caloris imbecillitatem, & iecoris calidam temperiem: quod ex excrementis, & colore, & actionibus facilè collegimus.

℞. Melissæ, buglos. foliorum cardui, scabios. calendulæ. an. m. j. ß. scolopend. ceterach. chamædry. an. m. j. agrimo. scariol. an. m. ij. seminis endiuiæ melonum, citri, card. an. ʒ ij. fumiter. absinth. pont. an. p. j. seminis angelicæ & pæoniæ. an. ʒ j. fiat dec. ad lib. j. ß. Infunde in col. foliorum senæ. ℥ iij. setæ in Kermes tinctæ ℥ ß. granorum kermes. ʒ ij. bulliant ad lib. j. In col. dissolue sacch. ros. lib. j. expreßio. ℥ ij. rheib. & ʒ ß. agar. in nodulo positi, cum ʒ i. ß. cinna. infusorum in

parte decocti: fiat ſyrup. mediocriter coctus. [12].

℞. Meliſſ. foliorum lauri, calamenti, chamæm. anethi & melilo. an. p. j. ſeminis cum. baccarum lauri contuſa. an. ℥ ſ. rad. bryoniæ taleolatim ſectæ capp. an. ℥ j. ſabin. p. ij. fiat ſacculus bulliat in aqu. chalyb. cum vino rub. pro fotu lienis cum ſpongiis: adde ſantala.

Adhibeatur cucurbitula magna, poſt fotum ante ſequentem litum.

℞. Ladani ſoluti in aceto, benioing. & ſtiracis ſolutorum in ſucco amygdal. dulcium. an. ʒ ij. expreſſ. nucis moſcatæ. ʒ ij. pul. nucis cupreſſ. ſantalorum, roſarum & cyperi. an. ℈ j. ceræ nouæ, & ol. de capparib. quod ſuff. fiat litus ad regionem lienis.

℞. Conſeruæ meliſſ. bugloſ. nenuph. an. ℥ j. elect. diamarg. frig. ʒ iij. confectionis alkermes. ʒ j. theriaces & mithrid. an. ℈ j. cum ſyrup. de pomis: fiat opiata.

Inſtitutus ſyrupus ex ſuccis in quo madet ſeta in Kermes tincta.

ANNOTATIONES.

1 *Galen. aliquando ſumpſit nomen* τοῦ τρόμου ἀντὶ τοῦ παλμοῦ. *Quæ cauſa fuit nonnullis cur exiſtimarent tremorem & palpitationem idem eſſe. At differunt longè & ipſa definitione, & aliis multis: Nam palpitatio motus eſt momentaneus, tremor diu affligit. Is porrò naſcitur ex diuerſis cauſis quæ facultatem poſſunt labefactare: & pro varietate cauſarum variè curatur. Palpitationis vna cauſa eſt, vna curatio, nempe flatus diſcuſsio, hæc Ioſephus Struthius in arte ſphygmica. An ſint vera conſiderato. Ariſtotelis interpres* παλμὸν, *pro tremore accipit. cap. 4. lib. de reſpiratione, vide lib. 2. Epid. meorum.*

2 *Sauaronola tremorem cordis & palpitationem confundit cum cardiaca paſsione. Aliud tamen longè eſt. Et id deſumpſit ex com. Aphoriſmi de quo hac in pagina, in quo Galenus videtur* καρδιωγμὸν, *confundere cum ea affectione cordis in qua crebra & vehemens eſt pulſatio palpitationi ſimilis? Quòd ſi ita eſt, nomen* καρδιωγμοῦ, *cum cardiaca affectione confundit.*

3 *Iſtud languidè moueri non eſt accipiendum quin ſit vehementior cordis agitatio; ſed ea agitatio eſt cum crebritate quadam, & quaſi cum extremo conatu cordis. Immò cum eſt iſte æſtus in pulmonibus & eryſipelatodes diſpoſitio, dum pulmo vehementer attrahit, ſeſe ſanguine implet, & ægri obruuntur conculcato in pulmone ſanguine: & eſt ea affectio quæ à Gordonio ſanguiſugum dicitur, egerque ſanguiſugoſus nomi-*

natur. Quanquam propriè sanguisugum dicitur cum non potest præ obstructione, aut densatione aërem foris attrahere, intus è partibus propinquis sanguinem & spiritum attrahit & sanguinem pro aëre veluti sugit & eo impletur, vnde præsens suffocationis est periculum.

4

Pulsus palpitantes aliquando in senibus obseruantur: sed id nihili fieri debet. Si enim per totum corpus aliæ arteriæ palpitent, deterius multo est. Atque huc pertinet quæstio, an cor palpitare potest, & arteriæ naturaliter moueantur? Struthius enim obseruat contingere, vt cor ex irritatione edat maiorem pulsum, celeriorem & vehementiorem quam qui in arteriis appareat. Et qui ægrotant de pulsu, aut saltu cordis conqueruntur. Hoc autem contingit in febribus continuis phlegmaticis cum venæ & arteriæ crudis & frigidis referciuntur humoribus: Interea tamen cor contentis suis calidum est, arteriæ frigidæ. Et caliditas cordis, frigiditásque arteriarum dum concurrunt moderatum quendam pulsum (saltem quod ad sensum pertinet) efficiunt: Et tamen cor ipsum aliter multò afficitur & mouetur quàm arteriæ ipsæ. Vnde medici hinc decepti putant tales ægrotos non febricitare cùm tamen periculosè febricitent.

5

Si natura ad motum palpitatorium concurreret, palpitatio ipsa esset affectio non à solo pendens morbo, sed à natura. Tremor quidem & morbi est & naturæ, at palpitatio solius morbi effectus, si hoc verum est, quare vaporem palpitationis causam tanquam hostem natura nititur expellere?

6

Si enim ratione etiam cuiusdam doloris irritetur fluxio in partem aliquam, & metu maioris raptus commodè vena percutiatur, cur non id fiet, in metu raptus & sanguinis, & spiritus ad cor?

7

In omni palpitatione cordis est flatulentum quid & αἰνεμία. At ad hoc valet maximè phlebotomia, vt sectio. 5. lib. 2. Epid. Hippo. Contra multorum opinionem facit. Horum præclara est demonstratio, lib. de flatibus. Et quodam in loco scribit, Hippocr. ἐπὶ μελαγχολικῶν διὰ φλεβῶν πνεύματος ἀπολήψιες ὅταν ἔωσι φλεβοτομίη λύει.

8

Vt in iuuenibus excedentibus ex ephebis quibus debet esse frequens hæmorrhagia, si ea desit, palpitatio potest contingere. Idem & non menstruis virginibus potest contingere remeante ad superiores partes sanguine.

9

Causa potentissima palpitationis est metus. Vnde etiam dum quis metuit, ei videtur cor palpitare. Et vidimus quendam baiulum qui fortè in grassantium manus inciderat, cui præ metu tanta immutatio in pulsum incidit, vt per longum tempus pulsus palpitans esse videretur.

10 *Omnes Hypochondriaci ſpecie cruditatis laborant: Vnde non mirum ſi grauiter conflictentur, & ſi facilè in palmum cordis incidant.*

11 *In iis qui palmo cordis ſunt obnoxij manifeſtus arteriarum motus percipitur & micatio: & huius micationis manifeſtæ cauſam dicunt plenitudinem humoris: quanquam in iis qui fœdos colores habent, & in melancholicis, flatus melancholici reſolutio poteſt facilè iſtam micationem & pulſationem venarum inducere. Ariſto. cap. 4. lib. de reſpiratione, de palpitatione, ſuo modo Philoſophatur. Legendus iſte locus ſi fortè de eo dicendum ſit.*

12. *Rhabarbarum hîc in palpitationibus cordis ratione morbi non quadrat, ſed ob ventriculum qui cordi maximè conſentit, & ad vehementiam morbi augendam facit.*

De febre continua cum multis & grauiſsimis ſymptomatis.

CONSILIVM CX.

SANGERMANVS annos 50. natus plethoricus tum quia deſidem maximè vitam ageret, tum quia auidè & multùm comederet, vt potè magnis præditus viſceribus, in febrem incidit. 1 Ea primis quidem diebus blanda viſa eſt, vt proptcrea eam negligeret, & à conſuetis & muniis, & cibis non abſtineret. At ſatis ex hiſtoria quadam Hippo. in Epid. patet quantum periculi attulerit intempeſtiua cœna, cum alioqui febris ſubobſcura tantùm foret.

Hiſtoria ...
ſect. 3. Epid. lib. 1.

Quantò verò magis iſti viro prauis & multis pleno humoribus nocuit quatriduana morbi tolerantia, & coena ſatis liberalis cum noctes febriles forent [2]? Vt non mirum ſit, ſi inde mortis periculum aduentarit. Morbi hæc fuit hiſtoria. Cum quatuor iam dies morbum tuliſſet, de repente ſuffocatorius dolor oboritur, & peripnemnoniæ, necnon cuiuſdam hepatitidis magna adſunt argumenta, frequens erat reſpiratio, pulſus ſerrans, vibrans, & durus, lateris dextri & ſcapularum dolores erant, & ſenſus ponderis in ſterno: non poterat thoracem dilatare falsò putabant eſſe pleuritin, cum, vt antè monitum eſt, peripnemnoniæ & ſterni, & laterum, & ſcapularum dolores habeant

habeant familiares, immò tanquam quid παθογνωμονικόν. Poterat quidem & esse fluxio à partibus superis. Huius rei fidem faciebat, & quòd superioribus temporibus grauissimis doloribus ob fluxionem à capite præhensus esset, item quòd ne minimum quidem manus appulsum ferret, in partibus metaphreni. Quanquam & inflammatio ista interna facere poterat. Sed maximè suasit hoc quòd eo tempore vagarentur morbi similes, quos partim à descensu latentis materiei efferæ & nitrosæ, & pepasmi incapace oriri credebamus, partim à resudante sero tenui & maligno à genere venoso in neruosum, vnde vlcerosus fuit sensus in multis, & ὀστοκόπος adeò incredibilis, vt blandæ manus appulsum ægri non ferrent. Sic in ægro crudelis huius affectionis causas & à descensu materiæ repetebamus, & à genere venoso pleno seri maligni (quod ex phlebotomiis illius temporis maximè intelligere potuimus) transcolationem, & raptum à visceribus. Nam pulmo inflammatus attrahit, & incendium quod inerat abdomini valdè inflato orgasmum facit materiæ. Et illud est quod Hipp. scribit, *Venulas arefactas ichores à partibus attrahere.* Febris erat assidua, aluus non reddebat nisi ὑδατόχολα, licèt aluus aliqua ratione medicamentis irritata flueret, non leuius habebat, nec subsidebat abdomen, inæqualitates multæ erant, mox manus temperatæ erant, mox æstuabant, morbus erat planè siccus, vrinæ non satis tinctę, nec morbo, nec redundanti humori analogæ, difficilis spiratio manebat, non aderat dolor capitis. Septimò die sudor diaphoreticus. At quartus tantùm dies erat decubitus & apparentis exacerbationis: aliis enim diebus se narrabat ἀπυρετ εἶναι: manus refrigerantur & pedes: vesperi mors. Noctes erant inquietiores & insomnes: vix loco consistebat. Reduplicationes vesperi fiebant, pulsus durus, vibrans & serrans manebat: detractus sanguis perfectè corruptus erat & χλωρός.

4. Acu. 10.

Hoc verò loco tria aut quatuor quæri possunt, quorum cognitio plurimi sit momenti. Primùm quid significarent istæ inæqualitates, an purulentum quid, an materiæ ἀνωμαλίαν καὶ τὸ ἑτεροιῶδες, an caloris naturalis paupertatem, dominatum verò caloris contra naturam, an aliud prætereà. Secundùm an in febribus continuis παροξυσμοὶ esse possint, an non potius τοῦ παροξυσμοῦ nomen καὶ ἀναδιπλώσεως, ad febres interpolatas referatur. Tertium, cum tanta humorum saburra foret eáque tum medicamentis,

tum clysmatis agitata, cur aluus non fuerit soluta biliosis excrementis, aut planè astricta ob phlogosin. Quartum accedet, an non ad inflammationem lactium & ventris contulerit frequēs & quotidianus vsus hydromelitis cum esset μεγαλοσπλαγχνι. Quod non abs re in quæstionem vocatur ne temerè iis assentiamur, qui quoniam hoc vel illo potu delectantur, promiscuè omnibus ægris illud propinandum putant quod illis in deliciis est. At vt concedam vinum, aquam, hydromeli, oxymeli, absinthites & sexcenta alia, magnas habere opportunitates, habent quoque & sua incommoda. Sic in vsu, in artéque medendi alium cibum poculúmque pro alio substituere ignorantiæ, & inscitiæ plenum est, vt & indistinctè hunc ea re interdicere, alium verò ad eandem inuitare temeritatem redolet. Vt non abs re quosdam ætatis suæ medicos redarguerit Hippo. qui absolutè pronuntiabant vinum bonum esse, caseum malum, & id genus alia, quorum aliquis vsus foret, & incommoditas quædam, prout vel locò, vel iurè, vel tempori in vsum aptarentur.

Libro de vetere medicina.

Ac de inæqualitatibus, de quibus primò duximus agendum, iam suprà aliquatenus satis esse factum puto, non abs re fuerit tamen nonnihil attingere. Multis modis videmus in febribus etiam dum æstus adest horrores leues incidere, ac si noui paroxysmi noua foret occasio: Item & manus videmus aliàs moderato calore perfusas, aliàs veluti incendio confragrare. Quæ duo aliquando simul incidunt aliquando seorsim visuntnr. Visuntur simulin ingenti cacochymia, cum non modo in mesenterio, quod est totius corporis sentina, verumetiàm in genere venoso corruptio est humorum & sanguinis, & qui detrahitur sanguis purulentus est: Hinc & vulgares dicunt se malum sanguinis cursum sentire. Quod non abs re dictum, Etenim sectâ illis bis aut ter venâ, eductóque saniosо sanguine & subuiridi, sensum punctionis quem habebant, & horrores illos paruos ampliùs non habent. Domina à Chalmontio hoc docuit satis: Nam per totum cursum morbi perpetui fuerunt horrores (quòd fortè nunquam visum est) & sanguis omnis in massa sanguinis contentus putruerat atque exalbuerat. Aperto corpore quicunque è venis effluebat sanguis merum pus erat. Quod ob dominatum caloris contra naturam omnia corrumpentis contigerat, nec non corporis interioris intestinâ cacochymiâ toti sanguinis massæ ita communicata, vt inde totius corporis corruptio insecuta fuerit. In

Vicario sancti Geruasij sensus deambulationis formicarũ quem in brachiis & metaphreno percipiebat, & quædam inæqualitatis sensio, nõ aliundè erat quàm à sanguinis corruptela per venas fusi. Declarauit curatio. Nam ista cessarunt misso ter aut quater sanguine satis cumulatè.

Horum demonstratio peti potest, ex lib. 6. Epid. Vbi Galenus scribit, *Omnes cacochymos, cum repente incalescunt, inhorrescere.* Testatur & quotidiana experientia. Nam si quis prauis scatens excrementis in sole versetur, statim inde redibit inhorrescens. Sic calor febrilis dum agitat humores putres idem præstat quod & solis calor. Inducit enim rigores & horrores, nam humores corrupti incalefacti seipsis acriores fiunt, mouentur & ita lancinant atque feriunt membranas, itèm & ichor excitatur à calore agitante qui sensum horroris, morsus, & inęqualitatem inuehit. Atque eorum qui in febribus ex facili horrescunt multa genera reperio à variis causis nata, vt non sit temerè pronuntiandum, de hac aut illa causa si quis inæqualiter horreat. Nam quidam cum vident istos horrores & inæqualitates sæpè incidentes de suppurato verentur, ac sæpè eò recurrunt, at falsò. Inter cætera videmus istos rigores & horrores (nam rigores parui de quibus sæpè in Epid. Hippo. non differunt ab horroribus, vt doctè explicauit Galenus) initio paroxysmorum contingere, de iis non loquimur. Aliquando per totam febrem adsunt, quod de semitertiana intelligit Gal. in qua horrores per omne tẽpus & particulare, & generale febris percipiuntur, siue intensio (Græcè ἐπίτασις) faciat reduplicationẽ, siue ascensus fiat inæqualis, ideo φρικώδης, dicitur κατ' ἐξοχήν: Hoc efficit materiæ diuersitas in qua febris accẽditur. Etenim ex duobus humoribus cõtrariis simul mixtis fit, bilioso & pituitoso, atque dũ biliosus incanduit, calfit pituitosus, & sic ascensus inæqualis fit, idémque contingit quod & initio paroxysmorum, quo præsertim tempore vrgent horrores. Quia enim inæqualiter & calfit & mouetur humor vnus: ideò inæqualitas contingit & horror. Cum totus humor æqualiter affectus est, desinunt horrores, & tum incrementum & vigor adest. Quòd si in vno humore interpolatam febrem committente fit, multò magis in duobus confusis fieri potest. Immò & febris τριταιοφυὴς, de qua sicuti & de hemitritæo amplissimè diximus in nostris definitionibus medicis, ab humore bilioso fit maioribus vasis cõcluso, eóque,

Com. in part. 23. sectio. 2. lib. 1. Epid.

Com. ad part. 5. sectio. 3. lib. 1. Epid.

vt ait Gal. & pigriore ad motum, & coctionis difficilioris, & quia à sua natura ita bilis degenerauit, horrores quoque iunctos habet: Immò & ea ratione φρικώδεα appellare possemus. Nam de ea loquens ita disputat, febres erant continuæ, vno die temperatiores, altero acerbiores, rigores parui (id est horrores, ait Gal.) erant omnibus sine ordine, & erraticè, ac minimi in his febribus fuerunt. Quod dixit vt non confundatur τριταιοφυὴς cum hemitriteo: cum in hemitritæo sint horrores magni & velut cum ordine. Quod mirum quomodo febris τριταιοφυὴς, si vnũ humorem habet, nempe biliosum motum pigriorem habẽtem, id est biliosum quodammodo pituitefactum ita continenter horrores inducat. De hemitritæo quidem minùs mirum esse debet, cum hic agnoscat autorem sui duplicem humorem biliosum & pituitosum simul confusum. Ac dicere oportet duplicem esse τριταιοφυῆ febrem, vna est quæ duplicem habet quoque humorem, sed non paribus gradibus affectum, vt est in hemitritæo, altera vnum habet tantùm nempè biliosum pituitosiorem. Quæ duplicem habet humorem ea ferè confunditur cum hemitritæo, quæ vnum habet, ea longiùs ab hemitritæo differt. Quo in sensu audienda sunt quæ ab Hippo. & Gal. dicuntur. Nam cum vterque vult distinctionem duarum illarum febrium afferre, vtramque confundit, & in causa, & in specie, & in more. Nam quodam in loco tu leges τριταιοφυεῖ febrem agnoscere vnum humorem, alio duos, quod difficile est ad cognoscendum, cum ista ex aduerso pugnent. At dicemus (vt rerum distinctio audiatur:) ideo in triteophyea febre, tametsi humor vnus statuatur, horrores contingere posse quod & multus sit humor circum maiora vasa cõclusus, & cum sit vnus, habet in se partes quasdam ἑτερογενεῖς, quarum ratione horroris inducitur sensus, ac præsertim dum calor extraneus sese insinuat in materiam istam. Quod dum æquabiliter in omnes materiæ partes non præstat, ideo inæqualitatis sensus adest. Sic tres causas istas animo concipies, vt distinctionis notas comprehendas. Prima est de multitudine humoris ad concipiendum incendium & putredinem parati. Secunda, quod vnus humor diuersas partes contineat. Tertia est de calore. Quod ad multitudinem humoris spectat, id verisimile: Nam in febribus interpolatis pauca est materia, & longè à magno foco semota, ideo tota digeritur in accessione, dum manet inte-

Loco supra allegato.

Part. 25 sectio 2. Lib. 1. Epid. Vide Hipp. lib. 1. Epid. in Historia Sileni.

reà empyreuma, quod concurrentibus aliis causis, nouæ accessionis author existit. In triteophyea multus est humor, maioribus vasis contentus, cuius cum pars digesta est & euicta, dum continenter calor agitat, fit anadiplosis, & nouus veluti paroxysmus, vt quod semel fit in febre intermittente fit ob paucam materiam eámque sub finem paroxysmi dissipatam, id fiat sæpiùs confusione quádam paroxysmorum. Nam pars euanuit, & exhalauit, pars putredini obnoxia, affecta, mota, irritata, nouam affert exacerbationem. Quanquam remissio aliqua præcesserit remissis ac temperatis partibus materiæ quæ vigorẽ & incrementum suum materiæ suę proportionatum habuerãt. Galenus enim vni humori duplicem inesse posse substantiam statuit, vnam crassiorem, tenuiorem alteram. Quis enim dubitat à materia putrente in maioribus vasis non eripi ac surgere tenuem aliquam & halituosam partem quæ dolores in capite & partibus propinquis excitet, cum alia pars crassior in intestinis deses sui generis alia pariat symptomata? Sic tenuior pars materiæ biliosæ multæ, pituitefactæ quodammodo, pigrioris, coctu mitificatúque difficilioris quę τριταιοφυής, facit accessiones, facit momentaneas, dissipabiles, quia materia ista tenuis exhalat facilè ac digeritur, alia crudior pars & crassior continuitatem facit, & per calorem pars alia attenuata similes prioribus accessiones inducit. Sed in semitertiana cum duplex sit materia confusa (quanquam duos focos statuũt quidam) mali moris dum calidior febrem acutam accendit statimque discutitur, & dum corpus tenetur istâ acutâ febre contingit interea frigidioribus corrumpi ac putrescere, & sic accendi ex illa remissione, quod est veluti requie & imminutione febris. Quod & Galenus de tritæophyis dixit, sed vt antè dictum est, tales τριταιοφυεῖς, proximè ad semitertianas accedunt & in motu, ingenio, specie, causa & consimilibus affectionibus. Ergo inęqualitatis vna & maximè pręcipua causa est humorum varietas, ac pręsertim eorum qui genere & naturâ dissident, vt sunt pituita & bilis; vt quoties inæqualitates, varios insultus, rigores paruos & horrores audias, toties de varietate ista materiæ non dubites, tantóque magis metuere oportet, quanto in febribus continuis frequentiùs id euenire conspexeris. Addam & illud, frequentia ista horrorum & reduplicationum mala est, vt signum & causa, vt signum quidem, quoniam declarat va-

Com. in part. 48. sectio. 3. lib. 3. Epid.

rietatem materiæ putredinem concipientis. At quò plures humores vitium contraxêre, eò multò plus metuendum: & quò plures humores negotium dant, diuersisque temporibus, eò natura plus habet negotij, & malo victa potius succumbit: Vt causa, quoniam naturam dum proritat ad pugnam plus illi molestiarum infert, & cum natura post vnam atque alteram pugnam vires colligere vult, id non facilè potest, quoniam noua est in procinctu materia, quæ naturam rursus ad conserendas manus prouocat iam iam fractam debilitatámque priore discrimine. Intereà cum alternâ requie & induciis, quibus sese paululum colligat ac erigat, carere videatur, non mirum si langueat ac victa succumbat. Ideo Hippo. dicebat, *Quoquomodo febres intermiserint, periculum abesse significant.* Et quod Galenus dixit de febribus quas vocat τριταιοφυεῖς, more malignorum morborum, diebus criticis deteriores fieri, id est, deterior status & conditio est. Signa cruditatis repræsentantur, quo loco signa coctionis adesse deberent. Atque eo modo possumus id interpretari, quod meo iudicio est difficillimum, & à nullo, quod sciam, animaduersum, nimirum, quare propriũ sit febrium τριταιοφυέων, quemadmodum & malignarum, vt diebus criticis deteriores fiant, possumus (inquam) interpretari eo modo quo & Gal. explicat, *Circa, initia & fines omnia esse imbecilliora, cum verò consistunt, fortiora: symptomata quidem & accessiones in vigore fortiora esse multò, quam aut in fine, aut initio, sed dispositio morbi in iis qui saluari debent, melior est multò quam initio*: Id est, symptomata grauiora, quoniã iudicium instat, & in procinctu res est, sed si morbus funestus non sit, quoniam cruditatis signa non adsunt, dispositio morbi melior est. Vt, dum in apostemate febris augetur ob suppuratum quod actu iam fit, symptoma quidem augetur, & ratione symptomatis in vigore omnia fiunt fortiora, nempe & dolores, & febres, sed morbi dispositio melior est, quia euicta putredine & cruditate, læuitas, æqualitas, & albor in pus inducitur, qui sunt legitimi characteres bonæ materiæ, & melioris factæ per naturæ victoriã. Sic in febribus continuis, iis præsertim in quibus naturę multum negotij datum est ob varietatem materiæ, ob continuitatem, ob malignitatem morbi, cum diebus criticis symptomata quidem sæuiora esse debeant, & ob materię coctionem

Ad Apho. 29. & 30. lib. 2.

Quid sit deteriorem fieri morbum diebus criticis.

dispositio febrilis & morbifica melior esse debeat, tũc dicũtur omnia esse diebus criticis deteriora, id est, dispositio morbi deterior est, cum alioqui melior esse deberet ob signa coctionis apparentia. Dicã id quod ego obseruaui in plerisque laborantibus febre continuâ quâ ipsi interierint, septimo & nono & vndecimo die febris videbatur remissior, vrina, quæ notas coctionis paulò antè habebat, crudior erat ac turbata magis: sic omnia fiunt ὕστερον πρότερον: Quandoquidem febris & alia symptomata vehementiora esse debebant, vrinæ coctiores esse quoque debebant: Sic dispositio morbi deterior est, symptomata remissiora sunt & imbecilliora. Atque meo quidem iudicio, hoc est, in febribus τριταιοφυέσι & malignis, deteriores esse criticis diebus morbos, id est morbi διαθέσεις. Quod valdè notari debet, quoniam puto id neminem vnquam pro rei dignitate, animaduertisse.

Vnam verò maximè causam inæqualitatis & horroris in febribus explicuimus exemplo hemitritæon, & τριταιοφυῶν, vt hoc posito exemplo de similibus iudicare liceat. In quo longiores de instituto fuimus, vt id innotesceret maximè quod obscurum est, & vt temerè non pronuntiemus huuc vel illum ideo suppurato teneri quod in febribus inrodinatè horreat. Tale enim iudicium puerile est, & ineruditum, cum sedulò magis causæ huius rei vestigandæ sint ac perlustrandæ. Atque cæteras causas istorum horrorũ sigillatim persequi accõmodatè ad id quod quærimus, deliberaueramus, sed longitudine sermonis territi, & quod passim alibi & cursim, & abundè ea de re attigerimus, superfluum & ταυτολογίας plenum existeret, tractatione ista sumus supersessuri. Nunc verò tria persequi breuiter in animo est. Primum, quæ causa fuerit in nostro ægro Sangermano inæqualitatis istius: secũdum, si humorum varietas causa est tam frequentis insultus cur non idem in omnibus & interpolatis, & continuis febribus eueniat, cum vbique saltem & duo, & tres humores in vitio sint, & ferè semper & bilis & pituita in mesenterio confusa sint, quorum vnus sine altero vix attingitur, saltem vix calfit vnus sine altero. Nam quod de humoribus & spiritibus dixit Gal. exemplo lebetis, nimirum dum incaluerunt spiritus, humores quoque partem caloris concipere, & dum humores incaluerunt, in solidis partibus calorem quoque con-

1. de diff. febr.

cipi, id hoc loco maximè considerandum. Quasi verò siue humores sint confusi, siue separati sint, fieri queat vt intacto alio, alius ardeat. Quod si fit, cur non in omnibus febribus inæqualitates & horrores fiunt. Tertium à nobis propositum, est vt Arculani doctissimi opinionem proponamus necnon Hollerij artis nostræ scientissimi de febribus horrificis, & horroribus qui in febres incidunt[4].

De causis inæqualitatis in ægro ita statuo. Phlogosis erat interna maxima, maxima saburra humorũ ita conclusa, vt nil euacuari arte posset, credo proximè hepar putrefactos humores ita fuisse conclusos, vt proximè eius parenchyma afficerent, vrinæ nihil biliosi humoris in tãto æstu continebant: pulsus durus & vibrans ita totam massam & sanguinis per omnes humores promiscuè confusos arsisse ac putruisse significabat, vt non possent non multi horrores & inæqualitates surgere. Nam cum vaporà putrentibus humoribus calidus efferebatur, sensum caloris proximum inducebat, qui cum exhalauerat, tepor partium repentè manebat. Atque ita factum est, vt septimo die de repentè ferè interierit, calore naturali victo à calore contra naturam, qui vnà quoque extinctus est vt denuo reaccendi non potuerit. Quod sciri ampliùs potest ex his quæ à Galeno dicuntur in historia de Pythione, vt antè explicuimus. Recurre ad locum istum. Item Galenus, *In morbis summè malignis partium extimarum permutatio vnâ horâ ad contraria efficitur* (ideo Hippo. in textu dixit,) *Si celeriter partes commutentur. Interdum quidem vt hyeme fit, perfrigescant, interdum, vt æstate fit, vt incalescant. Id autem contingit cum propriam caliditatem non habuerint, atque à febrili calefiant. Quæ à corporis medio incipiens, flãmisque similis totum corpus depascens, extrema concalfacit, quæ & cum transpirauerit, statim & ea refrigescunt, extinctâ nimirum natiuâ caliditate.* Est enim magnum argumentum calamitatis cũ ne sufficit quidem calor minimus ad conseruandum mediocrem caliditatem in manibus & pedibus. Immò & extinguitur ipse calor contrà naturam. Nam in quibus multus inest & expansus, saltem manus sua caliditate acri perfundit. Maximè verò sensus horroris & inæqualitatis adest, cum non modo contenti in mesenterio & præcordiis humores sunt affecti & putrefacti, sed cum in venosum genus labes ipsa serpsit ac dimanauit. Quod huic maximè viro contigerat.

Part. 8. lib. 2. Prorrh.

Quod ad quæstionem secundo loco positam, nimirum cum in corpore raro vnus humor peccet, vt declarant euacuationes quotidianæ, & quòd quotidie dantur cathartica non vnum humorem euacuantia, sed multos simul, quare non omnes sunt febres horrificæ! Dicendum alios quidem humores ob communicationem incalescere, sed vnus maximè incalescit per putredinem, alij nondum putredinem contraxêre. Vel, dicemus multitudinem materiæ ἐπεργενῶ, in semitertianis, & aliis febribus horrificis inæqualitatem inducere, quæ si similis esset in interpolatis febribus, & conclusa in vasis maioribus & confusa, pares rigores induceret. At illa cum initio paroxysmi horrorem induceret, quod diuersiformis quodammodo foret, accedente incremento fit vniusmodi. Et quod in corpore multi sunt humores qui à medicamentis educuntur, sunt potius fœces quàm humores, qui cum abstrusi sunt, si putredinaliter accenderentur, facerēt febrem. Si coniuncti, febrem sui generis, si diuersi & distincti, erraticas febres. In febre tertiana vna pars humoris putret, & alia imputris manet: Item in Epiala, & tamen caloris & frigoris sensus simul non inducitur in vtraque febre. Quod notandum, vt scias quid materiæ varia dispositio, & varietas efficiat.

Tertium de quo diximus nos dicturos explicando quid his de rebus sentiat Arculanus, pertinet quoque secundum vniuersale propositū, quo quæsieramus an in febribus continuis paroxysmi sint. Et an non nomen παροξυσμῶ commodiùs ad intermittentes febres referatur.

Arculanus ita de istis rebus statuit vt doceat, & quomodo febres intermittentes sine rigore, horrore, & frigore incipiant, aut eo saltem leui: item quomodo febres continuæ reduplicationes habeant cum horrore, rigore (nam non intelligimus hoc loco nomen rigoris qui præcedit crisin aut sudorem in continuis) ac si periodicus esset & typicus. Verba sunt eius, initio phlegmaticæ febris continuæ, ait Auicennas, quod idem de febribus aliis audiri potest, exacerbationes incipiunt à frigore, aut horrore non quia materia eius spargatur per membra sensilia, sed quia materia mouetur propter copiam sui ad venas minores naturalē calorem suffocantes: Id est, dum putrens materia à loco in quò coercebatur in venas minores & aliquas angustias mouetur, sensus quidē aut rigoris, aut frigoris percipitur.

Cap. 4. de febrib.

Item quòd febres periodicæ & intermittentes possint incidere in quempiam nullo pręeunte typico, aut frigore aut rigore, causa hæc est ait Arculanus, fieri potest vt materia quæ per membra sensilia spargitur eo modo sit disposita quo est post rigorem in incremento alicuius paroxysmi. Atqui in augmẽto rigorem non infert: quia potis est benigniorem illam materiam effectã esse, & ideo tardè moueri ad membra sensilia, & sicut mouetur, ita calefit, & acquirit dispositionem similem ei quæ est in augmento. Et tunc non suboritur rigor [8]. Immò (ait) in paroxysmis febrium interpolatarum videmus subintrare alium paroxysmum sine rigore, aut frigore. Porrò quomodo in febribus continuis paroxysmus fieri dicatur, explicatum est hoc in lib [9]. Et in definitionibus meis medicis [10]. Ex his quatuor quæ à nobis proposita sunt, duo restant breuiter explicanda: prius cur aluus nil reddiderit de materia morbifica, cum tamen liquida redderet, sed nil proficientia: posterius de hydromelite. Quod ad priùs attinet. Cum in febribus ardentibus, qualis erat ea quæ Sangermanum affligebat, calor multus sit cur non excrementa sunt συνεχόδεα? An in febribus istis continuis liquidior aluus esse potest? Ita sanè & tunc malum est vt signum & causa. Vt signum quia vel colliquationẽ significant, vel tantam phologosin, vt omnia intrò reuocet, & auidè retineat, vt potiùs sequatur colliquatio, quàm quicquam è materia extrahas, vel significat vi caloris contra naturam labefactatas esse partes naturales, vnde sæpè chylosa excernuntur, vel declarat tantùm decedere aliquid liquidiusculum ob copiam potus quo immoderatiùs vtuntur ij quibus interiora æstuant. Vt causa verò, quoniã vires intereà labuntur, cum non excernantur qualia excerni debent, cum defraudetur sæpè naturæ genius debilitato ventre, & quod non est ampliùs locus medicamẽtis solutiuis educturis materiam morbificam. Eorum enim vis eluditur ab ista qualicumque versa superfluitate quæ aluo egreditur ac effluit. Et multos sic interire vidimus excretis quibusdam liquidioribus, & retentis partibus crassioribus quæ morbum fouẽt [11]. Et in talibus quò plus effluit de ista superflua humiditate, eò magis à calore cõtrà naturam subigente venter intumescit.

Part. 2. lib. 2.

Medici plerique delectantur tali vacuatione nos contrà. Hippocrates in Prognosticis, & in libro Acutorum docet quomodo inflammatis venis lactium alui fluor symptomaticus cõ-

tingat, tum ob ἀνάδοσιν, prohibitam vi inflammationis, tum ob generationem ichoris & saniei vi eiusdem inflammationis. Atque in acutis febribus liquidiorem sæpè esse aluum docet, ratio est, ait Gal. quoniam tales humores sunt crudi ac serosi, & tenues, quia omnis coctio crassefacit. Et in Epid. In febribus continuis obseruat excrerionẽ multarum superfluitatum aquosarum quæ nihil ferè iuuant. Et quod notandum eodem libro ait, duabus de causis profusiorem aluum fieri in acutis, ob colliquationem & phlegmonem. Sic diuersa ratione in acutis aluus astringitur & effluit. Mallem astringi, quoniam humectando solueretur, & purgatio sequeretur: sed cum effluit liquidis excrementis ferè rarò proficit, & non purgatio est, sed euacuatio tantùm eáque symptomatica. Immò effluunt sæpè ea quæ retineri debent. Vide de iis plura capite de fluoribus alui antè, & in nostris definitionibus medicis in voce συνεξιδῶδες.

Part. 4. lib. 4. de diæta acut.

Part 30. sect. 2. lib. 1.

Epid. Par. 40. Lib 4. acutorum.

Nunc ad hydromeli conuertatur oratio. Quærebamus an cum μεγαλόσπλαγχνος esset (interpres vertit, viscerosus) non læsus fuerit vsu hydromelitis quotidiano. Ac primum quid τοῦ μεγασπλάγχου, nomen significet videndum. Reperio apud Hippocratem τὸ μεγαλόσπλαγχον, & actiuè & passiuè sumi. Actiuè quidem vt cum dictum est vinum dulce esse μεγαλόσπλαγχον τοῦ σπληνὸς καὶ ἥπατος, id est, dulci vino inesse vim tumefaciendi, & in molem efferendi splenem & hepar, propter eam quàm paulò post explicabimus rationem. Passiuè autem cum dicitur ὁ ἄνθρωπος μεγαλόσπλαγχνος, cui hepar & lien, aut alterutrum intumuit, vel ob scirrhum, vel ob phlegmonem, vel œdema aliquod, aut affectum aliquem consimilem, quomodo affectis melicratum nocet, ait Galenus in comm. Tertium venari licèt ex Galeno Commentario in eandem particulam significatum, vt ὁ μεγαλόσπλαγχνος, dicatur is cui ex naturæ prima conformatione viscus illud duplex magnum est ac elatum. Atque eo insensu æger noster dum integra sanitate frueretur dici potuit μεγαλόσπλαγχνος, erat enim vt sic loquar, iecorarius, id est amplo iecore, feruente, æstuoso, & ideò rerum dulcium vsu valdè eum offendi par erat. Immò quod tam sæpè ægrotaret, & tam grauibus indomitísque morbis sæpè teneretur, non aliundè causa quàm ab vno hepate quærenda fuit. Vt etiam cum lubrica sua sanitate vteretur secundum vocis illius μεγαλοσπλάγχου, significatum attribuere non fuerit alienũ. Non enim dubiũ fuit quin latens obstructio, aut ali-

Particul. 8. sect. 3. lib. acutorum.

Particul. 9. eiusdem lib.

quid simile fuerit. Atque melicratum illi obfuit per se & ex euentu. Ex euentu quidem, quoniam cum melicratum aluum soluat bifariam, aut generando bilem, quia mel, bilescit, aut acquirendo acrimoniam, quia in biliosis æstuosisque aluis mel facilè acrimoniam acquirit, proptereáque aluũ sollicitat, contigit vt iste æger alui libertate donatus neglexerit ea solemnia remedia quibus propter plethoram & cacochymiam sæpiùs in anno vtebatur. Satis enim sibi suæque plethoræ factum putabat, quod liquidiusculè aluus ferretur. Immò initio pastuum cum primum hausisset iusculum ad desidendum desurgebat, & id in lucro deponebat in bonísque ducebat. At ista alui subductio non erat naturalis, sed potiùs erat veluti quædam σπατίλη, id est, humida quædam excretio, ita enim verto, non quomodo interpres qui nomen τῆς σπατίλης, reddidit nomine lienteriæ. At aliud longè est. Nam si quis præter consuetudinem nondum mitificato, aut diuiso cibo edat bibatue, laxatur aluus liquidiore excremento, immò sæpè deiiciuntur ea quæ assumpta sunt parum mitificata, an lienteria dicetur? Nequaquam, sed propriè σπατίλη vocabitur. Quod notandum, vt teneantur rerum distinctiones, quas negligit otiosa hominum sciolorum ignorantia. Ac dum solennes purgationes neglexit, ita congesti sunt praui humores, ita sanguinis massa infecta, vt adoriente graui morbo, ei necessariò fuerit intereundum. Notandúmque vnum est. Solebat colicis doloribus diuexari. Non eum per annum integrum insolitò exercuerunt: sed ea praua materia istorum dolorum parens aliquo tempore feriata infœliciore euentu suam frequentiam compensauit. *At quicumque olim grauibus morbis occupari soliti sunt, tametsi dent inducias, immò planè extincti videantur, de iis securos esse non oportet, cum sæpè alij morbi pro aliis succedant. Quod multos fefellit, quos incautos, aut reuiuiscentes morbi, aut noui & insolentes, aut oppresserunt, aut funditùs è medio sustulerunt.* Porrò de hydromelite hoc dici potest, quod de vino dulci dicit Galenus, docens quomodo & ratione dulcedinis, & crassitiei offendat. Dulcedinis quidem quia omne dulce dum impensè coquitur amarum fit; ratione crassitiei, quia cum dulce sit, & ideò facilè attrahatur ab hepate tanquam ferè crudum & incoctum facilè obstruit hepar & lienem. Subit enim minutissimas venas, in quarum anfractibus mel, & aliud dulce contentum dum efferuescit, & incrassatur sibi ipsi viam obstruit, &

Vide partic. 12. lib. 3. acutorũ.

Par. 22. lib. 2. Acutorum.

Com. in lib. 3. acuto.

præcludit. Et notanda ſunt ea valdè de diſtinctione facilitatis obſtructionis in pulmone, hepate, & liene. *Pulmo non ita læditur vſu vini dulci, vt hepar & lien, cum bronchia craſſum habent humorem. Nam in hepate ex amplis venæ portæ vaſis ad anguſta vaſorum tum gibbæ, tum ſimæ progreditur extrema, per quæ eorum omniũ quæ in corpus totum digeruntur tranſmeatio ſit. At in pulmone contrario euenit modo. Nam per venas multas digeſtum confectúmque in amplam bronchiorum, & primo minorum irruit capacitatem, atque ab ipſis ad maiora excipitur, ſecum & craſſos tollens humores, quibus non calidius ſolùm, verum quoque & tenuius exiſtit, &c.* Neque quæ de vino craſſo dicuntur, ea de melle omninò dici debent. Si quidem non eſt ea partium craſſitudo, quæ ineſt vino dulci. Vt ne quis omnino ea ratione hydromelite aquoſo carendum putet. Sed ſi inflammata ſint viſcera magnas mel incommoditates affert. Quod non modo de vera inflammatione audiendum eſt, ſed etiam ſi quis naturâ hepar habeat præcalidum, & aluum duram habeat ob ventris caliditatem. At noſter ęger calidiſſimo erat temperamento, vt ferè longè à medio diſcederet. Declarabat ſuffuſa rubore facies quàm magno eſſet hepate, & calido. Et minimo vini vſu offendebatur, quod declarabat vim caloris alieni, & vaporum ab hepate calido excitatorum copiam. Ergo cum viſceribus natiua quædam eſſet δυσκρασίη, hydromeli nocuũ fuit. Nam viſcera rapiunt mel auidiſſimè, & eo impensè delectantur. Quæ omnia à Galeno præclarè demonſtrantur. Et longum eſſet ea referre.

Ibid.

Com. ad part. 11. lib. 3. acuto.

Aliam quoque incommoditatem affert mulſa, quàm in hoc ægro nouimus, bilioſa deiicit, aliquando bona, aliquando mala. Bona bilioſa non dicuntur, quod quę excernantur bona ſint, ſed quia ſerum ſuum habent, mala bilioſa dicuntur ea quę ſyncera ſunt, & natiuo ſuo ſero ob colliquationem & ardorem deſtituta, vt hoc loco & in Aphoriſmis dixit, hinc ignea bilis eſt, flaua, craſſáque quæ mala eſt vt ſignum & cauſa, vt ſignum, quoniam ardorem immoderatum & phlegmonem inducat, vt cauſa quoniã nil, dum excernitur, iuuat, ardorem nõ extinguit, ſed fermè auget: ἄσας, ξυντασμὺς ϗ δυσφορείας infert, vt ait Hippo. quod mirum eſt, immò & inteſtina exulcerat[13]. Quærique hoc loco poteſt an mulſa per ſe iſta bilioſa bona, aut malefica malignáque (vt Galenus loquitur inſolito loquendi more, dum vocat, bilioſum malignum & maleficum ab effectu, & generatio-

Duplex bilioſum.

Com. ad Apho. 6. lib. 7.

Gal. com. ad particulas 12. 13. 14. lib. 3. acutorũ.

nis modo) efficiat, an excernat per se, an ad generationem faciat, an eatenus mala, aut bona. Reuerâ facilitatem excretionis potest afferre, sed dum auget incendium, & promptissimè bilescit in vitio viscerum & δυσκρασίᾳ, multis modis potest dici afferre σίνεα καὶ βλάβας, læsiones & offensas: multa ad eam rem afferri possunt, at verendum fuit ne satietas fastidiúmque tantâ orationis prolixitate pariatur. De melle legi aliqua possunt eo loco vbi de lacte disputamus.

ANNOTATIONES.

1 *Hic nunquam salubrius vixerat, nunquam omni ex parte magis sanus, quàm cum eo morbo funesto captus est. At* εὔχροια, *& sanitas ista suspecta erat: verumque comperimus illud. Circa faciem coloris suauitas & sudores sine febre, aut vetus stercus subesse significant aut diætæ* ἀταξίαν, *Vide locum præclarum cap. 2. lib. 2. Celsi.*

2 *Vir iste quindecim ante mensibus laborauerat, quádam specie arthritidis in omnibus articulis, in collo à corruptione humorum & serò maligno. Talem speciem morbi vnus Hippo. animaduertit in fine lib. 2. Prorrheticon. Quin dicit eos quibus viscera magna sunt, & quibus primis annis hæmorrhagiæ frequentes fuerunt, doloribus articulorum esse opportunos. Quæ conditiones in isto viro apparuerunt. Præterea de eo illud fuit verum quod ait Gal. ad part. 70. sect. 3. lib. 3. Epid. quòd quibus multus sanguis generatur isque calidus ij facilè melancholici fiunt.*

3 *Ad Hist. 2. sect. 3. lib. 1. Epid. de Sileno locus est præclarus. Vbi docet quomodo & biliosi humores & crudi simul generentur: vnde (ait) morbi grauissimi generantur. Id quod ad semitertianas extendi potest.*

4. *Verè illius inæqualitatis huius horrificæ causam ad phlogosin retulimus. Nam Gal. com. ad part. 42. sect. 2. lib. 1. Prorrh. docet horrores frequentes circùm dorsum, & cum iactatione significare phlegmonem harum partium.*

5. *Inæqualitas materiæ maximè facit febres per totum tempus inæquales vt sunt horrificæ. In multis morbis & corporibus vnus humor in vitio est, & facit orgasmum. Vt in biliosis ferè sunt febres vniusmodi, vt tertianæ, aut continuæ. In melancholicis similiter. At in quibus temperamentum ad biliosum tendit, & hepata sunt calidiora, vita verò institutum est pituitosum, aut alia ratione pituita generatur, in iis inæ-*

quales, erraticæ ſunt febres. Quemadmodum tum cholera morbus peßima & flatuoſa & ſicca generatur, cum calidis & frigidis ſimul quis vſus eſt. Quia contrarietas materiæ impedit vniformem motum. Ita cum ſimul putrent & mouentur, & concipiunt calorem, ſed inæqualiter duæ materiæ, tum duplex naturæ datur negotium. Declarat vxor Domini Courtilier, & vidua Ioannis Debures. Id quod Gal. ad hiſt. De Sileno lib. 1. Epid. ſect. 3. explicauit. Docet enim grauißimos tunc morbos generari cum eſt bilis prouentus & crudorum ſimul humorum. Quomodo autem vterque humor ſuccreſcat abundè docet.

6. Hoc ſæculo magna pars ardentium febrium à rigore incipit. Tamen Gal. ad part. 75. ſect. 2. lib. 1. Epid. ait rigorem ſtatim initio proprium eſſe malignitatis. Et hoc anno 1580. quotquot ferè correpti ſunt peſte, iis præcurrit rigor. Et rigor prodromus fuit peſtis adorientis.

7. In febribus paroxyſmi ſæpè ſunt apparentes aliquando non. Et in continuis annotationes ſunt, ſeu παροξυσμοὶ, ſeu, ἐπισημασίαι, aliquando diurnæ, aliquando nocturnæ, ſine rigore, aut manifeſta moleſtia. Has ἐπισημασίας ἀθλίπτυς, Græci vocant, vt Gal. docet cap. 9. lib. 1. de different. febrium. Interpres vertit incompreſſas, ſed ineptè. Alius, æquales. Minùs ineptè, ineptè tamen. Et quamuis cap. 7. eiuſdem lib. θλίψεως, nomen pro compreßione ad pulſum refertur, tamen τὸ ἄθλιπτον, pro incompreſſa ſumi non debet. Ergo ἡ ἐπισημασία ἄθλιπτος, dicitur, quod careat iis anguſtiis & moleſtiis quibus premuntur alÿ per acceßionum initia. Et doctè Galenus explicat, & quomodo illud τὸ ἄθλιπτον, in hecticis, & in quibuſdam aliis febribus obſeruandum.

8. Vnde, qui tertianarij ſe lecto continent, ſæpè rigorem: aut eum exiguum, non ſentiunt.

9. In febribus continuis præſertim vbi multa inæqualitas materiæ & motus, ſi corpus debile, & minimè obſequens materia, horrores apparent, & deinde incandeſcentiæ, ſed iſti horrores aggreßionis tantùm ſunt inanis, vide 7. Epid. de muliere quadam.

10. Hippo. lib. 4. Acuto. part. 13. In cauſo febre non legitimo aluum ſolui docet, non de materia morbifica parte excreta aliqua, ſed corruptione alimenti quod ſumptum eſt. Et quod valdè notandum docet quomodo foco febris ardentis exiſtente in hepate aliàs aluus ſoluatur, aliàs aſtricta ſit particula 17. lib. 4. acuto.

11. De his verus Aphoriſmus & quem in multis deprehendimus: Ventris circuntentio ad neceßitatem liquida deiiciens, citò intumeſcens conuulſiuum quippiam habet. Apho. 7. lib. 3. Prorrh.

12. *Et fundati sumus opinione ipsius Hippo. nam dum facit mentionem de inflammatione lactium & ieiuni nam inflammationem necessariò sequitur alui fluor (& hic fluor non debet dehortari venæ sectionem) sed talis fluor, nec dolorem soluit, nec ventrem mollit: Inflammatio autem & morsus intestinorum & doloris causa est, & fouet istum tumorem.*

13. *Ideo lib. 2. Epid. & in Prorrh. fines morborum in deiectiones synceras desinentes damnat, quia sunt malæ, vt signum & vt causa.*

CONSILIVM CXI.

De febre continua & destillatione ferina.

FIlius Domini Chaluæi equitis torquati, annos natus decem in febrem continuam incidit cum ferina destillatione coniunctam. Et quemadmodum omnes morbi qui vehementer hominem adoriuntur, facere solent, hic morbus statim terrifica attulit symptomata. Leienterica fuit fluxio, deinde aluus planè astricta est. Tussicula erat inanis, arida, effera, tenuis. Metus erat febris hecticæ, cum videretur calor arens, siccus, squallidus, genarum rubores fugaces, calor summus in pectore, lingua fuliginosa, sitis, dolores in latere dextro fugaces. Denique morbus erat κακοήθης. Nam in quauis febre prçter rationem collabi, malum. Quod quomodo intelligi debeat, & tamen ad artem faciat plurimum abundè explicuimus antè. Et omnes morbi maligni, quorum aut in acrimonia caloris colliquantis natura posita est, aut in ferina destillatione, aut in translatione maligni humoris, hoc habent peculiare, vt subitā consumptionem, & collapsum afferant citra vllam insignem euacuationem. Ac reuera si is morbus fuisset neglectus, aut si temerè de eo medici securi fuissent, inopinatò repentè fuisset ereptus sideratis veluti pulmonibus à ferino. Obseruarunt enim primates quidā medici rerū diligentes indagatores in paribus destillationibus sideratis pulmonibus & lateribus redditis σηπτοῖς καὶ ἀποπλήκτοις, repentè interiisse. Adeo magna est vis τοῦ θείου καὶ θειώδους. Vide quod sit τὸ θεῖον, apud Hippo. lib. 6. Epidemiorum. Atque non tam in metu febris erat, quam destillatio, quæ speciem siccæ pleuriti-

Hipp. part. II. lib. I. Prognostic.

pleuritidis, aut peripneumoniæ fecisset, tum per translationẽ à capite, tum per raptum à partibus inferis. Nam pulmo accensus vndelibet trahit magno impetu, & vnam speciem peripnemnoniæ facit eo modo, vt explicuimus ante. Et obseruauimus in eo valdè magnam cacochymiam (nunquam enim ægrotauerat) euentúsque probauit iuuisse plurimum ad dolorem lateris & accersandam inflammationem colluuiem humorum, vt contra vulgarem opinionem sæpiùs meliùs sit in doloribus laterum præsertim cum opinio est de translatione tenuiũ ichorum à partibus inferis, purgare quam secare venam. Ideo dicebat Gal. minus auxilium ex sectione venæ quam ex purgatione sequi, sed securius: quia medicamenta augent febrem. Nunc verò cum alia habeamus lenientia, & maius, & promptius & æquè securum præsidium in purgatione locabitur.

Sicca erat pleuritis, non eo modo quo dicitur morbus siccus, id est, crudus, sed sicca, sine sputo dicitur. Quod ne mirum sit, hanc appellationẽ Hippocrates primus inuenit. |Vocat enim quandã pleuresin, Pleutitidẽ ἄνευ πτυάλου. Rubor est genarũ fugax, & quædã ἄχροια, quæ in malis ducitur. Et reuera rubor genarum inflammatorum pulmonum, aut inflammationi proximorum est indicium. Quidam aliquando, vt hoc probaret citauit prognosticon Hippo. At reuera de rubore genarum illo loci, ait Hippo. sed de purulentis sermo est: præter ruborem est indolentia, iactatio, dormiendi impotentia, caloris acris, sed fugacis sensio, tussis inanis, scabra lingua, sitis ingens, summi caloris in thorace perceptio, sputum eludit spiritum, vt paulò post ex Galeno dicemus. Ac tussium inanium & aridarum duo sunt cum materia tenui quidem, sed quæ tandem aliquam crassitudinem acquirit in pulmone, cuiusmodi est pleuriticorũ tussis initio. Alia est tussis inanis, quæ nil postea relinquit, est autem eius causa spiritus ichorosus, aut ichor spirituosus omnis expers pepasmi. De priore agit Hippo. infestabantur arida tussi, nil excreabant, quibusdam testiculus inflammabatur. Quî factus fuisset abscessus illius materiei, nisi moram ea traxisset, & satis eius fuisset ab abscessum commemorabilem? De posteriore potest intelligi ex eo quod Hippo. scribit cum ait in inflammatione hepatis ob serum resudans fieri βῆχα καὶ θυμόν. Tussim & tussiendi inaniter desiderium. Tussis, si magis materiale est serum, θυμὸς, conatus tussiendi si magis efferum, tenue,

3. de morbis, & lib. 1. Et part. 21. lib. 4. acuto. Meminit orthopnoeæ siccæ ob spirituũ interceptionem

Part. 12. sectio. 1. lib. 1. Epid.

2. Prognost.

ſpirituoſum. De ea materia mala, cacoethe, pepaſmi incapace cum paſſim alibi Hippo. tum maximè in Epid. agit, fauces dolebant, ruborem habebant, rheumata parua, tenuia, acria, ſtatim extenuatæ, & malè affectæ fuerunt. Et de filia Euryanactidis, huic fauces initio dolebant, gurgulio retractus, deſtillationes multæ, acres, tenues, & addit ſub finem τυſχνικὸν φθινῶδες. Plura nos explicuimus in voce ξηρὸν. Cæterùm non dicam plura de hoc ægro cum idea huius morbi explicata ferè ſit, & ad vnum expreſſa in duobus pueris Ioanne de Heruille, & Melchior du Freſnoy. Tantum de duobus monere oportet, quod video nullos apud Hippocratem legiſſe duplices eſſe pleuritides, alias cum ſputo, quæ & ſiccæ & humidæ dici poſſunt: ſiccę, initio, cum nondum procedit ſputum. Aliàs ſine ſputo, vt quales ſæpè hyeme graſſantur, & quæ à calore fundente & colliquefaciente ſunt, item quæ à ferino oriuntur, quæ omnium deterrimæ cum ſenſim cuniculos agant. Alterũ eſt quod omni ratione in ſiccis pleuritidibus humectare conuenit, tum ad retundendam humoris acrimoniam, tum vt tranquillior redditus cedat Naturæ, nec ita per colliquationem peſtilentem hominem λαθραίως, offendat ac necet. Et Hippocrates viſus eſt huius morbum pueri & deſcripſiſſe, & præſenſiſſe quid futurum fuiſſet niſi arte cautum fuiſſet: *Reſiccatum id quod influit, & in gutture compactum, vt pote quod non eluitur, ſed paulatim influit ac detinetur, tuſsim excitat, & quod defluit in aortis detentum anguſtum ſpiritui locum exhibet, & talem ſpiritum habere facit, qui veluti defectus ſemper reſpirare concupiſcit (id eſt quædam* βραχύπνοια καὶ δύσπνοια *fit) & in pulmone veluti non vehementer humido exiſtente pruritus contingit: Cum multùm è capite fluxerit, pruritus in pulmone non fit.* Locus præclarus. Et reuera iſta inanis tuſſis erat à pruritu, & qui tenuis & paucus humor pruritum faciebat, idem dolores fugaces in thorace faciebat. Reuera obſeruauimus quod dixit nẽpe ob pruritum iſtum difficultate ſpirandi laboraſſe: Immò ſi moueretur minimum, dicebat ſibi ſpiritum deficere. Quomodo autem omni ratione in ſicca pleuritide humectandum ſit Hippocrates docuit, & nos hunc ſecuti id præſtitimus in hoc puero, in Damiſella in hoſpitio Briennæ. Item & ea quæ omni ratione inſpiſſarent exhibuimus. Sic enim conſuluit Gal. *Scis, ait, pulmonem ipſum ab humoribus craſsis & viſcoſis per tuſſes expurgari. Nam qui ſunt aquoſi & extremè tenues, aerem qui tuſsiendo emitti-*

Par. 28. ſectio. 1. lib. 1. Epid.

Lib. de locis in homine.

Pruritus in pulmone.

Lib. de locis in homine.

tur, circumfluunt. Aer enim tanquam manus quædam existit, quæ sursum crassos humores ferat. Quod si crassi fuerint, non humiditate tantum opus est, sed & detersione quæ ab acidis fiat succis. Itáque puer, de quo agitur, aluo soluta leniendo, temperato calore, sectione venæ, anodynis, & omni humectationis formâ breui restitutus fuit, & suo pulmonis pruritu liberatus. Cæterum vnum annotare oportet qui fiat, vt in multis morbis acutis somnus laborem faciat, conuulsiones & timores afferat, cum contra iuuare debeat. Ac primùm quatenus in somno reuocantur intrò spiritus, calor vnáque humores, ea ratione nocet maximè in febribus & inflammationibus internis, nisi ratione coctionis quæ sit per reuocationem istam maius commodum sequatur, quàm sit id incommodum quod ex reuocatis intro humoribus insequatur. Nisi quis dicat parum etiam prodesse somnum in febribus ratione primæ & secundę digestionis, quòd per vigilias vrgeat, vtráque, vt tertia digestio per somnum viget. Vt declarat inuoluntaria seminis ęxcretio quæ nobis dormientibus fit. Ac de somno, causis, vigiliis, vtrorúmque formis antè à nobis dictum est. Nunc explicemus qua ratione fiat, vt somnus aliquando obsit in febribus, & quomodò id fiat. Ac primùm de somno mirabile est quod ab Hippocrate scribitur: dum enim nititur demonstrare in sanguine magnam vim inesse ad prudentiam & intelligentiam, docet ex contrariis effectis tum in somno, tum in morbis acutis. Atque in somno quidem quoniam refrigeratur sanguis, ideò vacuitatem quandam prudentiæ contingere docet. *Nam* (ait Hippo.) *cum corpus somnus inuaserit sanguis frigesit. Infrigiditato autem sanguine languidiores fiunt meatus, hinc constat, quoniam somno ad grauata corpora reclinantur, & oculi ardent, & prudentia permutatur, opiniones peregrinæ mentem occupant, quæ insomnia appellantur.* In acutis morbis quoque apparet quantùm sanguis ad prudentiam conferat, quoniam cum primum in sanguinem mutatio aliqua euenerit, tum demum mutatur & deterior fit prudentia. *Sanguis* (ait Hippo.) *qui est in homine, maximam partem ad prudentiam facit, quidam dicunt totum. Cum bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit sanguinem ex consueta compage ac motione dimouet, & serosum facit ac calfacit. Calfactus autem etiam totum corpus calfacit, & desipit homo, & non sibi constat, præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente.* Quæ quatuor

Com. in part. 2. lib. 3. acutorum.

Lib. de flatibus.

Sub finem lib. 1. de morbis.

notanda ſunt vt generetur phrenitis, nimirum vt bilis commoueatur, & ſanguinem conturbet, vt dimoueat ſanguinem ex compage, σύστασις Græcè κίνησις: tum vt ſeroſus fiat ſanguis, Græcè ὀρρουσθαι, (cuius verbi magna vis eſt) & calfiat. Sed hæc ſint πάρεργα, præclara tamen. Ergo ſomnus refrigerat, interiora tamen calfacit ex euentu, corpus reddit grauius & ſtupefacit. Sed in febribus ob dominatum caloris contra naturam grauia ſæpè inducit ſymptomata. *Ideo,* (ait Gal.) *in ſomno & labores, & tremores, & conuulſiones fiunt cum in ſomno humor infeſtus ad ſomnum peruenerit, tunc magis intra, quàm extra natura mota*[2]. *Et vt ſomni à cibo replent caput, ſic in plethoricis diſpoſitionibus, ſomni ipſum replentes aggrauant cerebrum. Et in ſomnis aceruati mali humores magis euaporant, cum iuncti permaneant, ſicuti actiones vtiles ſomnos conciliant.* Et notandum quod in comm. iſto addit Galenus, in morbis exitialibus iſta terrifica ex ſomno euenire ſymptomata obſeruauit. Ac ſi dicat, non ſemper euenire, vt ſomnus noceat, ſed cum victor penè eſt calor extraneus, & humorum indomita eſt κακοήθεια. Alia autem ſigna lædentis ſomni ex eodem Gal. ſunt, quoniam per ſomnum non ſoluuntur febres, immò extenduntur dolores augentur, fluxiones multiplicãtur, creſcunt inflammationes, hæc contingunt ob humorum prauitatem, quos calor innatus fortior euincit, & coquit. Cum debilior, ſuccumbit, & ab his viſcera aggrauãtur: Ac cum iuuat, bonum. Non quod omnino verum ſit propterea ſaluari ægrum. Non deſinit enim aliquando etiam mori, præſertim ſi qua diſpoſitio ſit funeſta, vt abſceſſus internus. Et Gal. citat Hippoc. in Epid. inter hos multi erant graui ſomno oppreſſi & delirantes, nonnulli verò ex ſomno. Nam illo loco Hippo. meminit phreniticorum & febre ardente laborantium, queis altus ſopor obortus eſt. Phreniticis quidem ratione accumulati in cerebro humoris, & ratione affectionis ipſius cerebri, in febribus autem ob copiam vaporum à calore extraneo ſummiſſorum, & excitatorum.

Com. ad Apho. 67. li. 4.

Com. in Apho. 1. lib. 2.

Sectio. 3. lib. 3. Epid.

ANNOTATIONES.

His conſentiunt multa præclara lib. de vetere medicina ſcripta. Vbi
[2] *x profeſſo docet quid ſit coquere in catarrhis, & quomodo à vehementibus medicinis ſit cauendum.*

Et com. ad particul. 34. sectio. 3. lib. 3. Epid. Notat Gal. crinata in febrem ardentem incidere, & qua ratione id feret. Quod nostro Sangermano contigit.

CONSILIVM CXII.

De Hypochondriorum phlogosi.

NICOLÆA LE BE', annos nata quatuordecim nondum menstrua, calidis & squallentibus visceribus prædita, post multam insolationem in ripa sequanæ, & potum tum aquæ immoderatiorem, tum etiam vini (quod tamen ei nocentissimum est) cepit grauiter dolere totum ventrem & hypochondria. Aluus substitit. Minimum pressum digitorum non fert in vtroque Hypochondrio, nec in pube ipsa, immò nulla non in parte totius abdominis inflammatio erat, & multa colluuies humorũ, cuius pars tenuior, & ichorosior, & malignior speciem inflammationis fecerat ac si de hydrope subito oborto metus esset. Et reuera siccus hydrops facilè ortus fuisset per lactium inflammationem. Nullam in partem moueri poterat quin quereretur de dolore. Alij ad instans menstruum tempus hoc referebant, quo tempore sæpè orgasmus & impetus fit sanguinis in omnes partes. Hoc quidem iuuare potuit. Nam constat ex libro de virginibus Hippo. quæ & qualia accidant virginibus instante tempore menstruæ purgationis. Tandem neglectis multis quę vtramque in partem afferri possent, tentato medicamento ad venæ sectionem accessimus ter aut quater repetitam, etiam ex vtroque brachio. Magna erant argumenta latentis inflãmationis, & quæ vires maiores acquiuisset, nisi tempestiuè puellæ occursum fuisset. Ideò autem cunctantiùs medicamentum tentauimus, quod frustrà nos aliquid agere putaremus, Moniti quoque eramus iis quæ ad hunc ferè scopum ab Hippocrate scripta sunt dum loquitur de Hypochondriis inflammatis phlogosi quadam sine tumore, siue sint συστροφαὶ, vt ibidem loquitur, id est, vt in partibus ipsis intumescẽtiæ sint aliquæ: συστροφὴ, enim dicitur, ἀπὸ τοῦ συστρέφεσθαι, quòd congeratur, concluda-

4. *Acutorum.*

tur, ac colligatur in parte humor aliquis. Verba Hippocratis hæc sunt. *Hepatis dolores & splenis grauitates, & aliæ inflammationes, ac morborum collectiones (id est, ait Galenus) cum vitiosi aliqui humores in partem quampiam confluunt, & in ea coaceruantur, quod à fine συστροφὴ dicitur, solui non possunt, si quis prius medicamentis purgantibus purgare aggrediatur. Nam venæ sectio in talibus principalis est, deinde infusa per clysteres. Et post venæ sectionem, purgans medicamentum securitate ac moderatione opus habet. Quicunque ea quæ inflammata sunt, statim in principio morborum medicamento soluere volunt, ij non solum ab intensa & inflammata parte nil adimunt, cum non cedat quæ cruda est affectio, verum & quæ morbo resistunt, & sana sunt, absumunt colliquántque. Ductóque ad imbecillitatem corpore morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.*

Part. 21. lib. 4. de Acu.

Idẽ in Aphorismis scripsit. *Quicumque, ait Galenus, multa cruditate laborant, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, quibus itidem Hypochondria intenta atque inflata sunt, aut suprà modum calida atque ignea sunt.* (quanquam in quibusdam codicibus legitur) καὶ ὅσα πυρώδεα καὶ θερμά, sed malè, cum locus desumptus sit ex 4. acutorum vbi legitur ὑποχόνδρια φλεγμαίνοντα, non autem τὰ ὅσα φλεγμαίνοντα) *& si hoc ipso loco aliqua inflammatio est, omnes hi haudquaquam ad purgationes apti sunt.*

Com. in part. 22. lib. 1. Et in Aphorism. 24. lib. 1.

Sed dicet aliquis: si hæc adsunt, præsertim inflammatio Ilium, si adest συστροφὴ præsertim calida; morbus acutus est: Si acutus initio agendum aliquid, nec valet tum aphorismus πέπονα φαρμακεύειν, quid facias? sines ægrum sine vllo remedio interire? In omni febre ardente numquid phlogosis est; si phlogosis, non valet agitatio: Et tamen si quid in ardente febre agendum, maximè initio morbi dum materia turget. Reuera aliud est materiam ὀργᾶν, aliud φλεγμαίνειν ὑποχόνδρειον καὶ συστροφὴν, aliquam esse. Et vt patet ex com. in Aphor. 22. lib. 1. Hinc sumitur omnis distinctio & definitio tantæ difficultatis. Nisi dicas sæpè inflãmationẽ esse & συστροφάς; & orgasmũ esse ob serosos & acres humores attractos à venulis arefactis: Si purgas consules orgasmo, sed augebis inflammationẽ & contra Galenum peccabis. Et reuera si habetur ratio ipsius materiei impactæ, & quæ velut radices in parte egerit, à valido medicamento abstinebis: quomodo intelligi debet illud Hippo. suprà citatum, quod à parte inflãmata nil conaberis auellere: Sed si iunctus sit orgasmus, ob serosos ichores à par-

tibus inflammatis manantes & grauia symptomata excitantes, aut ob materiam aliquam non ita sequestratam & συσροφὴν facientem, sed per mesenterium sparsam, & quæ facilè arte nostra educi queat, non erit alienum tunc moliri euacuationem. Nunc ad Galenum reuertamur. Cum humores, ait, de loco ad locum mouentur, nec consistunt tunc primo quoque tempore euacuandi veniunt, sin parte aliqua hærent ac considunt & impinguntur, expectanda coctio, atque tunc naturam, habituri sumus adminiculantem. plura suprà.

Cæterum cum plerósque videámus derepente suspensa intentáque habere hypochondria, nec non satis liquidam habere aluum, aut statim, aut ad sectionem venæ veniundum est, quod existimemus distentionem istam ab inflammatione esse, an verò ille fluor alui nos à sectione venæ debet reuocare: quod videmus omnes in eam venire opinionem, vt credant nusquam locum esse venæ sectioni dum aluus lubrica est. De his ergo breuiter quæramus, quanquam & in nostris definitionibus medicis in voce πνευματώδης, dictum est, & in historia de Sangermano. Audiamus Hippocratem, *Obsessa, inflammatione Hypochondria non spirituum interceptione, septi transuersi intentio, vel spirituum protensiones, sed à spirituum interceptione pathemata hæc superueniunt. Hæc inquam sectione venæ soluuntur.* Vbi notandum est hac prima periodo tres affectus indigere venæ sectione, Hypochondrij inflammationẽ non spirituum interceptione, id est, si modo quæ iuncta est tumefactio & inflatio inflammationi non sit à flatu, quamquam habere potest flatus coniunctos: Secundò diaphragmatis intentio, Græcè ἐπίτασις: Tertio spirituum protensiones, Græcè τῶν πνευμάτων προτάσιες.[2] Sed cum venam secat in Hypochondrij inflammatione, excipit, si non sit ἐκ τῆς ἀπολήψεος πνευμάτων, si non sit ex spirituum interceptione, cum autem in septi transuersi intentione, & spirituum protensionibus venam secat, ait hæc, id est, & transuersi septi intentionem, & spirituum protensiones ex spirituum interceptionibus esse. Si ergo cum sint à spirituum interceptione, quemadmodum & inflammata Hypochondria cum spirituum interceptione esse possunt, cur hæc circumstantia, Spirituum interceptio: Indicat non secandam venam in inflammatione hypochon-

Part. 2. lib. 4. acuto.

driorum, in diaphragmatis intentione, & ſpiritus protenſione eadem conditio ſuadet ſectionem venæ? Ait enim Galenus: Qui à ſpiritus interceptione patiuntur difficultatem ſpirandi, ij ſectâ vena iuuantur. Cauet autem ne venam ſecemus in Hypochondriis inflammatis ſi ſpirituum interceptio ſit. Sed quod dixit Hippocrates hunc habet ſenſum. Primum cum dicit, Obſeſſa Hypochondria inflammatione, non ſpirituum interceptione, hoc ambiguum eſt. Non enim ſpiritus interceptio inflammationem infert. Quare ergo dicit, hypochondria inflammata non ſpirituum interceptione, quaſi verò ἀπόληψις, ſpirituum inflammationem accerſat? Nequaquam. Etenim Galenus ita ſcribit, Numquam ſpiritus interceptio flagrantem Hypochondrio diatheſin infert. Sed flagrans diatheſis poteſt prouentum flatuum facere, vt de ictericis antè abundè demonſtratum eſt. Atque Gal. vt doceat cur Hippocrates hæc verba addat, *Non ſpirituum interceptione*, quoniam nulla eſt cohærentia cum his, *Hypochondria inflammata*, ſcribit nihil aliud hoc loco eſſe apud Hippo. τὰ ὑποχόνδρια φλεγμαίνοντα, quam ὑποχόνδρια εἰς τὸ ὄγκον ἠρμένα, id eſt, Hypochondria in tumorem elata: Sic valet conſecutio, Hypochondria in tumorem eleuata, non ſpirituum interceptione, id eſt, vt iſta eleuatio non ſit à ſpiritu, ſed ab inflammatione. Nam inflatio vel fit à flatibus, vel à mucore, aut thrombo, aut ab inflammatione. Et talis ſenſus eſt Hippocr. Si Hypochondria eleuentur, (cum enim φλογώσεως, meminit tacitè audit tumorem aliquem excitari) ſectio confert venæ, ſed hoc verum ſi eleuatio ſit inflammatoria non πνευματώδης, id eſt à flatu excitata. Non quin non eadem ſit ratio medendi, ſi inflammatio Hypochōdrij ſit cum flatu aut ſine flatu, ſed oportet ſignis ſyllogiſticis aſſequi an flatus interceptio non cauſetur iſtam eleuationem. Hic in verbo φλεγμαίνοντα, audit tacitè aliquã eleuationem. Et Gal. citans ferè hunc Apho. in lib. 1. Apho. docens quibus non conueniat medicamentum, ait: *Non conuenit medicamentum*, οἷσι τὰ ὑποχόνδρια διατεταμένα πεφύσηται, ἢ ὑπερβαλλόντως ἐστὶ θερμὰ καὶ πυρώδεα; vt τὸ διατεταμένον, ad caliditatem tanquam ad cauſam referatur. Nam ſi alia de cauſa diſtendatur venter quis dubitat quin ſit locus medicamento calido. At cum Hypochondria ſunt eleuata & calefacta ob phlegmonem, non conuenit purgatio metu συντήξεως. Cæterùm ſi ſpiritum interceptio difficultatem ſpirandi & orthopnœam inducat ſectio confert, præ-

Com. in part. 21. lib. 4. acuto.

fertim si aliqua sit phlogosis. Et quæ spirituum interceptio per se non postulat phlebotomiam in ventre inferiore, eadem postulat in ventre superiore. Nam cum spirituum interceptio est, aperiendo secta vena iuuat. Quanquam dubitari potest, nisi suspicio sit de phlegmone, quod Galenus videtur indicasse, com. in illam particulam 21. lib. 4. acutorum.

Duo restant explicanda, prius quomodo isti puellæ inflato toto ventre per inflammationem putrefacto quodam sero istam faciente phlogosin aluus etiamnum liquida deiecerit: secundum quomodo audacter liquidiore, & veluti diarrhœicâ fluxione tentatâ aluo missus fuerit sanguis: duo alia addentur præter rem quidem, sed non omittenda, cur in ista phlogosi non fuerit insignis febris, & an causa procatarctica aliquid efficiat ad morborum generationem. Primum explicuimus antè, & ad hoc intelligendum valent ea quæ Hippo. scripsit in 2. prognostic. Vbi Galenus explicat, quomodo hydrops ab inflammatione lactium & ieiuni nascatur, & multis de causis iunctus sit alui fluor. Quod non idem contingit in hepatis inflammatione. Sed talis fluor, ait Hipp. nec mollit deprimítque ventrem, nec doloris leuatorius est.

Part. 2. lib. 2. Progn.

Secundum, an fluente aluo potest tutò vena secari, quod in ista puella fecimus. Nam contra docet Hippo. *Si cui sanguinem auferre confert, ventrem confirmabis.* Gal. in Com. *Si post detractionem perseuerat fluor, virtutem prosternet.* Sed cum phlogosis est, aut calor adurens & colliquans non alienum est demere sanguinem, vt ardorem extinguas.

Par. 116. lib. 4. acuto.

Cæterùm valdè notandum est illud tertiũ quod quærebamus quomodo non erat magna febris cum æstuarent Hypochondria. Videtur enim æquum esse vt febris insignis internas inflammationes consequatur. Tamen id non placet Galeno, is enim etiam de inflammatione hepatis & diaphragmatis loquẽs ait: *Si in iecore, septo, ventriculo phlegmone oriatur acuta febris forsan fuerit, quanquam ne hoc quidem perpetuò verum, nondum verò maligna est.* Et in Apho. vult magnas esse inflammationes in partibus internis vt acuta febris sequatur: Non simpliciter dixit, inflammationes, sed magnas. Et de vtero loquens vult etiam magnas esse inflammationes vt febris consequatur acuta. Sic si sit phlegmone, aut phlogosis mediocris, ad manum mordax febris non insequitur.

Com. in part. 21. lib. 2. Prorrh.

Com. in Apho. 1. lib. 7.

Part. 27. lib. 3. Prorrh.

De causis procatarcticis ita statuendum. Placet quibusdam earum non esse habendam rationem in morborum curatione. Quanquam earum magna vis existit. Et in Epid. narraturus de febribus continuis, sæpè comessationis meminit, irarum, insolationis, intempestiuæ cœnæ, laborum & consimilium causarum procatarcticarum. Et notandum est quod de his scripsit Gal. *Corpore nostro ad morbosam dispositionem nonnumquam parato, ita vt propè completa sit, externum quippiam obueniens eam manifestauit, febrem videlicet accendens, vel capitis dolorem, vel catarrhum excitans. Deinde ex eo continenter ad morbosæ affectionis preparationem non sine periculo languent. Item & alia multa præclara illo loco scribuntur.*

Com. in par. 115. lib. 4. acuto.

[4] Cum ter puellę venam aperuissemus omni ratione dolorem sedare & mitificare conati sumus, phlogosin istam metu abscessus: ferè in maleolo vena secta est ad reuellendum ad partes inferiores.[5]

℞. Maluæ totius, acetosæ, violariæ, florum chamæ. melilo. an. m. j. senecionis & cresſionis. an. m. ſ. seminis melonum cucurr. lact. an. m. ij. seminis lactucæ. ʒj. senum psyllij & fœnig. an. ℥ i. ſ. fiat decoct. in sero lactis pro fotu: Deinde extrahatur muccag. cum qua ponantur ol. rosati. ℥ iij. Aceti ℥ i. ſ.

℞. Ceroti santal. macerati in oxyrhodino lib. ſ. fiat litus ad totum ventrem.

Item ℞. ol. de nymph. & rosati. an. ℥ iij. aceti. ℥ i. ſ. caphuræ parum pro litu.

Cotto madeat in ol. viol. & butyro recenti & applicetur & repetatur sæpe: Item vesicæ suillæ impletæ lacte admoneantur.[6]

℞. Decoctionis omazorum libr. s. in quibus coque folia vitis, salicis, acetos. lactucam, caput papaueris & flores nymph. & semina frigid. maior. Addatur serum lactis ad lib. 1. ſ. dissolu. ol. rosati. ℥ i. ſ. casſiam & similia. Item syrupum de nenuph. succum lactucæ pro clysmatis.

Datæ potiones ex syrup. nenupharino, decoct. lactucar. & cap. pauer. Item hordeatæ.

Immissa in balneum aquæ dulcis. Sic reseratis viis, materia temperata, sedato æstu facillimè ea aluus lata est quæ aquosis tantum ferebatur.

ANNOTATIONES.

1 *Nam in quibusdam vi ipsius inflammationis circa aliquas abdominis partes videtur colligi quippiam. Et id* συστροφὴ, *propriè nuncupatur.*
2 *Quanquam Hippo. sectio. 5. lib. 2. Epid. ventositatem flatuosam quam vocat* ἀνεμίην, *venæ sectione soluit.*
3. *Ad curationem huius mali, vt & ad tympantem ortum ob phlogosin lactium valet illud Hippo. 2. Epid. sect. 5. Ventositatem flatuosam, (Græcè* ἀνεμίην, *) phlebotomia soluit. Nam præ calore spiritus multus excitatur qui distendit & vexat.*
4. *De hac verum illud erat. Dolores Hypochondriorum hepatis, vmbilici sanguinis missione leuantur. In coacis.*
5. *In Hypochondriorum tumoribus, nec mollientia nimis, nec siccantia valent.*
6. *Enemata ex pinguibus præscripsimus secuti consilium Hippo. li. 4. acutorum, cum loquitur de Cholera arida, in qua flatus seditionem faciunt estque calor acer & mordax.*

CONSILIVM CXIII.

Ad febrem continuam horrificam & destillationem.

DE Tonsore Caroli successore superiùs dictum est. Idem eodem tempore quo & Sangermanus febre assidua horrifica laborauit. Ingens erat cacochymia, & destillatio à sero nitroso omnes neruorum propagines quæ à ceruicis vertebris, & principio vertebrarum dorsi oriuntur, imbuente, quo tantoperè diuexabatur, vt ne minimum tactum ferret, eo modo quo & ij qui vlcerosa lassitudine detinentur[1]. Nec non ingens renum dolor erat, & cum nephriticus sit & lapidosus, metuebamus de renis inflammatione aut consimili affectu: Et herclè multa erant argumenta. Quoties is laborat putrida febre maximè laborat, cum hepate sit præditus calidissimo & cibos corrumpente, vt deiectiones, & alia satis detexerunt. Et cum vena caua plena prauo sanguine incubãs spinæ dorsi tota ardet & æstuat, non mirum si doloribus lumborũ valdè diuexatur si

iactatur perpetuò, & magnam scabritiem habet, nec nõ ἀνορεξίαν.
Et reuera peculiaris quædam erat affectio in renum regione,
peculiaris in dorso, vnde vix spirare poterat: & aderat febris
partim essentialis, partim symptomatica ob eos affectus commemoratos. Renis affectum eum esse dicebamus quem Hippocrates explicat, & reuera magna erat affinitas, verba Hipp. hæc sunt. *Quartus renum morbus à bile fit & pituita maximè æstate. Dolores vrgent in laterum mollitudine, & in lumbis & lumborum musculis, & patitur qualia solet mulier ex partu laborans, & non potest in sanam partem decumbere, sed valdè dolet, & ex lateris mollitudine quadam pendere videntur velut abrupta. Vrina vix prodit præ sua pituitositate & visciditate.* Pari morbo nutrix Domini Roysæi laborauit, & iste piscator qui decũbebat in vico de la Mortellerie, è regione vretôris. Quod attinet ad dolores sũmos quos circũ dorsũ, & præsertim omoplatas sentiebat, vt nec liberè spirare, nec moueri, nec decumbere posset; immò blandæ manus appulsum non ferret, etsi ob consensum aliarum partium infernarum poterat laborare, omnino tamen id erat à diffusione nitrosi seri, efferi, & pepasmi expertis qui dum imbueret quartã, quintam & sextam coniugationem neruorum à vertebris colli nascentium, difficultatem spirandi summam afferebat ob diaphragmatis consensum [2]. Nam, vt anatomici scribunt, sextæ coniugationis pars diaphragmatis neruo inserta non modicè eum auget. Et qui diaphragma moturi sunt nerui, è ceruicis medulla omnes prodeunt, in partem diaphragmatis mediam sese inserunt, in ipsáque via fulciuntur intersepiente membrana thoracis. Duo alij per initia his copulantur nerui, qui tamen mox inde intrò sub os pectoris euecti, tandem in diaphragmatis sinum & ad mali punici sedem contendunt, vt mirũ non sit, si initio istorum morborum affecto, aut imbuto humore prauo & maligno difficultas sit respirandi, vt istius difficultatis causa non sit reuocanda ad propriam affectionem diaphragmatis, sed ad neruorum principium ita laborans. Et reuera eo tempore quo iste laborauit, vulgò grassabantur istæ malignæ fluctiones in omoplatas, & partes posticas thoracis [3]. Ægróque nostro omni ratione occurrimus fotibus, & cataplasmatis, tandem erumpente sudore: die iudice planè dolores isti conquieuerunt effluente isto sero quod villos & stamina, neruorum ita obliuerat imbuerátque, atque dicto citius facilitas ducendi spi-

Fernelius ca. 10. li. 1. Physio.

ritus est restituta. Hoc notatum voluimus quia sæpè difficultates respirandi adsunt aut propter istorum neruorum à spinali medulla ortorum affectionem, aut propter affectum renalem [4], aut hepar tumens, aut hypochondriacam affectionem, & temerè inscientérque multi recurrunt ad pulmones & thoracem, putántque affectionis causam illic latere, falluntur autem plurimúm, & sæpè deteriùs esse putant quam sit. Et ita interpretandus Aphorismus Hippo. *In febre assidua difficultas spirandi & delirium si acciderit lethale.*

ANNOTATIONES.

1 *Reuera in eo erat vlcerosa laßitudo & ostocopos quæ in causon solet incidere. Nam, vt Gal. docet part. 2. lib. 4. acutorum totum corpus laborat laßitudine vlcerosa propter tenuium humiditatum acrimoniam declarauit morbi exitus. Nam cum nulla ratione cessaret dolor iste & laßitudo ossearia, copioso manante sudore omnino sanus euasit. Quidam cum hæc vident ad catarrhum hos dolores reuocant. Malè. Quanquam & destillationes à capite idem causantur præsertim quæ à sero sunt malo. Et credibile, & serum per corpus sparsum cum eo quod à capite est concurrere.*

2. *Et in historia de Pythione docet com. in part. 4. Quomodo occupatio neruorum qui à primis spondylis ceruicis ducuntur, difficultatem motus in manibus afferat immò & tremorem. Et lib. 6. Epid. par. 4. sect. 4. de filia Agesij docet quomodo imbibitio primorum colli spondylorum noxam communicet manibus.*

3. *Si quando id contigit in paruo Petro euenit à destillatione seri crudi in partes subiectas, ac si* καταῤῥοῦς, *esset* πνιγώδης.

4. *Difficilis inflexio spinæ, & ad lumbos dolores sunt lapidis indicia.*

CONSILIVM CXIV.

De capitis dolore.

MARIA BERTHIER, iam annos aliquot capitis anteriora dolet, frigus se sentire in sutura coronaria narrat. Sed vno ab hinc anno manifestò sentit fluxionem à capite in scoptula operta per collum, in metaphrenum & lumbos. Et eo humore fluente dolores sentit vehementes, & sensus caloris & acrimoniæ adest. Si hic humor subeat artus & membrorum articulationes illam arthriticam reddet. Sed dum subtus cutim fluit, nec in interiores capacitates sese insinuat ac infert, nondum profundos dolores & arthriticos infert. Atque hæ sunt rationes quibus aduersus Fernelium contendimus in eo commentario quem de arthritide conscripsimus. Etenim; si omnis dolor articulorum materiam & causam sui repetit à cerebro, cùm tantos dolores in articulis excitet, cùm in sua prima origine sit humor venenatus, acer, nitrosus, & ἀπεπτος (quanquam non negamus quin etiam maiorem tractu temporis malitiam acquirat) an esset verisimile à capite subtus cutim defluere, & nullum dolorem excitare? Nequaquam. At videmus multos arthriticos derepente conquerentes de dolore pedis aut genuum, nullo prægresso dolore in metaphreno & partibus superioribus, quibus acuties est sensus, per quas tamen partes decurrere humorem à capite labentem Fernel. contendit. Sic quæritur hoc loco quomodo generetur iste humor in capite & inde effluat, qualis sit, an ratione caloris, an ratione frigoris, & si acer, nitrosúsque est, cur tam facilè horreant. Hippo. duplicem mucum facit à capite orientem & dolorem excitantem vnum ab interno cerebri corpore per infundibulum defluentem, alterum à transudatione sub pericranio in partes externas sese proripientem. Si ab interno capite est mordet & dolorem facit, si ab externa parte non mordet. Hoc tantùm probabile est: sicut & illud quod scribit si fluxus mulieris mordet à corpore est, id est, ventre ipso in quo prauus humor latitet, si non mordet à capite est. Nam in hac muliere, de qua agimus do-

Lib. de locis in homine.

Lib. de natura muliebri.

lores capitis & vicinitas locorum qui primùm dolent, deinde transfundunt eundem dolorem in partes contingentes, & significant à capite humorem manare, qui nitrosus est, malus, efferus, & qui quancumque in partem irruerit, suæ malitiæ virus expandet. Tabem enim inferet & ea omnia quæ ab Hippo. explicantur. Huiusmodi humoris & generationem, & fontem, & effectus Hipp. explicat, & sæpè experientia patent. Si enim constat partes omnes internas sæpè labefieri ob nitrosum salsúmque humorem à capite manantem, cur humor qui in partes externas refunditur, aut liquatus subit, aut expellitur vi pellente naturæ, & qui cum eo qui interiora subit habet & affinitatē, & vt verbo Hippo. accommodato vtar, ὁμοεθνείην, similia symptomata non progignet?

Lib. de Glandulis.

Audiamus Hippo. *Tabes ex fluxione retrorsum, qui hac affectus est, caput ei purgabitur debili pharmaeo:* Deinde ait paulò ante, *cum retrò in carnem iuxta vertebras fluxus illapsus hydropem fecerit, sic medeberis. Caro in collo inter venas crustis vratur, cicatrices quam tenuißimæ inducantur, & quam pituitosißimis vtatur.* Quod est intelligendum, quoniam abhorret in omni specie hydropis (si tympanitem exceperis) vti pituitosa & humida diæta: sed primùm nomine hydropis intelligit quandam speciem hydropis dorsalis à ferina destillatione à capite manante per posticas partes, quæ destillatio dum calori & humori natiuo bellum indicit, & tacitam, latentem furtiuámque depastionem & consumptionem partium solidarum & spermaticarum, quæ plurimæ sunt in metaphreno: vnde ab his horrores incipiunt facilè, inducit, & dum inducit naturalis humoris inopia marcorem quendam, aduentitium tumorem infert per excrementi cumulum & veri nutrimenti corruptionem, sic pituitosos cibos consulit, ad ἀνάληψιν, istarum partium, quia partim tument tumore aduentitio, siccantur paupertate humidi natiui corrupti. Quod nos explicuimus in Histo. Petri Guerard. Et idem Hippo. copiosius explicat eodem lib. *Cum in medullam fluxio contigerit, tabes occulta oritur, cum autem retrò ad vertebras, & in carnes fluxerit, fit hydrops. Siccæ sunt partes anteriores caput videlicet & nares, oculis hebetudo accedit, fiunt cum virore pallidi, & reliquum corpus. &c.*

Lib. de locis in homine.

De locis in homine.

Quod notandum valdè. Nam & in hac muliere, & in plerisque in quibus istæ fluctiones fiunt, videris oculos cauos, genas contractas, alias pendulas, & nitorem viriditatémque ocu-

lis deesse. Superioribus paginis docuimus quanta sit vis salsarum, acrium & nitrosarum fluctionum ad afferendam consumptionem corpori toti, quoquo se humor proripuerit ac subierit in vico Sandionysiano ab acri sero dolores excitati sũt in omoplatis, ardoris & acrimonię sensus erat, & nil iuuabant remedia, immò ne opiũ. Talis dolor viginti menses perseuerauit[3] Ioanni Beauchant, qui laqueo vitam finiuit calamitoso supplicio infinitatem (vt verbo Tulliano vtar) suorum scelerum expiaturus, in omoplatis dolores erant incredibiles qui ex interuallis repetebant. Aperto cadauere repertum est pingue & efferum serum quod omnia ligamenta & neruos obliuerat imbiberátque.

Erat domina du Pl[illegible]sser.

Generatur autem peculiariter tale serum in quibusdam, & eò facilius generatur quò magis tempus & aër est idoneus ad talē generationem, vt austrina constitutione per corruptionem acquisita salsedine & nitrositate. Et ad id facit si calor corporis est acer, corrumpens, squallidus: talis enim calor non actionem facit, sed corrumpit potius, vt pluribus explicuimus antè[4]. Atque primùm eius malignitatis prima labes ab hepate est: alimētum enim, id est, sanguis, aliquando acrior est & serosior, & tractu temporis dum maiorem malitiam acquirit, tum virulentus fit quodammodo. Id obseruauimus in ea muliere, & in vxore Domini du Bourglabe, quæ vtraque doloribus capitis est obnoxia & vxor Lodoïci Michaëlis, & in iis quibus corpora sunt macilenta, & θερμόκοιλα, iuxta illud, *Qui ventre sunt calido carnes habent frigidas.* Cuius Aphorismi magna vis, magna intelligentia, vt nos in libris nostris de morbis mulierum conscriptis docuimus. Et inter omnes locos commemorabilis est, vbi docet Hippo. duo, prius cur partes superiores vitium potius capiãt à fluctione, vnde caput etiam ipsum à quo fluxio est, siccatur, extabescit, ac squalescit quòd paulò antè diximus ex Hippocrate: posterius cur biliosi, sicci, arescentes fluctionibus opportuni & eas facilè corpus excipiat quasi lucrum aliquod faciat, sed frustrà. Omitto textum quoniam longiore interpretatione opus haberet.

Lib. de loc. in hom.

Ac præter vitium in sanguine, potest esse peculiaris dispositio in capite, quæ efficiat vt alimentum in capite ipso corrumpatur: Et cùm non videamus vllum fluxionibus malignis opportunum (nisi fortè per totum corporis habitum diffusus sit

calor

calor acer & corrumpens) qui non doloribus capitis frequenter exerceatur, fit vt propter impreſſionem à dolore & vim factam parti facultas partis debilitetur, calor infirmetur, & pro natiuo extraneus inducatur, immò & febris quædam capitalis inducatur, id eſt, calor extraneus, ſiccus, malus, corruptor ac alimenti deprauator [5]. Et ſic perennis fit generatio humoris, fit & perenne effluuium, & tum cum extra caput ille humor non educitur, tum vertigines, Epilepſiæ, apoplexiæ quoque fiunt ipſæ. Vide quæ ex Arculano ſuprà annotauimus, & illa eſt verè διάθεσις, quam morborum ſtata ratáque periodo reducum cauſam συνεχῆ, conſtituit Galenus.

Lib. de diff. feb. 2. ſub finem.

Et quod notandum iſtæ mulieres tres de quibus antè dixi, & quæ erunt veluti regulæ aliarum, cum calorem habeant acrē, mordacem, multum, & tali humore abundent, tamen ſe ne minimū frigus poſſe ferre dicunt, & ſibi perpetuò in rhachitide, & in occipite, quod parte anteriore eſt frigidius, ſenſum quendam frigoris & catarrhi fontem perennitatémque conſtitutam dicunt: ac ſi ab ea parte defluat humor tantas in partibus remotis moleſtias excitaturus. Cauſam huius rei euoluemus. Cùm cerebrum peculiari morbo laborans, & veluti quadam febri ſibi propria impeditum, non capiat eum fructum ex alimento quem capere debet, illud corrumpit, vnde pars aliqua iam ſequeſtrata eſt quæ continuos dolores aut parum intermittentes, committat, pars alia à cerebto valente pellitur foras. Si nitroſum ſalſúmque quid habet ῥεῦμα [6] per putredinem, ſenſum caloris, & acrimoniæ infert, & ſic putant ſibi partes deüri, ſi qua pars mixta frigidior & craſſior dum confunditur maſſæ ſanguinis, dum neruoſum genus ferit & imbuit, ſenſum quoque frigoris infert, ſic paret & ſurgit ea inæqualitas, & viciſſitudo caloris & frigoris quam innumeris locis in hoc volumine explicauimus. Immò ſi initio paroxyſmorum minimus appulſus externi aëris frigidi, aut ſparſio humoris etiam calidi & bilioſi ſenſum horroris & rigoris infert, quantò magis id præſtabit humor à capite labens, qui tametſi & ſalſedinem & nitroſitatem habens, caliditatem intrinſecam habet, tamen quia omne excrementum retinet aliquid de ea parte cuius eſt excrementum, cum cerebrum ſit natura frigidum, non mirum ſi in iſto humore ſit aliquid ἐπεισγενές. Ac de rigoribus & horroribus locus eſt apud Hippo. *Rigor*, ait, *in morbis fit ab externis, ventis, aqua, ſerenitate,*

Lib. 1. de morbis.

ſub dio degentibus, fit & ab ingeſtis cibis & potu. Maximè verò fit cum bilis & pituita remiſta fuerit ſanguini, aut altera ex his, aut vtraque. Magis ſi pituita ſola fuerit, nam eſt frigidiſſima: calidiſſimus ſanguis. Bilis verò aliquantò frigidior ſanguine, Cum autem ambo humores, aut ex his alter, ad ſanguinem mixti fuerint, congelan: id eſt ſenſum frigoris, aut rigoris, aut horroris inducunt. Vt mirum non ſit ſi catarrhoſi ſæpè horreant aut rigeant, & in febribus, & extra febres, vt non neceſſe ſit ad iſtas horripilationes febrem ſequi, quod temporibus Hippocratis eueniebat [7]. Nam horrorem rigorémque proximè febris ſequebatur. Præter autem aliàs rationes quas aliis in locis, ſi quid meminimus, explicuimus; hæc fortè probabilis eſt. Quod ſi rigoris & horroris primus impetus, & in internis partibus & ab internis fit, præſertim ſi materia præparata eſt, maxima ex parte febris ſuſcitatur: ſin autē potius deforis eſt, & ab externa cauſa, & manifeſta occaſione, non eſt ita neceſſe accenſo calore & humoribus febrem conſequi.

Porrò quæ cauſa ſit cur humor refundatur ita breui expedio. Superiùs vnā ex cauſis diffuſionis pituitæ in capite, quam Hippoc. θλάχψιν vocat, non σύντηξιν, diximus eſſe & calorem & frigus, quoque modo id fieret explicatum eſt. Nam inſtar ſpongiarū madefactarum quæ manu premuntur, cerebrum oppletum ab ambiēte aëre exprimitur aliàs atque aliàs in has aut illas partes. Alia cauſa diffuſionis eſt vis facũltis expultricis quam irritat humor, aut ſua qualitate, aut quantitate peccans. Accedit quod omne ſerum, & humor nitroſus ſua mala qualitate præditus facilè ſibi viam quærat atque paret.

Lib. 1. de morbis.

Porrò tum ex Celſo, tum Hippocrate eruenda eſt harum fluctionum medela. Primùm quantum ſpectat ad vſum rerum humidarum (quoniam vulgò dicunt liquidiora non quadrare catarrhis) conuellenda eſt iſta opinio. Quanquam ex Hippocrate quo plus humidi ſumitur, plus quoque pituitæ videtur in cerebrò (quod plegmatis fontem facit) accumulari, & ſic occaſio fluctionum ſuppeditari. Sic hoc expediemus: Deinde an locus ſit validis & attrahentibus medicamentis, quod placere Galeno viſum eſt in methodo medendi, vt antè explicuimus, quod eſt valdè notandum [8]. Tertiò quid ſibi velit Hippo. & Celſus qui recurrunt ad ignem & cauteria in his affectibus. Pituitoſis & præpinguibus frequens rerum liquidarum vſus non

4. de morbis.

6.

quadrat, vt nec iis in quibus humiditas multa præſertim excre-mentitia: Ideo Hippo. in Apho. ſcribit famem conuenire iis qui humidas carnes habent, quia fames exiccat ex euentu, ait Galenus in commẽto. Et quod dicitur nutritionem per ſimilia faciundam eſſe, hoc verum quidem eſt quod ad optimam temperaturam ſpectat quæ cæterarum ſit regula: ſed quoniam facilè fit ex illa egreſſio, iuuat mediocris rerum contrariarum vſus. Sic intelligendum putat Galenus naturarum aliam ad hoc vel illud tempus meliùs habere. Sic quoque explicat Galenus de iis qui humido victu vti conſueuére. At catarrhoſi maximam partem humiditate multa abundant: Immò cum catarrhus nullius morbi peculiare nomen ſit, ſed morbidam excretionem ſignificet quæ prout in has aut illas partes procumbit ita varias morbus qui inde ſequitur appellationes ſortitur, ſi exceſſus ſit humiditatis quis dubitat quin ſiccandum ſit? At contra aliter faciundum eſt. Si exceſſus ſit multus humiditatis, ſi cerebrum ſit humidius nemo dubitat quin ſiccare non ſit bonum, contrario contrarium opponendo, At quoniam nitroſæ, acres, ſalſæ ſubtiles quoque ſunt defluxiones & catarrhi, vel quia qui à partibus inferis ſurgunt vapores in cerebrum talem naturam habebant, vel quia ob peculiarem in cerebrò conſtitutionem, & malam diatheſin talem nanciſcatur naturam, vel quia hepar calidius prouentum facit iſtius humiditatis per modum effumationis & ſublimationis, in hoc caſu ab humectantibus (etiam ſi corpus videatur humidiuſculum) & ἀπὸ τῶν ἐπικεραστικῶν, abſtinere non oportet. Plura ea de re aliàs. De rumpendis cruſtis ferro candente Hippocratis locus eſt præclarus antè à nobis expreſſus, vt repetitioni non ſit locus. Hoc autem fit vt fiant emiſſaria per quæ educatur ſerum nitroſum quod perreptando corpus totum, & ſeſe ſenſim inſinuando dolores intolerabiles facit, immò & maciem toti corpori conciliat.

Apho. 19 lib 7.

Apho. 2. lib. 3.

Aph. 16. lib. 1.

Vnum porrò obliti fueramus, quod attexendum erat iſti diſputationi quam habuimus paulò antè de vſu rerum liquidarum & humidarum, an in fluxionibus iſtis & ῥευματισμοῖς, nitroſis tutò balnea præſcribantur vniuerſalia, hoc non caret difficultate. Balnea præſcribuntur ad contemperandum non ad euacuandum: nam cum balnea euacuent autore Gal. ſi tantùm in aquã egelidam æger mittitur, nec elicitur ſudor, temperatur quo-

Com. ad Apho. 2. lib. 4.

dammodo humor nitrosus per cutim fusus, saltem sub cutim diffluens & dolores excitans partésque labefactans. Quod consilium est Hippocratis dum loquitur περὶ ῥόων γυναικείων, ab humoribus salsis & acribus & nitrosis: si ea quæ effluunt bilis fuerint & salsago, & non solùm internas partes, sed & externas exulcerent diætam transmutabis & humectabis vt fluctiones quam aquosissimæ fiant, & minimè mordaces balneis multis calidis vtêris, & cæt. Et quodam in loco Aëtius in fluctionibus & congestionibus humorum acrium & mordacium vtitur τοῖς ἐπικεραστικοῖς, id est iis quæ affusa, aut circumfusa, aut applicita vim habent mitificandi & moderandi humoris, & eius impetum sistendi: Sic huic nostræ ægræ valêre ac conducere credidimus vsum balneorum [10].

Lib. 2. de morb. mul.

Atque omnia hec ad vnguem tenenda sunt, ne temerè, quòd aliàs magno ægrorũ incommodo factitatum vidimus, quoties quis de desluxionibus conqueritur, ad hidrotica recurramus præsertim valentia, vt est lignum indicum. Nam eius vsu sæpè eam adaugemus intemperiem, quæ tam prauarum fluctionum author existit. Et vt concedam elicitis sudoribus adiumenti aliquid afferri, plus tamen incommodi affertur augendo intemperiẽ omnium malorũ causam. Si simplex esset & absoluta humiditas, quæque solum sua quantitate molesta foret, discussione eiusmodi humoris sanitas compararetur huic mulieri Hypochondriacæ syrupus ordinatus sequens in hanc formam.

℞. *Cort. pomor. redol. 15. rad. lapath. acut. cichor. acetos. an. ℥ ij intyb. vtriusque ad m. j. bugloss. m. ij. beton. meliss. an. m. j. s. polypod. cum draget. communi cont. ℥ i. s. mercur. p. ij. rad. alth. sectæ enul. campan. an. m. j. passul. iuiub. sebesth. an. num. 20. prun. quart. flor. cordial. an. p. ij. sem. papau. albi. ℥ iij. sem. frigid. ʒ i. s. pæon. angel. sesel. an. ʒ i. s. fiat decoct. ad lib. ij. adde folior. sen. vino albo laut. ℥ iiij. fiat ebullitio longa ad lib. in colatur. dissol. express. ℥ i. s. agar. trochisc. in aqua meliss. cum ʒ ij. cinnam. & serici crudi in nodulo posit. ʒ iij. & cum sacch. quart. iij. oxymelit. simpl. ℥ iij. succi pomor. quart. 1. fiat syrupus vtendus ex decreto medici.*

ANNOTATIONES.

1. *Nos tandem deteximus illud totum de quo illa queritur esse hypochondriacum, & non tam caput per se affectum esse quam propter flatulentam & malignam naturam flatus melancholici & atrabilarij. Olim excretioni sanguinis per nares erat obnoxia, quod fortè fecit reddiditque humores synceriores, & veluti suo priuatos sero naturali. Et quod modo de vna parte conqueratur, modo de alia: idque in superficie corporis quid impediet quominus dicamus affectum esse ipsius habitus corporis eo modo quo illam auram quæ à pede efferebatur ad conuulsionem non esse ab interno corpore, sed ab externo, ita placet Auicennæ, est enim vbi quidam morbi in habitu sunt alij non, & si extuberaret aliquid in cute omnino istis punctionibus liberaretur.*

2. *Hippo. in Tabescentibus & phreniticis oculos ἐπίχνυς, puluerulentos posis dicere, obseruauit, part. 17. lib. 1. Prorrh.*

3. *Tandem cum interiisset reperta est collectio putris & olidæ materiei in thorace, cuius serum eos dolores faciebat in partibus vicinis, & id pulmonicis est familiare.*

4. *Cæterùm videmus plerisque saliuam dulcem & veluti insulsam esse, aliis salsam nitrosam, aut alius vehementioris qualitatis, ita quoque de fluctionibus dici potest. Talis autem generatio peculiarem naturam corporis cuiusque sequitur. Vnde Hippocrates lib. 2. Epid. sub finem sectionis primæ vocat corpus ἁλμῶδες, quod humore nitroso & salso abundat, & à cuius capite maximè fluit talis humor præsertim cum à pulmone caput calefactum fuerit. Quod notandum.*

5. *Accedit quod mulieres quæ calidiore & arente calore sunt præditæ, & corrumpunt alimentum, & prauis vtuntur cibis, vt inde augeatur cacochymia.*

6. *Immò idem rheuma in coryzis vrit & refrigerat, cum in cerebro est calor extraneus, & calor naturalis paucus est dum vi caloris non naturalis excitatur in solum ambitum cerebri, & præsertim in occipitis & syncipitis partem aliquam humor tenuis qui sudoris instar exudat, dum ille humor refrigescit ob membranas sensus adest frigoris: sic calent aliquando, & se gelu sentire dicunt in capite: Causa verò potissima propter quam dum ab interno corpore cerebri exprimitur humor in membranas, aut in pericranium sensum frigoris in ipsis membranis inducit, tametsi & à loco calido efferatur, & fortè ipse sit nitrosus &*

salsus causa inquam, est quoniam iste humor de natura cerebri retinet, at cerebrum frigidum est, quia spermaticum: Deinde quatenus ille humor de natura aquea retinet, tametsi sui interiore principio cælidus sit, quia nitrosus, quia salsus, tamen quia retinet de natura aquæ, facilè frigiditatem inducit & accipit: sic sanguis ab Hippoc. frigidus dicitur, & humor melancholicus dicitur siccus, cum tamen humidus consistentia sit. Maximè verò puto sensum frigoris inducere ex euentu eo modo quo videmus humorem calidum, à calido loco per sudores profectum inducere sensum frigoris, quia in habitu refrigeratur, & non regitur à calore suo, sed is calor èuanuit sic, credo, in membranas, roris modo, inutilis humor exprimitur, qui restitans ibi & ob densitatem oßis non transpirans refrigeratur. Et sic à nitroso humore sensus frigoris inducitur.

7. An rigorem febris sequatur. Vide Gal. cap. 5. lib. 2. de diff. feb. libro de inæquali intemperie: com. 3. in lib. 1. Epidemiōn. Et in nostro lib. de Epiala febre.

8. Præclara est decisio de ea re apud Arculanum cap. de phthisi vbi docet quomodo in phthisi sit euacuandum, & quomodo non euacuandum.

9. Et Hippo. lib. de vetere medicina, abundè docet in salsis & acutis fluxionibus mitificandum esse, non autem euacuandum.

10. Inter cæteros locos, ad hanc maximè mulierem pertinet locus lib. 2. Prorrh. in quem Gal. non scripsit vbi graphicè morbus illius describi videtur.

12. Atque hæc mulier si tußiret, corpus internum subiret catarrhus, nunc verò cum non tussiat, sed externam capacitatem fluctio appetat, non mirum si tot dolores persentiscat. Et duo sunt commemorabiles loci huc pertinentes, prior est ex lib. 2. Epid. sect. 2. vbi docet cuidam virgini manum, & crus syderata esse cum nil commemorabile tußiret, quasi verò suppreßio materiæ quæ tußim excitare deberet, eam syderationem attulerit. Ita Herclè: Nam & Hippo. in Coacis, ait, Quibus salsuginosa, sputa & tußis supprimuntur: His corpus velut à pustulis rubescit. Vide Com. in part. 4. lib. 6. Epid. sectione 4.

13. Ad hanc historiam valet locus præclarus ex sectio 3. lib. 2. Epid. vbi agit de asperitatibus cutis, &c. Et inter cætera Langij Epist. 15. lib. 2. De puncticula. Et lib. nostrum Ephemeridon. Et de exanthematis quæ vt culicum morsus erant: Et Hippo. rationem generationis horum proponit. Quod ad institutum valdè pertinet, lib. 5. Epid. Et Aetius cap. 129. Tetrab. 2. sermonis 1. Febres in quibus puncticulæ apparent sunt adurentes, & facilè ad manum calor remittit fortè de iis audiendus

locus lib. 6. Epid. ſectio. 8. de febribus quas περικαῆς *vocat. Et lib. 7. Epid. locus præclarus de eruptione exanthematon* περικαύστων.

CONSILIVM CXV.

De febre ſemitertiana.

VXOR proſcribæ nomine Guillemin, cum & catarrhoſa foret, & colicis doloribus obnoxia, tamen feruidiore hepate in febrem incidit continuam menſe Iunio. Vagabantur tunc febres ardentes ſatis mali moris. Statim initio horrenda fuerũt omnia, dolor ingens capitis, & veluti cuiuſdam παραφορᾶς, & perturbationis mentis argumentum, vomitiones frequẽtes, ardor ſummus, erat reuera aliquid hemitritæon. Nam humores ita erant ἑτερογενεῖς, & bilis pituitæque adeóque crudi ſucci, tum qui à capite deſcendens per quandam colliquationem, aut diffuſionem potius in venas, & habitum corporis irruerat horroris ſenſum inferens, tum peculiariter in eius corpore & redundabat, & ob diuturnitatem conſtitutionis humidæ & auſtrinæ, in qua congeritur humor, nec difflatur; præſertim in mulieribus quarum corpora ſunt ὑπόλευκα ϗ ὑγρώδεα, ſuccreſcebat, copia (inquam) tanta fuit, vt mirum non ſit, ſi inæqualitas ſumma fuerit, curandi difficultas, & periculum mortis, quam nos certò expectabamus. Varietas enim iſta humorum partim confuſorum, partim diuerſo loco poſitorum, & putreſcentinum, nullum non dat negotium naturæ, febris ad 14. diem perſeuerauit. Primis diebus multa iudicatoria non iudicantia apparuerunt. Et cum vrinæ initio valdè confuſæ exiſterent, flammeæ, tenuiores factæ ſunt. Sed id non placebat. Reduplicationes erant nocturnæ, & perfrigeratio quædam leuis præcedebat, ac ſi nouus eſſet paroxyſmus. Sed id motu fiebat nõ periodico, ſed à venis in venas, & à loco in locum, non in habitum corporis, quomodo fit in febribus intermittentibus periodicis, vt nos in hiſtoria de Sangermano explicuimus. Sed tria valdè terrifica fuerunt: Primum quod erat comatoſa, ſed κῶμα, erat potius ἄγρυπνον, & ſomnus tædebat, nam cum primùm in ſomnum ſe componeret, ſtatim delirabat. Secundum perfrigeratio ti-

biarum & pedum sæpè erat, vt recalfieri ferè non posset. Vnde in lipyriæ febris suspicionem veniebamus: Tertium pulsus imminutus valdè erat, & nescio quid διαφορητικόν. Quartum, metus erat, inflammationis pulmonis, vt pleuritidis latentis. Perpetuò enim ferè de latere dextro ad manus regionem questa est, vt propterea consultum fuerit ei tanquam pleuriticæ, neglecto reliquo morbo [1]. Et de dolore isto lateris valdè laborabamus, an verè esset pleuritis, an congestio ibi esset (erant enim magna congestionis arguméta, vnde excreuit è pulmone multa satis horrenda) an fluxio à capite, an translatio à ventre inferiore: Vnde fit vt (quod Hippo. libris de morbis annotauit) facilè febris ardens peripneumoniam & lethargicam quandam dispositionem, non à capite ipso primò affecto, sed pulmone & affecto, & obstructo, vt liber non sit exitus spirituum, & ob copiam vaporum à pulmone incandescente elatorum, & malignè ferientium: Quod notandum. Ac valdè decipiuntur medici. Hac de re Hippo. Caput præclarum scripsit de Lethargo, vbi lethargum ait oriri per quandam peripneumoniæ affinitatem, & in isto lethargo potius pulmoni quam capiti consulit. Hoc morbo laborauit Domina le Boindre. Et aliquid simile fuit in vidua Domini Garnier, vt nos in lib. 2. Epid. nostrorum scripsimus. Ac primum consimilem huic historiæ quandam historiam scripsit Hipp. lib. 2. Epid. *In perinthum circa solstitium venimus, &c. Æstate febres ardentes populariter grassatæ sunt multæ.* Et cætera consequuntur quæ longum esset recensere.

Hippo. lib. 1. de morb. & lib. 3 cap. de febre ardente, & lib. 2. Epid. meorũ. Quid sit lethar- apud Hippo: Lib 3. de morbis.

Quod ad primum pertinet, quomodo nimirum obfuerit somnus tum ob malignitatem materiei reuocatæ à superficie ad centrum, tum ob dominatum caloris, dictum iam antè est abundè, quod ad infinitos propè ægros pertinere potest. Nam cum calor contra naturam superat naturalem, ferè turbati sunt somni. Ac reuera terrifica omnia fuerunt, vt antè dictum est, tum ob corruptorum humorum κακοήθειαν, quæ communem corruptionem superat, tum ob caloris febrilis dominatum. Vnde in Epid. notatum est terrifica sæpè accidentia initio morborum euenire, ob summam humorum intus latentium corruptionem vt Gal. annotat. Et inter cætera commemorabilis locus in lib. 2. Prorrh. in quem Gal. non commentus est: *In principiis febriũ siue delirium accesserit, siue alicuius membri syderatio, periturum hominem scito, si non ex optimis signis aliquod accedat, aut corporis*

ris vires adsunt. At hæc mulier tantoperè initio animo concussa est,& perturbata, vt ea omnino deliratura putaretur.

Valdè perturbabat quòd non poterat ἀναθερμαίνεσθαι, & quod frigus erat pedum summũ nõ periodicũ, sed velut iudicatoriũ, non iudicans tamen. Multis locis docuimus malum esse in febribus modò calfieri modò incalescere, peius verò esse celerem in vtrumque mutationem: Quod cur fiat non dicendum, cum & ex antecedentibus, & ex lib. nostro Epid. satis patere possit cùm distinxerimus frigus positum & priuatiuum. Reuera putabamus frigus esse priuatiuum, sed potiùs ad positiuum accedebat, cum & catarrhosa esset, & colicis doloribus à crudo succo obnoxia, quò fit vt ob humorum varietatem hoc facilè euenerit. Accedit quod cum frigus istud apparet, natura aliquando idem vult conari quod & in rigoribus, sed cum materia parata non sit illud totum quod apparet iudicatorium est non iudicans. Et reuera nisi in florenti ætate fuisset, interiisset. Numquam enim tot iudicatoria vidimus. At hæc mala sunt. Siquidem verum quod aut mortem intentent, aut malum denuntient. Sed ex lib. 2. Epid. & alio loco patet duo genera esse τῶν κρισίμων, quædam enim simpliciter iudicatoria dicuntur, quæ quoniam absolutè non iudicant, aut ob indispositionẽ materiæ, aut quia omnino natura valida non est, ideo λύοντα dicuntur, & iudicarent si nil impediret. Alia iudicatoria præterquã quod vim iudicandi non habent, aut omnimodam materiæ prauitatem significant, aut παλινδρομίαν ad partes nobiles, aut naturam labentem, vt vires protritæ omnino fathiscant, vt ad τὰ κρίνοντα, nullus ampliùs sit gradus. Et hæc omnino praua sunt. Et verè in morbis malignis apparent in quibus morbi status solet deterior multò apparere die critico, quo tempore aut perfectæ coctionis, aut saltem incipientis nota aliqua deberet apparere. Quo in sensu accipere oportet illud Gal. quod in morbis malignis proprium sit, vt diebus criticis deteriores fiant. De quo amplius dictum est antè, & tamen sine hac disputatione ea quæ ante dicta sunt nullo modo intelligi possunt. Sed si quando occurrat disputare περὶ τῶν κρισίμων, amplissimus est locus in com. in Prorrheticon. In quo plenis velis ea explicat quæ pertinent ad τὰ κρίσιμα, quorum duo genera explicantur, vnum eorum quæ λύοντα vocantur, & ea τὰς ἀκρισίας faciunt, alia ad deterius vergunt, & omnino mala sunt, vt cuiusmodi sunt ea quæ in pestilentibus

Lib. 2. Epid. sect. 1. Iudicatoria duplicia

Part. 351 lib. 3. Prorrh.

morbis spectantur, vt sudor diaphoreticus, nigrarum deiectionum excretio, & sexcenta alia.

Atque Galenus in comm. in illam particulam maximè inter iudicatotia mala numerat partium, aut totius corporis perfrigerationem quæ calefieri non potest. Quòd maximè ægræ nostræ contigit.

Pulsus erat valdè imminutus, quod cum pręter vacuationem aliquam insignem euenit, malum est vt signum & vt causa. Etenim κακονδείας sępè signum existit. Videatur Gal. in Prorrh.

Com. in part. 5. lib. 2. Prorrh. & in partic. 17. lib. 3. Prorrh.

Porrò ad huius tractationis finem nonnulla adiiciemus quorum intelligentia ad medendum apprimè pertinet Nam cum vrinas huius mulieris crassas & turbidas videremus, annuentibus cæteris, libentiùs secandi venam, & purgandi consiliũ capiebamus. Sed omissa venæ sectione, videndum quid statuat Galenus & Hipp. de indicatione purgandi sumenda ex vrinis, ita ait: *Quibus initio vrinæ crassæ ac nebulosæ fuerint, hos annuentibus cæteris, purgare conuenit. Quod si vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis.* Nomine crassarum vrinarum Gal. coctionem & mitificationem quandam materiei audit, contra tenuium nomine, cruditatem. Et hæc verba Hippo. magni sunt ad medendum momenti. Nam cum incidimus in morbos sæpè sunt vrinæ tenues aliquando sunt grumosæ & crassæ. Priores à medicamento eradicante dehortantur. Posteriores nonnumquam suadent, at cum perturbatæ sunt, & crassę cum aliqua ęqualitate, tunc audaciùs purgandi occasio capiatur. Et quò proprius ad sanitatem accedimus, eò suam quandam tenuitatem cum bonitate caloris repetunt ac recipiunt. Inter cætera de duobus monere oportet, quorum prius aliqua ex parte explicatum est, sed propter rei difficultatem & dignitatem maiore explicatione opus habet, posterius verò est de quibusdã vertiginibus & perturbationibus capitis quæ initio morborum præhendunt. Prius est de partium quarumdam perfrigeratione quę in morbo acuto, & febre continua valdè periculosa est. De hoc antè & in hoc capite, & infinitis locis dictum est cum explicaremus quid differret priuans frigus à positiuo. Galenus autem noua quadam explicatione illustrauit rem totam de perfrigeratione partium in causo. Ac primum explicat duplicem καῦσον, apud Hippo. 4. acutorum, vnum à tenui & seroso ichore cum terrificis symptomatis, aliũm autem ab alia quadam causa ortum.

Part. 43. lib. 4. acuto.

Part. 13. lib. 4. acutorũ.

Nam causus exactus à flaua bile est, non exactus à pituita quadam salsa aut acida, vnde eorum qui tali causo tenentur lingua salsa seu salsuginosa existit, non autem amarulenta, vt in exquisito causo. Non adeò vrens calor percipitur, vt in verò causo, lingua nigra non est, sunt tamen multa communia symptomata, vt iactationes, vigilię, &c. Et inter cætera notandum est vnum de alui constitutione in vtroque causo, nam dum loquitur de vero causo ait, *deiectiones sunt liquidæ & pallidæ*: Est enim consentaneum, vt quoniam humor est tenuis, quoniam facilè mouetur, & febris ob perennem generationem ichoris reaccenditur facilè, vt aluus soluatur pallida excretione, quę est morbo analoga: At in non vero causo dixit simpliciter, aluus soluta, non addit, talibus vel talibus excrementis, quoniam humor pituitosus qui febrem facit nō tam facilem habet exitum, ac humor biliosus & pallidus. Et ideo Galenus in eo comm. ita ait: *Pituitosus humor nec facilè excernitur, nec febrem auget, nec sitim ardentem habet, nec in spiritum vertitur. Ideóque de febre à tali humore nata ait Hipp. Aluus soluta, ita quadantenus ea excernat quæ excernere ipsi non aduersatur. Soluitur enim venter non tamen secundum humoris cuiuspiam formam & speciem, sed iis quæ in alimentum sunt ministrata, corruptis.* Id est, in verò causo ob tenuitatem materiei facilè laxatur aluus, eáque redduntur quæ morbo sunt analoga ob sequacitatem materiei: at in alio non exquisito causo cum materia sit crassior viscosior, si fortè aluus soluitur, non tam ea materia excernitur morbifica, quam cruditas quædam ob ea quæ assumpta sunt. Quod nos in Domini Bironij, nepote Domino du Plessis obseruauimus: Nam cum laboraret febre continua ad causon non legitimum accedente, & esset habitu pituitoso aliquantum, non excernebantur biliosa, ichorosa, qualia excerni potuissent in verò causo, sed quædam glutinosa, ac si chyli magna pars in gluten & corruptam similem materiam versa fuisset. Et si quando aliàs, in hoc ægro verum comperi quod Hippocrates, & Galenus illo loco conscripserunt.

Nunc vt ad rem reditus fiat, cum duplex iste sit καῦσος, vnus verus à bilioso humore, alter nō verus ab humore pituitescente magis: Hippocrates dum secundi καύσου mentionem fecit, meminit refrigerationis extremorum. An verò partium refrigeratio extimarum non æquè ad verum causon ac ad non legitimū

referetur? Galenus meo quidem iudicio non ſatis diſtinctè rem explicauit. Ait enim non in cauſo omninò verum eſſe vt eueniat partium extimarum refrigeratio,ſed ſi malignus ſit. At quis dubitat nō potius in vero cauſo euenire iſtam refrigerationem quam in non vero? Nam in vero cauſo phlogoſis eſt ſumma in partibus internis cuius occaſione reuocatur facilè calor foris intrò, vnde ſenſus frigoris ſummus in extimis adeſt. Et tamen etiam in vero cauſo non adeſt iſta refrigeratio extimorum, niſi etiam per ſe malignus ſit. Omnino autem in febre omni partiū extimarum refrigeratio euenit (ait Gal.) aut propter phlegmonem internam, aut ſummam naturæ imbecillitatem, addo, caloris naturalis paupertatem ex com. in part. 8. lib. 2. Prorrh. Et fieri poteſt vt ſecundus cauſus naſcatur ob phlegmonē à craſſis & viſcoſis humoribus natam (nam ſecundi cauſi originem & cauſam à craſſis & pituitoſis repetiuimus,) & tunc quis dubitat quin ob talem phlegmonem reuocetur intrò calor, & ſic partiū extimarum refrigeratio contingat. Et tunc malignus eſt vt voluit antè Galenus. Sed non video cur potius attribuerit iſtam extimarum partiū refrigerationem poſteriori & illegitimo cauſo quam priori & legitimo? Ego verò aliam probabiliorem rationem afferam. Cum Hippocrates ex ſymptomatis propriis ſecundi cauſi numerat extimorum refrigerationem, non tam intelligit de ea refrigeratione quæ aut paupertatem caloris ſequitur, aut phlegmonem internam, aut ſummam naturæ imbecillitatem, quæ quæ ob crudos, frigidos, pituitoſos, & viſcidos ſuccos fit. Prior refrigeratio in veros cauſos incidit, & priuatiuum frigus eſt. Poſterior pituitoſiores morbos potius comitatur, & poſitiuum frigus eſt. Quomodo catarrhoſos, & pituitoſos, & crudis abundantes ſuccis videmus refrigeſcere in partibus extimis. Sic cum ſecundus cauſus agnoſcat crudum ſuccum cauſam ſui non mirum ſi partium quædam refrigeratio contingat non pernicioſa. Niſi fortè (vt excuſemus Galenū) dicamus iſtam perfrigerationem in ſecundo cauſo euenire ob ſpeciem quandam phlogoſeos quam fouet crudus humor conculcatus & congeſtus in parte aliqua, vt in meſenterio & pancreate, ac ſi interna quædam phlegmone foret.

Com. in part. 16 lib. 4. acuto. & in part. 47. eiuſdem libri.

Quod verò notandum eſt, & quod pertinet ad hiſtoriam de Domina à Chalmontio, vrentis caloris & flammei perceptio nō ſolùm eſt in bilioſis corporibus, & bilioſis febribus, ſed ſæpè

in pituitosis præsertim si pituita sit salsa. Ne quis decipiatur ratus igneum calorem à bile tantùm esse, audiatur ea de re Galenus: *In pituitosis febribus fumosa est caliditatis substantia, cum scilicet, vel in ventre, vel hepate, vel pulmone salsus humor putruerit, ob quam fumosam substantiam caliditas ignea redditur.* Quod declarant peripneumoniæ à pituita salsa, in quibus calor extinguibilis non est, & inexhausta sitis. Nam multò faciliùs temperatur ardor & sitis excitata ob materiam biliosam, quam ob phlegma putre & salsum. Et ex duobus quæ ad explicandum, proposita fuerunt vnum iam à nobis expositum est. Restat alterum de illis grauibus, vertiginibus quibus plerique vexantur in magnas febres casuri. Deinde vnum addemus de alui facilitate, vt leienteria metueretur; tamen contulit valdè qualiscumque fuerit ista solutio alui, Aphorismus est Hippocratis: *Quibus in febribus vertigines ab initio & capitis pulsus sunt, & vrina tenuis, his ad iudicationes vsque febris accessionem expectare oportet, quod si quoque delirent nihil mirum.* Quæ omnia huic ægræ conueniunt Et quoniam multa præclarè dicuntur à Galeno in eo Comment. de causa vertiginum, de vi caloris contra naturam in effundendis & dissipandis, & prouocandis humoribus, quorum intelligentia ad ea quæ hoc loco dicuntur valdè pertinet, Lectorem ad eiusmodi Commentarium relegabimus.

Com. in part. 16. lib. 4. Acuto.

Par. 42. lib. 4. acutorũ.

Aluus in ea facilis & liquida fuit, quod nos paulò antè docuimus euenire in causo non legitimo, & quomodo fieret, aperuimus: Item & in tractatu de Sangermani morbo, nunc addemus locum præclarum à Galeno conscriptum, dum reddit rationem cur in febribus καυσώδεσι, quarum focus est in pulmone aluus astricta est, maximè verò cum hepar est inflammatum. Hoc enim inflammato aliàs excrementa sunt συνεφθώδεα, aliàs liquida, atque ita ait: *Quibus in iecore causi radix subest, & qui ob iecur causo laborant, iis quæ excernuntur aliàs sunt liquida, interdum sicca sunt, combustis scilicet à visceris phlegmone, & in nucleum formatis excrementis. Cum igitur viscus hoc phlegmone solùm tentatur, indurabuntur excrementa: Verum si cum phlegmone fuerit & imbecillitas, liquida deiiciuntur, viscere scilicet alimentum ad se attrahere nequeunte. Sed deiectiones eiusmodi ab iis quæ ventre affecto fiunt chylositate distinguntur: Græcè τῷ κεχυλῶσθαι, meliùs chylificatione, aut chyloseos actione interpretaberis. Nam si chylus non attrahitur chylosa ferè sunt excrementa.*

Par. 17. lib. 4. acuto.

ANNOTATIO.

1. *Quæcunque mulieres, idem & de viris, dum sanæ sunt dolent de latere aliquo, cum febricitant, aquè dolent ac si pleuriticæ essent verè. Et reuera cum iis, vt cum pleuriticis agendum.*

CONSILIVM CXVI.

Ad febrem & dentium dolorem.

Consulis Scaronis pusio sedecimestris, iam per menses, sex aut quinque contabescit ac emaciatur. Magnum argumentum est cutis laxitas. Nam omnis extenuatio primùm laxat, deinde distendit, contra refectio distendit, deinde laxat, laxitate quadam laudabili, non qualis ab euacuatione insequi solet. Depræhendimus illum febrientem, dentientem erumpentibus dentibus molaribus: Quæ omnia febres, vigilias, alui profluuia consecutione quadam afferunt. Notandum enim quod demonstrat Aëtius turbari ventrem dentientibus pueris propter exolutionem, & inflammationem ventriculo communicatam. Nam inflammatis gingiuis peculiaris in ore febris esse videtur: facilè autem ventriculus in illius partis ob continuitatem membranarum trahi solet. Sic putant pleuritidi succedere fluorem alui, inflammationis communicatione cum hepate & partibus nutritioni consecratis. Sed quoniam extenuationis macieique rudimenta aliqua, non ita pridem paruerunt, illius causa altiùs repetenda, vel à pueri habitu, & ἰδιοσυγκρασίᾳ, vel à nutrimento. Puer natus est, & satus parentibus biliosis, hepate sicciore & calidiore præditis: Nutrix emaciata est, sicca, æstuāte corpore & squallido, & ob perpetuas pueri vigilias somno blando non indulget: vt non mirum sit si in symptomaton malorumque communione & pueri & nutricis neuter proficiat. Lac nec colore, nec odore, nec sapore laudabile est. Album esse debet & æquale, gustu dulce & velut mellitum, olfatu gratum, vt pluribus definit Aetius. Itaque prouidendum nutrici, puero, tum ratione febris, tum ratione dentitionis, tum inueteratæ iam emaciationis.

Par. 29. sectio. 3. lib. 6. Epid.

Cap. 9. Tetrab. 1. ser. 4.

Cap. 5. Tetrab. 1. ser. 4.

Adiungenda nutrix alteri ne si altera ablegetur continuò ob insolentiam alterius nutricis puer ægriùs ferat, & noui casus occasio adsit. Sic interponent operas, & altera alteri vicariam supponet manum. Nutrix præsertim dentitionis tempore vino abstineat Aetij consilio: hordeata aqua vtatur, & iusculis multis alterantibus. Puer nutriatur pane in iusculis infriato: Decocto pullorum: & ad facilitatem exertionis dentium gingingæ melle anacardino aut communi narbonensi illinantur, aut lacte canino, & conferet cerebrum leporinum consilio Aetij: Item circumlinetur oleum dulce partibus vicinis: Item radix colocynthidis in cānula aurea aut argentea inclusa & gestata confert. Aut iaspis viridis. Nil mandat duriusculum: & omnino non est prohibendus alui fluor, alioqui metus est translationis ad partes superiores. Consultus est litus ex oleo rosato in toto corpore, ad caloris contemperationem. Sed cum perseuerasset alui fluor, & oborta esset febris continua cū vigiliis iactationibus, vt inde ἀσώδης foret, necnon interiora arderent, partibus externis parum refrigescentibus: Denique vomituriendi finis non esset, & magna esset suspicio febris lipyriæ, & breuis mortis, hæc quę sequuntur imperantur.

Primùm, Epithemata ad regionem cordis & hepatis additis trochiscis de caphura.

Litus ex rosacero tum in ventre, tum in rachitide.

Item eodem confert litus ad totum ventrē ex muccaginibus seminis altheę psyll. cydoniorū addito succo lactucæ, & oleo rosato cum mastichino. Et cum præter puerorum morem digitum in os immitteret ad ciendum vomitum, hoc suspicionem attulit aut vermis in os ventriculi reptantis (idem enim paulò antè in puellula euenerat, & excretus vermis est) aut oris ventriculi κακώσεως, quod ῥιπτασμοῦ καὶ ἀλυσμοῦ, causa est inter cæteras autore Galeno, in primum prognosticon: Ideo visum est medicis vtile fore si grana aliquot theriaces aqua cardui dissoluerentur, & potui darentur, ad vermem, si quis sit, sopiendum, & κακοήθειαν, si qua sit, domandam. Non longè post data infusio ex rheo, & granis vnicornis. Et quoniam ingens erat sitis, & febris, vnáque nutrix vix esset, maximè quoniam calor igneus ex ore pueri manans lac extinguit, aut minuit, nutrix iubetur vino abstinere, iusculis nullis vti, maximè verò decocto auenę vbera perfundere: immò & eo decocto in potu vti, bracteolas seu fo-

lia auri mammarum papillis applicare, ad lactis conſeruandam temperiem. Puero ſomnus conciliatur litu temporum ex oxyrho. applicitis foliis lacticæ: In iuſculo pulli incoquuntur tres dragmæ ſem. papauer. alb. cum lactuca in taleolas ſecta. Miraculo hoc profuit ſomnum conciliando, & ardorem mortis, aut marcoris autorem futurum. Non parcitur potui. Immò ætatula vſum lymonum fruſtatim inciſorum non diſſuadet. Lacte aſinæ dentium acetabula linuntur. conualuit.

CONSILIVM CXVII.

Seu Enchiridion ſanitatis D. Henrico Heruillæo, in militiam profatino præſcriptum.

SI neceſſitas vrget infundetur clyſma ex hydrom. aut iuſculo domeſt. aut aqua ſalſa diſſoluendo catholicon.

Pilulis ex rheo ad ʒ j. vtetur ſi fortè grauior ſibi videatur, aut antè cœnam tres pilul. ſine quibus deglutiet.

Si nec febris adeſt, nec dolor capitis in vino alb. rheum ad ʒ ij. ſ. infundet, ſin minus, in ptiſſana diſſoluendo ℥ j. ſyrup. roſ. pallid. aut cath ʒ 6. diaphœn. ʒ j.

Non niſi vrgente neceſſitate demendus ſanguis, nam cum ſit λεπτόφλεβος, non facilè feret phlebotomiã, niſi aut affuerit febris ἀξιόλογος, aut difficultas ſpirandi, bechicis vtetur ſi fortè tuſſis vrgeat.

Vtetur bolo aut caſſiæ, aut catholiconis dupl. Ad vitandum aërem corruptum pomum odoriferum geſtabit, aut nodulum ex caryophyllis & cinnam.

Vtetur mithridatio ex vino alb. aut conſerua roſarum.

Si vulneratus fuerit puluere rhei cum mumia vtetur, addito mithridatio.

Si fortè oppreſſus fuerit, aut peſſundatus inuoluetur panno in vino madefacto. Item mithridatio ad proliciendũ ſudorem.

Si dolor colicus vrgeat, fotus ex chamæmelo, & ſeminibus lini, & fœnig. vtetur: Valet quoque equinum ſtercus?

CON-

CONSILIVM CXVIII.

De febre continua.

1\. VIcarius Sanctorum Geruas. & Prot. ad Natalitium Domini, cum caput doluisset (sed id ad vsum noui vini referebat) in febrem incidit. Ea erat lenta, & in viscerum latente phlogosi posita. Siquidem fauces erant velut inflãmatæ & erysipelatosa phlogosi tentatæ. Quod aut exhalationis vi fiebat, aut flammea quadam anathymiasi. Immò non tam de febre querebatur, quam de amarore quodam oris, & dentium luriditate scabritiéque & squalore, nec non de faucium ardore isto. Alij ad destillationem ferinam referebant, alij ad pulmonum quoddam latens incenduim, alij ad viscerum calorẽ & dyscrasian, alij quoque ad cordis calorem impensè auctum, & hepatis quandam siccitatem. D. Magnus carbunculosam quandam dispositionem dicebat subesse, vt habitu corporis existente δυσδιαφορήτῳ, & ichore saniéque difflatione prohibitis, & calore effumationem difflationémque non habente, tum ob corporis constitutionem, nam densus est habitu, & quodammodo citrinus, tum tempus ipsum quod austrium fuerat, & post proximè hyems successit quæ omnia suppresserat, sic corpore minimè existente difflabili suppressum est excrementum quod circùm periostia dolores excitat, & dũ tumultuariè sanguini admisceri vult rigoris cuiusdam sensum exhibet, & veluti formicarij morsus & deambulationis. Ita enim veteres symptoma hoc velut formicarum deambulationi comparauerunt. Et tale symptoma reuera paralyseos aliquando est velut prænuntius & preambulo: aliquando catarrhi est comes, aliquando est cacochymi sanguinis consequens. Vndè videmus cacochymos si in sole apricẽtur horrere, & sensum punctionis formicationisque circum partes sentientes habere: fit enim vt morborum principiis sanguis purus existat, vt non calfactus & alteratus à calore febrili qui omnia corrumpit & immutat, item nõ mutatus mixtione rei alienæ, vt pote seri à cacochymia contenta in mesenterio per transsumptionem in vasa communicati. Quod in li-

bris de morbis Hippo. appellat accommodato verbo τὸ αἷμα διυ-ρεῖν: id est serosam naturam acquirere, relicta temperie, & qualitate, & propria sanguinis natura, aut ea valdè immutata. Re uera in hoc viro, si quo in alio peculiaris excrementi est suppressio ad hanc fecit peculiaris natura, habitus corporis, tempus, & prætermissa occasio sanitati suæ studendi. Nam cum diligentius suum munus ecclesiasticum prosequitur, ei non vacat esse ægroto, & non expectat illud tempus in quo natura post coctionem tandem secretione facta victrix ac domitrix morborum existit. Nullus enim vnquam morbus diuturnus vnquam superatus est, nisi cum ingenti & longo renum ἐπεοχανῶν, profluuio, aut sudoribus diu emanantibus præsertim à somno coctis humoribus & domita cacochymia. Quod in plerisque à nobis obseruatum est, qui diu laborantes vltro citróque purgati, non cessarunt de aduersa valetudine queri, donec per 20. aut 30. dies copiosus sudor toto corpore emanarit. Sic in hoc ægro nostro puto exactam quidem portionem materiæ, sed τὸ ἐμπύρευμα, & anima morbi intus relicta est. Sed & dolor ingens capitis cum constrictionis sensu, & punctione, & lancinatione declarat eum dolorem qui olim per sympathiam erat, factum esse per protopathiam. Vt ea effumatio magna facta ob difflationis cutis prohibitionē caput obsederit, & in venis, arteriisq; cerebri, & iam in quibusdam inanitatibus (alioqui malum non tam foret rebelle & obstinatum) sedem firmauerit, melancholici humoris iam deterioris, quam antea esset, facti, naturam adipiscens. Quomodo audiendum illud Hipp. Cauitates corporis nostri dum sani sumus spiritu plenę sunt, dum ægrotamus, ichore & sanie. Sic qui diu ægrotant, alterato ferè omninò sanguine & reliquis quæ fluunt & refluunt, modò in hac parte, modò in illa dolorem sentiunt. Immò & veluti impetu quodā facto impetiginosi, aut leprosi, aut scabiosi fiunt, relicto in cute vitio, & perpurgato corporis centro, vt Simoni contigit. Sic quibus hoc beneficium naturæ negatum est, nisi alia via & ratione sese natura expediuerit, dum semem morbi & fermentum ipsum fouet, non est mirū si aut in nouos morbos incidant, aut si priores alant. In hoc ægro & totius corporis, & capitis ratio habenda. Et antequam hyems accedat, præsertim dum autumnales morbi sunt in procinctu, bonum est eum arte iuuare. Itaque ea methodo progrediundum erit in oppugnatione mali

Lib. de arte.

6. Epid.

obstinato animo ægrum impetentis.

Primùm parabuntur clysteres ex decocto melissæ, bugl. borag. & herbarum spleniticarum.

Purgabitur decocto radicum aperi. & rerum splenicarum additis hepaticis humidis, vt hepatica, intybo vtroque, scariol. chondrilla, portulac. cichorio omni viol. pomis redolentibus, cardiacis frigidis vt rosa, viol. nymph. ebore, santalis, oxalide, serico crudo; itẽ splenicis refrigerantibus: Cortice rad. tamari. asplenio, adianto, seride, seminibus frig. foliis vitis, in decoct. agar. folia senæ & turbith. (pauca id quantitate) addentur.

Post duas doses supradictas vtetur apoz. ex his herbis additis succis & serico crudo.

Aperietur vena basilica sinistra.

Dabitur tertia dosis apozematis solutiui.

Balneo vtetur vniuersali ad tres dies.

Caput abluetur lixiuio ex sarmentorum cineribus additis foliculis & agarico.

Si dolor perseueret aperietur vena pulsatilis in temporibus.

Apophlegmatismis vtetur.

Tandem si non conquieuerit dolor arteriotome fiet.

ANNOTATIONES.

1. *Morbus istius Vicarij erat febris lenta continua, essentialis & cuius ideam, speciem, ingenium & essentiam Fernelius explicauit libello de febribus.*

2. *Affectio ista redolet aliquid Hypochondriacum. Et admirabilis est successus ætatum in quibus aliàs per quaterniones aliàs per septenarios magnæ mutationes eueniunt. Et tunc incredibili quodam modo de valetudinis bonæ statu deceditur, & donec tempus istius mutationis transiuerit, non cessat animans malè habere, & queri de valetudine. Nam & in libris de Dieta Hippocrates docet, quibusdam qui diu sani vixerunt circum 40 annum mutationes euenire & eas perniciosas: cur non etiam eodem modo in ætatibus nostris eueniat, quod & in magnis temporum mutationibus Hipp. lib. de aëre, & locis euenire obseruauit? Quid illud quod Hippocrates vitam nostram septem dierum esse ait?*

3. *Cum sæpius detractus esset, sanguis quòd impurus videretur, tandem mitificatis humoribus, laudabilis apparuit. Nam fallebantur medici existimantes superficiem pituitosam esse sanguinem corruptum.*

Gal. enim docet & aquam, & pituitam sæpè in superficie sanguinis apparere. Et medici decipiuntur. Cap. 2. lib. de Atrabile.

4. *Sensum hunc deambulantium formicarum nunquam legi nisi semel apud Hippocratem dum disputat de tabe dorsali. Et apud Hollerium cum agit de catarrho dorsali com. in coac.*

CONSILIVM CXIX.

Ad vermes.

DOmino de la Bournaliere, à vermibus afflicto hæc sunt præscripta quibus vere & autumno appetente vsus est.

℞. *Absinth. vulg. agrimo. centaurij minoris. an. m. ß. lupul. seminis contra. an. ℥ ß. florum chamæ. stæch. an. p. 1. fiat decoct. in aqua hordei in col. ad lib. ß. dissolu. confectionis hieræ ʒ iij. fiat clyster.*

℞. *Pul. hieræ dupl. aloe ʒ j. rheib. ℈ ij. mass. pilul. assaieret & cort. myrob. citrin. an. ℈ j. cum syrup. de absinth. fiat massæ vtenda ad ℈ j. ante pastus.*

℞. *Conseruæ florum anthos & cichorij beton. an. ℥ ß. cortic. citrij conditi. ℥ j. coriandr. præpar. ℈ ß. cornu cerui, & rasuræ eb. an. gr. vj. mithrid. & theri. an. ʒ ß. confectionis Alkermes. ℈ i. cum syrup. de pomis & stæchade: fiat opiata vtenda sæpè.*

FINIS.



INDEX RERVM ET VOCVM MEMORIA

scitúque dignarum quę hoc toto opere continentur. Numerus paginam designat.

A.

C

D

E

F

G

H

N

O

Q

R

R

S

T

V


FINIS.



INDEX
VOCVM GRÆCARVM

memoratu dignarum quæ in hoc opere continentur numerus paginam deſignat.

FINIS.



GVLIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORVM

MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

A IACOBO THEVART, Facultatis Medicæ Parif. Doctore,
digesti ac in lucem primùm editi.

TOMVS SECVNDVS,

In quo pleraq; continentur quæ ad morborum cognitionem, eorum curationem propositis exemplis ad rem accommodatis, & obscurorum Hippocratis, & Galeni, & veterum scriptorum intelligentiam pertinebunt.

Ἀφόβως βιώσειν, καὶ μὴ λανθάνειν,
Φθεγξόμενα πρότερόν τε πεπαίνειν.

PARISIIS,
Apud IACOBVM QVESNEL, viâ Iacobæâ,
sub signo Cochleæ, & Columbarum.

M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



SVnt qui ea, quæ ab iunioribus conſcripta elaboratáque ſunt, reiicere ac pro nihilo habere ſolent, quòd nil nouum & inſolens, & de quo non aliquid à priſcis ſcriptum ſit, literis mandari poſſe, ac luci dari aſſeuerent. Non propterea tamen ab opere ceſſandum eſt, ac ſcriptor, quicunque ſit, merita laude fraudandus. Debent enim animaduertere eiuſdem intelligentiæ eſſe, iudicare de aliorum ſcriptis, dum ea vſurpamus, & in vſum conuertimus, ac res ipſas conſcribere.

Ex Hippocratis libro primo de Diæta.



NOBILISSIMO ET REVERENDISSIMO VIRO DOMINO
D. CLAVDIO DARGOVGES,
MONTIS S. QVINTINI ANTISTITI.


IACOBVS THEVART Doctor Medicus Parisiensis S. D.



Lterum hunc Medicinalium Consiliorum librum à magno illo BALLONIO auunculo meo olim conditum, ac per me iam-primùm editum, nonnullisque ad obscuriores locos annotationibus auctũ, tuæ Reuerentiæ dum nuncupo (Antistes Reuerendissime) *non adeo mihi ipse blandior vt existimem quæ abs tua comitate confertim*

in me promanant beneficia tam leui munusculo posse compensari, quin potiùs noui, eiúsque eximij beneficij loco duxero si patiaris illustre nomen tuum huius operis in fronte exaratum legi, vnde nimirum & operi ipsi auctoritas accessura est haud mediocris, mihi verò singularis quædam lætitia probatæ abs te eius, quam in eo ipse posui, operæ. Quis enim est cuius aut approbationem exoptare, aut pertimescere censuram magis debeam quàm eius qui generis nobilitate quidem, sed propriâ virtute magis conspicuus raram illam omnigenæ doctrinæ, cum eximia probitate, dignitatis auctoritatísve cum prudentia ac solertia non vulgari præ se fert misturam? qui quã est in improbos quoslibet aut ignauos seueritate, pari humanitate studiosos quosuis amplecti solet? quem ipse non semel animaduerti, quanquam grauioribus curis (iis maximè quæ ad Ecclesiasticam, cui magno suo merito præfectus est, disciplinam pertinent) ferè occupatur, mearum tamen rerum, quantumuis tenues illæ sint, sollicitum. Nunquam fecero si propriis te coloribus omnibus velim adumbrare, si recensere singula quæ te cæteros inter Præsules spectabilem reddunt virtutum sublimiorum ornamenta, de quibus me ampliùs dicere videri potest inane ac superfluum, cùm ipsa ex operibus quæ facis satis ac super innotescant: Superba enim illa montis S. Quintini Basilica per te non ita pridem funditùs instaurata, an non egregiam tuam ne dicam regiam magni-

ficentiam loquitur apertißimè? Renouatus in ea Dei Optimi Max. cultus nonne pietatem declarat? quid restituta ibidem pristinæ suæ integritati religiosa disciplina nisi authoritatem & zelum? tot verò pauperum tuis opibus subleuatæ familiæ quid aliud nisi charitatem insignem tuam vocibus in cœlum vsque exaudiendis, prædicant? Sileo itaque, tótque præclaras virtutes tuas tacitus ipse veneror, vnum abs tua humanitate contendens, vt hunc quem tibi offero librum perpetuæ meæ erga te obseruantiæ monimentum esse patiaris. Vale, Lutetiæ Paris. Idib. August. M. DC. XXXV.





BENEVOLO LECTORI.

GVLIELMVS DE BAILLOV Doctor Medicus Parisiensis.

Εὖ πράττειν.



LLI semper mihi videntur præclarè de se, déque Republ. mereri, qui, cuicunque arti nomen dederint, & ad eam nobilitandam amplificandámque animum adiunxerint, ita se gerunt, vt omni cura, & cogitatione nouum aliquid quęrant, quò vtilitati suæ seruiant, & artis illius dignitatem tueantur. Quod tametsi citra valetudinis imbecillitatem, & nonnullum rei domesticę casum iacturámq; fieri nequeat, non debet tamen vir industrius recusare, quò minùs, vel in extremo spiritu, & aliqua rei familiaris offensione, si quam opem hominibus suis afferre potest, id omnino experiatur. Nunquam enim quantùm proficiat efficiátve, eum pœnitebit. Nam cùm præclarum augustúmque sit pro Republ. mortem oppetere, nedum priuata commoda deserere, non tam hîc genus mortis quęritur, quàm causa eius obeundæ, & voluntas, eáque honesto aliquo facinore, ac conatu erecta ac incitata: Cùm is solùm non dicatur pro Republ.

animam profundere, qui medio agmine, incitãte tuba, conferendísque strenuè manibus id faciat, sed qui aliquo prę stanti consilio, aut munere, aut vmbratili aliqua exercitatione in eam curam incubuerit quæ vberes ex susceptis laboribus fructus Reipublicæ demetet & afferet. Vt qui in cura & meditatione obeundi muneris è vita excesserit, si modò in Rempub. id commodorum retulerit, idem facere credatur, ac qui Hannibalem iam ariete vrbis muros quatientem ac euertentem fugarit, & superarit. Sed qui domi simul militiæque aliquid potest, tantò tum cęteris, tum se ipso prę stantior est, quantò duę virtutes vni, non numero, sed pondere antecellunt. Atque de Republ. meretur Medicus, vt cęteri artifices omittantur qui ad nos hîc nihil attinent, quicunque non erit iis contentus quę sedula antiquitas quæsiuerit, coluerit, ac limarit, sed suo marte aliquid vigil sedulúsque inquiret quod ad priscam illam sedulitatem adiungat. Sic cum sibi ingenio consilióque autore dignitatem reperierit, tum præclaro eo conatu cæteros ad id aut imitandum, aut perficiundum incitauerit, vt non tam affecto, quàm perfecto opere contenti quiescant. Maximè verò id erit gloriosum, si suscepti huius laboris fructus ad Rempub. emanabit. Quò magis non me abstineo quin hoc loco eos verbo appellem persequárque, qui satis esse factum putant, si modò sibi studuerint, sibi cecinerint, ac vixerint. Nihilò enim à brutis differunt, quorum cura in eo omnis posita est vt ventri obediatur, immo tota in eo vertitur ac consistit. Atque eo modo, quo diximus, aliquis publicam vtilitatem amplectetur, suam verò non deserere dicetur, si primùm

magnam

magnam aliquam ex sustinendis laboribus ceperit voluptatem, & assidua cura ac animi contentione ita tempus fefellerit, punctúmque temporis puncto nexuerit, vt more eorum qui Endymiônis somnum dormiuerunt, omnes temporum molestias & tædia facilè vincat & demulceat. Quæ enim vberior amœnitas, maioresque delitię, quàm applicando defigendóque in rem aliquam animo explere omnem expectationem diuturni desiderij, & omnes rerum acerbitates iucundo fructu otióque temperare? Quod faciliùs in iis vsu-uenit quorum nulla vnquam futura est satietas. An non is de se mereatur, qui ita in negotio versatur, vt eius honestus iustúsque labor honore, præmio atque splendore decoretur? Suscepti verò in rebus non ludicris labores, si quis modò inde fructus redeat, honore debito autorem suum non fraudabunt, quin eum contra omnem inuidiæ tempestatem asserent, atque vindicabunt. Quod iis non contingit qui exiguo lucello merceduláque contenti, aut rudi adumbratáque rerum cognitione, mollitie diffluentes veluti vieti, dissoluti, exanimes ac emeriti segni otio, tanquam pigritiæ suæ fomento, voluptuantur. Iam verò locus postulat, vt de instituto aliquid dicam: tametsi scriptio ipsa satis indicet quo animo id fiat, vel vt is qui scribit priuatis suis studiis consulat, vel vt aliqua ratione aut paucorum, aut multorum desiderium leuet, vel omninò id, quantulum & qualecumque sit, ad Rempub. referre videatur. Verùm ne cui admirationi sit hoc nouum & insolens scribendi genus, si de nostro Consilio aliquid explicem, non erit fortè à recto alienum. Hippocrates Historias morborum particulares scripsit, quod & nos

hîc facimus, ſed more noſtro ſcripta non illuſtrauit.
Et non Thucydidis more multa idiotis cognita propo-
ſuit vulgóque trita, ſed rara & ſcitu digna curſim
perſtrinxit, quibus aut certum periculum ægris crearetur,
aut aliqua ſalutis ſpes illuceret. Commentarium in
ſua ſcripta edere indignum erat tanto viro, indignum
eius otio. Credo enim illum tanti temporum ſingula
momenta æſtimaſſe, vt ne minimã horulæ vſuram ſibi
ipſe ad res ludicras conceſſerit. Quò magis à Commẽ-
tario in ſuas hiſtorias ſe abſtinuit, quòd fortè hoc ridi-
culum ac puerile extitiſſet. Facile eſt enim aliquid nar-
rando confingere, vt confictο quoque in id cõmento
aliquid nouum afferre videamur quo auram popularẽ
aucupemur. Quæ quidem materies & ſeges eſt vberri-
ma ijs qui ſeſe iactare, & ingenioli, argutiarúmque nõ-
nullarum ſpecimen aliquod oſtentare volunt: necnon
ſi miro quodam modo iis placet Aſiaticum ſcribendi
genus fuſum, profluens, dilatatum ac diſſolutum. Hoc
enim eſt proximè Poëtas imitari, qui rebus cõfingẽdis,
& pro libito excogitandis longè vberiùs fuſiúſque di-
xerunt, quàm ſi vera, & ad fidẽ hiſtoriæ referenda cõ-
ſcripſiſsẽt. Veritas enim ipſa per ſe lucet, & intra quaſ-
dam orationis anguſtias coërcita, ipſa tamen ſeſe ſuo
nutu ſuſtinet ac tuetur. quæ verò fingũtur, ea orationis
diuitiis fundũtur, manant & aperiuntur, nec in legẽ-
tium animos priùs influunt, quàm ornatu oratorio,
fuco, veſtitúque inſigniãtur: cum res fictæ, mutæ, ino-
péſque dicendi ſui faſtidio quemq; à ſe abalienent. At
πολυλογία facilè mendacium falſitatémque prætexit &
ſubornat: quod nudę apertæ, contractæ ac concluſæ
orationi non contingit. At Hippocrates conciſè res

descripsit, fateor, sed peculiari in dictum quodque cōmento opus non fuit, cum ex reliquis libris explicatio eruatur. Præterea quodammodo præuidebat (vt quisque sapiens conscius sui, nisi φιλαυτία animum perstrinxerit, rerum suarum iudex est & arbiter) tanti sua scripta posteris futura, vt omnes gregatim, pro sua quisque parte, de illis illustrandis decorandisque laborarent. At de nobis longè aliter est. Ná eâ virgulâ non obtigit, vt credamus fore aliquos qui fœtus inchoatos abortiuósque ingenij nostri perficiant: nec item nobis licet esse tam politis. Præterea non est ea nostri ingenij vbertas vt plura parturiat, nec vt à posteris id expectemus quod diuini Hippocratis vis penè suo iure vendicauit. Idem in libris Hippocr. euenit ac si quis in locupletem domū venerit non explicata veste, nec auro, nec argento, nec tabulis propalam collocatis, sed magnificis omnibus rebus constructis ac reconditis. Sic in Hippocratis libris diuitias & ornamenta illius ingenij solùm per quædam inuolucra & integumenta perspicere licet. Maximè vero id nos impulit vt stylum nostrum acueremus, ne scribendi inertia & negligentia obtunderetur ac hebesceret. Prout enim in quoque eximia quędam est indoles ad aliquid agendum, ita eā ipsam explicabit: vt si quando educamur ex domestica exercitatione & vmbratili mediū in agmen, in puluerē & in palęstram, nō modò ingenij, sed & orationis vis aliqua appareat. Ad id maximè sumus incitati Ciceronis hortatu, qui stylum præstantissimum dicendi magistrum & effectorem esse ait. *Nam si subitam & fortuitā orationem commentatio & cogitatio vincit, hanc ipsam profectò aßidua & diligens scriptura superabit. Et qui à scribēdi consuetu-*

dine ad dicendum venit, hanc affert facultatem vt si etiam subito dicat, tamẽ ea quæ dicuntur, similia scriptorum esse videantur, atque etiam si in dicendo scriptum afferat aliquid, reliqua similis oratio consequetur. Vt concitato nauigio cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum & cursum suum intermisso impetu pulsúque remorum: Sic in oratione perpetua cùm scripta deficiunt, parem tamen retinet oratio ipsa cursum, scriptorum similitudine & vi concitata. At eloquentia non pelluntur morbi, nec etiã absurditate verborum & balbutie, sed honestum est omnes artifices, in suo quemque genere, propriis & aptis ad id quod tractant, verbis vti: vt tametsi quis arte & ingenio valeat, culpa tamen non careat, si lingua hęsitet, si voce sit absonus, si vultu motúque corporis vastus atque agrestis. Quæ nos dum cogitaremus, in id studium nos coniecimus è quo tandem aliquando & fructum maximum capi posse putauimus, & linguæ volubilitatem, verborum flumen, rerum & sententiarũ vbertatem manare. Nõ quod placeat eorum medicorum industria qui tales ex Commentario euadunt, vt si liber deficiat, ieiuni & tenues appareant, si suppetat vberes & abundantes, sed cùm ipsi thesauro memorię credere multa oporteat, quæ in apertum vsúmque aliquando depromamus & efferamus, non alienum quoque erit in libris penu promptuariúmque aliquod statuere, è quo breui tempore id compendio comparemus, quod in amplissimo voluminum pelago non nisi lõgo tempore colligere ac venari possimus. Hic noster labor, si quando in quorumdam manus deuenerit, eos obsecro obtestórque vt æqui consulant. Atque existiment nos id propositi institutíque habere, vt in seria magis studia operam nostram conuertamus, si quando

(cum DEO) pax constans otium maius est confirmatura. Quis enim in tantis bellorum tumultibus, animorum ardoribus, & fluctibus, tranquillo pacatóque animo esse possit, cùm vix Rempublicam regnúmque totum respirare posse omnes intelligant, nisi armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis, aut victoria detractis? Si tamen Deus tantum impetum represserit, flammam facésque ipsas ardentes extinxerit, dissidentésque animos composuerit, firmóque necessitudinis vinculo copulauerit, dum Musis sua serenitas & tranquillitas reddita fuerit, optimo freti otio maiora præstantioráque præstituros nos pollicemur. Vale octauo Calend. Nouemb. 1575.

ADMONITIO.



VI libris conſcribundis operam dare ſolent, dum varium hominum iudicium ſubeunt, ſæpe nonnihil de fama detrahi ſentiunt, ſæpe falsò accerſuntur. Et ſic cum variè quoſdam diſtrahi videant, malunt otio & literis abuti cum Græcè Latinéque docti aliquid præclari edere poſſint, quàm nomine periclitando, ingenii ſpecimen efferre. Alij in eo laborant quidem, ſed timidiuſculè, dum opinionum fluctus pertimeſcunt. Aliis plus animi ſupereſſe videmus, ſed cùm præfractiùs audaciúſque aliquid moliuntur, ſupercilium nimis attollunt, & nimio ſui amore capti, dum inani gloriolæ vento feruntur, ridendi ſui occaſionem porrigunt. At placet magis eorum conſilium, qui timidiùs aliquid aggredi ſolent. Qui enim libros ſcribit, ſiue parietum anguſtiis coërcitos, ſiue aliquando prodituros, in eadem eſt ipſe fortuna, in qua is qui ſpectante Roſcio in ſcenam prodierit, ſiquidem non rarò hominum fallit expectationem. Quanquam audendum aliquid, præſertim cum nó mordeantur ſcripta ab iis quibus natura meliorem quandam indolem indulſit. Quis porrò dubitat non eſſe propenſionem ad maledicendum homini ignorantiam & infantiam, quàm paucorum coctam prudentiam? Quid porrò ignaro, cum homine polito & ſapiente? Nec enim licet cum eo iuſto ſacramento contendere. Niſi nos magis mouet

quorundam improbitas & vafrities, qui ambitiosè tristes in alienis æstimandis omnia suspendunt, quò plus aliis sapere videantur. Edant tandem aliquid vt ambitioni suæ faciant satis: nam dum eorum æstimabitur labor, habebunt fortè quo suam tristitiam leniant. Alij minimè boni sunt, qui in alieno opere nimiùm ingeniosi esse solent. Nec mirum, herclè, si vt quisque est indoctissimus & insulsissimus, ita doctissimũ quemq; & politissimũ petit, & traducit. Id verò maiore licentiâ fit, quoniam nulla lex constituta est in eos qui falsò aliis contradicunt: maximè cùm id de instituto fit, vt intelligentiores (sic enim dicam) plebeiis & muliercu-lis esse videantur. At lex sanxit vt qui falsò aliquem ac-cusarit, eadẽ pœna multaretur, qua & reus, si de crimine conuictus esset: cur nõ eodem fine contendere licet cum iis qui aliorum scripta iniquiùs traducunt. Quod si statuta lex esset hominum improborum temeritas sic cohiberetur, & doctis via ad agendum audendúmque securior aperiretur. Lutetiæ Parisiorum Idib. Nouembris 1575.



GVLIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORVM MEDICINALIVM

LIBER SECVNDVS.

HISTORIA PRIMA.



OANNES TASSINVS calidus temperie & ſiccus, veneri indulgens (vt ferebatur) vertigine oppreſſus, linguaque minimè continens repentè concidit. Obmutuit. Paulò antè graui metu perculſus fuerat. Fandi impotens quidem, alloquentibus annuebat. Deſignabat locum dolentem ad dextras lateris dextri partes, quâ ſeptum alluit. Frontem ac tempora contingenti, adurens flammeúſque calor percipiebatur. Paroxyſmo ſolutus intolerabili capitis dolore captum ſe narrabat. Ex interuallis exiliebat,

insultabátque phreniticorum more, non conuellebatur. Deinde obtumescebat, & velut sopore vigilanti occupatus delirióque iacebat. Dein rursum exiliebat. indecorè sese componens, omniáque proiiciens. Ad se rediit multis vltrò, citrò tentatis. Dextrum latus dolere narrabat, & sinistrum antè doluisse. Olim sanguinem ore reiectauerat affatim. Venam secuimus. A secta vena repetit malum: cœpítque statâ periodo reuerti idque noctu. Restitutus tandem de reliquiis doloris in latere & capite querebatur, febre carebat vrinæ non illaudabiles. Nisi sedula custodia impeditus, horrenda fecisset. Spiratio frequens, parua, non magna rara, licet delirus. Aliquando parum elato pectore spirabat frequens & humile, Ilia ducendo Hypochondriacum aliquid congenitum erat. Pulmonicum quid putabant: aut à pure vaporem, aut tuberculum, aut conuulsionem articulorum pulmonis aut adhæsum, sectio, vstio, aut maturatio flagitabatur. Omnia in ancipiti erant. Alij Ephialtem, aut Hypochondriacum suspicabantur. Post magnam purgationem conualuit. Eruperant paulò antè ambustis similes pustulæ? an quia splenicus? vltimæ deiectiones albicabant: An quia abscessus ruptus est? Præter spem salus.

COMMENTARIVS.



ADMIRABILE aliquid atque ſtupendum hæc habuit hiſtoria, quod ferè & inuaſionis modus, & progreſſus, & euentus neſcio quid habuerit communem aliorum morborum ſortem ſuperans. Sanus erat & integrâ fruens valetudine, niſi quod aliquando de latere dextro quereretur, aliquando de Hypochondrio ſiniſtro. At id quod in vtráque parte ſentiebatur, non credebatur tanti eſſe, vt propterea medicorum aduocato conſilio, eius ratio & cura haberetur. In progreſſu & euentu non minimùm quoque admirationis fuit. Hærebamus in eo vt cauſa quæreretur huius mali, nec tantùm hoc, ſed cur certa ſtatáque periodo rediret. Quanquã non dubitamus nil in natura fieri, ſiue ad valetudinem, ſiue ad morbũ, ſiue ad cibum & potũ ſiue ad humores, ſiue ad actiones muniáque naturæ pertineat, ſine periodo & certa circuitione. Immò dum loquitur Hipp. de oculorum firmitate, quæ cùm adeſt, longioris vitæ nota eſt, ſin minùs, breuioris, vult impari anno hominẽ mori, ſi impari anno oculorũ vis pereat. Et in eodẽ loco idem Hipp. Dierum imparitatem in magnis temporis & ætatis puerorum mutationibus obſeruat. Euentus verò valdè fefellit, quòd mortis potiùs quã vllius melioris fati ſpes foret aliqua. Quod tam repentè inſolens hoc malum inuaſerit, id primus obſeruat Hippo. qui generaliter de omnibus morbis pronuncians ita ſcribit, οὐκ εὐθέως αἱ νοῦσοι τοῖσιν ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμενα, ἀθρόως ἐκφαίνονται, non derepente morbi hominibus accedũt, ſed quæ ſenſim collecta ſunt, affatim magnóque inſultu ſeſe produnt ac proferunt. Nec enim tam ſubita eſt ad opprimendum generatio, quàm ipſius adorſio & inſultus. Sed cùm corpus iam ſemen morbi in ſe conceptum fouet & alit, minima etiam occaſione detegitur ac eluceſcit. Quod omnium apertiſſimè Galenus explicat his verbis, in comment. in quartum τῶν ὀξέων: *Corpore noſtro ad morboſam diſpoſitionem parato, ita vt propè completa iam ſit, quippiam obueniens eam manifeſtat. Nam vel febrem accendit, vel catarrhum proritat, vel capitis dolorem excitat. Deinde ex eo continenter ad morboſæ diſpoſitionis affectionem & præparationem non ſine periculo lan-*

Dolores fugaces nõ ſunt negligendi.

Periodus in omnibus rebus.

Impari anno mors.

Quomodo oculorum firmitas diuturnioris vitæ ſit ſignum.

Par. II. lib. 4. acutorũ.

guent. Pluráque eo loci ea de re conscripta sunt, quibus demonstratur quanta sit vis causarum προκαταρκτικῶν, in morbis excitandis, non generandis. Aliud enim est παροξύνεσθαι, aliud γεννᾶν. Causa externa morbum quidem, aut dispositionem aliquam sui generis excitat, vt insolatio dolorem capitis à simplici intemperie, sed propriè dictos morbos non generat, sed ad excitandum, irritandúmque aliquid confert. Quod à me in libro consiliorum pluribus dictum est ad euertendam eorum opinionem, qui causas procatarcticas in morborum diagnosi pro nihilo ducendas putant.

Externa causa vt morbum generet.

Duo hoc loco disputare non erit præter rem, priùs cum tantus calor fuerit in capite quomodo non febricitarit? Et an tantus morbus sine febre esse potuerit, accedit & illud, quod ista additio in ægris, *sine febre erat*, ἀπύρετος ἦν, vel ἀπύρως, non temerè ab Hippocrate ad rerum distinctionem vsurpatur.

Calor summus in capite an sine febre.

Non potuisse esse sine febre ex eo contendere posset quis primùm quòd omnis penè morbus febris sit, quòd nullus sine febre sit, quod nullus sine febre moriatur. Sed hæc ἀδιορίστως non sunt audienda [1]. Omnis morbus febris dicitur, quod nullus ferè sit æquè communis ac febris, & qui faciliùs occurrat, & quòd ferè omni morbo comitatum præbeat. Quod Hippoc. distinctè pronuntiat, *Communissimus morbus febrilis est, siue febris ipsa, & omnium morborum comes est, præsertim tamen ex inflammatione, & tensione abscessuum:* quod non abs re adiectum est, vt excludantur morbi aliquot frigidissimi quorum febres comites non sunt. Id plenius Gal. explicauit his verbis: *Omnino in acutis morbis febres sunt continuæ: Rari enim sunt ex ipsis quibus febres non adsunt continuæ vt apoplexia*, & in septimo Aphor. lib. I. *febres continuæ sunt inseparabiles à morbis acutis:* quod bifariam audiendum, vel quòd nullus sit morbus acutus, cui non annexa sit febris, vel quòd quæ febres continuæ morbis acutis annectuntur, hæ simul & incipiunt, & desinunt cum morbo acuto. Et id est ἀχωρίστως ἔχειν. Non placet prior explicatio, posterior probabilis est [2]. Cum nemo dicitur sine febre mori, id de febre marasmode audiendum est. Sed ad hæc omnia illud adiici potest, quod latissimè patet. Ex morbis quidam sunt febres ipsæ, quidam febres comites habent, atque eæ comites febres aliquando nil habent ἀξιόλογον, vt dicatur æger febrire nec ne, nil intersit: aliquando sunt magni momenti. Aliàs mites sunt admodum, aut saltem tales apparent, cum in recessu perniciem

Quibus in morbis sit febris.

Quid sit febrem à morbo acuto non separari.

moliantur[3], vt febres hæ quæ partis alicuius principis διαφθορὰν sequuntur, ægri enim sine sensu, & nil tale cogitantibus medicis moriuntur. Et hoc bonorum omnium autor Hippo. obseruat qui dum loquitur de febre quæ vitium in vtero & perniciem iam perfectam consequitur, ait πῦς, esse βληχρὸν, id est febrem esse mitem & mansuetam, vt videtur. Et hac nostra memoria à corruptione vteri obseruatum est primates mulieres interiisse, febre latente & blandè ægras tractante, quod expectationem spémque medicorum non sine infamiæ nota & ignorantiæ suspicione decepit. Pręter istas differentias febris nunquam à quoquam obseruatas, est & aliquid peculiare in febribus obseruandum. Aliquando enim vis ipsius febris in partem aliquam sæuit, vt æger tantùm vel se capite dolere dicat, vel renes, vel aliquam affici aliam partem, vt febris aliquo modo κεφαλικὴ dicatur. De quo pleniùs in alia historia dicturos pollicemur[4]. Quod euenire puto, vel cùm peculiaris in parte aliqua infirmitas est & vitium, vel cum febris ipsius subiectum est potiùs teter quidam vapor, qui prout, vel in illas parteis, vel in illas repit, ita quoque sui notas & signa exhibet[5]. Quod & exemplis illustrandum est, & auctoritate, quoniam ad id quod hoc loco tractatur, maximè pertinet. Audiuimus obseruatum esse ab Hippocrate in Coacis (quoniam nondum locum legisse contigit) rigores aut horrores inanes in febrium paroxysmis translationem in caput afferre symptomaticam[6], id est, dum effertur vapor febrilis à foco, aut tenuis ichor qui naturam perturbans, & calorem afficiens, eundem foris intrò reuocat, vnde aut rigor, aut frigus insequitur periodicum. Quod si hoc frustra fiat, & potiùs rectà caput vapor appetat, ac si constituatur firmetúrque sedes in capite, dolor oboritur sæuissimus, & adurentis in toto capite coloris sensus excitatur: in cæteris partibus nil simile percipitur. Et vulgus se febrem in capite habere narrat. Item in passim vagantibus febribus periodicis, cum semen morbi extinctum videretur, certis quibusdam diebus[7], ac si nouus paroxysmus suscitandus foret, calor aut in capite summus, aut in alia parte, & dolor excitatur: quod fit aut ob paucitatem materiæ, aut quia ea nondum satis apta est ad putrendum & motum. Denique in febrium ineuntibus paroxysmis præter consuetudinem quædam symptomata apparent, aut ingens capitis solius dolor, aut brachij, aut cruris, aut velut incubus,

1. de morbis mulierum.

Hoc apertissimè vult Gal. comm. in part. 18. lib. 1. Prorrh.

aut suffocatio, nonnullis quædam contractiunculæ conuulsionibus similes non autem manifestus quidam calor apparet in in toto corpore, à quo febris suam essentiã nanciscitur [a]. Quod fit, meo iudicio, propter aliquam separationem & secretionem materiei, quæ non per venas, sed per arterias aut neruos, aut inanes quosdam meandros irrepens insolentia quædam symptomata procreat ac progignit. Quod & confirmant ea quæ scripsit Gal. dum rationem reddit cur in principiis febrium aliquando delirent ægri, aut strangulentur, aut suffocẽtur, aut terrificum aliquid patiantur, aut etiam sæpè moriantur. Et Hipp. de iis scripsit, in principiis febrium siue delirium accesserit, siue alicuius membri sideratio, periturum hominem sciendum est, si non optimum aliquod signum apparuerit [b]. Ex quibus omnibus apparet contingere sæpè vt moueatur materia tum suo ipsius nutu atque sponte, vtpotè animata & excitata suo spiritu & ichore (nullus enim humor sine aut flatu aut ichore citò impellitur) tum naturæ vi pellente, & tum in partem aliquam vis atque impetus iste & impressio redundat [c]. Quod huic ægro nostro contigisse certum est. Vnde quæri posset, an satiùs sit in vnam tantum partem vim istius tempestatis febrilis redundasse, an in totum corpus. Nam si in totum corpus malum æquabiliter repat, plures & partes & facultates lęduntur. Contra meliùs esset diffundi hoc totum virus, & in multas corporis partes dissipari, quam ita confertim & gregatim in vnam principem partem insultasse atque impetu ruisse. Finem facturus, commemorabilem locum, & ad rem maximè pertinentem adducam, vt appareat, quomodo humor in corpore diu stabulatus & suppressus, visus sit tandem, quâ data porta, irruisse in partem aliquam, & grauissimè illam labefecisse. Hippocratis hęc verba sunt. Quibus lumborum tenues & diuturni dolores, & ad Hypochondrium reducti reuocatique, & ciborum auersio cum febre, dolor is valens intentúsque ad caput perueniens citò cum quadam conuulsione interimt. Id est, sæpè circum Hypochondria latet humor, qui diuturnitate malitiâ acquisitâ dum sęuit, furit ac virus exerit, dum caput appetit horrenda symptomata inuehit, fusiorem explanationem adduximus in nostris Consiliis, & in libro Definitionum nostrarum. Tertiam partem ex tribus propositis, nimirum cur Hippo. sæpè addat, ἀπύρως ἀπυρέτῳ ἐόντι, aut ἄνευ πυρετοῦ, paulò post explicabimus, vt rerum vitetur confusio.

[a] De crisibus c. 9. lib. 3.

[c] Flatus & ichor animant morbos.

Part. 8. lib. 3. Prorrh.

Calidus siccus.

TEXTVS.

Hoc additur ad explicationem eorum quæ postea dicentur. Nam paulò post dicitur linguæ incontinens factus fuisse, quod affectionis melancholicæ index est ex Gal. vt postea apparebit: Item cum ex inspectione faciei, capilli, oculorum & habitus, aliquid fouere Hypochondriacum suspicio fuit. Et non abs re. Nam euentus docuit latitasse nescio quid iam diu in vtróque Hypochondrio præsertim in sinistro, quod tam diri morbi occasio ac parens fuerit. Cæterùm duo melancholicorũ genera, reperio vnũ per se, alterum per accidens. Per se quidem vt qui calido & sicco sunt temperamento, hirsuti & squallidi sunt, præsertim si angustiores venas habent. Nam ex gracilibus quidam sunt ἀπόφλεβοι, vt 6. Epid. alij sunt λεπτόφλεβοι. Quibus angustia vasorum est, iis maior est in Hypochondriacam affectionem propensio [10]. Per accidens verò vt sanguinei temperamento. Nam dum corpus δυσδιαφόρητον redditur, aut aliqua alia causa inciderit facilè massam sanguinis alterans, facilè sanguis denigrescit. Et in eiusmodi sanguineis est quædam εὐχροια, sed est cum toruitate quadam & mœsto vultu. Quod Hippoc. animaduertit paucis verbis explicans posterius genus melancholicorum: & amplissimè Galenus in Commentario explicat & alio in loco. Et prout est dispositio & inclinatio ad melancholicum temperamentum, ita & ad τὸ ὑποχονδριακόν. Vide plura initio Tomi primi Consiliorum.

Part. 17. lib. 2. Prorrh. & 2. Epid.

Veneri indulgens. [11]

Hæc causa esse potest fortè cur cerebrum infirmius redditum sit, & ideò ad vim morbi excipiendam opportunius. Nam vt Hipp. docet, *Semen robustißimum est quid, quoniam à veneris vsu etiam minima re excreta, imbecilles efficimur.* Venus digerit, desiccat & dissipat: non tam quia (vt ait Gal.) corpus virosum excernitur, quam quia multi coeffunduntur spiritus, & ipsa voluptas per se etiam resoluit. Hippo. verò vsum veneris calfacere, nedum refrigerare ait, non solum propter motum ipsum qui calfacit, sed ob frigiditatis excretionem. *Coitus*, ait, *humectat, calfacit* [12]. *Calfacit ob laborem & frigiditatis excretionem: Attenuat ob euacuationem: humectat ob colliquationis reliquias in corpore*

Hipp. 2. de Diæta.

factas. Sed cur semen ipsum excretum frigiditatem vocat? Bifariam hoc debet intelligi, vel quia semen cum sit quid desectum è parte spermatica, quæ natura frigida est, frigidum sit ex se, calidum ob spirituum perfusionem. Item omne aqueum ratione sui frigidum est[11], Quomodo sanguis natura frigidus ab eodem Hippocrate statuitur. Vel excerni frigiditas dicetur, quoniam diffunditur per coitum pituita & serosum pituitosúmque excrementum, cuius excretio iuuat. Quomodo Hippo. voluit veneris vsum frigidis, & à pituita natis morbis conducere. Quod Aristoteles ampliùs explicauit.

Aristoteles 1. Problematon. Par. 42. lib. 4. acuto.

Vertigine oppressus, linguaque minimè continens concidit.

Ob inordinatum spirituum motum vertigines fieri, ac præsertim animalium illud iam testatum est. Et non mirum si elati infernè vapores præsertim maligni dum percellũt spiritus animales & perturbant, vertiginem inducunt. In iis enim potiùs spectatur qualitas cerebrò infensa quam quantitas. Alioqui à cibo dum blandus somnus nos capit vertiginosi redderemur. Eam vertiginem quæ ęgrum nostrum pręhẽdit, calorem capitis summũ & arteriarum pulsum Hippo. quasi hanc historiam describens, & Galenus in Commento ad viuum expressit: *Quibus in febribus vertigines à principio & capitis pulsus sunt, his ad iudicationem vsque febris accessio fit, si delirent, nil mirum. Gal. in com. ait contingere, vt ab initio febres moderatæ sint, sed symptomata caput infestent, ob exustionem, vel exhalationem humorum in ventriculi corpore contentorum.* Et paulò antè, *cum caput circum agi videtur* δῖνος, *cum tenebricosum quid obuersatur,* σκοτόδινος *appellatur. Fit ob inordinatam spiritus flatuosi motionem, qui vel localem in cerebro generationem habet, vel sursum ex infernis fertur partibus. Et quod notandum est, scribit omnes has tenebricosas dispositiones medium quoddam tenere inter id quod periculo vacat, & perniciosum.* Nam cum natura, siue caliditas natiua conatur humores fundere ac dissoluere, in hoc vis eius quidem apparet, quia si extremè languida foret, quod ἀῤῥωστεῖν vocat Hippo. ne aggrederetur quidem, sed quia omnino extenuare ipsos vapores, & per insensiles meatus excernere non potest, in hoc languere dicitur ad aliquid, non omnino. Sic languor iste non est periculosus facta comparatione ad

Part. 23. sect. 5. lib. 6. Epid.

τὴν ἀῤῥωστίαν. Et in eo ſenſu ſudor dicitur ſignum eſſe & naturæ validæ & imbecillæ. Validæ quidem, quia conatus iſte & vis in excernendo robur aliquod deſignat: imbecillæ autem, quia ſi naturalis calor omnino validus eſſet, non in ſudorem, ſed in quid tenuius & fuliginem reliquias iſtas conuerteret ac comminueret. Quod non intellexit Diocles. Atque inter ea quæ ex Commentario prædicto excerpi poſſunt notare maximè oportet initio febrium, ſiue febris manifeſta ſit, ſiue principium tantùm ſit febris, ſiue conatus tantùm naturæ, cum alioqui omnia mitia ſint ſatis, caput aliquando inuadi ſolere à vapore maligno qui caput percellens & replens, & velut localem in cerebro febrem pariens pulſum in temporibus, & capite afferat, vertigines & deliria, ob cerebri quandam alterationem, id eſt, præſertim ſi cerebrum imbecillius naturâ ſit, & eò inclinet humor.

Linguæ incontinens.

Apud Hippocratem reperio, τῆς γλώσσης ἀκράτειαν, & τῶν χειλῶν ἀκράτειαν. In Aphoriſmis, Si lingua derepentè incontinens fuerit, aut pars aliqua elangueat, id melancholicum eſt. In Epid. οἱ παφλάζοντες χειλῶν μὴ ἐγκρατέες ἐόντες. Qui lingua offendunt, verba repetentes ſubindè, & labiis moderari nequeunt. Malè enim pro χειλῶν, legunt χειρῶν. Niſi fortè tolerabilis dicatur lectio vt conſonet cum illa particula ſuperioris Aphoriſmi, Si pars aliqua velut attonita elangueat, quod τῶν χειρῶν ἀκράτεια, apoplecticum aliquid habeat. Tamen nullo modo probatur poſterior lectio. Porrò lingua ἀκρατὴς, dicitur quæ ita infirma eſt vt non integrè vocem dearticulet, vel quæ immota ſit ac velut exoluta. Sed quid hoc ſignificat? Melancholicam affectionem. Galenus hoc probare non poteſt. τὸ μελαγχολικὸν, non humorem melancholicum, aut atrabilarium ſignificat, ſed affectum melancholicum à tali humore natum. Vnde cum dixit, verè τὰ μελαγχολικὰ, id eſt, affectus melancholici à Dominatu atræ bilis. Sed paulò altiùs aſcendamus. Loci ſunt apud Hippocratem ex quibus fortè demonſtrationem horum eruemus. In 2. Epid. blæſi, calui, lingua hæſitantes morbos valdè melancholicos patiuntur, & hirſuti quoque, τὰ νοσήματα ἰσχυρῶς μελαγχολικά. Et alio loco blęſi & qui celeri lingua ſunt, melancholici ſunt. Sed in

Aphô. 40. lib. 7.

Sectio 5. lib. 2. Epid.

3. Aphoriſm.

ſect. 5.

hoc differunt omnes loci isti adducti quod cum dicit in Aphorismis, Si lingua repentè incontinens fiat, de morbosa affectione sermo est. Cum verò dicit hirsutos, caluos, & blæsos melancholicis morbis obnoxios, de sanis sermo est. Nunc ad rem reuersi videamus an incontinentia linguæ, & si cui pars statim elangueat, melancholicæ affectionis signum sit. Metum & mœstitiam melancholicum quid esse asseuerat Gal. item Elephantum & cancros, at non potest sibi persuadere humoris melancholici effectus esse, linguæ incontinentiam, & ἀποπληκτικόν quid. Tamen quid Galenus responderet Hippo. in libris de morbis (quos Galenus Hippocrati adscribit) vbi Hippo. aphoniam subitam, & incontinentiam linguę, membrorúmque impotentiam atræ bili ascribit? Verba sunt hæc, repentè dolor caput occupat, & vox deficit. Intra dies septem perit, nisi febris superuenerit. Si adfuerit, euadit. Hæc patitur cum atra bilis, Græcè μέλαινα χολή, In capite commota fuerit, maximè verò qua parte multæ venæ fuerint, vt in collo & pectore. Hîc vides à melãcholico humore hæc symptomata nasci quod Galenus nõ vult. Ac primùm credo atrabilariũ humorem verè mœrorem & mœstitiam, & pauores parere, & deliria melancholica, at succus melancholicus apoplexias, siderationes, attonitũ morbum, quassus, & resolutiones membrorum afferre potest. Itaq; in illo loco lib. 2. de morbis, μέλαινα χολή, malè vertitur, atra bilis, potiùs succus melancholicus verti debet. Sic conciliare locos autorum oportet. Quod placet Galeno in comm. Apho. qui fatetur quidem succum melancholicum apoplexias, & consimiles affectus parere posse, quatenus ratione crassitiei communicat cum pituita, non autem quatenus ad atram bilem vergit. Id est, in succo melancholico vel qualitas, vel substantia spectatur, si substantia, paralysis, impotentia, obstructio inde gigni potest, si qualitas, vt quæ ob empyreuma, & assationem acquiritur, ea atrabilarium quid habet potius. Et ex historia de Pythione apparet, humoris quantitatem comatosas potiùs affectiones & oppressionem afferre, qualitatem verò deliria. Quod valdè notandum est. Et id duobus ex locis Galeni apparebit. Prior est in 4. Aphorismorum, si multitudo humorum magis ad atrę bilis naturam vergat, pauores fiunt & timores, sin minus, id est, si resipiat naturã pituitæ aut alius humoris, labores & conuulsiones oboriuntur. Aliùs locus est quo docet mor-

Lib. 2. de morbis non longè ab initio.

Aph. 40. lib. 7.

Hist. 1. lib. 3. Epid.

Aph. 67. lib. 4.

Aph. 55. lib. 6.

bos hyemales potius ob materię quantitatem fieri, autumnales ob qualitatem. Iſta porrò eſt qualitas quæ atrabilarios affectus parit, quantitas verò, ſiue ſit humoris pituitoſi verè dicti, ſiue melancholici affinitate pituitoſum attingentis, oppreſſiones & obſtructiones parit potiùs. Accedit & ad hos locos illud Hippoc. ſuprà adductum, cùm ait & blæſos, & hirſutos melancholicis morbis implicari illud quod dicitur, multùm habet energiæ, & fortè nunquam obſeruatum. Nomine blęſorum intelligit morbos melancholicos impropriè dictos, qui à pituita verè naſcuntur, quæ ob ſimilitudinem tantùm quandam ſuccus melancholicus dicitur, nomine hirſutorum quos δασεῖς vocat, eos intelligit qui propriè melancholico ſucco abundant. Et blęſi, reſolutiones patiuntur attonitóſque morbos, hirſuti, atrabilarios, qui à qualitate potiùs quàm à quantitate naſcuntur. Docuimus enim paulò ante hirſutos propriè melancholicos effici. Vnum adiiciam (quod ſcio ridiculum fore quibuſdam, tamen habet aliquid acutum) cum quis derepente linguæ incontinens fit & mutus, μελαγχολικόν: id eſt, vulgus putat à perturbatione animi & mœrore, per contractionem viſcerum & animi anguſtias id eſſe. Eſt enim politicus loquendi modus: & qui à graui animi pathemate in morbum incidunt, ij ſępè obmuteſcunt in acceſſionibus.

Sectione 5. lib. 2. Epid.

Quando aqua plenum eſt cerebrum.

Obmutuit.

Aliud eſt obmuteſcere ægrum, aliud voce defici atque deſtitui. Hoc enim maius eſt. Et vtrúmque quidam confundunt, & malè quidem. Erroris fortè occaſio fuit, quòd aliquando apud Hippo. φωνὴ καὶ αὐδὴ, idem ſint: vt cum in Epid. ſcribit, φωνῆς λυομένης πάντα λύεται. Nomen φωνῆς ἀντὶ τῆς αὐδῆς ſumitur. Pueri enim non ſunt ἄφωνοι, ſed ἄναυδοι: quia vocem articulare nequeunt, vt potè voci ſeruientibus vinculis nondum expeditis. Et muti ἄλαλοι dicuntur, non quod ſonum edant & vocem, ſed quia articulare nequeunt. Cæterùm vera & germana diſtinctio inter ἄναυδον καὶ ἄφωνον, petenda ex hiſtoria de Pythione, non ea quæ prima eſt in tertio Epid. vbi grauiùs multò eſſe apparet ἄφωνον eſſe quàm ἄναυδον, cũ vocis priuatio, ſub qua & ſibilus, & fletus, & riſus continetur, quid ſit deterius quàm orationis & ſermonis quem αὐδὴν Græci vocant. Et ex Homero citat Achillis equum humana voce loquutum quem αὐδήεντα ἵππον vocat, non

Hiſto. 3. ſect. 3. lib. 3. Epid.

erat autem ἄφωνος, ſed ἄναυδος. Extremæ enim aut imbecillitatis, aut oppreſſionis cerebri, aut extinctionis caloris naturalis ἀφονία eſt argumentum. Itaque & ſyncopas cardiacas, & apoplexias, & caros & catalepſeis τῆς ἀφωνίας, nomine & ambitu concludit, quòd à communi tanquam ſymptomate, nempe vocis ademptione (id enim vox hæc ſonat) κατ᾽ ἐξοχὴν intelligit, aut offenſionem, aut abolitionem omnium actionum voluntatis noſtræ arbitrio ſuſceptarum, & ex aphonis quidam ſentiunt, alij non. Cùm vnà cum motu ſenſus aboletur, tunc propriè aphonia dicitur, & eo modo tum ἀπόπληκτοι, tum καρούμενοι ἄφωνοι dicuntur. Quod in Prorrhetico abundè docet Galenus his verbis: *Qui in morbis acutis ἄφωνοι fiunt quidam horum non ſentiunt ob principij affectionem, vtriſque ipſos ſequentibus ſymptomatis, alij dumtaxat voce priuantur, atque horum quidam læſis etiam omnibus quæ ex voluntate pendent actionibus, alij ſola voce oblæſa. Si igitur tum vocis, tum aliarum functionum oblæſio eſt, principij neruorum affectio eſt, ſi ſolius vocis, ſolorum voci ſeruientium organorum.* At in acutis morbis ἀφωνία deterius quid eſt, quam ſi quis derepente voce deficiatur. In acutis enim extremæ imbecillitatis, & extinctionis caloris ſignum eſt, in ſanis aut longis morbis oppreſſionem ſignificat. Nam ſi febris ſuccedat, ſæpè talis aphoniæ occaſio tollitur, vt paſſim Hippocrates annotauit. Cæterùm ne rerum confuſio ſequatur ex verbis, placet eorum interpretatio qui ἀναύδους, mutos vocant, vt pote ſermonem proferre nequeuntes, ἀφώνους, non mutos, ſed voce priuatos, & defectos, vt nil planè obaudiatur, nec articulatum, nec alio modo ſonans.

Comm. ad particulam 23. li. 4 acutorũ

Com. ad Aph 51. lib. 6.

Com. in part. 17. lib. 1 Prorrh.

2. de morb. 4 Aphor. & 6. & 5.

Graui metu percülſus fuerat.

Metus grauis præſertim magnas habet vires ad habitum corporis immutandum, & totã naturæ œconomiam euertendam aut diſſipandam. Immò nos fatemur vidiſſe quendam cui metus mortis à graſſatoribus incuſſus fuerat, qui inde in febrem continuam incidit, cum alui & omniũ penè partium corporis magna perturbatione: ſed inter cætera magna in ſyſtole & diaſtole pulſus erat inæqualitas, immò terna quáque pulſatione aliquid erat inſolens & anomalon, qualiter in moribundis ſolet euenire. Et niſi de illa externa occaſione conſtitiſſet, certa potiùs mortis opinio erat, quam vlla ſalutis ſpes. Itáque ex

ternæ occasiones, quas passim Hippo. προφάσεις vocat, & φανερὰς προφάσεις καὶ αἰτία φανερά, valdè sunt considerandæ, præsertim cùm quid inopinatò accedit: vt constet an intrinsecus lateat causa, an forinsecus aduentarit. Nec abs re meminimus de metu incusso huic ægro nostro, cum, paulò antè quàm decumberet, in manus quorundam gladiatorum fortè incidisset. Nam cùm illi, vxori, cui comes aderat, vim afferre conarentur, putauit vel vxoris pudicitiam certo subeundo periculo tegendam, vel desperatione abiicienda esse arma. In quo perplexo negotio non potuit non magna animi iuxtà ac corporis concussio perturbatióque euenire. Sed si eo die ἄφωνος cecidisset, ad fortunatum istum casum causa referri poterat, at tribus aut quatuor post diebus morbus contigit: Iuuare tamen potuit plurimùm ad tam infœlicis morbi generationem. Locus est insignis apud Hippo. quo facilè apparet aphonias eiusmodi occasione inuehi posse. Et idem locus ad disputationem & examen περὶ ἀφωνίας, conferet plurimùm, Verba sunt, Quod quis repentè ἄφωνος, fiat id faciunt venarum ἀπολήψεις, si sano absque occasione, vel forti alia causa contigerit. Tria in com. ex hac sententia venari possumus: Primum quod sententia Galeni communi ἀφωνίας nomine contineri possunt Epilep. Apoplex. & syncopæ cardiacæ. Secundum vocat fortem aliquam occasionem aphoniæque causam, vel timorem, vel maximùm animi mœrorem. Tertium de causis aphoniæ in genere. Aphonia, ait, fit vel læsis duntaxat iis quæ voci formandæ seruiunt instrumentis, vel iis quæ respirationi natura attribuit. Vel ob recentem exolutionem & afflictionem virtutis. Venarum interceptio & oppressio maximè causa est præsertim in sanis.

Causarum externarum consideratio.

Part. 23. lib 4. acuto.

Designabat.

Obstupefactus erat, & eo modo pressus impeditúsque maligno vapore infernè elato, vt tametsi fandi impotens esset, tamen doloris locum designaret. Aliquid enim erat quod sensus ligabat, & cerebrum afficiebat tanquam partem organicam, nō autem vt similarem: in quo cerebro vt similari parte residet mens, & ratiocinandi libertas, vis & energia consistit[15]. Quid enim vult illud Hippo. cum ait nobis dormientibus actiones animi liberiores esse & perfectiores, quàm vigilantibus, quòd

testantur præclari & illustres discursus τῆς διανοίας, cum obstupefactis sensibus, & præeunte moderato victu cultúque, animo veracia insomnia obiiciuntur ac occurrunt? In cerebro vis duplex spectatur, vna animalis quæ ipsa morbo, vino, obstructione aut aliqua alia ratione impeditur, aut oblæditur, aut aboletur, alia ratiocinans, quæ ipsa per cerebrum fusa quidem esse dicitur, & quæ in morbo impeditis etiamnum erecta ac expedita sæpè apparet. Cùm enim Hippo. scribit Epilepticos eosdem & melancholicos fieri prout τὸ ἀῤῥώστημα, id est, causa morbi, vel in τὸ σῶμα, vel διάνοιαν[16]: in cerebri corpus, vel in mentem, id est, Galeno interprete, in temperamentum ipsius cerebri inclinauerit, nil aliud significat quàm aliter atque aliter lædi cerebrum, vt quædam actiones obstupescant, aut imminuantur, aut omnino obliterentur, aliis incolumibus. Admirabilis enim successus & morborum mutatio in alios. Vnde Hipp. annotat Epilepticos maniacos factos esse, & sic Epilepsia esse liberatos: Item maniam, summa mentis alienatione, & exitu è potestate ipsius mentis cessauisse, quòd ἐκστῆναι vocant. Præterea obseruati sunt quidam ægri qui delirarent, non meminissent, in summa potus necessitate se non sitire pronuntiarent, vnguibus in alios inuolarent, quod phreniticorum est, & tamen si quid de Deo rebúsque diuinis audirent, præclarè philosopharentur, in cæteris delirarent, quid hoc est, nisi quod aliàs vt animalis pars cerebrum laborat, aliàs vis ratiocinandi (quæ in eo est quid ἡγεμονικὸν) erecta atque sana existit καθ' ἧττον ἢ μᾶλλον; ne quis nos in verbo repræhendat? De his pluribus diceremus nisi rem istam in opusculis nostris ampliùs tractauissemus. Æger noster ita erat affectus, nam indecorè corpus componebat, sui dissimilis erat, insiliebat, iactabatur, inuitis omnibus euadere volebat, quasi premeretur & vrgeretur re aliqua quam natura excutere voluit, ideo violentos istos motus delirans suscipiebat, & tamen locum designabat, cauebátque ne sibi vena aperiretur, quod id sibi periculosum fore antè dixisset.

Sect. 8. lib. 6. Epid.

Sectio 5. lib. 2. Epid.

Apho. 5. lib. 6.

Flammeus adurénsque calor in fronte.

4. libro Apho.

Vbi calor, ibi morbus, vbi frigus, ibi morbus, quod præsertim de locali affectione audiendum. Nam cùm inflammatio interna est, quæ reuocato ad se calore reddit extima frigida, mor-

bus tamen in extimis algentibus esse non dicitur. Et quod nunc adiicitur de adurentis caloris perceptione, id declarat mali originem, aut potius sedem, nam origo à partibus imis erat, vt postea docebitur. Paulò antè autem demonstrauimus febrem quodammodo peculiarem esse in capite, facta ad illud translatione symptomatica: vnde ob venenatæ auræ appulsum quę sacram cerebri sedem tetigit & perculit, alienus calor statim conceptus est. Quicquid enim in partem irruit, aliquid alienum excitans, illud refert ac resipit naturam causæ. Sæpè verò in arte nostra statutum est, humores diu suppressos & morâ, & si iam à prima generatione mali erant, eò sæpè malignitatis & virulentiæ procedere, vt venenum adæquent. Cæterùm in capite summi caloris sensus erat, vt propterea vaporem calidũ fuisse excitatum probabile fuerit, reliquum corpus calore quidem erat perfusum, sed eo mediocri. Reperio autem in plenitudine & cacochymia cùm corpus, vel attonitum, vel Epilepticum, & simili affectu, vt vertigine tentatur, aliàs frigidius reddi, veluti interceptis à plenitudine viis, & liberè aditu egressúque spiritibus denegato, vt ij figi staréque videantur. Aliquando corpus non refrigeratur, sed aliàs suo moderato calore perfunditur, aliàs minùs calescit quàm antè, aliàs febrili calore incalescit, sed maximè in parte aliqua præsertim, vel quia infirmitas est quæ propensionem ad excipiendum attulit, vel quia inclinat humor eò quodam motu temerario & fortuito, vt cùm in vapore & exhalatione effera (quæ partes potiùs superiores appetit) res tota consistit. Quot enim sunt qui quocunque febris genere teneantur, caput nullo modo doleant, aliis, cùm primùm sese vel diaria febris offert, dolor penè incredibilis caput obsidet? Sic aliis aliæ partes citiùs tardiùs, promptiùs vel minùs promptè læduntur & impetuntur. Nunc audiamus quid de his senserint Hipp. & Galenus: *Cum vitiosis succis corpus refertum fuerit*, ait Galenus, *bilis atræ cæterorúmque acrium humorum influxiones exoriuntur, ob quas dolet æger magis, mordentur interna, & morsæ grauantur ab his humoribus quæ in partibus sunt, venæ. Et id causa contraria redditur rei alterius. Nam repleta ab his fluxibus quæ afficitur particula, corrumpitur primùm sanguis ipse, vasa implentur, & id vias spirituum obstruit. Ideò naturales meatus nequeunt transire* (ait Hipp. in textu) *& propriè* ἀπόληψις φλεβῶν *dicitur* σκοτώσιες. *Cùm sanguis steterit, & cũ ob spiritus refrigerationes fiunt, vertigines,*

Comm. ad part. 17. li. 2. Prorrh. & in historia de Phrenitico lib. 3. Epidemiorum.

Locus hic præclarus.

aphoniæ, capitis grauitates, conuulsiones, quibus succedunt paraplexiæ (id est partis resolutiones, cum indissolubiliter materia parti impacta fuerit) Epilepsiæ, cum fluxus desederint in locos venas oppletas continentes. Loci sunt cor, hepar, vena caua. Sic cum ista est repletio venarum, spiritus non penetrant, sed sanguis concrescit ac coalescit. Interdū toto corpore conuulsiones fiunt, eæque aliquando salubres sunt & commodæ. Nempè totum corpus quatientes vniuersas partes adeo calfaciunt, vt multitudo partim per cutim digeratur, partim ad aliquam non principem partem pellatur, & tunc paraplexia aliquando contingit. Ex hoc loco apparet quomodo & vertigines, & apoplex. & epilep. & apho. & conuulsiones & capitis dolores ob venarum interceptiones, & locorum (id est partium præcipuarum in quibus aut stabulantur, aut generantur spiritus aut ad quas & importantur & exportantur). Et illud est quod vulgò dicitur morbos istos fieri aut animali spirituū descensu prohibito, & tunc cerebrum per se & primò afficitur, aut vitali aditu intercluso, & per consensum fit affectus. Sed est alius locus in quo Hippocrates meminit quidem cuiusdam liquationis, sed potiùs est diffusio, Græcis διάχυσις, non autem liquatio est, quanquam vtitur voce ἀποτήξεως, cum ait Epilepsiam fieri per [illegible], sed ἀντὶ τῆς διαχύσεως sumitur. Cùm autem ista diffusio fit, & epilepsiæ, & vertigines fiunt & consimiles affectus, sed non coalescit & restagnat sanguis sistitúrque, nec venarum propriè fit ἀπόληψις & maximè in locis, (id est præcipuis partibus corporis, ita enim τῶν τόπων, nomen κατ᾽ ἐξοχὴν sumitur) ideò non refrigerationes contingunt, immò corpus apparet floridius & turgidulum magis. Quę notanda sunt ad prudenter medendum. Nam in apoplexiis & aphoniis aliàs video Hippo. mittere sanguinem statim sine pręmeditatione & præparatione aliqua, aliàs video desiderare προπαρασκευὴν, quandam antequā in iisdem morbis dematur sanguis. Loci illi leguntur apud Hippocratem & Galenum in Aphorismis. Verba eius sunt: *Cum pituita ad carnes conuertitur, & homo ab hac crassus esse videtur. Nam carnes cum irrigatæ fuerint, & eleuatæ & rarefactæ, sanguinem ex venis trahunt, sic benè colorati esse videntur.* Sic ne quis decipiatur rubor & εὔχροια, non ob pituitam fit, sed vi diffusionis & eliquationis. Vnde Catarrhosos à quibus manat à capite sub biliosus ichor benè coloratos videmus, & bonitas suauitásque coloris est, vt vulgus putat, medicus autem ista bona suspecta habet, & morbi prenuntia putat.

Hipp. 2. de morbis.

Hipp. lib. de sacro morbo.

Initio lib. 2. de morbis.

Notas autem aſſignat aliquas quibus colligas in malis ponendam eſſe iſtam coloris bonitatem, & potiùs à cauſa morbifica pendere; Hæ verò ſunt, ſi cum iſto rubore non acutè audiat, item ſi cùm benè videatur habere paucis cibis repleri contentúmque ſe eſſe dicat. Diffuſio enim replet, eo modo quo verè ſcripſit fieri Galenus, qui dum rationem cibandi vere aſſignat, ait ſubſtrahendum eſſe cibum metu ruptionis vaſorum à plethora ob diffuſionem humorum. Ergo diffuſio replet. Verba hæc ſunt Galeni, *Vere medio exiſtente, & æſtati etiam proximo paucis & ex longo interuallo cibis nutriemus. Tempus enim id periclitatur, ne proximè accedamus ad plethoricam diſpoſitionem, propter humorum qui hyberno temporis frigore concreuerant fuſionem.* Rurſus & eam humorum diffuſionem, & quæ inde ſequantur incommoda recenſet alio in loco. *Verno tempore id contingit quod & in exercitationibus, licet hæ ſint ſaluberrimæ. Nā ſi hominem pituita plenũ, vel flaua bile, vel atra, vel ſanguine ipſo exercueris, aut Apoplex. aut Epilepſiam exercitatione induces, aut metus eſt ne rupto in pulmone vaſe aliquo malum adſit inſanabile. Multi cùm febricitare cœpiſſent, ob exercitationem (ſupp. nec loco, nec iure, nec commodè ſuſceptam) acutiſſimè laborarunt. Quibus verò vicem purgationis eorum humorum qui in profundo erant, ipſa exercitatio ſuppleuerit, euocatâ humorum copiâ ad cutim vlcera, & ſcabies erumpit.* Quo ex loco patet diffuſionem replere, dum id quod concreuerat, funditur & liquatur: Nam tunc in partes nobiles, quas τόπυς, antea vocauit, humor irrepit, & σάσιν ſtationem facit, hinc vertiginum & aphoniarum Ilias, quibus ſuccedunt Epilep. & Apoplexiæ: In Græco eſt ἕπονται, quod bifariam poteſt intelligi, vel vt mutatio vertiginis fiat & καρηβαρείας in apoplexiam & epilep. ea enim ſucceſſio morborum fit, vel vt dicantur ἐπιγίνεσθαι, per cauſæ morbificæ augmentum: ea enim propria vis eſt τῦ ἐπιγίνεσθαι: vel vt ἕπεσθαι, id eſt ſequi & adiungi ad priores morbos dicantur. In quo vnum monere oportet, nam in Aphoriſmis in ipſo fuſionis tempore, dum repletio fit, dum impetus, ῥοπὴ, inclinatio, ὀργασμος, vult fieri iſta, id eſt, epilepſ. apoplexiam, & conſimiles ſequi affectus: nõ requirit humorum illorum σάσιν, id eſt, moram, ſtationem vt interceptis ſpiritibus & calore obruto περίψυξις ſequatur partiũ, quod tamen requirit in quarto acutorum, ac ſi morbi iſti tùm demùm oriantur, non cùm mouentur humores, & corpus aut æquè calidum eſt, aut ſeipſo calidius redditur, ſed cum fit ipſa

Lib. 2. de morbis cap. de morbis à capite orientibus.

Com. ad Apho. 20 li. 3.

στάσις. Et tamen diximus ante vertiginis essentiam esse in motu inordinato spirituum, vel dum vapor inoffensum spirituũ cursum interuertit. Contrà requirit humorum stationem & pigritiem & moram, vt tum demum morbi ipsi oriantur cum obrutis, conculcatis, & oppressis spiritibus & humoribus viarum omnis adimitur libertas. Et ideò ante dicebat etiam conuulsiones quæ inde consequuntur aliquando vtiles esse, quod quatientes corpus pigritiem & restagnationem ipsam, vt sic dicam, humoribus adimant, & sic primæ eos meatuum libertati restituant. Quod dicitur de apoplexia verum esse potest, sed de epilepsia & καρηβαρεία, & vertigine minùs, quoniam in istis affectibus etiamnum calor moderatus corporis adest. Quæ omnia quoniam obscura sunt, & lectorem in legendis veterum scriptis morari possent, breui rem totam aperiemus. Diximus antè aliquando spiritum animalem descensu prohiberi, aliquãdo vitalem ascensu ad veram morborum attonitorum ὕπαρξιν: Si in cerebro sola est obstructio & oppressio, & dum humor mouetur, aut in substantiam cerebri, aut in meandros & ventriculos, aut vertigo, aut quid simile oritur, non est necesse refrigerari corpus, nec humorum στάσιν fieri: nisi fortè dicas nomine isto στάσιος duo intelligi, & egressum è propriis vasis, & firmitatem contumaciámque, vt humor non ampliùs resiliat in propria vasa, nisi valdè attenuatus, & ideo non habeat fluxum & refluxum: Nam reuera duo ista maximè ad morbos istos magnos generandos valent. Nil enim tam valet ad morbi magnitudinem, quàm cum humor in proprio vase non regitur, sed in insolentem locum regeritur, in quo turgescit & tumultuatur. Quid enim facit delirium in phrenitide perseuerans nisi quia egreditur humor è proprio conceptaculo, in febribus autem continetur adhuc, & inæqualiter turbatur sanguis? Quid in arthritide & neruosi generis morbis firmitatem constantiámque morbi facit, in venosi generis affectibus inconstantiam, & facilem solutionem, nisi quod in neruis impactio & στάσις spectatur, in venis fluxilitas, vt prçclarè docet Hippocrates? Quid sanguis in capacitatem vase proprio egressus tantùm molestiarũ affert: idem suâ venâ coercitus non facit, nisi quòd grumosus sanguis facit στάσιν? Itáque egressio ista ad pertinaciam morbi facit, vt mirum non sit si in Epilepsia

Galenus & Hip. videntur contradictione laborare.

Phrenitis vnde.

Lib. de locis in homine.

quia ventriculo insolenter continetur humor aut crassus, aut sua qualitate molestans, tantæ turbæ & motus inordinati concitantur. Ergo est vbi cùm humores funduntur capitis grauitates, ἀπολήψεις, vertigines & similia reddere possunt cum perfrigeratione & veluti congelatione, concretione & στάσει, est vbi cum mouentur, & eadem committunt, non adest ea conculcatio, congelatio & στάσις. Ideò vt ante monui, aliàs in iis malis repentè secat venã Hippo. sine fomento vllo, aliàs in iisdem secat venam quidem, sed præparatione præmissa: quia in his refrigeratio est, in illis non est. Quod tribus de causis puto euenire. Primum si vir & mulier ob ἀγάχυσι, aut iram, aut insolationem, aut plenitudinem citò laxatam aut vertigine, aut consimili affectu repente corripiãtur, eueniet, vt malum adoriatur mulierem potius cum partium algore, quia humorũ στάσις fit potiùs, quia mulier frigidior, quia ob angustiam viarum oppressio potiùs euenit, quia ob desidiam crudis abundat humoribus, quia hepar & mesenterium facilè obstruuntur in his: At vir qui calidior, vasa habet ampliora, non frigidis scatet adeo excrementis, & humores habet fluidiores, & ideo magis & promptiùs καταῤῥήγνυνται (vt verbo Hippocr. vtar) si fortè apoplect. aut Epil. aut vertiginosus fiat, aut ἄφωνος, non ea congelatio & refrigeratio fiet, quia non ea est, στάσις, & ἔμπηξις, quæ in naturâ frigidioribus apparet. Secundò, si ventres inferiores mali sint autores, & in cerebro tantum morbos excitent κατὰ συμπάθειαν, ob reuocationem subitam caloris ad centrum, refrigeratio potiùs eueniet & congelatio, quam si in capite malum sit. Quod declarat idem Hipp. nam cùm loco prædicto de iis affectibus disputat requirit στάσιν humorum fieri in locis, id est, vena caua, corde & hepate. Non meminit cerebri. Reuera enim agit de affectibus iis quatenus localem in cerebro non habent generationem, sed per prohibitionem ascensus spiritui vitali ad cerebrum. Tertiò, est vbi humores in quibusdam tenuiores sunt & calidiores, & qui tales aphonias facere possunt qualitate potiùs quàm quantitate, est vbi frigidiores sunt. Etsi ab eodem iidem affectus specie induci possunt, non iidem numero existunt. Quanquam & calidus & frigidus humor frigiditatis sensum inducere possunt diuersa quidem ratione. Declarant rigores & horrores sæpè à calidis & humoribus & ichoribus nati, vt passim Hippocrates demonstrat. Quartò aliud est cùm oppressio

4. Acutorum.

In apoplexia curanda aliquando vena secanda, aliquãdo non, sed fotu vtẽdum.

1. de morb. mulierum.

Calidus humor refrigerationẽ potest inducere.

fit, & materiæ opprimentis copia adest, aliud cùm ea abest. Nam in historia de Pythione commemorabile est quod scribit Galenus, vt scias quomodo copia humorum lethargicas, torpidas, & comatosas affectiones potiùs inducat, delirabat Pythion, veteres delirium hoc referebant ad abstinentiam veneris, quam Græcè τὴν ἀποχὴν dicunt, quasi verò suppressio seminis in cerebro dum sua quantitate opprimeret delirandi occasionem dedisset. Ex eo autem colligebant multum seminis suppressum quod multùm & variè spueret (at hoc risu potiùs excepit Galenus, quam graui aliqua contentione oppugnauit.) Contra exemplo eorum quibus os terebra aperitur, docet copia & oppressione, & humoris congestione induci non deliriũ, sed potius caron, & comatosum aliquid. Quod notandum est. Omnino enim id verum non videtur, quod pleríque delirent ob præsentiam humorum biliosorum corúmque multorum. Nisi fortè dicas delirium induci non ratione quantitatis, sed qualitatis. Testatur κῶμα ἄγρυπνον, in quo biliosus humor quidem est, qui quia vel pituitescit, vel fortè magna copia obruit, ideo mistum affectum ex vigiliis & somno inducit. Testatur quoque & eruptio parotidon. Quis enim dubitat materiam parotidon eam esse quæ febrem continuam committebat, quæ quia magna copia est, & à natura sua ob constitutionẽ cerebri frigidam quodammodo mutata, inducit caron, qui sæpè parotidon eruptionem præcedit? Et in phrenitide delirióque tametsi qualitate humor peccat, nec tam quantitas materiæ spectatur quàm eiusdem qualitas, tamen est certa quædam quantitas materiæ, vt crises quæ inde sequuntur testatum relinquunt. Nam nec parotides oborirentur materia regesta à cerebro, nec gibbositas phrenitin sequeretur. Quod Hippo. in Epid. meminit: *Coco, ait, in spina gibbositas facta est in spina ex phrenitide, huic nulla medicamenti potio conferebat, &c.* Quæ gibbositas ob translationem materiei non fieret, nisi quędam moles esset, & nõ qualitas potius in phrenitide dominaretur. Et in Aphorismis dysenteria soluit furorem & hydrops (quanquam quidam non legunt ὕδρωψ, sed ἱδρὼς) ob translatam à cerebro ad partes inferiores materiam: At furorem, Græcis, μανίαν, & exitum è potestate mentis, Græcè ἔκστασιν, committit humor paucus quantitate, sed qualitate, vt ita dicam, multus.

Histo. 1. lib. 3 Epid.

Vnde sopor vigilans.

3. Epid.

Apho. 5. lib. 7.

Ad eas rationes quas supra attulimus cùm explicaremus cur-

humoribus aut commotis, aut transſumptis, aut aliter affectis quidam ἄφωνοι & ἄπνοι reddantur, & ex iis alij incaleſcant, alij toto corpore refrigerentur, poteſt & adduci quinta ratio, quam non ſolùm confinximus, vt id explicaret, ſed vt obſcuritatem vocis, ςάσιως, qua vſus eſt Hippocrates in ſententia priùs adducta, euolueret: Item vt omnibus notum eſſet de vniuerſali morborum generatione per humorum confuſionem, & ſanguinis perturbationem. Cum humores commouentur, & ſanguis qui ad prudentiam facit perturbatur alteratúrque, aliquis ἄφωνος, aut vertiginoſus, aut aliquo ſimili affectu præditus eſſe poteſt. Idem & calidas omnes partes habet, ſi humores ſibi vias mutuò non obſtruant, ſi ſeſe non obtrudant ſimul & obruant. Sin autem veluti è proprio conceptaculo educti affatim in inanitates, aut cauitates quaſdam publicas irruperint, ibi ſeſe obtrudentes, conculcantes ac opprimentes, tunc humorum ςάσις fit, vt illo loco loquitur Hippo. & illam humorum ςάσιν algor, & per caloris oppreſſionem, viarúmque interceptionem, partium refrigeratio conſequitur. Sic cum commotis, aut confuſis, aut aliter affectis humoribus & ſanguine ἀφωνίαι contingunt, aut cum calore, aut tepore, aut humiditate, aut ſudore, aut algore, prout hæc aut illa offerunt ſeſe, ita medendi conſilium variabit. Totam verò rationem generandæ phrenitidis & affectuum melancholicorum tradit in libris de morbis his verbis: *Cum bilis commota fuerit in venas, & ad ſanguinem ingreſſa fuerit tunc ſanguinem dimouet ex propria motione & ſolita compage, item ſeroſum facit & calfacit*[21]. *Calfactus autem corpus recalfacit, & febrit homo & deſipit. In Græco eſt,* χολὴ κινηθεῖσα διεκίνησε καὶ διέϛησε τὸ αἷμα ἐκ τῆς εἰωθυίης συςάσιός τε καὶ κινήσιος. Vbi dubium eſt num Hippo. retulerit, σύςασιν καὶ κίνησιν, ad verbum διεκίνησεν, an verò nomen κινήσιος, ad verbum διεκίνησεν retulerit, & ad τὸ διέϛησεν, dictionem συςάσιος. Vt hic ſit ſenſus, Bilis dimouet ſanguinem ex propria motione & naturali, item διέϛησεν ἐκ τῆς συςάσιος, conuertit in ichorem & ſerum tanquam ex propria natura, conſiſtentiáque emouẽs. Niſi quis dicat verbum διιϛᾷν eſſe abſolutum, & nullam motionem ſignificare. Et ſub finem libri eiuſdem ita ſcribit, *Deſipiunt homines ſanguine corrupto, & ex conſueta motione emoto.* Et alio in loco. *Dolor caput repente dolet, & æger impotens fit cum atra bilis in capite commota fluxerit, maximè in partem in qua plurimæ ſunt venæ, in collum, inquam, & pectus.* Sic in 4. acutorum vt antè dictum eſt

Explicatur quomodo affectus cum Aphonia coniuncti oriantur.

Sub finem lib. 1.

Lib. 2. de morbis.

ad generationẽ iſtorum grauium morborum τὰς ἐπιῤῥοὰς fieri ait, hoc loco κινήσεις ἐκ τῆς εἰωθυίας στάσεως[23]. Quæ omnia cùm obſcura ſint ita accipienda ſunt: Sanguis ad ſapientiam facit, vt ipſe ait, alio loco de aëre & ſpiritu idem dicit, id eſt, dum ſanguis complectens reliquos humores naturales, ſuas habet inclinationes, momenta, & motus, necnon propriam ſuam compagem conſiſtentiámque retinet, tunc homo mente conſtat, & delirame͂ti nihil in ſe habet: ſed cùm cõmotis humoribus tum iis qui extra venas ſunt, tum iis qui in venis ſunt, ſanguini & ſua motio deeſt & cõpages, necnon acquiſita ſeri & ichoris natura, alteratio cõtingit, neceſſe eſt tunc alienationem quandam induci, vtpote alterato eo quod in primis, ad ſapientiam facit. Sed quærat quis, an cùm phrenitis ſit & calidus affectus, necnon vertigo, aut Epilep. aut Caros, aut Apoplex. nunquid humorum & στάσις ſit, quod in quarto acutorum vult, & declinatio ſit à propria motione & ſyſtaſi? Ita ſanè. Nam vt poſtea docebimus, delirium à phrenitide diſtinguitur, quod in delirio humor perfluat venas, in phrenitide è vaſis aut egreſſus videatur, aut ſaltem impactus, id quod στάσιν ἔχειν propriè dici poteſt. Vt tamen ingenuè dicam in vtríſque affectibus idem & eodem modo fieri exiſtimo. Cæterùm ambiguum latet in vocibus στάσις & σύστασις. Nam aliquando idem ſonant, vt apud Gal. τὸ παχὺ τὴν στάσιν, pro σύστασις ſumitur Σύστασις craſſitudinem, coagmentationem, ſubſtantiam, corpus & concretionem ſignificat, Cornarius vertit compagem. Στάσις duo contraria ſignificat apud claſſicos, diremptum, ſeditionem, diſcordiam, controuerſiam, item ſtationem, ſtabilitatem, conſtantiam vt τῇ κινήσει opponatur, & στάσιν ἔχειν, opponatur τῷ κινεῖσθαι. Sic, vt verbo abſoluam, vt cataphoræ fiant, hemiplegiæ, apoplex. vertigines, humor primum è proprio motu dimouetur, & compage; deinde cum dimotus eſt, rurſus στάσιν, id eſt, σύστασιν habet. Sed hoc quid ſibi vult? Duplex eſt στάσις καὶ σύστασις, vna naturalis & vernacula, & antè morbi generationem viget, altera contra naturam & morboſa, & ea ad inductionem morbi eiúſque accretionem facit Id eſt, humores priùs ſuam habent quietem, quæ ſi interrumpitur, tum virus ſuum exercent, cum agitantur ſuam & σύστασιν, & propriam κίνησιν amittunt, alienum verò accipiunt motum, & dum ſeſe in locum alienum affatim turmatímque coniiciunt ac proripiunt, conculcati quodãmodo & oppreſſi ſuam habent quandam στάσιν, ſed alienam & contra naturam.

Lib. 1. de morbis. Lib de ſacro morbo.

Phrenitidis & delirij ſimplicis diſtinctio.

Duplex στάσις.

Paroxyſmo liberatus narrabat ſe incredibili capitis dolore diuexatum. [24]

Cum paroxyſmus aderat, & erat ἄναυδος, non ἄφωνος, nec ἄπνυς[25], vt antè demonſtrauimus, ea faciebat quæ delirantium ſunt, vt potè cerebro affecto. Sed non omnino perierat iudicium, at ligati erant ſenſus quodammodo: ſed ſenſus communis vis aliqua ſupererat. Et vt antea docuimus, aliàs in cerebro facultas animalis læditur, aliàs ratiocinatrix ipſa. Sic abſolutus paroxyſmo meminerat ferè omnium quæ antea acta fuerant, immo & dolorum. Hoc quod dicitur fidem accipit ex Aphoriſmo Hippo. Qui parte aliqua corporis laborant, ij, ſi mens ægrotat, magna ex parte dolorem non ſentiunt. Et is quidem præſente paroxyſmo locum dolentem aliquatenus deſignabat, ſed effari non poterat. Simile quid legere in eſt Epidemiis. *Polemarchi vxori in morbo articulari coxæ dolor*[26]. *Cauſa erat quod menſes non prodirent. Vox intercipiebatur per totam noctem ad meridiem. Audiebat & ſapiebat, & per manum ſignificabat quod circa coxam eſſet dolor.* Id quod ægro noſtro contigit. Fiebat autem id quia tantum affectum erat cerebrum ex euentu, non per ſe & primò. Alioqui non ita ſaperet, & meminiſſet eorum quæ acta ſunt, & locum deſignaret. Potius enim ſpiritus aſcenſu prohibebantur, quam deſcenſu. Dubiúmque eſſe poſſit num ἐξ ἀποχέσεως, vt loquitur Hipp. laboraret, vt materiæ virulentæ ſuppreſſio, cuius pars tenuior ὀργᾷ diaphragmati proxima, & notam quandam ei inurens, ipſum affecerit, & communicatione affectus cerebrum quoque laborarit. Nemo enim dubitat quin affectio diaphragmatis facilè cerebro communicetur, immò ob phlogoſin eius deliria contingant. Quod præter ea quæ in libris de locis affect. à Galeno ſcribuntur, patet, eius quoque fidem facit hiſtoria de Tychone, qui cùm in pectore percuſſus eſſet, affectúmque diaphragma, ſtatim delirauit & excitatus eſt riſus θορυβώδης, tumultuoſus, relicta enim pars ſpiculi in diaphragmate erat. Ideo enim φρένες dicuntur, quod πρὸς τὴν φρόνησιν conferant, non quod ſapientiæ ſedes ſit, ſed quoniam τῶν φρενῶν affectio, τὴν φρένα καὶ φρόνησιν labefactet. Quanquam iſta τῶν φρενῶν appellatio non placet Hippocrati, ſéque non videre ait cur ita vocentur, nec quam vim ad ſapiendum intelligendúmque habeant. Sed nil hic de nominibus moror.

2. Aphoriſmorum.

5. Epid.

4. Epid.

Affectio diaphragmatis quid faciat.

5. Epid.

Gal c 4. lib. 5. locorum aff.

Phreniticorum more exiliebat ex interuallis.

4. Epid. Videor videre illud quod in Epid. ſcribitur de quodam adoleſcente Phrenitico: *Huic* (ait Hippo.) *febris erat adurens, inſomnis, mente motus eſt* τρόπιν ἀκόλαστον, *proteruo & inſolente quodam modo,* ἀνίστασθαι, μάχεσθαι, αἰσχρομυθεῖν: *crebrò deſurgere, pugnare, turpia obloqui: idem in Conônis famula: Ex dolore capitis incipiente*, ait Hippo. ἐκτοσθεν ἐγένετο, *exiit extra ſe & abalienata eſt, clamor, quærelæ multæ, rarò quies.* 5. Epid. Quæ omnia phreniticorum ſeu propriè, ſeu impropriè dictorum propria ſunt. Quo loco notandum valdè vnum eſt, quomodo nimirum dolor capitis repentè oboriens varias morborum ideas pariat. Nam in iſta famula phreniticum quid attulit, in aliis aliquid Epilepticum & Apoplecticum, vt patet ex Aphor. *Quicunque ſani repente dolore capitis capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris præhenderit*[28]. Quo loco typum apoplexiæ exprimit, ait Galenus. Sed hęc duo, muti fiunt, ſtertunt, characteriſtica ſunt morbi attoniti: Et cum ait, niſi febris: Declarat aut à pituita malum eſſe, aut à ſucco melancholico. At ſi humor eſt tenuis, efferus, calidus, & calorem inducens in partem quam occupat, alia doloris ſpecies, & diuerſis comitata ſymptomatis exoritur? Præterea cum exiliiſſet, abſurda aliquando dixiſſet, impetum in aſſidentes feciſſet, inuolaſſet in omnes, ſtragulas abieciſſet, indecorè corpus compoſuiſſet, dixi id feciſſe phreniticorum more, ac ſi propriè hæc conueniant delirantibus valdè, & phreniticis, & fanaticis. Galenus Com. in Prorrheticum videtur euertere opinionem eorum qui ex eo phreniticos iudicēt quod eiulent, vociferentur & exiliant. At id verum non eſt. Veræ phrenitidis proprium quidem, ſi nil ſit quod impediat, ſed in doctrina Hippocratis triplex phrenitis reperiri poteſt, vna vera in inflammatione & alteratione cerebri poſita, altera impropria quæ obſcura dicitur & ἀπαθὴς, quæ in alienatione temperamenti cerebri, non ſolum in alteratione conſiſtit. Et ea eo modo ſe habet ad cerebrum, quo febris hectica ad corpus febrile & hecticum. De qua audiendus eſt Aphoriſmus Prorrh. *Tremulæ blandæ, obſcuræ & contrectantes deſipientiæ valdè ſunt phreniticæ.* Tertia etiam impropria eſt, vt cum quis phreniticus quidem eſt, ſed non valdè inſanit, nec ea facit quæ verè phreniticus Id

Aph. 51. lib 6. & lib. 2. de morbis.

Com. in part. 33. lib. 1.

porrò

porrò fit quoniam præter humorem biliosum desipientiam facientem, est crassus alius & frigidus qui inducit aliquid comatôdes & καταφορικόν. Quo modo audiendum esse vult Galenus illud lib. 3. Epid. *Nec phreniticorum insaniuit quisquam, quod aliis vsuuenit, sed alia quapiam cataphora segni grauiter peribant.* Illa enim tempestate & febres, & phrenitides mixtos per quandam ὀχλὼ, & dominatum habebant humores. Nam ægri initio febrium omnes soporosi fiebant, & non valdè sitiebant: & quod febrientibus in suo genere cõuenit, idem & phreniticis, illi non valdè sitiebant, & non insaniebant multum. Vacuitatem sitis Galenus refert ad id quoniam phrenitici ratione perturbationis mentis non sentiunt se sitire, vnde alio loco ἐρχυπότω dicuntur, item & ad extinctionem quandam facultatis appetentis. Prior ratio non placet. Nam cum, vt dixi, omnes delirantes etiam dum æstus adest, & indigentia potus, id non sentiunt tamen, nil nouum dixit Hipp. cum ait istos phreniticos nõ sitiisse. Non sitiebant potiùs ratione mixtæ affectionis. Quod Galenum non vidisse miror. Sed audiamus Galenum de ista segni cataphora & phrenitide. *Non est mirum collectis crudis succis in corpore soporosos simul & dementes fieri. Soporosos ex multitudine & frigore succorum, dementes quod humores putrescentes acrimoniam pariunt & calorem.* Non enim audiendum est eos periisse phreniticos καταφορικὺς, quod lethargus successisset phrenitidi, sed quia phrenitidi iuncta foret καταφορὰ νωθρά. Ego verò non alienum scribere videbor si istam affectionem τυφομανίαν appello. Ea enim est phreniticorum affectio cum in somniculosum coma inciderunt, ita vt oculos tollere non possina, sed lethargicorum more eodem loco permaneant. Reuera autem τυφομανίας, nomen verè exprimit φρενῖτιν μετὰ καταφορᾶς νωθρῆς: vnde Cornarius apud Hippo. τυφομανίᾳ affectum vertit, stupida insania ex phrenitide, & lethargo mixta apprehensum. Nil autem hoc loco interest si dicas, ex phrenitide & lethargo, an ex phrenitide & cataphora. Quãquam eorum essentia differt. Et quoniam in mentionem τῆς τυφομανίας incidimus, rerum series & ordo postulat vt affines dictiones explicemus: hæ autem sunt τὸ τυφῶδες, siue τυλῶδες, & ὁ τῦφος. Apud Hippocratem multiplex τύφος legitur (fortè legendum τῦφος, vt distinguatur à nomine τύφος, quod insolentiam & inanem lætitiam significat.) Nomine autem τύφου comprehendit febres quasdam ardentes in quibus multa est humiditas iuncta, vt etiã

Par. 45. sect. 3. lib. 3. Epid.

Com. in particul. prædictam.

Lib. de Comate.

4. Epidemiorum.

initio febrium fracti, debilitatíque & dissoluti ægri videantur: Quas adumbrauit loco priùs adducto ex tertio Epid. febres ardentes, & initio erant κωματώδεες, non καυματώδεες, vt malè quidam tempore Gal. legebant. Et libro aduersus Lycum τυφώδεας πυρετοὺς, è genere humidarum febrium censuit, quod in paroxysmis multo humore totum corpus madet ac tepet, vt mirum non sit si dissipatum & dissolutum langueat. Quod etiam ipse Hippocrates demonstrat cum explicat quinque aut sex τύφυς. Τῦφος, inquit, *nominatur, primùm febres fortes tenent, calor acutus, & à grauitate debilitas, crurum & manuum impotentia, inutilia membra sunt Si quis erigere velit, non erigitur, si quis interrogat, præ dolore non potest respondere.* Denique τῶ τύφων καὶ τοῦ τυφώδεος essentia in hoc existit, vt præsente calore multo, prauo, acri, dissoluente, & multa materia facilè dissipabili & corporis natura effœminata & victa, impotētia sit multa, dissolutio, viriū casus aut iactura, & neruorū effœminatio, vt semisiderati, & semimortui iaceant ægri. Vnde non abs re fortè τὸ τῦφον vertit Cornarius, Stuporem attonitum, quod in febre τυφώδει, resoluti ac languidi decumbant ægri. Quanquam τῦφος nomen inuenerit ab incendio, dicitur enim ἀπὸ τοῦ τύφειν, id est incendere, ardere, comburere, non autem ἀπὸ τοῦ τυφοῦν, id est, inaniter efferri & insolescere. Quod mirum est. Si enim ab igne & incendio nomen meruit, cur paraphrasi, & circumlocutione vertimus, & explicamus τὸ τυφῶδες, & τὸ τῦφον per stuporem, impotentiam, virium fractionem, immobilitatem, & ignauiam. Hæc enim pugnant cum ignis agilitate. Sed calor febrilis pręsertim multo obrutus humido, vt suam non habeat ἔκλαμψιν, & in corpore delicato segnitiem, & stupiditatem facilè accersit: vt ex eo euentu, & casu nunc apud veteres τυφώδης significet ἀεργὴν, νωθρὸν, βαρὺν, δυσκίνητον, & Gal. ἐν γλώσσαις τὸ ἔνεον, siue ἐνεὸν, vtróque enim accentu pingitur, καθεζόμενον, id est, bardum, mutum, surdum, desidem. Et quoniam τυφῶδες ἐνεὸν significat, id est mutum, stultum, tum vocis similitudine, tum significationis proximitate addita litera λ, non legunt τυφῶδες, sed τυφλῶδες. Et sic in Epid. τυφλώδης legitur: τυφλὸς enim cæcum significat, item & ἐνεὸν, id est surdum, & mutum, quod qui natura surdi sunt, & muti existunt. Item τυφλὸς, pro obscuro, ignaro & inepto sumitur, vt cum τοῦ μέλλοντος τυφλὸς dicitur, rerum futurarum inscius, Quod si legendum esset τυφλώδης, cæteris omnibus litera λ, esset addenda, legendúmque τυφλομανία, καὶ τύφλος, pro τυφο-

Libro de internis affect.

Probabilis causa cur ita Cornarius verterit. Gal. in linguis.

4. Epid.

μανία, & τύφος[31]. At hoc alienum eſt. Et in Epidemiis cum τὸν τυφώδεα opponit ὀξυθύμῳ, μανικῷ, nomine τοῦ τυφώδεος, intelligit iraſci neſcium, ſocordem, veternoſum, ignauum & lentum: vt non tam ſpectanda ſit vocis deriuatio ἀπὸ τοῦ τύφεσθαι, nobilitas enim & agilitas, & expeditus motus potiùs deſignaretur, quàm caſus iſte de quo dictum eſt, quod τῦφος, ſignificet febrem cum ſtupore quodam & ignauia iunctam, dominante humore, & virtute fracta. Quanquam κατ᾽ ἐξοχὴν, febris τυφώδης dicitur, cum hepatis eſt inflammatio, quemadmodum κρυμώδης, cum pulmo inflammatus eſt, & ἐρυσιπελατώδης ἢ λειπυρία, cum ventriculus eſt affectus. Quo in ſenſu audiendum illud Hippo. *Leipyriæ febres non ſoluūtur, niſi cholera morbo ſuperueniente;* id eſt, Eryſipelas in ventriculo ob inflammatam in eo bilem & æſtuantem non ſoluitur, niſi euacuatione bilis ſurſum deorſum, in modum τῶν χολερικῶν, vt loquitur in Epid. id eſt, choleræ morbi.

Aetius cap. 89 ſermo 4. Tetrab. 1.

In Coacis.

5. Epid.

Sed vt ad finem res perducatur, reuera τυφλώδης, & τυφώδης, legi poteſt, quod τυφλὸν, non diſſimilem, τῷ τυφλώδει ſignificationē nanciſcatur. Quanquam retinenda potius vox τυφώδης, quam alia, vt litera λ, non cogamur cæteris vocibus quæ inde deriuantur, addere.

Pergamus ad explicandum quomodo æger noſter haberet aliquid phreniticum. Tria ſunt quæ phrenitin exprimunt abſurditas verborum, Indecora corporis compoſitio, doloris vacuitas, & additur morum diſſimilitudo: quæ tamē delirantium ſunt etiā propria: ſed delirium eſt perpetuum, & febris aſſidua: de quibus pleniùs paulò dicemus in Comment. in ſequentem particulam.

Phrenitidis ſigna.

Ex interuallis.

Qui delirant, ſi delirandi finem non faciunt & febriunt, phrenitidis magna eſt ſuſpicio, ſi ex interuallis delirent non φρενῖτις, ſed cum febre παραφροσύνη, ſine febre μανία, aut μελαγχολία dicitur. Ita enim Gal. Cum phrenitis & mania mentis noxa ſit, propriū eſt maniæ febre carere, vt phrenitidis febrem adeſſe. Sed nunc explicemus differentiam phrenitidis, & τῆς παραφροσύνης ἢ παραφροσύνης, quæ in febres continuas cadit: quæramúſque an in phrenitide delirandi ſit aliqua intermiſſio, quoniam vox illa, τὰ πολλὰ in Aphoriſmis cùm ait, qui parte aliqua corporis laborant, ma-

Com. ad Apho. 45. ſect. 3. lib. 3. Epid.

gna ex parte dolorem non sentientes, iis mens ægrotat: exempli gratia, phreniticus doleat partem aliquam, cum mens ei ægrota sit an dolorem non sentit τὰ πολλὰ, id est, per vices & interualla aliqua? Nam si delirium est perpetuum, consentaneum est vt perpetuò dolorem non sentiat, & non sitiat, siquidem non sentit se potu indigere. Bifariam hoc debet intelligi, vel enim Hipp. dixit, dolorē non sentiunt τὰ πολλὰ, tametsi mēs ægrotet, vt moneat nos attēdere diligēter ad delirantes, qui tametsi aliquādo sapiant, sentiántq; dolorem, & de eo aliquid cōmententur, tamen dicentur delirare tametsi aliquando doloris se sensum habere dicant. Satis est si τὰ πολλὰ, id est, magna ex parte dolorem non sentiant. Vel ita audiendū est, vt per vocem τὰ πολλὰ, crebras in delirantibus mutationes intelligat, vt delirent modò audiendo, modo videndo, aut simili aliqua alia ratione: nec est idem delirij typus, nec in eodem se subiecto, sensúque exercet mens delira. Itáque phrenitici non delirabunt τὰ πολλὰ, sed semper, cùm foueatur malum in cerebro eo modo quem Galenus exprimit, & in libris de locis patientibus, & in Epidemiis vt paulò antè adumbrauimus: *Ardentium febrium & phrenitidis idem autor est: Sed cum in vasorum capedinibus vnà cum sanguine continetur flaua bilis, vtcunque accendatur, febres ardentes fiunt, præsertim*[32] *si in pulmonis venis, aut iecoris. aut ventris (maximè verò circum os eius, vt Com. in part. 33. sect. 3. lib. 3. Epid. notat, & part. 9. sect. 1. lib. 1. Epid.) bilis efferuescit. Si quando ad solidas partes peruenerit, & permeauerit, rigorem efficiet. Sin ad cerebrum eiúsque membranas sit impacta, phrenitides inducit. Verùm priúsquam inhærescat perfluens venas in his sitas, non phrenitides, verum ea quæ in vigoribus adsunt febrium deliria excitat. Sit bilis in isto statu austrino ad caput sublata, & in cerebro defixa eiúsque membranis, phrenitides generauit*[33]. Ergo in παραφροσύναις adhuc vagatur humor perfluitque, & permeat venas, in phrenitide è conceptaculis egressus est, & contumaciter ad partes adhæreſcit. Et Gal. apertè explicat illud quod obscurè dictum est ante ab Hippocrate cum scripsit, Cum verò humor in locos fluxerit, stationémque habuerit. Superest vt nodum dissoluamus de febre in qua quis delirat. Nam si phrenitis est, necessariò febris magnarum inflammationum comes est, sed est phrenitidis tantùm symptoma, vt contra febrium propriè dictarum, in quibus certa pars affecta non est, delirium symptoma existit. De iis autem ita

Acuta & subtilis interpretatio vocis, τὰ πολλὰ.

Rigor vnde.

De phrenitide abundè.

ſentit Galenus: *Delirare ſolent aliqui ob vitium quod in ore ventriculi exſtit, & in febribus ardentibus, & in peripneumonia, & in pleuritide*[34]. *Sed deliria ob affectum diaphragmatis non multùm diſtant à phrenitide. Quippè per cæterarum partium affectus, atque per febres ardentes delirium mitigatur, quoties morbus, id eſt, aut peripneumonia, aut pleuritis, aut* καῦσος *declinat: At phrenitidis propria nota eſt, vt ne in declinatione quidem febrium quieſcat delirium. Cum enim propria cerebri ſit affectio, paulatim accidit, ſed quieſcere ſubito atque affatim non ſolet.* Cæterùm dubitet quis ſi phrenitidis febris ſymptomatica eſt[35], & febris, quæ ſymptoma eſt, & phrenitis, quæ morbus eſt ſimul incipiant & deſinant, qui fit vt cum febris declinat, ipſa phrenitis non quieſcat. Nam non videtur ipſa febris, quæ ab inflammatione cerebri pendet declinare, aut remittere, aut ceſſare poſſe, niſi vnà paritérque ipſa inflammatio declinet atque concedat. Quemadmodum deliria quæ febrium continuarum ſunt ſymptomata febribus declinantibus ea quoque declinant atque remittunt. Sed meo quidem iudicio hæc per comparationem audienda ſunt. Nam cum phrenitis localem inflammationem ſignificet in cerebro, delirium perſeuerat etiamnum febre declinante, quod audiendum facta comparatione cum aliis deliriis aliarum febrium, ſiquidem in cerebro manet impreſſio. Quanquam verè non declinat febris quin declinet quoque phrenitis, & exaduersùm, ſed delirium omnino non quieſcit. Cæterùm hoc addemus de phrenitide, quoniam controuertitur inter claſſicos an ſit inflammatio cerebri, an meningon. Tenuis membrana variè ac multiplici plexu cerebro implicatur atque inuoluitur, quò fit vt vix inflammetur ea membrana, quin & inflammatio parenchymati ipſius cerebri communicetur. Sic phrenitis eſt definienda per inflammationem membranarum & ipſius cerebri. Niſi quis dicat lædi potiùs cerebrum, & phrenitin huius morbum eſſe, non meningon, quoniam actionum functionúmque integritas à recta cerebri, non autem à meningon temperie dependet: quod ſi verum eſt, earúmdem læſio ab offenſa temperiè cerebri emanabit. Tamen quia eadem ſemper eſt medendi ipſi phrenitidi ratio, ſiue primariò, ſiue ſecundariò afficiantur, aut membranæ aut cerebrum: Ideo parum refert curiosè hanc quæſtionem proponere ac conari diſſoluere.

Cur etiam deliriū in phrenitide perſeueret licet febris declinet.

Explicatio quæſtionis.

7. de vſu partiū.

2. Locorum aff.

Non conuellebatur.

In cerebro variæ mansiones sunt. Aliquando vt pars organica afficitur, aliquando vt similaris, & tunc ὁμοίως affici dicitur. Aliàs partes anteriores læduntur, aliàs posteriores, membranæ aliàs, aliàs substantia, & οὐσία ipsius partis. Aliquando nerui, & ex iis aliàs qui ad auditum faciunt, aliàs qui alium ad sensum conferũt. Sic tametsi cerebrum vnum quid ex se sit, tamen prout in has aut illas partes & mansiones repit humor, ita variæ morborum ideæ excitantur. Quod Galenus in libris de loc. affectis explicauit: *Et præsertim in Prorrhetico, febris ardens tum ob alias causas, tum ob cerebri inflammationem æquè fit. Et tunc ex propriis phrenitidis signis continua est desipientia. Ex ea verò humiditate quæ in cerebro redundat spiritus flatuosus procreatur, vnde auriũ tinnitus fiunt*[36]. *Pari modo excæcatio caligóque, cum crassus humor vel spiritus oculos inuadit. Naribus verò ingruens humorum copia sensum grauitatis in ipsis facit.* Et hæc fiunt conclusa in capite materia, quemadmodum & eadem symptomata suscitantur per febres essentiales quarum sedes est aut in pulmonibus, (vt antè ex Galeno demonstratum est, aut in aluo. Atque ex priore loco docetur eundem humorem in eadem parte varias excitare symptomaton species, prout variæ particulæ occupantur. Vt mirum non sit si æger noster conuulsus non sit, vel quod nondum eam qualitatem humor acquisiuerat quæ ad excitandas conuulsiones requiritur, vel quia in locis nondum constiterat in quibus esse debuisset ad conuulsionum generationem. Non enim quiuis humor quouis loco contentus id facit. Habebat quidem quasdam συνολκάς, sed non σπασμούς, id est quasdam contractiunculas patiebatur, sed non conuulsiones. Alibi autem docuimus quid differat συνολκὴ ἀπὸ τοῦ σπασμοῦ. Et mirum fuit cur non Epilepticus, aut Apoplecticus factus fuerit: nam locus est in Coacis in quo Hippo. In dolore capitis ἀφωνίαν suspectam habet quod habeat aliquid aut Epilepticum, aut Apoplecticum. Sed hic noster æger non erat verè ἄφωνος, sed ἄναυδος.

3. locorum aff.

Cerebri vt variæ partes & actiones læduntur.

Com. ad part. 18. sectio. 1. lib. 1. Prorrh.

ἀφωνία cum dolore capitis suspecta.

Et veluti sopore vigilanti occupatus deliriόque iacebat.

Horum demonstratio ferè ex superioribus pendet cum dispu-

tauimus περὶ τυφομανίας. Nam vt ante docuimus, delirium erat, & phreniticum quid cum καταφορᾷ, quam lentam & stupidam dixit. Atque reuera cum cerebrum naturâ suâ sit frigidum, accedentibus vaporibus aliunde, aut in eodem ob contentam bilem accensis, facilè κῶμα ἀγρυπνον excitatur. Immò & in multis febribus continuis, in quibus somnus nocet, somnolenti sunt ægri cum vigiliis quibusdam, presertim si cerebrũ plethoricis symptomatis auctum sit, ac multa acrium vaporum copia cerebrum ferierit. Nam dum Galenus explicat qua ratione in febribus somnus timores & conuulsiones inducat, non aliam rationem reddit quam quia praui humores cum incocti permaneãt, dominante calore febrili exhalationibus prauis cerebrum oppleant, quas si vincere nequit obruitur, vnde occasio somni profundioris, & ipsarum quoque parotidon, immo & conuulsionum & timorum: Contra bonæ coctiones vtileis somnos inducunt. Cæterùm nescio qui fiat, vt morborum cerebri & notitia, & curatio difficillima sit. Notitia quidem, quoniam multi conuulsi sunt, pauoribus consternati, phrenitide, Apoplex Epilep. sublati, lethargicis affectibus oppressi, sideratíq; in quibus nullũ ferè vestigiũ mali, aperto cranio inuentum est, nec sanguis, nec aqua, nec ichor, quanquam Medici qui histo riã morbi vidissent, & terrifica symptomata obseruassent, certò affirmarent, sibíque persuaderẽt se aut inter membranas, aut in cauitatibus, aut alia in parte, aut abscessũ, aut sanguinis aut aquæ copiam deprehensuros. Et dum euentus eorum spes falleret, stupórque & admiratio eorum mentem percelleret, conabantur aut aliquid confingere quo mortis inopinatæ prætextum obtenderent, aut occasionem causámque arte quadam prætexerent, vt prætexendis confingendísque occasionibus istis honesta excusatione, culpâ & vituperatione sese assererent ac liberarent. Et nos sæpè in ista alea versati sumus, primariósque medicos versari vidimus, quasi cum spiritu ipso animabili, & anima spirante mortis occasio euolaret. Vt tantò cautiorem prudentiorémque medicum esse oporteat, & in inuestigandis rerum causis diligentiorem, quantò res sunt abditiores occultioresque, & sæpiùs de spe sua deciderit. Adeo obscura est morborum capitalium ratio, & euolutio difficilis. Curatio quoque non minore difficultate est inuoluta, quoniam nec topica vires suas integras in cerebrum exerunt, nec assumpta innocuè

Comâ vigilans vnde.

Com. ad Aph. 67. lib. 4.

Morbi cerebri difficiles cognitu.

Difficiles curatu sunt morbi cerebri.

propter contrarias quæ ſeſe offerunt indicationes, à capite cauſam mali amoliri poſſunt, præſertim ſi ea penitius cerebro hæret, & ſi ipſum τῇ πρωτοπαθείᾳ laboret. Si enim συμπαθείᾳ, non tantis difficultatibus res implicatur. Et data opera, ſi otium eſt, quanquam ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ, morbos ad cerebrum pertinentes breuiter expediemus, & præſertim affectus ſoporoſos. Apud Hippocr. paſſim reperitur λήθαργος, κῶμα κῶμα ἄγρυπνον, κάρος, καταφορὰ, κατοχὴ, κατάληψις, παρακοπὴ, παραφροσύνη, παράκρουσις, μανία, ἔκστασις, & quæ ab his deriuantur, vt κατενεχθέντες, καταλαμβανόμενοι, καρούμενοι, κατεχόμενοι, & conſimilia: horum ideas & differentias recenſere non alienum. Vt ſcias an ex humorum varietate deſumenda ſit varietas rerum, & an prout nomina ipſa differunt, ita rerum diſtinctiones, formæ & ideæ differre videantur.

Omnis morbus aut intemperies eſt, aut ſolutio continui: intemperies aut ſimplex, aut cum humore, humor aut bilioſus, aut melanchol. aut pitui. aut ſanguis ipſe. Intemperies ſimplex, aut cum frigiditate, aut cum calore, aut à ſiccitate. Mixta verò ſi partim ſit intemperies ſimplex, partim humor aliquis. Accedit & varietas partium in cerebro affectarum. Nam aliud eſt caput affici, aliud cerebrum: Cum enim cerebrum affici dicitur, vel eius partes anteriores, vel poſteriores, & quæ cum ſpinali medulla communicant, vel ventriculi, iíque aut anteriores, aut poſteriores aut medij afficiuntur. Rurſum vel cum febre, vel ſine febre affectus eſt. Sic pro iſta humorum, partium, & ventriculorum varietate, pro præſentia abſentiáque febris res euariant. Quanquam ſępè nomina confunduntur, vt ſit potiùs de rebus, quàm de verbis laborandum. Κῶμα & κάρος, ferè pro eodem ſumi videntur: ſed tamen alia eſt idea τῶν καρωτικῶν καὶ κωματωδῶν. Κάρον vertunt ſoporem: & definiunt per reſolutionem imaginatricis facultatis, ſenſum motúmque omnē adimentem excepta reſpiratione [39]. Cauſa eſt craſſus & viſcidus humor qui ventrem præſertim anteriorem occupat. Sic eſt ſymptoma facultatis imaginatricis. Clauſi omnino ſunt oculi, & priuatio motus ſenſúſque, ſupereſt reſpiratio. In apoplexia ſubſtantia cerebri potiùs afficitur, & eius pars anterior poſteriórque, perit reſpiratio. In caro ventriculus potius anterior occupatur, nec omnino perit ſenſus, & eo ſopore diſcuſſo bona valetudo conſequitur. At apoplexiam, aut paraly. aut hemiplegia excipit. Ab Epilepſia differt conuulſione, & quod in

Epilep.

Epilep. & anterior & posterior, Gal. vltima particul. lib. 6. Epid. pars occupetur. Et oculi sunt aperti aliquando, in catalepsi & catoche partes posteriores occupātur potiùs, attolluntúrque palpebræ. A lethargo differt, quod febris caron præcedat (quanquam omnino carus sine febre esse potest) lethargum febris consequatur. Et carus sæpè aliorum morborum symptoma est, vt initia vigorésque febrium comitatur, præsertim cum vaporum crassitudo cerebrum offendit obruítque (vt in Prorrhetico docet Hippocratis interpres) vt in febribus pituitosis, & iis quarum sedes est circum ventriculum à collecta illuuie. Et febris quæ adest excitans κάρον, tanquam symptoma maior est & apparentior quàm quæ in lethargo est. Quo modo fortè audiendum illud Hippo. qui morbos vocat ληθάργους, quorum ratio ferè eadem est ac peripneumoniæ. Fit autem cum focus febris continuæ est in pulmonibus (nam ante ex Gal. docuimus febrium focum in pulmone quoque consistere) & ij obstructi sunt valdè, & humore crasso, putríque pleni: qui enim ab ea materia fumi excitantur, dum obruunt anteriores cerebri partes ληθαργικόν τι inferunt, & καρώδεις, & κωματώδεις. Et ab eo accidente quoniam ægri obliuiosi, socordes, veternosique iacent, affectus λήθαργος dicitur. Quanquam propriè magis κάρος dici debuerat, siquidem omnis soporosa dispositio dimissis palpebris, libera existente κατά τι respiratione, præsertim cum symptomaticè succedit κάρος dici potest. Sed lethargus generali nomine dicitur, quoniam λήθαργος, τὸ λήθαργον ignauum, desidem & obliuiosum significat, vt in arte parua Gal. legere est. At lethargus propriè dictus affectio cerebri est. Et definitur affectio cerebri à repentina obliuione nomen habens, vel delirium intermissionis expers cum febre, sopore, & celeri obliuione iunctum. Celeritas autem obliuionis significat inæqualitatem motus materiæ in cerebro. Delirium ratione febris est, sopor ratione materiæ quæ generatione frigida est, corruptione verò calida.

2. Prorr.

3. de morbis.

Carotica affectio ob affectos pulmones.

Κῶμα videtur confundi cum caro, sed propter suas differentias debet distingui. Si enim carus inexpugnabile dormiendi desiderium cum immobilitate significat, ἀπὸ τοῦ κώματος, differt quod pro specie habet κῶμα ἄγρυπνον. Dicitur autem veternus, & marcor. Definitur deficiens & imbecillus motus facultatis imaginantis, à frigido & humido magnam somni cupidita-

Coma quid.

tem inducens. Duplex est coma, somnolentum, & vigilans: illud lethargicis proprium, hoc phreniticis: in somnolento demittũtur palpebræ, sed excitati ægri sapiũt & respondent, mox desipiunt, quod variæ imagines τῷ φανταστικῷ repræsententur. Sic Coma somniculosum longè etiam differt ἀπὸ τοῦ κάρου. Galenus in Prorrhetico ex quorundam, & sua opinione dicit omnem καταφορικὸν κῶμα significare apud Hippoc. asseuerátque hoc verum esse. Et sic καταφορὰ significat propensionem ad somnum delationémque, quanquam sunt & qui καταφορὰν duplicẽ faciunt, vnã somnolentã, aliã non somnolentam. Propriè tamẽ τῆς καταφορᾶς, nomine appetitus summus dormiẽdi, & summa inclinatio designatur. Et hæc de Comate & Caro dicta sint. Nũc de Catocho & Catalepsi, qui affectus sunt soporosi, & idem significant. Catoche & catalepsis à cataphora caro, & comate differũt in hoc quod in catalepsi, & catocho fit summa in somnum propensio oculis apertis, in Comate, Caro, & Cataphora committuntur oculi & palpebræ [40]. Et hoc plurimũ interesse dicunt ad causæ diagnosin. Etenim κάτοχον καὶ κατάληψιν ab humore frigidiore & ficciore originẽ habere dicunt, cuius sedes est in posticis cerebri partibus & ventriculis. In comate & caro anteriores occupãtur, estque humor frigidus, pituitosus, crassus. Galenus Catochon ab exhausto spirituum inducta refrigeratione quadam & siccitate in cerebrum oriri scribit, exemplo adducto de eo qui cum impensiùs operam literis nauasset, ac elucubrauisset factus est κατεχόμενος. Κάτοχος enim dicitur ἀπὸ τοῦ κατέχεσθαι, & τὰ κάτοχα dicuntur, ea quæ morbum κατοχικὸν inferunt, vel significant morbos fixos stabilésque. Sunt qui κῶμα ἄγρυπνον καὶ κάτοχον, idem esse putant, asserúntque quidam proceres Medici κάτοχον, κατάληψιν καὶ κῶμα ἄγρυπνον reperisse se in eadem significatione apud Hippocratem. Quanquam reuera differunt. Nam κάτοχον simplex intemperies frigida & sicca committit, κῶμα ἄγρυπνον pituitosus & biliosus humor committit: ideo inter phrenitin propriè dictam & lethargum ambigit. Quod si & catoche & coma vigilans bilem & pituitam causas sui agnoscunt, idem planè significant, debent tamen distingui. Fernelius idem esse contendit. Nunc rem absoluamus. In caro, cataphora, & comate multa est humiditas cum refrigeratione neruos imbuens atque dissoluens, vnde immoti & stupidi commissis palpebris manent: In catocho & catalepsi siccitas est potiùs quędam cum quadam per-

Com. ad part. 1. lib. 1. Prorrh.

Com. in particul. 55. lib. 2. Prorrh.

Catoche & coma vigilãs quid.

frigeratione, & veluti euacuatio dissipatióque spirituum. Et quoniam de catalepsi & Catocho nil adhuc inter autores, nec de causa, nec de sede, nec quem locum habeat inter alios affectus soporiferos constare video, in his vocibus explicãdis paulò accuratior ero. Primùm dubitant à qua causa, nam alij à frigiditate & siccitate esse dicunt, vt Gal. Vnde differens de pulsu τῶν κατεχομένων, ait in illis priuationis motus causam frigiditati & siccitati tribuendam esse. Alij à succo melancholico esse aiunt, & verè affectum esse melancholicum. Alij à sanguine esse cóque multo, vt & coma vigilans quod Galeno scribit aliquando causam agnoscere sanguinem multum & bilem. Nam quatenus multus sua copia premens, soporem inducit, quatenus remista est bilis, vigiliarum occasio adest. Et quatenus & vigilant & dormiunt κάτοχοι, & cataleptici, medium quid esse putant inter phrenitin & lethargum. Et reuera confundunt catalepsin cum typhomania, quam quid mixtum diximus ante ex Gal. ex phrenitide & lethargo. Atque in primis audiamus Aetium, deinde cæteros adducemus. Nam & Aetius, & Fernelius, & Gal. & Rondeletius suas habent historias de catalepsi, quibus colligas modo ab his, modo ab illis causis pendere. Vt tandem nil de catocho & catalepsi definitum existat. *Media est affectio inter phrenit. & lethargum, species delirij medicis catoche & catalepsis dicitur, ex humore atræ bilis magis contingens. Periculosior est quam lethargus, Verum in febribus lethargo similibus consistit. Aliquando dormiunt, aliquando palpebras apertas habent, aut nictant, aut intentos oculos habent. Immo immobiles habent, vt neque si quis oculis manum obtendat, claudant, voce & sensu priuantur, nec audientes, nec respondentes. Et cum vellicantur admouent aliquando manũ ad nares & os, & tamen non sentiunt. Spiritus densus, aliquando rarus. Pulsus paruus & debilis. Per interualla magnus spiritus. Aluus ob stupiditatem astringitur. Nec omnino phreniticis similes sunt nec lethargicis.* 42. *Quandóque ob sanguinis multitudinem caput occupantis & implentis malum fit. Ita sanguine abundanti adolescenti contigit. Factus enim verè catalepticus quarto die euacuato multo sanguine liberatus est.* Ex hoc loco patet tum à sanguine catalepsin oriri, tum à quapiam alia causa: ideo dixit in febribus lethargo similibus euenire. Ac si dicat febrem in lethargo essentialem esse, in catalepsi symptomatica non est febris, nec essentialis cum catalepsi vt est cum lethargo, sed catalepsis ipsa sympto-

Com. in part. 1. lib. 1 Prorrh.

Aetius cap. 4. sermo 2. Tetrab. 2.

maticè in febrem incidit.

Hiſtoria Aetij de adoleſcente declarat à ſanguinis copia eſſe catochon: ſupra demonſtrauimus ἀφωνίας, à repletione eſſe. Catochus autem ſine febre ἀφωνία eſt. Hiſtoria Gal. ſuperiùs adducta ex Prorrh. de condiſcipulo qui inuigilauerat chartis, declarat catalepſin eſſe per quandam refrigerationem & ſqualorem τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ: in vero ſomno refrigeratio quidem eſt, ſed humectatio mediocris non reddit animantem inexcitabilem. At in catalepſi ſiccitas & marcor quidam reddit inexcitabilem. Hiſtoriæ ſunt aliæ apud Rondeletium quibus colligas à ſucco eſſe melancholico catalepſin, aut veluti à melancholia morbo. Narrat de Puella quæ cum eum cui nupſerat parum amaret, eo affectu correpta eſt præ mœrore[43]. Cum abſens erat maritus aut de eo nil audiebat, reſtituebatur, audito eius nomine, corripiebatur. Et cum ferret hydriam recordans mariti in via ſedebat, oculos apertos habebat, laruam, aut arte ſtatuam effictam dixiſſes. Non mouebatur, non quicquã interrogata compulſáque reſpõdebat. Verè erat morbus iſte quem Hippo. φροντίδα vocat, Latinè, cura & anxietas ſiue ægritudo animi dicitur. Vt quemadmodum ἄσα eſt corporis, ſic φροντὶς eſt animi: & ἀλύκη vtriúſque eſt. φροντὶς autem affectus verè eſt melancholicus. De eo nos dicturos ampliùs pollicemur.

Rondel. cap. 20. lib. Methodi medẽdi Hiſtoria mirabilis.

2. de morbis.

At contra ea quæ dicta ſunt occurritur bifariam: priùs quod nec frigiditas & ſiccitas catalepſin inducat, vt nec melancholicus ſuccus: poſteriùs nec item ſanguis. De frigiditate & ſiccitate ea eſt ratio: Catalepſis citò hominem occupat, item & citò aliquando ſoluitur. At frigiditas & ſiccitas non citò inducitur, ergo nec affectus eis cõgener citò inducetur. Nam quod à Gal. dictum eſt de Epilep. Idem & de catalepſi dici poteſt: verba hæc ſunt, *Verùm non ab ariditate & vacuatione Epilepſiam generari, ſed à ſucco craſſo vias ſpiritui obſtruente, hoc eſt argumentum quod & citò fiat & ſoluatur.* Quomodo ergo inanitis per vigilias ſpiritibus, refrigerato & euacuato cerebro marceſcentéque catoche ſubitò inducetur? Reuera illo loco Gal. agit in eos qui Epilepſiam naſci putabant ab ariditate, ſqualore, & veluti hectica intemperie cerebri ipſius. Galenus verò inſtat, quoniam hoc repugnaret facili Epilepſiæ generationi inuaſioníque, & facili ſolutioni. Ergo eſt potius ab obſtructione in ventre aliquo, non

Cap. 7. lib. 3. loco aff.

ab intemperie cerebri. Tamen idem de catochô videtur dici posse præsertim quod spectat ad exhaustum spirituum & refrigerationem siccitatémque cerebri. Nam de humore melancholico aliud est. Quis enim dubitat quin humor melancholicus possit catochon inducere, eo modo quo melancholiam morbum? Et cum epileptici fiunt melancholici per diffusionem materiæ in corpus ipsius cerebri, non in ventres, an vt melancholici fiant multùm temporis requiritur? Nequaquam. Ratio verò eorũ qui Aetium arguunt quod statuat catochon à melancho. succo esse, est, quod non omnes melancholici fiunt catalepti ci, friuola est, irrita & inanis. Nam quemadmodm non omnes qui impensius vigilant, nec qui multo sanguine abundant cataleptici fiunt, sic nec omnes melãcholico succo abundantes in catochon proni labuntur. Nunc expediamus quomodo catochos de repente oriatur, tametsi causa esse videatur refrigeratio, marcor & siccitas cerebri, vt historiæ vigilantium immodicè detexerunt.

Qui epileptici fiunt melancholici.

Ego vero sic sentio: Catoche quadrifariam potest occupare cerebrum, & actiones quæ à cerebro sunt labefactare. Primùm per præsentiam humoris; secundò per intemperiem; tertiò per resolutionem & primigenij humoris, & spirituum primigeniorum cerebri absumptionem, vt quid hecticum in cerebro esse videatur. Id est, Secundus modus fit per alterationem, Tertius per alienationem, vt exemplis patebit. Quartò fortem aliquam imaginationem rei tristis, vt spirituum animalium vel fiat conculcatio oppressióque vel dissipatio. Quomodo tunc melancholia dîcitur, & cum affectibus melancholicis cõgruit: Eo modo quo priùs citauimus ex historia puellæ maritum odio habentis: & ex Hippo. cum disputat περὶ παρθενίων. Quæ omnia nisi ad vnguem tenueris, de catalepsi nil vnquam certum habueris. Maximè verò ad veram essentiam catalepseos non tam præsentia humoris requiritur, quam eæ intemperies, & anxietates solicitudinésque animi de quibus diximus, concurrente maximè corporis & cerebri temperamento, vt corpus sit siccius, strigosiúsque. Pręsentia humoris est vel vt sit sanguis, vel vt sit succus melancholicus. Sanguis bifariam, vel sua quãtitate premens, vel qualitate, id est, vt mora in cerebro per vigilias, aut mœrores melancholici humoris naturã acquirat, florem enim facilè suum & nitorem sanguis amittit. Sua quan-

4 Modi catoche fieri potest.

titate dum sanguis præhendit premítque cerebrum, præsertim si libera est respiratio, vt pote partibus obsessis posterioribus, & si iuuenis est, qui cum non facilè obruatur & stupidus iaceat, à copia sanguine pressus, veluti vigilans manet: tunc catalepsis sanguinea dicetur, & ad κώμα ἄγρυπνον proximitate accedit.

Sin qualitate potiùs sanguis peccat, tametsi priùs esset laudabilis, melancholica catalepsis dicetur. Fit autem cum plenitudo est aliqua in cerebro ad vires, quam cum natura non regit dum moram trahit ibi sanguis facile immutatur, præsertim si quis calor alienus adueniat, vt tota affectio μελαγχολικὴ esse dicatur. Et quemadmodum corpora sanguinea si effluuium nõ habent, melancholica redduntur: quod in toto corpore fit, id in capite fieri potest: vt particularis sit suppressio & ob congenerem suppressionem, morbi congeneris generatio, quo in sensu Hippo. dicebat: *Faciei color bonus, & mœstitia multa, malum.* Quo loco Gal. demonstrat quomodo ἐξέρυθροι melancholici fiant, cum facilè sanguis aduratur, & succi melancholici naturam acquirat. Quæ in eo Com. scribuntur huc maximè pertinent. Maximè verò sanguis in capite immutatur, si quis aut natura sit melancholicus, aut ex euentu, & non ἄνευ ταῦτης προφάσεως. Nam cum melancholici, vtrouis modo sint, perpetuò aliquid animo versent atque voluant, facilè ea cura, agitatióque sanguini mutationem conciliat. Atque eo modo tales in catalepsin proni sunt, præsertim verò si qua causa extrinsecus aduentarit, quæ semen morbi ipsius sepultum excitauerit. Et tales Catalepses repentè possunt incidere, quemadmodum & epilepsia, & apoplexia. At non sic quæ ab intemperie frigida & sicca, aut quæ à resolutione, aut à mœrore, quas explicare consilium est. Si quis auidius & diutius incumbit chartis, præsertim si noctes insomnes ducit dissipatione spirituum & siccitate præsertim humorum fluentium & spirituum, rigidus potest manere & catalepticus, quasi in cœlum raptus. Sic non est quod ij arguti requirant longum valde tempus ad inducendã istam intemperiẽ frigidam & siccam, & præsertim quod pertinet ad alterationẽ, & fluẽtes tum spiritus & humores. Quid enim tã facilè dissipatur instauratur quàm spiritus? Testãtur ij qui natura famelici sunt, qui statim expallescunt & dissoluuntur, guttula verò vini resurgunt & ad se redeunt. Et dum quis ita exhaurit labore cerebrũ, iam rudimenta futuræ catalepseos habebat, prout per-

Part. 14 lib. 2. Prorrh. Gal c. 7 lib. 3. loc. aff.

Quæ catalepsis repente non incidit.

seuerabat effluuium spirituum, sed malum non apparuit, quandiu iam partes solidæ inuadi cœperunt. Sunt enim quidam morbi qui non priùs apparent quàm iam tacitè clámque aliquot tempora percurrerint, & cum nos præhendunt, iam penè in vigore sunt. Quod de dipsaco elegantissimè & subtilissimè Gal. docet, ait enim diabeten qui affectus est renum non protinus dignosci: sed quoniam renum naturale est desiderium, & ab eo sensus nostri non afficiuntur, etiam cum ad statum venit, ne percipitur quidem. Quod caninæ appetentiæ (quæ analogiâ respondet diabetæ) non accidit, quia enim ventriculus animali desiderio tenetur, protinus eius affectiones deteguntur & apparent. Itáque quod de dipsaco diximus, idem de catalepsi, ea præsertim quæ intemperiem frigidam siccámque cerebri sequitur, dicemus. Cùm enim se profert, iam principium morbi videtur elapsum, & vigor adest, in perpetuo enim tenore malum perseuerat. Est & alia catalepsis à quadam resolutione per alienationem cerebri, & ea repente incidit, sed non soluitur facilè, immo lethalis est. Quod repentè incidat, id audiendum est quoad sensum, non quoad generationem. Nam occasio causáq; fouebatur sensim, sed affatim malum sese repræsentat: Vnde cum nos alloquimur ægros, videmus eos statim mutos, & oculis apertis catalepticos fieri, dispositione hectica iam contracta, & vitio impresso partibus sese statim proferente. Ante docuimus duplicem esse phrenitin, vnam manifestam in alteratione cerebri, alteram occultam in alienatione. Et hæc deterior est. Idem de catalepsi dici potest. Propriè autem catalepsis, quatenus speciē morbi efficit propter alienationem contingit, vt non solùm spiritus & humores fluentes vim passi sint, sed & in partibus solidis ipsius cerebri nota inuratur. Talis catalepsis in morbos longos, & febres incidit, cum dissipatio facta est animalium spirituum, calor naturalis imbecillior factus, & hectica dispositio inducta in cerebrum. Dicam quod nobis videre contigit. Seruus equitis torquati totam hyemen quartana duplice, cum febre lenta laborarat. Exhaustus & marcidus penè erat. Repentè catalepticus factus est squalidis & siccis redditis spiritibus: sic generatio longa fuerat, sed inuasionis modus subitus fuit, sed non est solutus morbus nisi cum morte. Sic cum requirunt argutuli ad generationem catalepseos nescio quid vt cito fiat & soluatur: reuera quæ per

Cap. 3. lib. 6. locorum male affect. [illegible]

Vera catalepseos essentia.

resolutionem fit, non soluitur citò quia ab exhausto est, sed lõgam habuit generationem. Et eo modo docuimus ante Gal. quodam in loco ad phrenitidis generationem longum quoddam tempus requirere, in alio docet etiam subito fieri. Sed nodus hic soluendus est priore modo explicato Filius Domini Poüart, Consulis Regij, Catalepticus interiit cum duos menses tertiana laborasset, & penè extabuisset. Et reuera, vt planè fatear, vt repente adoriatur catalepsis, non tam facit sicca intemperies, & squalor (nam potius ad tarditatem inuasionis faceret) quam motus quidam symptomaticus qui quodammodo suscitat, impellit, & animat malum hoc quod in visceribus & medullis latebat. Vnde iste puer catalepticus capite dolebat ante, & in ipso morbo catocho tantus ardor percipiebatur, vt manum vreret. Sic dispositio ad catalepsin in capite fota alitáque sese protulit per translationem symptomaticam cuiusdã venenati vaporis, aut natura sese in cerebrum exonerante, & morbi sarcinam deponere volente. Et tales catalepses sunt ab exhausto. De iis audiẽdus Apho. Hipp. [46] *quæ cum exolutione fiunt & catochæ & aphoniæ, perniciosæ.* Sequuntur enim summam paupertatem caloris naturalis, & naturæ imbecillitatem, súntque mortis paranymphi. Quarta species catalepseos sequitur fortem imaginationem rei alicuius præsertim tristis, & animi concussionem ægritudinémque, vt viduis accidit aut mœrore cõfectis, aut pauentibus & metu consternatis: siemisideratæ manent, oculis apertis, & corpore immobili: ideo pace Rondeletij dicam, id quod puellæ acciderat congressum mariti repudianti fuit quidem catalepticum: sed non tam humorale fuit, quam vt sic dicam, mentale & spirituale. Putat id fieri à sanguine qui in succum melanchol. conuersus fuerat: ego verò potius animi πάθημα, fuisse iudico per vim fortem imaginationis quæ efficit vt nobis quodam modo abripiamur, & extra nos simus, quod non animaduertere eos qui Aetium repræhendũt miror. Quanquam fieri quidem potest vt humorum & natura, & propensitas corporis ad id concurrat Et in eo sensu audiri potest quod Hippoc. in Aphor. dixit vt antè enarrauimus: *Si quis de repente obmutescat, & linguæ incontinens fiat, id melancholicum est.* Rondeletius contra eos egit qui à sanguine esse negant.

Qui fiat Catalepsis sub finem morborum.

Par. 4. lib. 3. Prorrh.

Huic disputationi finem colophonémque addituri pauca adiiciemus

iiciemus ad ea quæ dicta sunt. In caro læduntur actiones quæ sunt in cerebro, in apoplexia eæ quæ sunt à cerebro. De Coma hoc quoque sciendum ex sententia Aetij, quod nascatur sæpissimè ex calidis & humidis vaporibus qui à cerebro efferuntur. Cur autem Linacer Coma verterit marcorem non video nisi quod marcêre significet torpere, item languore atque inertia teneri. Celsus cum de Lethargo loquitur ait, in hoc marcor est, & inexpugnabilis dormiendi necessitas. Nomen κώματος ἀπὸ τοῦ κωμάζειν deriuant, quod est crapulæ & comessationibus indulgere. Fortè quod κωμάζοντες facilè in talem morbum incurrant. Vnde nescio quid in mentem venerit Suidæ, vt non κῶμα, sed κάρον definiuerit ex vino ebrietatem, & grauem cum mentis impotentia soporem Græcè [illegible]. Nisi quod κάρος, dicatur ἀπὸ τῆς κάρης, id est à capite, quod [illegible]cilè διὰ τὴν οἰνοποσίαν, læditur atque offenditur. De Catalepsi quoque hoc sciendum. Non omnes Cataleptici eodem se modo habent: vna enim est absoluta, in qua torpidum & marcidum omnino corpus manet, altera non absoluta in qua partes etiam aliquæ sua munia obeunt.

Cap. 6. Tetrab. 2. serm. 2.

Diuersa catalepseos Idea.

Dextras partes dolêre narrabat.

Locus est satis insignis apud Hippo. qui difficultate non caret: Disputans enim de Empyicis ait, optandum potius esse vt sectio fiat in sinistris partibus quam in dextris. Nam dextras vrere aut secare lethalius est. Quantò enim robustiores sunt partes dextræ, tantò fortiores in ipsis morbi fiunt. Quæ an vera sint, quoniam hoc longiùs patet, ipse videris.

3. de morbis cap. de pleuritide ex dorso.

Olim sanguinem ore reiectauerat.

Ex ore sanguis multis modis reiicitur, vel quia è gingiuis, vel quia ab aspera arteria, vel à capite fluit, vel quia è corpore pulmonis, vel è ventriculo excernitur. In libris de loc. aff. notas dat quibus scias vel hinc, vel illinc fluere. Quod nobis metum attulit, fuit illa vetus reiectio sanguinis è pulmone cum iam diu laborauisset. Et ideo cum phthoe, aut vlcus sæpè consequatur hæmoptoicos, latentis abscessus in pulmone erat suspicio. Ita enim Hippo. omnem excretionem sanguinis è pulmone suspectam habet, ob ea quæ consequi solent. Quanquam

Aph. 37. lib. 7.

Hippo. diorismo vtitur, Qui sanguinem euomunt si sine febre, salutare, si cum febre malum. Nomen σωτηείκ τὸ δυνάμεν ὑπεξωθῆναι significat. Galenus in com. non vult verbum ἐμέειν significare excretionem è pulmone, sed vomitionem propriè sanguinis audiri, tum quod sanguinẽ vomere minus malũ sit quàm è pulmone educere, tũ quod omnis è pulmone eductio, ait, mala sit. Nam si febris non adsit, etiam periculũ est ne non citò curetur, si malum durauerit, breui febris aderit. Tamen in Coacis non vtitur verbo ἐμέειν, sed πτύειν. *Sanguinem spuentibus*, ait, *confert, vt sint sine febre, leuiter doleant, sputum tenue sit ad dies bis septem, febrire, tussire contumaciter, & recentem semper sanguinem excernere malum.* Quanquam propriè de pulmonibus loquens vtitur etiam in Coacis verbo ἐμέουσι. Reiectio è pulmone si sit tantum per anastomosin aut diapedesin, non ita mala est, si per διάβρωσιν, omnino suspecta esse debet. Et nos bifariam dicemus è pulmone sanguinem reiici posse, vno modo loco hæmorrhagiæ, altero ad exonerationem partis alicuius in qua graue aliquod periculum crearetur. Inueniũtur quibus occluduntur viæ ad nares. Si sanguis non absumitur in incrementum loco hæmorrhagię è pulmone educitur sanguis innocuè, item & in quibusdam sanguineis, aut in mutilis hæmorrhoidon loco. Et in eo sensu Celsus reiectionem sanguinis ex asperis arteriis, immò & per penem non omnino damnat, præsertim si febris non adsit, aut per commodum alium locum fluere desiit. Locus Celsi prę clarus est valdè. Altero modo sanguis expectoratur in hepaticis & lienosis, Lienosis per cœliacã, vt contigit filio [48] Præsidis Parisiensis. Is sanguinem affatim expectorabat: omnia penè pulmonum vasa rupta putabantur, & periculum tabis adesse putabant. Tandem dum fortè contingitur hypochondrium sinistrum, percipitur pulsus in ea parte, & palpitatio. Tunc hic latere fontem mali putant: & tractum ductúmque sanguinis manu percipiunt. Consultum est lieni. Multum & validè repurgatus, cessauit palpitatio & pulsus, item sanguinis reiectio. Cęterùm credibile sanguinem & spiritum ibi compressum & conculcatum fuisse, & propter cruditates cacochymiámque veluti obsessum, vnde successisset necessario aneurysma. Accedit quod nondum ex ephebis excesserat, & cum lautè viueret, multus erat sanguis qui cum per nares non euacuaretur, aliam rapuit viam. Ita legimus à suppressione mensium pulsum

Cap. de Tussi lib. 4. sed hoc desumpsit ex lib. 2. Prorrh.

ad partes vteri paruisse: vt in vxore Gorgiæ. Et in vxore Philini pulsus in Hypochondriis aderant ob cruditates, ait Galen. In hoc & erat suppressio sanguinis, & cruditas: Quod de filio illo consulis dictum est, idem nostro ægro euenire potuit, vt illa sanguinis reiectio non tam vitium pulmonum sequeretur, quam copiam & orgasmum sanguinis in præcordiis, & propter affectiones melancholicas [49].

5. Epid. & 1.

Venam secuimus à secta vena repetit malum.

In ἀφώνοις dubitant valdè medici an sectioni venæ locus sit. Hippoc. non omisit sæpè. Immo eam aduocat in eis affectibus. Et Gal. non abs re Hippocratem phlebotomiam amasse ac frequenter celebrasse autor est. Sed vt summus & prudentiss. fuit, non nisi tempore, iure, & loco id fecit. Si quæ antè dicta sunt animo comprehensa fuerint, iam aliqua ex parte tibi hac in re satis erit factum. Docuimus enim inter ἀφώνους, quosdam omnino refrigerari, quosdam calfieri, alios omnino immobiles esse, alios aliquatenus mobiles: Rursum quosdam fieri per venarũ interceptiones, aliàs per oppressionem magnam, aliàs per summam debilitatem & quandam caloris naturalis oppressionem, & velut extinctionem, in quibusdã dominari crudos valdè succos, in aliis non. Itáque vt non est eadem idea morborum qui τῆς ἀφωνίας, nomine continẽtur, ita non iisdem idẽ remedium, & præsertim venæ sectio congruit. Præterea eodẽ in loco docuimus Hippo. in iis morbis προπαρασκευὴν desiderare, aliàs non. Immo & in morbis istis frigidis conuulsiones corpus quatientes commodè eueniunt, vt antè adduximus. Hippocrates lib. 4. acutorum scribit: *Cum quis repente obmutescit, id venarum interceptiones faciunt, si sano absque forti occasione contigerit: Venam igitur internam brachij secabis.* Nam in sequenti Aphorismo docet notas abundantis sanguinis, & tunc audacius venam reserabis. Sed paulò post, quod valdè notandum est, dum meminit epilepsiæ, apoplexiæ, paraplexiæ, per commotionem humorum factæ; deinde διὰ τὴν στάσιν, id est stationem ob egressum humorum à propriis vasis scribit [50]. Talibus prius adhibitis fomentis venam statim aperies, cum nondum fixa sint omnia, quæ contristant, tum spiritus, tum fluxiones. Faciliùs enim remediis patent. Sic in duobus istis locis non longè à se dissitis ἐν ἀφωνίαις, primo quoque tempore venam secat, nulla præparatione præmissa, in

Part. 3. sectio. 1. lib. 3. Epid.

Com. in part. 27. lib. 4. acuto.

aliis vtitur præparatione. Reuera summus vir nullas rerum distinctiones omittit. Et in lib. de morbis dum loquitur de morbo attonito ait: *Hunc attonitum si sic habuerit lauare oportet multa calida, & quam maximè calfacere & aquam mulsam tepidam in os instillare. Hoc autem maximè faciundum cum humorum congelatio ac concretio est.* Quanquam Galenus videtur contentus sola frictione, non fomento, quoniam non ita semper concreuit sanguis vt effluere non possit. Sic post frictionem phlebotomiæ locus esse potest. Et in Epid. *Quicunque de repentè voce destituuntur, si sine febre fuerint, iis statim venam secato.* Quæ omnia conueniunt cum iis quę dicta sunt ex lib. 4. acutorum. Et mirum est cur voce destitutis venam aperit, si sine febre sint, cum potiùs febris ipsa ad phlebotomiam hortari debeat. In quo tacitè reprehendit medicos qui cum febrem percipiunt, statim dicunt se saltem ratione febris secare venam. At errant valdè, quia Hippocrates vim remediúmque ponit in febre, præsertim si sit analoga morbo. Mirórque aliud omnino sentire Hippo. aliud nostros homines agere. Sed de ea re fortè dicturi sumus. In eodem lib. 2. Epid. phlebotomiam in Epilepsia celebrat, eius verba sunt, τάμνειν τὰς εἴσω τοῦ νοσήματος τοῦ μεγάλου ἐν τάσει γινομένου. Secabis venas interiores, si magnus morbus in intentione est. Illud est obscurum, ἐν τάσει. Epilepsia videtur inter morbos numerari quos ἐξάδας Hippo. vocat, quòd redeant periodo. Sed vt rem breui finiam reuocaturus Lectorem ad Com. Fœsij in lib. 2. ἐπιδ. Epilepsia morbus acutus est, & chronicus. Acutus bifariam tum ratione paroxysmi præsentis in quo conuelluntur ægri, & si nunquam adorsus est. Nam vt Celsus annotat, cum nunquam solitus est quenquam præhendere, sępè hominem consumit. Quod ex Hipp. desumpsit, qui ait senes maximè Epilepsia perire si nunquam correpti fuerint. Adeo vehemens hic morbus est, maximè si quis, eius insolens fuerit. Chronicus est quia sæpè redux est, & homini συναποθνήσκει, vt loquitur Hippo. Cum ergo dixit Hipp. secandam venam in Epilep. dum in intensione est, credo Hippocratem non tam de morbi ipsius curatione agere vt eum phlebotomia tollere velimus, quàm vt occurramus periculo quod nunc adurget. Ac si dicat, dum vexat accessio ipsa & premit rediens morbus, venam secare bonū ad amotionem præsentis periculi. Quod Aretęus pręstat in curatione Epilep. Nemo enim dubitat Gal. & Hippocratem

2. de morbis.

Sect. 5.

In libris de morbis mulierum.

In Epilepsia secare venam ad anteuertendum paroxysmum: sed modo ex Gal. colligas secari debere malleolum, modo brachium. Et ita sibi parum constat. Sed eam difficultatem diremimus in primo libro Consiliorũ capite de Epileptica muliere. hoc valdè animaduertendum est. Atque ita ἐν πᾶσι γινόμενον interpretamur, cęteri suo vtantur iudicio. Et vt ad rem redeamus. In hoc nostro ægro venam aperuimus iuxta doctrinam Hippocratis, quod translatio esset symptomatica. Aetius in Catocho & Catalepsi, de quibus dictum est paulò ante, præsertim cum affectus sunt à sanguine statim venam secat: sed cum ab alio humore sunt, videtur eandem sectionem auersare[51]. Quod autem paroxysmus redierit statim vena secta, non existimo sectionem venæ id per se effecisse, sed cum morbus valdè premeret, omnia confusè & tumultuariè acta sunt. Et tunc secta vena est, cum paroxysmus redire deberet. At nondum de circuitionis tempore nobis certum erat.

Cap. 4. Tetrab. 2. serm. 2.

Cœpit statâ periodo reuerti, ídque noctu.

Longum arduúmque esset de periodis morborum disputare[52]. Nec enim id hoc loco tractandum est: ne omnia vno loco simul explicentur. Solùm duo nobis sunt explicanda an quod periodo malum rediret, aut dispositionem partis, aut humoris proprietatem sequeretur. Cum malum in cerebro sedem habet causámque fixam, ferè non intermittit, vt quidam putant. In eóque distingunt cerebri affectionem per protopathian, ab ea quæ fit per sympathiam, quod illa stabilis sit, hæc instabilis & fugax: sic distingunt deliria phreniticorum, vt antè dictum est; ab iis quæ in febres continuas symptomaticè contingunt, quod hæc fugacia sint, hæreántque minimè, illa verò stent permaneántque. Quanquam nec hoc verum est, nisi fortè in acutis[53]. Nam cum febris vrget, aut dolor capitis, si causa hæret cerebro fixáque est, ea habet fixa symptomata, facta comparatione cum iis quæ à causa pendent extra cerebrum posita. Sed in Chronicis, quoniam cuique humori sua est periodus & ῥοπή, non est necesse perpetuo malum sæuire, licet in cerebro diathesis sit, aut humor. Sic dolores dentium exercebantur hac aut illa hora, tametsi causa in cerebro loco proximo denti affecto lateat. Et ophthalmia certo quodam tempore exasperatur, licet causa in procinctu fuerit. Vnde quæstio est subardua an

intermiſſio in ægro demonſtrarit aut in cerebro diſpoſitionem eſſe, cauſámque latêre, an aliunde manare. Nam eſt quibus actu mens ægrotat, ij non perpetuò delirant, ſed τὰ πολλά. Quod ſi vt plurimum fiat, non neceſſario in cerebro cauſa poſita eſſe videtur. Niſi fortè aliud eſſe dicas intermiſſionem, aliud remiſſionem. In morbis quorum aut cauſa, aut διάθεσις in cerebro locatur eſt potius ἄνεσις, remiſſio, in morbis quorum cauſa longiùs poſita eſt, intermiſſio eſſe videtur? Et quocunque in loco humor poſitus fuerit, certas tamen habet inclinationes, cum antea docuerimus nil in natura ſine ordine & circuitu fieri. Vnde alij morbi nocturni, alij diurni, alij matutini, alij veſpertini exiſtunt. Et quod huic noſtro ægro maximè media nocte malum exacerbaretur, & iam in ſuſpicionem malè affecti pulmonis veniſſet, illud ſuppurati nobis opinionem fecit: Si id verum quod ſcribit Hippo. *Profectò*, ait, *in omnibus ſuppurationibus, & his quæ circa oculum ſunt, dolores ſunt ad noctem.*

5. Epid. Hiſto. de Trenone Damonis filio.

Reſtitutus narrabat.

Verè hoc totum quod huic ægro contigit catalepticum & catochon eſſe videtur. Nam οἱ κατεχόμενοι, vt Galenus docet, cum ſoluti ſunt paroxyſmo meminerunt eorum quæ acta ſunt, quodammodo audiunt, & actionum quorundam recordantur.

Com. ad part. 55. ſectio. 2. lib. prior. Prorrh.

Febre carebat.

Polliciti ſumus antè dicturos nos cur Hippoc. ſæpè dicat, abſque febre, ἀπύρως, ἀπυρέτῳ ἐόντι 54. Quoniam indicationes ſumũtur ex eo quod febris adſit, vel non adſit. Et vt priùs annotauimus ex ſecundo Epid. ſecat venam in aphonia ſi ſine febre ſit. Quaſi velit in aphonia febrem quodammodo dehortari phlebotomiam. Id autem propterea fit, quòd ſi febris adſit ea cruditatem ſucci poſſit diſſoluere atque quodammodo coquere. Ita Epilepſiam quartana ſoluit. & Tetanum febris, & febris item commodè aliquando conuulſioni ſuperuenit. Et Hipp. ſcribit: Subitaneis apoplexiis, ſi febris mediocris adſit (quod Græcè λελυμένως ἐπιπυρεταίνειν vocat) pernicioſum, vt Numenij filio. Acuit enim potiùs humorem, & deteriorem facit, naturámque debilitat, non autem diſſipat, & frigus corrigit. Acce-

dit quod cum parua eſt febris & multus humor crudus, plus fu-
mi excitatur & minùs diſcutitur. Et alibi paſſim calor febrilis
dolores Hypochondr. ab obſtructione, aut frigida materia na-
tos ſoluit. Quod eſt audiendum cum febris eſt potiùs ſym-
ptomatica, quam eſſentialis, & cum in caloris potius non pu-
trentis exceſſu, quam in putrente, vt ſic dicam, calore conſi-
ſtit. Nam cum in putri materia accenditur, quoniã putredo
inimica eſt naturæ, maior noxa naturæ infertur. Et miror, vt an-
te dictum eſt, medicos adeo ignaros vt in Apoplex. Epilep. ver-
tigine, parapleg. cum vident percipiuntúrque febrem, iuſtè
venam ſecari oportere putant. Et in ſuis deliberationibus à fe-
bre ipſa ſecandæ venæ indicationem ſumunt. Immo quia adeſt
febris, à phlebotomia eſt temperandum. Ac me herclè vi-
dendum, cur in quibuſdam affectibus abſentiam febris com-
mendet, vt cum loquitur de ſanguinem ex ore reiicientibus, in
aliis verò eiuſdem præſentiam febris laudet. Niſi fortè quis
dicat, Hippocrates cum dixit: Si quis ſit aphonos ſine febre,
venam ſecato, vocem & diorismum iſtum, Abſque febre, non
tam addi vt eius præſentia phlebotomiam dehortetur, quàm
vt nobis tacitè aliquid demonſtret, nimirũ ſi febris ipſius apho-
niæ cauſa eſt, non ſecabis venam, non quod fortaſſe non locus
eo in caſu phlebotomiæ ſit", ſed quod indicatio curandi non
ab aphonia, ſed à febre capienda ſit. Febris enim fortè phlebo-
tomiam, fortè aliud remedium indicat. Sed aphonia ipſa per
ſe, quatenus talis, ſine febre, vt febris ipſa nil indicet, phlebo-
tomiam poſtulat. Exempli cauſa ſputum ſanguinis poſtulat ſe-
ctionem venæ, niſi ſit pleuritis, nam pleuritis diſſuadet. Quaſi
verò in pleuritide non ſit ſecanda vena? Immo tunc ſecandi
capitur occaſio, cum ſputum cruentatur. Cur ergo ait pleuri-
tin indicare ne ſecetur vena in ſputo ſanguineo, hoc non vult
Hipp. Quanquam litera id videtur indicare. Sed conſiderat
ſputum cruentum, vel vt morbum, vel vt ſymptoma. Vt mor-
bum cum eſt proprio vitio pulmonis, & tunc αἱμοπτοϊκοὶ κ̀ ἀναφο-
ρικοὶ dicũtur", vt ſymptoma cum ſit ob pleuritin. Cùm enim ſit
ob pleuritin, nõ ex ſe poſtulat, phlebotomiã, eſt enim ipſa pleu-
ritis quæ fortè poſtulat, aut non. Nam cum medendi pleuri-
tidi alia ratio ſit quàm per phlebotomiam, ſieri poteſt vt ſpu-
tum ſanguinis nullo modo phlebotomiam indicet, quatenus
ſymptoma eſt, Quatenus morbus, omne ſputũ cruentum phle-
botomiam inſinuat.

Error Medicorum.

Aph. 37. lib. 7.

Par. 44. ſectio. 3. lib. 6. Ep. vide Com. ad Aph. 16. lib. 1. Apho.

Spiratio frequens, non magna, rara, licet deliraret?

Aetius cum disputat de Catocho varias spirandi difficultates explicauit. Ait enim, spiritus densus, aliquando rarus, ex interuallis magnus. Quod in hoc ægro contigit. Ac primùm quod magna difficultas esse debeat in affectibus partiũ in ventre contentarum, non solùm in thoracis partibus (quod malè quidam autumant) primum ex Gal. patet: *Perspicuum est quod ventriculus, peritonæon, splen, hepar, aluus, superiora tenuia intestina, & musculi præcordiorum in magnis thoracis motibus dolore vexantur, minùs in paruis. Ob id paruus & densus non solum in pleuriticis, sed in ventriculi doloribus & totius ventris, spiritus erit. Minùs verò prout eis sensus minor est.* [57] *Consimiliter respirabunt qui hepar, aut splenem, aut aliquod ex eis membrum effectum habebunt: Omnia enim talia partim appensa, partim agnata respiratoriis instrumentis, ad horum motum commouentur. Omnino autem densus & paruus spiritus signum est doloris omnium animalis particularum quæ iuxta respirationem commouentur.*

Cap. 12. lib. 1. de diff. resp.

Quæ hoc loco dicuntur à Galeno valdè sunt notanda ferè enim omnes cum difficilem respirationem vident, accusant pulmones. Et ex iis quæ dicta sunt duo valdè notanda erunt: priùs est quòd propter difficilem respirationem, causâ ipsa thoracem non egrediente, sæpè dolor oboritur in partibus ventris aut in ventriculo ipso. [58] Et tunc malè Medici partibus dolentibus manum applicant, cum dolor oriatur ex euentu, quia nimirum pendentes aut agnatæ partes ventris inferioris, instrumentis respiratoriis, trahuntur in consortium partium superiorum. Sic in validis tussibus, præsertim cum inanes sunt dolorẽ audiuimus tantum in ventriculo natum, vt necessariò opitulandum ventriculo ipsi fuerit.

Posterius quod notandum est, quemadmodum difficultas respirationis facit vt vi sympathiæ dolores in partibus ventris inferioris oriantur, sic difficultas aliqua spirandi oritur ob læsionem dolorémque partium in ventre contentarum. Et tunc est adminiculandum partibus ventris inferioris, relicto thorace, & partibus eius. Quod maximè in ægro nostro contigit, nam summa difficultas erat respirationis, & causam affectis pulmonibus aut thoraci assignabamus, sed malè: Erat enim latens in hypochondriis.

Quæstio alia, cur cum deliraret aliqua ex parte magnum & rarum, sed frequentem sæpè spiraret. Magna & rara enim spiratio delirantium est. Etenim, vt prçclarè demonstrat Galenus: *Immoderatam facere spiritus attractionem, quod est magnum spirare, & rursum immoderatam quietem (quod est rarum spirare) eius est qui neque quando desinere ab actione oporteat, nec quando incipere ob ignorantiãnesciat.* Et quoniãde iis abundè Gal. libro adducto, & ne fortè omnia hic cõfundam9, hoc diorismo rẽ definiemus. Non quoties quis delirat, magnum & rarum spirat, sed quoties magnũ & rarũ spirat, mente motus est; nisi occurras de mœstis & solicitis qui dum anguntur magnũ & rarũ spirant. Sed non tã propriè est magna & rara respiratio, quã suspiriosa, & velut dupla intro reuocatio, vt loquitur Hipp. De distinctione causarũ respirationis in mœstis & in deliris, quanquam analoga esse videtur, Gal. cap. 6. lib. 2. de diff. resp. Sic magna & rara spiratio est propria delirij, non tamen inseparabilis. Præterea omnibus deliriis potest comes adiungi rara magnáque spiratio, non omnibus deliris: quia contingit hunc aut illum delirantem, & habere aliquam affectionem quæ necessariò alteret illam respirationem, quæ ex se quidem phreniticorum propria est, sed ex euentu immutata; vt si quis delirat & phreniticus est, vnáque costa, aut inflammatur, aut hepar præsertim ad gibbas, aut lienis pars superior, aut osculum ventriculi, aut tenue intestinum, aut musculi thoracis, non hic expectanda est etiam præsente delirio magna raráque spiratio, sed densa, & parua. Et vt ait Gal. *Si à solo delirio respirationis integritas confunditur, magnus & rarus spiritus erit perpetuò: si à solo dolore paruus & densus, si delirium & dolor concurrat, & dolor superet, obscura ex delirio alteratio erit. Nam si dolor fortis est, perfectè euincit respirationis difficultatem, quæ ex delirio inducitur, vt non amplius magna & rara sit.* Maximè verò dolor immutat si ab inflammatione non ea quæ phlogosis dicitur, sed phlegmone, vt placet Galeno eodem in loco. Cæterùm præter cætera, valdè est commemorabile quod Galenus docet cur nimirum Dealcis vxor delira per totum morbum, & magnum rarúmque per tempus spirauerit, quod delirij propriũ fuit, & rursus breui spira (Græcè βραχύπνυς) cum tamen deliraret. Sed notandum quod dixit, hinc magnus & rarus spiritus per tempus, in quo dubitatur an per omne, an per aliquod tantùm tempus: sed audiendum est per omne tempus. Nam sub finem

Cap. 7. lib. 2. de diff. resp.

historiæ ait, perpetuò erat magnus, & rarus spiritus, sed vtrumque cohæret. Cum dixit per tempus, voluit indicare exiguum quoddam interuallum in quo breuispira esset, sed illud interuallum non fuit tanti, vt propterea in toto morbo non diceretur magnum & rarum spiritum habuisse Nam quod rarò incidit, non peruertit continuitatem. Et ad hunc locum demonstrandum Gal. citat alium in quo Hippo. vult docere totum annum vacauisse flatibus, quamuis adiecerit, Etesiæ parui sparsim spirauerunt. Hoc enim continuitatem τῆς ἀνεμίας, absentis non interturbat. Et ob eas à nobis allatas causas æger non magnum & rarum spirabat, tum quod delirus planè non esset, tum quod dolor aderat de quo quereretur, qui etiam si delirasset magnitudinem & raritatem respirationis interuertisset.

Ilia ducendo.

Varia & multiplex fuit respiratio. Et ductio ipsa elatióque laboriosa hypochondriorum magnum aliquid subesse indicabat quod naturam ad agendum aliquid incitaret. Quemadmodum enim antea docuimus, si quid est præter naturam contentum in ventre inferiore, maximè circa ventriculi os, illud ratione continuitatis difficultatem respirationis afferre potest. Vt etiam pondus & oppressio ventriculi homines ἐγγαστριμύθους reddere potest, id est, quasi ex ventre loquentes, quia libertas sermonis ob oppressionem erepta est. Quod Polemarchi vxori contigit: *Circa cor*, ait, *aliquid colligi videbatur, respirabat more submersorum, ex pectore substrepebat, veluti qui clauso ore loquuntur*, ἐγγαστριμύθους vocant. Et qui spirant Ilia ducendo, aut propriam in pulmonibus latere affectionem indicant, aut in ventre inferiore. Vt mulieres dum hystericæ fiunt, antequam omnino ἄπνοι fiant, spiritum ex Ilibus ducere videntur, diaphragmatis, quod liberæ respirationis instrumentum est, oppressione.

5. Epid.

Aliquid Hypochondriacum erat congenitum.

Hoc non absque ratione additum est, vt latentis mali & Medicorum captum superantis probabilis aliqua ratio reddatur. Nemo ferè erat qui inspectis oculis, colore, gestu, actionibus,

capillo, & reliquis id genus: item more morbi, non dixisset id esse melancholicum.

Actiones quodammodo phreniticæ erant, propterea diximus antè, *more phreniticorum insiliebat*: aut vt veriùs dicam, aliquid erat μανικόν. Taciturnus valdè erat: & vt, inquit Gal. perpetuò loqui phreniticum est, sic tacere melancholicum. Sic ad melancholiam affectum erat corpus, vt ante diximus, cum eius temperamentum explicaremus, duóque Hypochondriacorum melancholicorũ genera proponeremus: accedebat & illa causa procatarctica, metus, & mœror de quibus antè quoque explanatum est. Quod autem hic dicitur de congenito habitu hypochondriaco illud sicco pede non prætereundum, nec aure supina audiendum. Hippo. in Historia de filia Euryanactidis postquam eas destillationes explicauit quibus erat obnoxia, & quæ mortem accelerare potuerunt, sub finem ait, ἦν δέ τι ξυγγενικὸν φθινῶδες: tabidum erat congenitum, Gal. in Com. ait: *Meminisse autem, oportet cur Hipp. dicat ingenitum esse tabidum propter Sophistas qui nullum affectum innatum esse asserunt. Cæterum illa innata tabes & dispositio tam repente illam filiam non sustulisset, sed quia cum eo affectu natiuo erat quoque extinctio facultatis naturalis, id repentinæ mortis causa extitit.* Circa ea quę de filia ista tabida à prima origine, tria obseruanda sunt, primùm est quod natura gentilitij sunt morbi & innati: secundum quòd ij per se non tollunt perimúntque nisi aliquid aliud concurrerit. Tertium & maximè præcipuum est, quod sub finem Com. Gal. addit: nimirum cur parũ solicitè & artificiosè Hipp. Dies criticos annumerauerit in tractanda ista Historia. Quod in cęteris tã negligenter non fecit. *Nil est*, ait, *cur tam curiosè de diebus criticis quæramus, cum illi in ista historia nullum habeant ordinem, quia mortem à capite destillatio attulit, & natiuum tabidum.* Quasi verò non fuit natura ordinata in morbis, tametsi occasio & à naturali constitutione fuerit, & à capite? Nunquid morbi capitis periodon suam habent? Immo ante docuimus nil in natura fieri, sine periodo & ordine. Id quod hoc loco à Galeno dicitur, habet me-hercules aliquid stupendum & notandum cum ait: Nullum ordinem dierum, in ea historia seruat Hippo. quoniam mortem & destillatio à capite attulit, & natiuum tabidum. Quod vt illustremus, hoc vnum dicemus. Morbi σύντροφοι, & συγγενικοὶ, sequuntur vitium totius substantiæ, & ἐν ὅλῃ οὐσίᾳ consistunt. Sic produ-

Com. ad histo. 15. sect. 8. lib. 3. Epid.

Hist. 6. sect. 2. lib. 3. Epid.

cuntur, aut repentè interimunt prout latens in eis malignitas, ſe prodit ac profert. Vnde videmus eos qui ſtirpe tabida ſati ſunt, aut latens à natura vitium contraxêre minimè opinantibus nobis eripi, quod morbi eorum non habeant aliquid ordinatum & periodicum, vt qui in humoribus conſiſtunt. Humores enim habent fluxum & refluxum, momenta & inclinationes, quò fit vt ſeſe nobis facilè prodant. At id quod connatum eſt, & in interiore partiũ natura immerſum ac implicitum, cum noſtros ſenſus lateat, ſæpè incerti ſumus de iis quæ circa ea geruntur, & quæ ab eis pendent.

Aliquid pulmonicum putabant, aut à pure vaporem, aut tuberculum.

Qui pulmonicum quempiam dicit, nil certi deſignat, & erratur hic maximè. Tamen politico loquendi modo pulmonicum aliquem dicimus cum vel ſatum parentibus pulmonicis videmus, vel certa ſeſe nobis offerunt ſigna quibus labem aliquam in pulmone latere colligamus. Cum tuſſiculoſus eſt, cum ſtridulam habet vocem, dum impeditam; dum propter rationem emaciari videmus, dum genæ rubicundum floridúmque aliquid habent, & in cæteris pendulæ videntur. Quam loquendi formam ſecutus Hippo. aliquem πλευμᾶν, id eſt, pulmonicum eſſe dicit, quem nos tabidum vocamus. Et ideo Cornarius vertit, ἢν τις πλευμᾷ, Cum quis ex pulmonis affectu tabeſcit, poſtea enim hoc explicando aperit omnia ſigna quæ adeſſe ſolent in phthiſico. Cæterùm ideo ſuſpicabantur aliquid eſſe pulmonicum, quod olim ſanguinem reiectauiſſet ore. At nos docuimus antè hoc fuiſſe potius hypochondriacum quàm pulmonicum.

Lib. de morbis.

Dolor iſte, & calor repentinus à tetro vapore efferri putabatur, ob collectam circum pulmones materiam. Nam cum inſolentia iſta viderentur ſymptomata, omnes cauſas confingebamus, & vndique eruebamus. Et in tam ancipiti negotio ignorabatur à qua parte id manaret, & cui auxiliandum foret. Quo loco poſſumus recenſere illud quod de Epilepſia, dixit Hippoc. nam & ad alios morbos cõuerti poteſt. Grauius habent ab Epilep. quibus hic morbus adeſt nullam ſignificationem præbens ex qua corporis parte initium ſumat. Nam quibus ex capite initium capit, aut latere, aut manu, aut pede faciliùs curatur. Et

Lib. 2. Prorrh.

rursus differunt hæc genera, nam quę à capite sunt, grauissima sunt, deinde quę à latere: quæ à manibus & pedibus, facillimè curantur. Quomodo dicimus eos citò mori qui fortiter, sæpè, & sine causa manifesta exoluuntur: quasi verò si exoluantur à tuberculo in corde (est enim causa quædam manifesta præsertim cum suis se signis exhibuit) illud minùs malum fit: sed hæc per comparationem audienda sunt. Nam id fit ob curationem. Si enim certo scias à capite malum esse, aut à brachio, aut alia parte, illud est quodammodo numerandum inter τὰ φανερὰ, præsertim si compares cum latente sede, & latente causa. At medicus in eo maximè debet laborare vt τῇ διανοίᾳ, στοχασμῷ, aut ἀναλογισμῷ, aut τοῖς τεκμηρίοις, venetur & exploret sedes affectas. Non aliena erat suspicio è tuberculo vaporem efferri horum autorem. Nam cum diuturnus aliquis lateris dolor est qui ordinariis remediis non cedit, is in suppuratum abit, ait Hippo. Et lib. de morbis adhęsum pituitę ad costas, inflammationem inducere ait, & dolorem pleuritidi similem: Ac si ea pituita valdè puri analoga inflammetur, quis dubitat quin non efferri possit teter vapor cerebrum feriens? Ita enim scribit, *Si pus in ventre moretur, totum corpus ab eo calescit, maximè partes vicinæ. Calescente corpore humiditas eliquatur, &c.* Quomodo autem caput facilè incalescat ob affectos pulmones, Gal. explicat in acutis.

In Coacis. lib. 1.

Com. in part. 17. lib. 4. Acuto.

Aut articulorum pulmonis conuulsionem.

Quia desipiebat, & ita torquebatur quasi pungens & stimulans aliquid circum pectus eum solicitaret, ideo veniebamus in opinionem illius morbi quem Hippo. σπασμὸν τῶν ἄρθρων τοῦ πλεύμονος vocat. Huius vide descriptionem in lib. de morbis.

Lib. 2 de morbis.

Vstio, sectio, maturatio flagitabatur.

Ferè de crudo tuberculo laborabamus omnes: ac tum quærebamus num maturandum esset, quod à maturatione fortè plus periculi. At Hipp. loquens de pleuritide in qua crudum est tuberculum ait: *Melius est suppuratum fieri etiam si dolorosum fuerit. Minus enim lethale est.* Et eodem lib. cum loquitur de iis qui iam suppurati erant, sed translatum est pus à loco in locum ita dicit, oportet autem rursum pus maturari: *Nam ex eo quod*

pus ad ampliorem locum deuênit, perfrigeratum est, & sic recruduit.

Alij Ephialtem & Hypochondriacum suspicabantur.

Cum morbi tam insolenter inuadunt, se nisi suis pathognomonicis signis aperiant, difficile est de iis statuere. Nam multa sunt signa ὁμοειδῆ καὶ ὁμογενῆ, quę multis conueniunt morbis. Incubo laborantes, & hypochondriaca passione multa habent signa similia. Cęterùm cum olim tantum sanguinis reiecisset, & tamen calido & sicco esset temperamento, illud humores synceriores reddere potuit, id est, sero suo natiuo (quod humores mansuefacit) destitutos. Et Gal. docet siccos non ferre euacuationem sanguinis, id est, quibus aluus sicca, & qui squalidi sunt[61] hęmorrhagia etiam critica eis mala est. Multò magis si critica non fuerit[62]. Cęterùm non abs re de Hypochondriaca affectione dubitabamus, non omnes ferè hypochondriaci per sympathiam quandam occultam thoracem dolent. Et Medici existimant in pulmonibus latere malum, aut costis, cum id fiat tantum ratione dispositionis Hypochondriacæ, in qua flatus excitantur pessimi qui oberrantes dolorem pectori inferunt, & difficultatem spirandi afferunt. Vnde etiam ante diximus δύσπνοιαν, contingere posse propter affectum & mesenterij, & ventris inferioris. Incredibile enim quanta patiantur hypochondriaci melancholici. De quibus extant hist. apud Hipp. De Nicanore, Damocle, Phœnice, qui cum essent melancholici varios dolores in spina, collo, capite, tendinibus pertulerunt. Itáque Medici debent maximè ad corporis naturā attendere, vt non temerè affectus vnus pro altero supponatur. Nam noui plerísque hypochondriacis sectam esse venam ob dolorem lateris, cum is tantum esset ratione cuiusdam flatus ab Hypochondrio surgentis. Quanquam Hippo. ventositatem flatuosam phlebotomia soluit, sed de ea audit quæ cum phlogosi est, vt in hydrope sicco ob inflammationem lactium, vt phlogosis sufficiat ad flatum generandum, non ad dissipandum.

Com. in part. 2. lib. 1 Prorrh.

Part. 6. lib. 2. Prorrh.

Aph. 4.

Post purgationem conualuit.

Illud vsurpauimus, melancholicos infra purgato ἀδεεστέρως.

Tentauimus vomitoria Hippocratem ſecuti, qui obiter præclarum præceptum proponit. *In purgationibus inſtituendis, ventres ſubpurgabis in morbis, cum matura fuerint, infra, vbi conſidiſſe videris. Signum habes, ſi nec anxij, aut capite grauati fuerint, aut cum poſt exacerbationes ceſſarint. Surſum verò in exacerbationibus* [63]. *Tunc enim ſua ſponte eleuantur, cum anxij, & capite grauati fuerint, ac ſe iactarint.* Hîc Canones explicantur adhibendæ purgationis ſurſum aut deorſum cum caſus iſti præcipites exiſtunt.

5. Epid.

Eruperant puſtulæ ambuſtis ſimiles, an quia ſplenicus?

Nemo intelliget illud cur adiectum fuerit, *An quia ſplenicus?* niſi res Commentario illuſtretur. Tuberculorum & efflorescentiarum quædam malignum quid habent, & cœlo tribuendum, quædã à corpore ſunt [64]. Quæ à corpore, aliàs Cacochymiam ſequuntur, aliàs aliquod peculiare habent, & certam partis alicuius diſpoſitionem ſequuntur. Vt qui ſunt melancholici, aut hepatici, aut aliter affecti, aliquando aut tuberculis, aut maculis inficiuntur, quæ ſunt notæ peculiares affectionis partis, aut temperamenti corporis. Sic in pulmonicis ſuffuſio genarum, in hepaticis frontis & faciei floreſcentiæ quædam, in conuulſione articulorum pulmonis circulares notæ in tibiis apparent, in quodam fluore albo mulierum, & in morbo pituitoſo appellato eminentiæ quædam cutis apparent ſubtumidæ quas Hippo. πομφὸς appellat: Ita & lienoſi habent maculas quaſdam nigricantes, aut affecto lieni, aut toti corpori congeneres. Quod Hippo. annotauit de fratre Ariſtęi vxoris, hinc tubercula parua Therminthi vocata apparuerunt ασπλένως, & ſubdit, ὑπόσπληνος ἔλω. Ac ſi reddat rationem, cur talis eruptio contigerit, vt diſpoſitio in ſplene talis eruptionis cauſa fuerit. Ideo quærimus de ægro, an quia ſplenicus erat? Ideo medici cum aliquid foras vident inſolenter erumpere, non ſtatim malum quid ominari debent.

2. de morbis. & 2. de morbis mulierum.

Tandem multis euacuatis valido medicamento reſtitutus perfectè fuit. Vt ex curationis euentu qui multis vltrò citrò tentatis rerum fidem fecit, tandem collegerimus à ſuppreſſione peculiaris cuiuſdam excrementi in prima regione corporis tantum morbum, tantis comitatum ſymptomatis obtigiſſe. Sed

ad ideam tanti morbi & causæ procatarcticæ, & ἡ ἰδιοσυγκρισία concurrerunt.

Porrò plura multò in historiam morbi traducenda erant, nisi nos consuetudo Hippo. quem vnum vt ducem optimum imitari consilium est, ab ea re reuocasset. Non enim ille, vt Thucydides, omnia narrauit, quod historici proprium est, non medici præsertim compendium consectantis. *Thucydides*, ait Galenus, *omnia scripsit, etiam idiotis nota, Hippocrates verò pauca ex iis quæ ad affectionem pertinent, circa quæ ægrotus est periclitatus: multa verò alia scripsit idiotis neglecta, artificiosam tamen & exactam cognitionem exhibentia, & quæ etiam optimos medicos latere possunt.* Et multa alia eo loco scripsit de distinctione modi scribendi Thucydidis & Hippocratis.

Cap. 7. l.b. 2. de diff. resp.

Si nos longiores fuimus in scribendo, quàm ratio postulauit, & ab Hippo. via, quam tamen nos velle sequi vt optimam professi sumus, deflectere videamur: id nos duabus de causis fecisse intelligat quisque velimus. Partim vt multa suppetant ad alias, quas deinceps scripturi sumus, historias. Ex his enim quę in vnius hominis paulò fortè ampliùs abundantiúsque historia conscripsimus, multa eruemus eliciemúsque quæ tanquam professione aliqua probata certáque ad aliorum fidem demonstrationémque pertinebunt. Partim quoniam vidimus aliud esse interpretis fungi officio, aliud scriptoris. Dum enim momenta rerum omniũ inquirimus, cur fiant, quorsum pertineant, si id verbo, conciséque docere volemus, intra breuitatis angustos parietes legentium animos cogemus. Quod vitio repræhensionéque cariturum non est.

ANNOTATIONES.

1. *Quod omnis morbus febris dicatur isque communissimus ex eo patet quòd frequentissimus, & sæpè acutissimus, aut acutis propè omnibus connexus sit. Vere enim synochus, Æstate continua, ardens, tertiana, vt plurimũ sæuit, Autumno quartana vel erratica, Hyeme quotidiana Cælo sicco acuta, pluuio diuturna. Podagra mulieribus, pueris, eunuchis parcit, febris nulli ætati & sexui; Morborum plurimi tantum animalem, aut vitalem, aut naturalem actionem lædunt, febris omnes actiones labefactat. Quam ob causam fortè Romani febrem ne noceret coluisse dicuntur, vt sæuissimam & malignissimam luem.*

2. *Vel*

2. *Vel quia nullum ferè malum, nullus morbus adoritur quenquam quin febris non statim consequatur.*

3. *Hoc notandum est. Et nuper in D. Comite apparuit qui vitio iecoris interiit. Febris enim non satis videbatur ad eum necandum.*

4. *Febris capitalis, & particularis quid sit. Gal. com. ad Apho. 42. l. 7. istas appellationes reÿcit, febris lienosa, hepatica aut capitalis.*

5. *Hipp. Initio lib. 7. Epid. narrat de quibusdam febribus Epidemijs quæ erant valdè mites & ἤπιαι, id est lenes, vt non viderentur febrire ægrotantes nisi in temporibus, sic febris capitalis erat.*

6. *Rigor inanis in paroxysmus dolorem capitis accersit, & sæpè rigores in dolorem terminari videmus: & (quod mirum) in sorore dominæ Goguier, idem rigor dolorem lateris iam præsentem sine sudore, sine vlla excretione sedauit.*

7. *Vnde Arculanus cap. 15. De Incubo loquens ait, id fieri propter pororum oppilationes, per quos poros spirituum lationes & metus fiunt: Et vt fiunt per istam oppilationem, ita ægrè soluuntur sæpè, & Hipp. lib. de Iudicationibus, ait initio febrium hepar intumescere & expandi. Hinc Gal. in Prorrh. explicans eum locum, refrigeratio cum duritie Græcè ματὰ σκληρυσμοῦ signum malum, si in solis accessionibus febrium id fiat, id est durities ea contingat cum quadam perfrigeratione, malum moderatius indicat: si diutius permanet, maius, si verò perpetuo, mors vicina est. Sic apparet duritiem apparere in paroxysmis eámque non esse valdè malam.*

8. *Inter cæteros locos vnus est commemorabilis ad part. 45. sect. 2. acut. vbi docet Gal. Deliria initio morborum esse contra naturam & iudicatoria, vique tantum morbi fieri.*

9. *Incredibilia sunt symptomata quæ eueniunt in principiis accessionum. Hinc Hieronymus Gabucinius narrat quendam iuuenem vidisse se febre quotidiana laborantem, qui simul ac accessio præhenderet, syncopizaret, deinde epileptico modo conuellebatur. Eodem pertinet Histo. Dominæ Vieillard, & eius quæ ad mortarium aureum habitabat. Et id multis contingit similiter.*

10. *Aliquando, nam Gal. 3. locorum affect. docet eos quibus latissimæ sunt venæ aptos esse vt humorem melancholicum congerant.*

11. *Venus & Bacchus dicuntur λυσιμελεῖς, & neruifragi, quã ob causam pueri & eunuchi podagra non laborant cuius duas potissimum causas statuit Galen. Com. ad Aph. 28. lib. 6. partium neruosarum imbecillitatem & humorum prouentum.*

12. *Coitus calefacit. an quod semen frigidum? Reuerà semen non est*

frigidum nisi impropriè vt & sanguis qui frigidus dicitur Hipp. lib. de carnibus, & sub finem libri de corde. porro cum dicit per coitum excerni è corpore frigiditatem, ex hoc loco intelligere poßis textum Hipp. 6. Epid.

Ad increscentes morbos mixtio. I. *Coitus.*

13. *Sanguis cum dicitur frigidus, id per comparationem cum sanguine arterioso intelligendum est, aut quia aqueam consistentiam habet & non suum calorem retinet diu, vt cæteri humores.*

14. *Tamen Com. in part. 27. lib. 4. Acutorum vertigines & apoplexias ob stationem, suppl. humorum fieri putat. Cum vertigo medium quid esse dicitur de vertiginis vera generatione, in qua tum vis naturæ, tum infirmitas apparet. Sed est alia vertigo quæ fit per commistionem alieni spiritus à partibus imis elati, & ista non eodem modo dicitur media, quo prior illa. Cæterùm Gal. libris de locis affect. vertiginem ab inæquali intemperie cerebri nasci scribit. Si quando de vertigine disputandum erit legendus est locus iste ad part. 42. lib. 4. Acutorum vbi ex professo agit de vertigine. Et inter cætera docet an sit vtendum balneo & quando. Qui locus est notandus, quoniam de ea re sæpè controuersia est. Id vxoris D. de la Grossetiere historia docuit.*

15. *Lib. de insomniis statim initio: sed melius sect. 8. 6. Epid. ait Hippo. Mentis* σύνοια, *id est intelligentia ipsa per se agit & negotiatur citra instrumenta, sperat, dolet, tristatur: Exemplo docet cuiusdam seruæ quæ omnium meminerat quæ in morbo euenerant.*

16. *Huc pertinet illud Arist. In Physiognom.* ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπάσχουσιν ἀλλήλοις. καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις ἀλλοιουμένη ἀλλοιοῖ τὴν τοῦ σώματος μορφήν.

17. *Hinc patet Epilep. apoplex. vertig. fieri aliquando per* ἀπόληψιν φλεβῶν, *aliquando per* τὴν χυμῶν διάχυσιν. *Duplex* ἀπότηξις, *&* σύντηξις, *vna propriè dicta quæ fit per quandam* ἀναστοιχείωσιν καὶ ἀνάλυσιν, *& ea propriè calori tribuitur* συντηκτικῷ, *vt est calor partes solidas* κακοηθῶς *depascens: altera est* ἀπότηξις, *quæ aut sequitur plenitudinem, aut relaxationem, aut diffusionem præsertim à calore extraneo moderato.*

18. Στάσις *humorum quæ, & an fit cum apoplexia epilep. vertigo oritur. Est vbi humores mouentur & opprimunt, est vbi stant, & obstruunt. Et id diuersa ratione fit vt hic explicatur.*

19. *Conuelli corpus aliquando bonum est, ait Galenus hoc in loco. Sed plenius hoc Gal. demonstrat ad part. 26. sect. 3. lib. 1. Prorrh. Quomodo paraplexiam conuulsio minuerit. Conuulsiones in frigidis affectibus vtiles sunt.*

20. *Apud Hippo. notanter legitur* τοῦ αἵματος φλεβῶν στάσιες, *id est, sanguinis venarum suppreßiones, quas ait leipothymiam inducere sectio. 7. lib. 6. Epidemiorum.*

21. Inter cæteros locos est præclarus, lib. de diebus Decretoriis apud Hipp. vbi rursum explicat istam ἐπίῤῥοην, & στάσιν, lib. Acutorum, & propterea rationem reddit tantarum vomitionum, anxietatum, & cardialgiarum quæ in principiis morborum fiunt: Acutus morbus fit cum bilis in hepar ἐπιῤῥυῇ καὶ ἐς κεφαλὴν καταστῇ. Hepar enim intumescit, & ἀναπτύσσεται πρὸς φρένας expanditur ad septum, & multa alia ibi commemorabilia.

22. In libro à me conscripto de vrinarum hypostasi vocem istam σύστασιν explicauimus.

23. Διιχωρεῖν, vertimus in serum verti, vel sanguinem serosiorem, & saniosum fieri, quod in corporibus humidioribus fit facilè præsertim si perflatum non habeant, si adsit febris, & humores putreant. Hinc Aristotel. 3. de Hist. animal. cap. 19. ait, si sanguis immodicè tumescit, morbus infestat. Sic in speciem saniei diluitur (quod διιχωρεῖν dicetur) & adeo ferescit, id est, serosus fit vt iam nonnulli sudore cruento exudarint. Et Parrhisiensium corporum sanguis omniũ facillimè ob humiditatem διιχωρεῖ. Hipp. lib. de dentitione διιχωρεῖν, serum multum reddere dixit. Vnde in morbis videmus eum sanguinem qui initio laudabilis erat suámque σύστασιν habebat, διιχωρεῖν serosum reddi, & multorum eam ob causam malorum autorem. Multa vrinatione aut sudore defæcatur, & suũ denuò statum retinet. Et fortè illud est quod Hipp. scripsit in causo ichores biliosos in venulas arefactas attrahi. Magna enim vis est ichorum, & seri ad orgasmum humorum, id quod dysenteriæ docent: & facilis per sudores criticos illud serum emolientes, solutio. Et videmus in morbis nisi tempore secta fuerit vena, & calor corrumpens adsit cachecticum habitum induci, & serosum sanguinem reddi multis de causis; Quod dum fit morbi solutu sunt difficiles, & frustratum sæpius sanguis mittitur.

24. Gal. Com. ad Apho. 51. lib. 6. Narrat causam doloris capitis repentè oborti homini sano à spiritu flatulento maximè esse.

25. In sequentibus docuimus, an quis κάτοχος, & ἄναυδος esse queat, & tamen deliret.

26. Et multis concusso cerebro vox intercepta fuit recreati ac reuelati à morbo meminerant eorum penè omnium quæ acta erant.

27. Immo vidimus quosdam quibus, cum diu sine capitis dolore laborauissent, repente ortus est capitis dolor insignis, & paulò post mortui sunt.

28. Medici diligenter debent animaduertere, an aliquid debeant moliri cum hominem attonitum febris præhendit. Nam talis febris potius apoplexiam tolleret quàm eandem foueret. Et tamen cum febrem

obortam vident, tunc legitimam phlebotomiæ celebrandæ occasionem porrectam putant.

29. *Secunda hæc species phenitidis tacita, obscura deterrima est, vt & loco allegato Prorrhetici apparuit, & in historia de vxore Dealcis sect. 3. lib. 3. Epid.*

30. *Sect. 3. lib. 3. Epid. Dealcis vxor erat phrenitica, & tamen febris ad manum lenis videbatur, & extimæ partes frigebant. Id fiebat ob mixtionem humoris melancholici: Hippocrates enim subdit, aut multa loquebatur, aut tacebat perpetuò. Taciturnitas melancholicum humorem designabat. Et Gal. cap. 1. lib. de succi bonitate, ait in pestilente constitutione inuasisse simul altum soporem & vigilias ob diuisam victus rationem quàm in calamitoso cœli statu transegerant. Ista enim pituita quæ cerebrum copia obruit præsertim si salsa aut acida fuerit, cum inflammatur, ardorem incredibilem excitat. Id quod in articulorum doloribus ab ea pituita natis obseruamus.*

31. Τυφῶδες, & τῦφον, *gallicè dices,* vn feu couuert, *quod ad homines stupidos referunt in quibus subest quædam agilitas.*

32. *Hæc sunt in Com. ad part. 73. sect. 2. lib. 1. Epid. Pulmo focus febrium est ardentium.*

33. *Non ita hæret quin perturbetur, & agitetur quodammodo, sed impressit suam vim ipsi cerebro. Ita enim ad par. 26. lib. 1. pag. in phreniticis vult varia spectra adesse,* διὰ τὸ θολωθῆναι χυμὸν, *id est turbari. Vide ante cum diximus & humorem in partem fluxisse etiamnum moueri, si tumor phrenitidem faciens egressus est, quomodo mouetur & θολοῦται.*

34. *Cum deliria sunt phrenitica, iunctum est* τὸ θρασὺ: *cum sunt symptomata febrium continuarum* τὸ θρασὺ, *non adest.*

35. *Tamen in histo. de phrenitico, & aliis multis in locis statim phrenitis orta est.*

36. *Nec rationes sufficiunt hoc in Commentario adductæ ad intelligendum de quo quæritur, sed scire quoque oportet eundem etiam humorem varia posse morborum genera efficere. Nam vel per venas fertur, aut iis figitur, vel per neruos, rursum vel eorum capita, vel medium, vel corpus internum, vel medullam, vel membranam occupat: Item per innumeros poros, aut meandros fertur, quas inanitates vocamus: vt mirũ non sit, si prout vel hoc modo, vel illo fertur humor, vel has vel illas partes, aut vias occupat: Itaquoque morbi euarient.*

37. *Caueant Medici prædicere se depræhensuros aliquid in capite eorum qui morbo cerebri interierint.*

38 *Affectus cerebri, aut sunt* παραφρενικοὶ, καταφορικοὶ, *aut* κεφαλαλγικοὶ, *aut* καταῤῥοϊκοί.

39. *Hæc opinio est Gorrhæi: & ea non est probabilis, potiùs enim induceretur Epilepsia, sed verum est partem capitis anteriorem occupari, non ventriculos, præsertim solos.*

40. *Sedes & causa* τῆς κατοχῆς, *hæc autem à licciore humore nasci dicitur.*

41. *Rondeletius vult non esse* κῶμα ἄγρυπνον, *sed* κατάληψιν. *quæ inter lethargum, & phrenitin ambigat, quod ea à copia magis sanguinis fit: hic est autem magis frigidus quam qui phrenitin facit, magis calidus quam qui facit lethargum.*

42. *Catalepsis à copia sanguinis quanquam in præcedente pagina à siccitate oriri dicta est. Notanda hæc decisio, est autem vbi catalepsis in febres longas incidit, (vt nos vidimus) & à siccitate & refrigeratione oriri dicitur, est vbi in initium febrium incidit corpore iuuenili, & tunc à sanguine esse potest.*

43. *Et reuera cum vulgus catalepticos, aut* κατόχους *videt, melancholicos vocat, & id affectionis genus à mœrore oriri putat.*

44. *Ita enim Gal. in Prorrhetico, ait, quo modo totum corpus per intemperaturas afficitur, ita & caput.*

45. *Videmus enim in paucorum dierum febre corpus ita sæpè resiccari, vt marasmodes penè reddatur. Id quod maximè biliosis accidere solet.*

46. *Nam in quibusdam morbis est* τάσις τις, *in aliis* λύσις. *In quibus est* λύσις, *Deterior est natura, deterius ingenium, in apoplecticis veris in quibus est* ῥέγχος, *vera* λύσις *cernitur.*

47. *Rejectio sanguinis per os formidabilis putatur. Hoc in capite signa diagnostica attulimus quibus facilè discernas vbi illa excretio metuenda sit, & vbi non. Cæterùm vide locum præclarum apud Plin. ca. 38. lib. 11. de Maximo Visco, & Volusio, qui hæmoptoici forent.*

48. *Et tandem ille extabuit, & post istas reiectationes sanguinis minùs prospera valetudine est fretus fluebat affatim sanguis, &* τρόπον αἱμοῤῥαγικὸν, *vt in 4. Aphor. loquitur.*

49. *Inter locos, quos vnquam legi, celeberrimus est lib. 2. Prorrheticon, cum loquitur* περὶ ἀναῤῥήξεων αἵματος, *id est, de excretione sanguinis per os atque ait Hipp. inter hæmoptoicos euadunt quicunque dolores habent melancholicos, & in dorso, & in pectore. Quasi hi minus laborent & periclitentur quàm alij. Accedit, & id quod notauimus de Latonio Crespiensi Valesio in vico des Nonnains d'Hierre, qui excreuit ingentem copiam sanguinis nigri,* ἀπύρετος ἐών, *& habitu valdè melancholico est.*

E regione lienis in ventriculum eructabatur, & miraculo euasit.

Porrò quod ad melancholicos pertinet, ij sæpè sunt flatuosi: flatus autem maximè facit ad ruptionem venarum, & proinde ad sanguinis reiectationem. Id quod Gal. Com. ad particul. 13. sect. 3. lib. 6. ep. annotat dum rationem reddit, cur πλευρώδεες *hæmoptoici fiant, flatum enim id adiuuare author est.*

50. *In omnibus enim istis doloribus* τὰ ῥεύματα *spectantur. Porrò duplex est* ὁρμώμενον καὶ συνιστάμενον.

51. *Lib. 7. Epist. Historia est de Halicarnassensi, cui cum auris, & caput doluisset sectione venæ læsus est, quoniam (ait Hippocr.) suppuratio facta non est fortè idem contigit ægro nostro.*

52. *Locus est præclarus apud Gal. Com. ad Aphorismum 63. lib. 4. vbi vult diathesin ipsam, non autem humorem noui paroxysmi causam.* In quibus, *inquit*, febres soluuntur ac rursus redeunt remanet quædam dispositio præter naturam in corpore à qua secundum circuitum febres, & alij casus generantur. *Vnde D. Syluius annotauit febrium quartanarum fomitem dispositionem cancrosam in liene esse. Et hoc vocat Hippo. cum dicit, Autumno splenes. Sed inter cæteros est vnus valdè commemorabilis vbi loquens de vitiligine docet morbos & dispositiones manere, facta etiamnum euacuatione: vnde mirum non est si ex hominibus tertianariis quidam intra 4. aut 7. circuitus sanentur, alij verò non nisi intra annum. Et iste locus ad multa vtilis est, & vt medicus sese calumnia liberet. Vide Com. ad part. 17. lib. 2. Prorrh.*

53. *Annotandum est quod scripsit Plinius cap. 51. lib. 7. C. Mecœnati perpetua fuit febris. Antipater Sidonius Poëta, vno tantùm die natali singulis annis corripiebatur febri: & eo die consumptus est satis longa senecta.*

54. *Gal. in Com. in part. 4. lib. 1. Prognost. ait calorem febrilem tenues humores consumere, & crassiores attenuare. Attenuare autem, est, excitare à crassis humoribus,* ὀῤῥὸν καὶ ἰχῶρα: *vnde tam repentè dolores excitantur in febribus.*

54. *Idem enim hoc est ac cum dixit ad sputum cruentum dissuadere phlebotomiam, sed hoc vult, si sputum cruentum est occasione pleuritidos ne sumas indicationem secandi ex sputo, quoniam forte ipsa pleuritis non petit phlebotomiam.*

56. Ἀναφορικοὶ ὅτι ἄνω φέρουσι τὸ αἷμα, *quanquam* τὸ ἀναφορικὸν, *iis attribuitur qui suspirant, & supergemunt, quasi spiritu interciso interruptóque.*

57. *Hæc omnia exemplis apparent, & plenissimè cap. 7. lib. 2. de diff.*

resp. si fortè de iis sit dicendum. Conformiter iis quæ hoc loco dicuntur Gal. ad part. 28. lib. 1. πρηγνῶσι, ait difficilem esse respirationem, si πάθος ὀδυνηρὸν, aut ventriculum, aut hepar, aut lienem tenet.

58. Et in primo Tomo Consiliorum annotauimus à contento in renibus calculo difficilem inferri respirationem. pag. 81. 82. & sequent.

59. Dicebantur ἐγγαστρίμυθοι, illi qui vel pythionem, vel dæmonem quendam in ventre habere dicebantur qui clauso hominũ ore responsa darent.

60. Hippo. lib. 2. Prorrhet. loquens de tabe, hydrope, & reliquis morbis, ait τὰ ξυγγενέα νοσημάτων δυσαπάλλακτα εἶναι, quæ locutio Græca notanda: sensus est, Quibus morbi sunt congeniti, ij haud facilè ab iis exoluuntur.

61. Hipp. lib. de internis affectionibus loquens de hydrope à liene docet dolores in mammis & scapulis oboriri: an propterea ad phlebotomiam recurrendum?

62. Qui Hypochondriaci sunt & flatibus abundant, & cruditatibus, vtrumque imaginationem pleuritidis afferre potest, quia & in cruditate ipsa & flatuum copia facilè thoracis dolor excitatur. Quod Aëtius amplißimè tractauit, cap. 68. sermon. 4. Tetrab. 2. & cap. de inflammatione stomachi, cap. 27. sermo. 1. Tetrab. 3. & Fernelius cap. 11. lib. 5. Pathol. & reuera melancholicus hic fuit morbus. Et omnino similis est histo. 7. Epid. de quodam qui in olyntho iacebat.

63. Tamen hîc dubitabis, an cum manet anxietas, & grauitas capitis num potius per aluum reuellendum sit quàm per vomitionem vacuandum contra id quod sentit Hippoc. Nam omnis vomitus caput replet?

64. In febribus sæpè exanthemata quædam circum labia apparent, & tunc vulgus credit febrem exiuisse. Sed id falsò. Pulmonicis (id quod hoc loco annotaui) efflorescunt nonnulla incute circum pectus aut scapulas, & talia sunt signa contentæ materiei in pulmone, cum apparent pustulæ in aliquo, videndum num id sequatur vitium quoddam particulare partium internarum.



HISTORIA SECVNDA.



LLVSTRIS Domina corpore ſatis laxo, fluido, pituitoſo, capite porriginoſo, dyſenteriis valdè obnoxia, ad menſem Nouembrem repentè ſenſit ab vtero fluere aliquid acre, mordax, & conſtrictionis anguſtiæque ſenſum inferens. Nil vnquam tale ſenſerat. Id tum euênit cum à viro ſubacta compreſſáque fuit recens è Curia reduce. Is cætera ſanus erat, naturâ ſalax, & vxorius: ſed ſex ante annis, quòd aliò diuertiſſet, virore venereo infectus litum, cæteráque eam in rem vſurpari ſolita, ſuſtinuerat. Nec tamen vetere tabo malóque territus à pellicibus abſtinet. Certa de eius, diuertendi aliò conſuetudine, opinio, & repentina inſolentis mali eruptio contagionis fidem facit. Sed ob dignitatem hominis authoritatémque, is non accerſitur in opinionem ſuſpicionémque deſerti Thalami. Aliis id venereum videtur, ſiue veteris mali reliquias cauſari oporteat, ſiue recens, flagránſque libido in alieno loco exercita id attulerit. Nonnulli fluoris muliebris contagionem aliundè in pudicitiam vxoris adſcitam contractámque accuſant. Honeſtiùs temperamento

ramento innocentis matronæ pudicæque tribuitur, ne diligentiore rei indagatione latens malum detectum contumeliosarum rixarum fomes ac semen existeret. Tandem cum curiosiùs inquiri vetitum esset, quid remedij sit, quæritur, an tutò id sisti possit, an totius corporis, aut vnius vteri vitio id fiat. Tandem legitima ratio medendi administrata est. Sed mulier parum medicis obsecuta, parum quoque leuaminis sensit. 1

COMMENTARIVS.

DVBIVM valdè est quid sit illud de quo tractandum, cum in historiæ descriptione nullius morbi, aut symptomatis certum nomen assignauerimus. Narramus enim de excretione quadam per vterum, quæ quoniam insolens erat, necnon insolenter ægram inuasit (si modo ægra dicenda sit, cum integra sanitate frueretur) dubium valdè est an ῥοῦς sit γυναικεῖος, qui frequenter in mulieres incidit, an virulenta gonorrhœa, an gonorrhœa simpliciter, an vitio totius corporis, an peculiari ipsius vteri vitio id contigerit. Maximè verò id difficile fuit, quoniam hinc & illinc multùm adesset difficultatis. Illinc quidem, quoniam parui non refert in æstimandis rebus istis præiudicata vti sententia, vnde si in luis venereæ suspicionem alterutrum vocaueris, veritatis odio aut tibi confles inimicitias, aut si non titè pensitatis rebus quicquam absolutè pronunties, querelis, criminationibus, ac iurgiis domum impleas: aut si securus nimiùm, morbum minuas opinionéque minorem dicas, dum adblandiri malo volumus, ægrorúmque leuando opinionem tacitæ existimationi speciosum aliquid prætexere, periculum vitæ creemus, aut vitam infœlicem, & calamitosam reddamus: tandem coacti vsurpare illud quod iam iudicio, & veritatis studio anticipandum & anteuertendum erat. Sæpè enim priua-

tis de rebus rogamur sententiam, vt cum nescio quo pacto, aut viro, aut mulieri aliquid alienius effluxerit, quærant num purus alium inficiat, num cum olim lue infecti fuerint, vxorẽ castam, quæ de re simili cunctanter conqueritur, contaminare potuerint, an non potius (vt omnes sunt quadam in sese indulgentia propensi, & facilè suspiciosi, præsertim, si vel minimus zelotypiæ aculeus eos pupugerit) mulier sui oblita muneris aliorum consuetudine id contraxerit. In quo quemadmodum hominum catorum prudentiúmque suspenduntur, nutant, ambigúntque iudicia, ne si illum deserant, vitæ eius metuendum sit, sin opitulentur, minas illius metuant, sic leuium hominũ ingeniola facile definiunt, determinant, præscribunt, imò & voce, & opinione prudentibus præeundum putant. At res istas expendere, & ad Momi lucernam obseruare operæ pretium est, maximéque ad Medici & autoritatem, & iudicium examen hoc & censura pertinet, vt ne quid præcipitanter pronuntiet, nil statuat de quo iam exploratum diligentérque quæsitum non sit. Sic conseruanda retinendáque autoritate, famæ & existimationi eorum consulendo qui nostrum ea in re aduocant consilium, & aut præiudicata opinione, aut rebus extenuandis saluti non insidiando, medicus gloriam æternam est consecuturus, & inuidiæ aut maleuolentiæ tempestatem, leuitatísque aleam est euitaturus.

Scopus noster est duplex, vnus vt examen statuatur quo distinguas, si fieri possit, gonorrhæam virulentam, & fluorem muliebrem, siue is vitij vterini consequens sit, siue toti corpori acceptus ferendus sit, siue capiti, quod in morbo isto primarius author existit. Posterior est vt de fluore muliebri dicamus ex instituto. Quanquam autem iam duobus in locis in nostris Commentariis de eo dictum est, dicendúmque est fortè plenius in ea πραγματίᾳ, quam inchoatam habemus de mulierum morbis, tamen iis relictis, & quæ nos iam expressimus, & quæ quis ex Rondeletio qui omnium amplissimè materiem istam pertractauit, venari possit, vela ventis dare, & longiùs paulo soluere volumus, quoniam res hęc & plurimum voluptatis, & vtilitatis est allatura.

Corpore laxo, molli, pituitoso, capite porriginoso 2, dysenteriis obnoxia, repentè sensit ab vtero fluere aliquid, acre, mordax, angustiæ sensum inferens, &c.

TEXTVS.

Dum vox illa, repentè, adiicitur, vim aliquid affert, vt dubitemus de eo fluore qui euenit. Nam cum repentè euenerit post compressum, credibile est ex viri contagione potiùs malum ortum esse, siue reses aliquod semen veteris luis venereæ, siue furtiuo concubitu hoc tabum expressisset, siue ea mulier cum qua consueuit, fluore muliebri laborasset, est enim de genere morborum qui contagio ad alios serpunt. Fluor porro muliebris præsertim tam fœdus, tam malus & efferus non tam repentè adoritur. Sed vulgo quæ mulieres ῥοῦν, istum patiuntur, primùm aliquas sentiunt in sinu pudoris humiditates, quæ dum tempore augescunt, læuore quodam in vtero contracto, tandem verum ῥοῦν γυναικεῖον inferunt. Nec obest obiicere illud quod ante docuimus ex Hippo. lib. περὶ διαίτης primo, nimirum morbos sensim gigni & colligi, sed repentè & affatim insurgere & irrumpere. Fluor iste symptoma est consequens morbum aliquem aut corporis totius, aut partis, at cum ea integræ esset sanitatis, & nil vnquam tale sensisset, id sine manifesta causa nõ euenit. Viri autem aut infectio, aut tabes quam veluti internuntius & medius transfudit, & transmisit in suam coniugem, è censu est, τῶν προκαταρκτικῶν. Cæterùm quod diximus fluorem symptoma esse, illud ex Decretis Gal. eruendum est. Ille tractans causas symptomaton in iis quæ excernuntur, in quibus qualitas, quantitas, & excernendi modus consideratur. Deinde subdit, omnia symptomata ex similarium partium intemperie, & instrumentariarum morbis, præterea ex materiæ tum quantitate, tum qualitate procedunt. Vt Coryzæ, catarrhi qui in excretione essentiam habent, sequuntur, aut intemperiem, aut obstructionem aliquam. Item suppressio mensium, aut immodica euacuatio sequitur, aut totius corporis, aut vteri vitium, siue intemperies sit, siue in conformatione existat. Subdit, sed & mala expurgabuntur propter vteri ῥεύματα: id symptoma vocatur ῥοῦν γυναικεῖος, expurgato scilicet per eam partem toto corpore. Item contigit alia mala euacuatio propter affectum

Cap. 4. lib. 3. de sympto. causis.

ipsius vteri proprium. Et ex eo loco fluorē muliebrem duplicem statues particularem, & vniuersalem. Sed non satis explicat Gale. an fluor iste qui vteri dicitur sit ex parte materiæ, vel ex parte ipsius vteri, quia ait mala expurgari ob vteri ῥεύματι quasi dispositio ῥευματικὴ, id est, qua promptitudo, procliuitásque est ad fluēdū, insit ipsi vtero. Ego verò credo symptoma id vteri dici, & ab Auicenna Cursum matricis dici, & vteri ῥευματισμὸν, non quod in ipso vtero vitium adsit, sed quia materia qualitate, aut quantitate peccat, quæ si non fluat per vterum, aliam viam rapiat, nempe aut aluum, aut venarum meatus: sic eo modo fluor muliebris ad vterum se habet, quo & diarrhœa ad aluum. Intestina sæpè integra sunt, sed materia restagnans, aut habens perpetuam generationem, aut suppressa tantùm, aluum permeat, per se incolumem & integram. Quanquā fieri potest, vt & vterus & intestina tandem lubricitatem habeant, & διάθεσιν ῥευματικὴν, vt loquitur Gal. lib. de loc. aff. qua diathesi idonea & procliuia redduntur ad recipienda excrementa aliarum partium. Vterus enim & ratione situs, & conformationis perpetuo madescit, & facilè aliarum partium redundantes superfluitates excipit: quæ aliàs malæ sunt in sua generatione, aliàs non illaudabiles, sed in transitu, & mora malignum quid acquirunt. Quod patet ex Galeno, & locus valdè commemorabilis est, explicat cur multis tussientibus testiculus intumuerit, aítque id fieri quia à capite in thoracem flueret materia, à thorace in testes, & in his aliquid peius commisit quam in pulmonibus ipsis, textus is est, pars humoris qui à capite in thoracem descenderat, quia pulmo & testes consentiunt, ad eos defluxit. Sed quod in testiculos fluxit erat malignius eo quod primò in pulmones descendit, vt pote quod in pulmone computruisset. Sic in pulmone materia iam aliquid mali nacta est, sed ad testes illabens iam pessima erat. Ex illo loco duo venari possumus ad eam, quam de fluore muliebri suscipimus tractationem, maximè pertinentia: prius est quòd cum genitalibus membris thoraci magnum est commercium: vnde Catarrhosas mulieres, & pituita in pulmone abundantes opportunas fluori muliebri videmus, transfuso à thorace in vterum humore: Posteriùs, quòd humor dulcis, aut insipidus tractu ductúque aliquid deterius seipso acquirit. Et hoc loco quæri potest, an ῥοῦς γυναικεῖος, sit κάθαρσις, an κένωσις. Si à capite humor stillatis sæpè malus, & graueolens non est, si

Com. ad part. 12 sectio. 1. lib. 1. Epid.

ergo per vterum fluit, cur dicetur κάθαρσις? Nisi fortè aliquid mali acquisiuerit. Reuera est vbi id quod euacuatur per vterum insipidum est & inodorum, vt cum mulier tantùm aquea est, aut nimio potu vtitur. Immo Hippo. si credibilè est quod asserit, scribit de excretione ab vtero, si vteri pituita pleni fuerint (Græcè ἢν αἱ μῆτραι φλεγμήνασαι πλησθῶσι (vt nouo quodam modo φλεγμαίνειν, pro pituitosum esse sumatur) flatus oboritur, & menses albi pituitosi sunt, Græcè τὰ ἐπιμήνια λευκὰ ἐπιφλεγμὸν), aliquando sanguis pelliculis plenus, & præ humiditate cum viro coire nõ vult, pauida & tenuis fit. Rogabis an si quod fluit mordeat & vlceret, si non mordeat pronuntiabis à cerebro fluxum esse, si mordeat, à ventre. Quod omnino verum esse nequit. Nam si à cerebro est, trifariam potest esse acre & salsum: primùm si suæ generatione pituita est, aut salsa, aut acida. Credibile enim est eam pituitam, quæ à capite manans tot tantásque vias peragrat, antequam ad vnum vterum perueniat donatam aliqua qualitate qua sibi viam secet atque faciat: alioqui si pituita fatua esset, & ἄποιος facilè subsisteret, & sua mole loco remoraretur. Secundo modo dum pertransit, & aliàs moram aliquam trahit, seipsa deterior fit, acquisita nimirum qualitate & stimulo, vnde antea docuimus idem phlegma à capite labens dum moratum in pulmone, & ad testes profluxit, deterius multò esse, quàm esset cum in cerebro foret, aut à cerebro proximè emanaret. Tertiò idem Hippo. dum statuit discrimen inter humorem dolores in oculis facientem qui vel ab interno capite manat, vel à superficie sub pericranio, ait, si ab interno capite est, humor acer & mordax est, si ab externo, non est [3]. Itáque si in vterum ab interno capite humor irrepit, ex illa Hippo. opinione dolorem acrimonia sua est illaturus.

Lib. de natura muliebri.

Hippoc. lib. de locis in homin.

Absoluamus nunc illud an sit κένωσις, an κάθαρσις [4]. Lochia, menses, & fluores albi, seu fluores muliebres, generaliter τῶν καταμηνίων καὶ γυναικείων nomine continentur, item & illa quæ ab Hippoc. vt postea dicemus, τὰ λευκὰ dicuntur, quæ meo iudicio aliud significant quam cum addit, καταμήνια λευκά. Omne autem καταμήνιον videtur non modo esse κένωσις, sed κάθαρσις. Nam tametsi initio quantitate tantum peccabat, facilè accersit qualitatem ratione τῆς ἐπισχέσεως, & tunc non dicitur solùm euacuatio, & ἔκκρισις, sed κάθαρσις. Primùm enim omnis suppressio aliquid alienius rei suppressæ acquirit, vt de suppressa in pulmone pituita dictum est

ante, præsertim si qua mala dispositio aut intemperies sit circa partes, aut in partibus in quibus suppressio fit [5]. Nec enim vbiuis, & secundum idem, & eodem modo suppressio paria affert accidentia. Vnde pleræque mulieres mensium suppressionem semestrem sine noxa patiuntur, aliæ non patiuntur bimestrem sine grauiore damno: præsertim si vel facilè corruptibilis sit sanguis, vt quibusdam euenit, aut si iam à primo ortu aliquid malæ indolis habuerit, aut si raptus fiet ad nobiles partes. Est enim valdè notandum illud Galeni, sanguinem supprimi in muliere aliquando non propter paucitatem, aut vitium aliquod conformationis in vtero, aut aliquid simile, sed quia sanguis præ suo robore ad alias partes defertur [7], in quibus herclè damnum aliquod excitare potest. Quæstio hæc valdè exercuit veteres, an menstrua purgatione excerni solitus sanguis qualitate peccet. Hac de re digladiantur omnes. Plinius malignitatem omni menstruo attribuit, & mea quidem opinione temerè ac immerito: alioqui fœtus re fœdissima frueretur. Galenus i un grandiorem fœtum impura etiam parte sanguinis menstrui vti fatetur: sic in menstruo benignum & alibile aliquid subindicat, aliquid malignum. Plenius in Epid. docet κατ λοχιῶ purgationis nomine donandã esse euacuationem à partu, tum quia moram longã traxit, tũ quia à massa sanguinis menstrui à fœtu id quod benignius erat depastum & defectũ est. *Menstrua, ait, suppressio offendit, non perinde vt ea quæ à partu est, quod hæc non solũ copiam, sed etiam insignem pariat humorũ prauitatem. Est etiam menstrua purgatio, non solum euacuatio, sed & purgatio. Sed non est æqualis copia vitiosorum humorum ei quæ gestationis tempore congeritur, quam à partu euacuari oportet.* Et hîc ex Gal. patet & solitam menstruorum euacuationẽ & lochiorum, τῆς καθάρσεως nomine coërceri. Quanquam per se, & ratione sui sanguis qui singulis mensibus, præsertim silente Luna, vt omnium doctissime explicat Aristoteles, effunditur, potiùs quantitate peccat. In morbosa muliere qualitate facilè peccat, vt & in viro morboso. In morbosa muliere, siue toto corpore sit talis, siue præsertim vtero, cui magna vis inest ad totum corpus [8] immutandum; nam & ex Gal. vterus ferè toti corpori consimilis est. Is porrò si à suo temperamento discesserit, si biliosos humores, aut in acetabulis, aut in cornibus, aut inter tunicas, aut suo sinu collegerit, tunc sanguinem menstruum, eiúsque maximè partem quæ pri-

Cap. 4. lib. 3. de symptom. causis.

Cap. 7. lib. 1. de symptom. causis.

Hist. 2. sect. 3. lib. 3. Epid.

Cap. 4. lib. 2. de generatione.

8. Aph.

mum ad eum peruenerit, inque eo rursus resederit, donec menstrui excernendi tempus aduenerit, eodem vitio inficit atque deprauat, vnde fortè ea maleficia, quæ Plinius menstruo attribuit, consequuntur, & menses erumpunt albicantiores,& minimè florentes. Hoc Galenus expressit, ob vteri proprios morbos, tum qui in processibus supernis, & cornibus, tum qui in collo, tum qui in toto eius tergore consistunt, menstrua aliquando plura, aliquando pauciora eueniunt, aliquando non prodeunt, vel mala prodeunt.

Cap. 4. lib. 3 de sympt. causis.

Ergo ex præcedentibus patet, & menstruam euacuationem & lochiorum, purgationem esse Nec ad id omittendum illud Galeni, λοχία καθαρσις ἐστι. Est enim purgatio vitiosorum quæ gestationis tempore accruata sunt Absumptum enim vtilius est à fœtu, remansit vitiosius quod ante singulis mensibus euacuabatur. Ergo notabis euacuari aliquid vitiosum singulo quoque mense.

Com. ad par. 47. sect. 2. lib. 1 Prorrh.

De fluore albo nunc restat agendum. Si superiores euacuationes, præsertim menstrua & naturalis, purgationes sunt, multo magis & ῥοῦς γυναικεῖος, Nam siue saniosus sit, siue albus, siue alîus generis aut vitium in vtero designat, aut in toto corpore. Nec solum suppressionem aliquam humoris & coaceruationem sequitur, sed & perennem generationem. Alioqui facilè exhauriretur. Sed & dispositio ῥευματικὴ in vtero, & partium à quibus manat malitia, istam perennitatem affert. Si sola cerebri dispositio catarrhosa in causa esset, non tam operosa esset curatio. Quicquid itaque ab iis partibus effluit præter menses ordinarios statósque illud symptomaticum est, & malum. Nam aut vteri vitium, aut totius corporis tanquam causam consequitur. Et enim quibus mulieribus viscera refrigerata sunt, vel obstructa, vel dura, vel cruditates cachexiam induxerunt, corruptus humor in varias partes effusus, in vterum sæpè procumbit, & illac decurrens corpus totum expurgat, quod aliis per renes, aliis per aluum fieri solet. Immo in vtero tandem idem fit quod & in aluo. Nam vt diuturnitate profluuij aluus ipsa laxatur magis læuísq; fit, ita cursus perennitate vterus læuior fit. Et vt λειεντερίαν, vocare possis μητρελείαν. Bifariam enim læuitas, Græcè λειότης, vteris adesse potest, vno modo cum perennitate fluendi corpus vteri lubricum magis fit, quo in sensu accipimus paulò antè: posteriore modo vt corpus ipsum aut naturâ

ſua, aut vlceribus innatis λεῖον fiat: Hæ difficilius retinent fœtum. De læuitate vteri Hippo. Porro aliud eſt corpus vteri eſſe læue, Græcè λεῖον, & leue id eſt κοῦφον, leues enim vteri ſunt, cum aut euacuati, aut reſiccati ſunt, Græcè αἱ μῆτραι ἀναυαῖ ται dicuntur: & vt læuitas cauſa eſt corruptionis fœtus, ita iſta leuitas ſubitæ ſuffocationis hyſtericæ cauſa exiſtit Hippocrati.

2 de morbis

Fluor iſte vterinus, fluor albus dicitur politico loquendi modo, quanquam ſæpiſſimè alienioris eſt coloris. Sed lenitate verbi triſtitiam & fœditatē morbi mitigare volunt. Cum apud Hippocratem λευκὰ leguntur, dubitari poteſt an intelligatur iſte fluor muliebris de quo agitur. Nam & abſolutè τὰ λευκὰ leguntur, & τὰ καταμήνια λευκὰ, vt ante citauimus ex Com. de natura muliebri. Et diximus nomine τῶν καταμηνίων λευκῶν, verè fluorem vterinum intelligi, præſertim pituitoſum, ſed nomine τῶν λευκῶν, videtur aliud audiendum. Hippo. primùm ita ſcribit: Si mulieri à partu cum febre alba retineantur, peſſimum. Gal. miratur cur Hippo. nō dixerit abſolutè retentionem & ſanguinis, & biliosi excrementi malam eſſe, ſed ſolorum alborum meminit: ſed vno dicto cætera audiuntur. Ac videtur nomine λοχίων purgationis, τὰ λευκὰ audire. Et peculiariter non ſignificat vterinum fluorem, ſed meo iudicio excretionem cuiuſdam mucoris, aut lacteæ ſubſtantiæ quę poſt partum exigi foras commodo enixarum ſolet. Quod autem peculiariter ſignificent λευκὰ purgationem à partu patet ex Epid. *Mulier*, ait, *in lariſſa pregnans erat, decimo menſe ſanguis multus fluxit, 14. excidit puer mortuus, tertia die noctu eadem hora qua prodiit puer ſecunda excreta eſt, & τὰ λευκὰ, id eſt, purgamenta alba.* Ariſtoteles verò τὰ λευκὰ, propriè in puellis conſiderat, quibus loco menſium aquoſitates & ſuperfluitates excernuntur. Verba eius ſunt: *Fœminis eodem tempore exurgunt vbera (quod fratrare dicitur) & menſtrua erumpunt. τὰ δὲ λευκὰ, admodum puellis eueniunt, & magis ſi cibo vtuntur humidiori. Hæc incrementa corpus prohibent, & illud valdè extenuant. Idem τὰ λευκὰ, vult venire iiſdem puellis loco menſtruorum cum ſanguis incoctus & crudus eſt. Poſtquam enim de eruptione menſium egit, ſubdit, cum excrementum mutatum eſt in ſanguinem, tunc menſtrua erumpunt, ſi coctum non eſt, paulatim ſubinde aliquid ſecernitur, ideo τὰ λευκὰ καλούμενα paruis adhuc & puellis & eueniunt.* Fernelius puellis præſertim cachecticis, & defœdatis τῶν γυναικεῖον obuenire narrat ſeptennibus, & idem eſt ac iſta τὰ Ariſtotelis λευκὰ.

1 de morbis mulie- rum.

Par. 47 lib. 1 Prorrh. ſectio. 2.

3. Epid.

1. Cap. lib. 7. de hiſto animal.

Nos

Nos septennem vidimus puellam valdè sanam quæ crederetur laborare τοῖς λευκοῖς, quod cum serua fluorem vterinum patiente concubuisset.

Ergo omnes istæ excretiones, & καταμήνια, & λόχια, & ῥοῦς γυναικεῖος, & λευκὰ, & verè καθάρσεις sunt: Galenus autem κάθαρσιν, verè definit eius quod qualitate molestum est euacuationem. Et tunc generaliter sumitur, siue à medicamento fiat, siue à natura, siue etiam symptomatice fiat vt Thucydides annotauit. Idem hac de re ita sentit, vacuatio est propriæ materiæ, vbi quantitate exuperat, purgatio est alienæ quæ affligit per qualitatem. Et notanda est hæc vox, *Propria materia*, quia essentiam vacuationis statuit, & illa, *Aliena materia*, quæ purgationis naturam explicat. Siquidem non solùm quantitas, & qualitas veram essentiam & differentiam horum constituunt. Ferè fit enim vt cum qualitate peccet quantitas, & tunc non κένωσις, sed κάθαρσις dicitur: vt cum de purganda pituita agit Gal. dixit, si superabundet pituita & molesta sit, phlegmagogo vteris. Verbum πλεονάζον, copiam docet, τὸ δὲ ἐνοχλοῦν, qualitatem significet. Et idem cum loquitur de commodo fluxus hæmorrhoidalis ait eum conferre non solum ratione euacuationis, sed & qualitatis humoris ratione: Sed quis dubitat quin & plenitudo, & cacochymia esse possit: vt cacochymia spectet qualitatem, plenitudo copiam. Nam materia propria multa & superabundans, quæ propriè euacuari dicitur, dum morâ corruptionem acquirit, aliena tũc materia dicitur, & quali & quanto peccat. Sic conciliandus Fuchsius cum aliis. Galenus aliud statuit discrimen inter κένωσιν & κάθαρσιν, *Cum excernuntur quæ corrupta sunt, purgatio corporis dicitur, cum excernuntur quæ vi morbi fiunt, vacuatio.* Quasi verò symptomaticè id est vi morbi praua non possint euacuari, vt in pestilenti constitutione vi morbi deiectiones variæ excretæ sunt, & purgatio erat. Sed hoc vult author vi morbi propriam materiam, & vitium facientem minimè, aliquando excerni, at hoc κένωσις, est non κάθαρσις: Sed si corrupta sit, quouis modo id fiat, siue arte, siue natura, siue symptomaticè, per quencunque locum, & à quocunque loco, generaliter τῇ καθάρσει continetur. Et ita Thucydidem accepisse docuimus. Vt cum praua excernuntur languidè & tardè, & vi morbi ob iecur malè affectum perpetuò tale quid generans, nunquid κάθαρσις dicitur. Politicus modus vocat κενῶσαι.

Com. ad Aph. 3. lib. 1.

ad part. 18. sect. 3 lib. 1. Prorrh. Aph. 21. lib. 4.

10 *Corpore laxo, molli, capite porriginoſo, dyſenterijs obnoxia.*

Hęc adduntur vt prætexatur aliqua occaſio iſtius fluoris, & vt ratio habeatur corporis ipſius ad medendum. Conſiderandæ ſunt enim mulierum naturæ, ait Hippoc. quoniam aliæ ſunt albidiores & fluidiores, aliæ ſicciores & nigriores. Illæ fluori muliebri ſunt obnoxiæ?

11. Caput πιτυειῶδες eſt cum,

---- *Immensâ pexum porrigine ningit,*

Serenus. & prouenit à vitioſo corporis humore ſalſáue pituita, vel à vitioſis ſeroſis humoribus.

Aliis id venereum videtur, ſiue veteres morbi reliquias cauſari oporteat, ſiue recens flagránſq; libido, &c.

Suſpicionem & coniecturas multas attulit tam inauditus & repentinus huius mali ortus. Videtur enim nonnullis fieri poſſe, vt longa equitatione incalfactus quis iniens mulierem ob viroſum ſemen, & ſeroſum, incalfactum & κακόηθες, quid habens διὰ τὴν δυσκρασίαν, ardorem mulieri iniiciat talem, qualis gonorrhœâ laborantibus euenit. Item cur non fiat, vt ſi quis naturâ præſertim ſalax, & coire ſolitus, diu venere prohibeatur, quin eius ſemen corrumpatur, tantò faciliùs, quantò & difficilius quis à venere abſtinet, & ſemen turgentius habet? Semen enim, vt res benigniſſima, ſuppreſſum, dum nanciſcitur aliquid cacoethiæ, inficere poteſt ac contaminare. Sed credibilius malum aliundè accerſitum eſſe.

Alij contagionem fluoris muliebris adſcitam putant.

Quæritur inter medicos an ſi quis coeat cum muliere alba patiente, deinde ſuam adeat, eam inficere poſſit aliena fœditate. Si, vt veriſimile eſt, fluor muliebris, pręſertim qui aliquid malignum habet, vt non ſolum ſit ſuperflua quædam humiditas

quam natura euacuat, ſed virulenta excretio qua natura corpus eluit & expurgat, contagioſus eſt, & concubitu, & congreſſu, & & conſuetudine præſertim familiariore poteſt ad alias ſerpere. Immo & vir poteſt infici. Sed quia mulier mulieri proximior eſt & affinior, vt oculus lippus afficit non nares ſed oculum, & phthiſicus ſolùm pulmones alius inficit, ita à viro cum impura congreſſo, impuritas in aliam traduci poteſt. Sed hæc ſubtilius examen exquirerent.

Honeſtiùs temperamento mulieris tribuitur.

Quicquid ſit aquea, mollis, & effœminata corporis huius diſpoſitio, magnam propenſitatem attulit ad ſubitò labem hanc ſuſcipiendam. Et inuſta vtero labes eſſe viſa eſt, quod tantus doloris ſenſus aliquando, & anguſtiæ præſertim in dextris foret. Fieri enim poteſt vt intactis ſiniſtris dextræ laborant. Vterus enim geminus eſt.

In reliqua Commentarius.

Siue aliquid foret venereum, ſiue quid foris adſcitum eſſet, ſiue domeſticum foret, iidem ferè ſcopi ſunt curationis. Neque enim cum id effluxum habeat, inficietur lue mulier. Itaque cauendum ne ſtatim ſupprimatur. Reſtant itaque hæc dicenda. Primum de ſpeciebus fluoris vterini ex Hippocrate breuiter dicetur, Secundò an eius ſit aliquis vſus, & quatenus. An tuto ſiſti queat. Item notæ quædam & diſtinctiores quibus aut à capite eſſe colligas, aut à toto corpore, aut ab vtero: quanquam ſatis hac in parte factum iam putamus. Denique curarationis capita perſtringentur. Sed antequam omnia ſigillatim explicemus viddraendum an per eaſdem venas illuuies iſta fluat, & ſanguis menſtruus, nam ab interna capacitate videtur quoque manare iſte ῥοῦς. Cùm benè ordinata ſunt omnia menſes ſua periodo fluunt, deinde fluor muliebris ceſſat, menſtruo ceſſante redit aliquando ſine ordine, aliquando cum ordine quodam fluor muliebris. Aliis & album & rubrum confundi videtur, & excernunt ſubalba & ſubrubra, aliis menſes dicuntur decolores vt cacochymis, & tamen propriè ῥοῦς non dicitur, ſed decolores iſti menſes ῥοῦν γυναικεῖον ferè præcedunt. Decolo-

res autem fiunt aut vitio totius corporis, vt cum in massa sanguinis cruditas est magna, aut cacochymia, aliquando vitio quodam vteri. Vnde ante notauimus fieri posse vt in acetabulis, aut cornibus, aut vasis vteri peculiari vitio accumuletur sanies quędam & quoddam πῶδες, quod menses inficit licet sanguis qui affluit ad vterum menstruam purgationem facturus floridus sit & laudabilis [12]. Etenim sensim ad partes vteri affluit, & hîc moratur donec menstrua periodus aduentarit, & ista quam fecit mora inficitur menstruum & exalbescit. Immo Duretus annotauit euenire posse, & sine febre, & cum febre, siue vlcere vllo vteri, vt circum venas vteri, præsertim fundum eius, purulentum quid & albicans aceruetur (quod fortè fit aut quia sanguis diutius moram in venis faciens albescit, aut quia est pituitosior, aut veluti quadam imbecillitate vteri) quod dum euacuatur ῥοῦν facit, sed id pauca quantitate excernitur. Nec credere oportet tunc vlcus in vtero esse. Credo vxorem Sellatoris id pati. Et fortè ista sunt λευκὰ, quæ à partu consequuntur, diuturnitate temporis sanguine alborem acquirente. Galenus enim passim ait, si sanguis tantam in venis moram & arteriis traheret, quantam semen in vasis spermaticis, seminis more albêret: vt non amplius mirum sit si in corpore ipsius vteri exalbescat humor, & præsertim sanguis.

Præsertim hoc fit cum morbosus est vterus.

Cap. 10. lib. 4. de vsu partiū.

Atque vltimam loco quæstionem explicemus. Vterus pars est valde nobilis & momentanea, maximè quod ad propagationem generis humani conferat. Et vt tali dignitate pars prædita est, ita admirabiles habet ῥοπὰς, motus, καὶ ἐπιθυμίας, vt ea ratione Platoni ζῶον dicatur. Quod ampliùs diximus in nostro libro γυναικείων. Ratione istius muneris multa vasa ad eum pertinent, venæ, arteriæ, nerui, & vasa spermatica. Ratione situs, & quia illac sese natura repurgat quodam excremento, & quia capacitas est, facilè illuuiem aliarum partium excipit, præsertim à partibus situm superiorem tenentibus. Quid si corpus cacochymum sit, vterus vt pars abdita & peruia, facilè excrementis scatet. Immo tametsi ex proprio instituto illac sanguinem excernit eúmque purum natura, tamen ob vasorum multitudinem, sitũ, consensum partium cum partibus, &, vt clarius dicam, ob fluxilitatem, pars ipsa secundariò, & veluti secunda intentione alias sordes excipit, à quibus facilè obruitur, & inquinatur. Deniq; acquirit dispositionem ῥευματικὴν excipiendo, & oppor-

tunitate recipiendi. Per vterum fluit naturali instituto sanguis isque menstruo circuitu. Si mulier è natura habet iusta quantitate effluit, & talis est qualis è recens victima iugulata fluit. Sin habet contra naturam pallidior est excretio, aut pituitosior, vel quod talis in venis sit, vel ob alienæ materiæ admixtionem. Et tunc καταμήνιον, dicitur ἰχῶδες. Fit autem id vel vitio vnius vteri, vel totius corporis, vt sanguis laudabilis fit qui ad vterum fluat, sed contagione inficiatur. Item per vterum fluunt λόχια, quæ pertinent ad menses propriè dictos, item excernitur humor albus secretus & separatus à sanguine, & dicitur ῥευματισμὸς ὑστερέων, siue ῥοῦς, siue ῥεῦμα, barbaris, matricis cursus: Vltimo virulenta fit quoque excretio quæ gonorrhœa βρωμώδης dicitur, vt distinguatur à muliebri gonorrhœa in qua mulieri crudum quoddam & aqueum semen excernitur, tum ob imbecillitatem vasorum spermaticorum, tum ratione ipsius materiæ quæ parum compacta coactáque consistit. βρωμώδεα γονόρροιαν infligit impurus concubitus. Hæc tametsi communia multa habent, tamen vt curationis scopi euarient, omnium notas atque distinctiones nosse oportet. Ac primum, vt ingenuè dicam, tametsi praua & morbosa menstrua à fluore vterino non visi simus separare, tamen longè differunt. Quod autem differant, vel ex ipso Hippocrate notum est. Nam lib. 1. de morbis mulierum innumeras species morbosorum καταμηνίων explicauit, nomine τῶ καταμηνίου propriè vsurpato, vt morbosum menstruum sano opponatur. Sed lib. 2. non vtitur nomine καταμηνίων, sed τὸ ῥόος, & eius varias species enarrat. Sic quemadmodum tractationes horum differunt, sic & nomina, & ideæ morborum affectionúmque, vt iam hoc loco aliud sit, ῥοῦς ἢ καταμήνιον ἰχῶδες.

Lib. 1. de morbis.

Menses per venas internas vteri fluunt ab hypogastria dependentes, item per externas quasdam ad ceruicem pertinentes. Et magna quæstio est quomodo mulieribus grauidis, & virginibus illibatis & integris menses fluant. Nam si mulieribus ab interno vteri corpore mensis fluit, in grauiditate ipsa oportet aperiri vterum, vt obuius fiat sanguini menstruo trames. Quod est absurdum. Itáque Columbus & grauidæ, & non grauidæ vult menses fluere per hypogastriam cuius pars in ceruicem vteri desinit, & illac fluit sanguis non per internam capacitatem vteri. Quod valdè ambiguum est. Porrò à trunco

venæ cauæ inferioris in lumbis oriuntur venæ, adiposa, renalis, spermatica. Hæc vtrinque vna viris in testium tunicam Epididymidem dictam, & substantiam absumitur & obliteratur, surculis aliquot tenuibus in suam peritonæi apophysin sparsis, in mulieribus dimidio sui in testes inseritur, altero dimidio vteri latera & fundum nutriendum, & per hunc ramulum menses expurgantur, túncque ab interno vteri corpore manant. Quanquam de hoc digladiantur autores. Nam Gal. à testibus in cornua iter esse vult in interiorem vteri sinum per quod semen intrudatur. Alij herophilum secuti è testium inuolucro iter esse voluerunt in neruosam vteri ceruicem, non autem in interius vteri corpus, iuxta osculum interius. Alij tum in ceruicem, tum in capacitatem vteri è testibus vias duci volunt, quarum ortus ab iis venæ & arteriæ maioris ramis trahitur, qui vtrinque ad coxas & crura contendunt. Et cum vterus clauditur, non affectat sanguis per capacitatem viam, sed resiliens refluénsque per ceruicis vias elabitur. Ergo per spermaticam ipsam menses fluunt. Item & per ramum hypogastriæ. Nam vt spermatica à trunco venæ cauæ inferioris exit, ita à ramis duobus iliis hypogastria ducta in partes omnes hypogastrij protenditur ac proiicitur, in vesicam virilem minore ramo sese insinuat, in vesicæ collum & penem maiori, item in muliebrem vesicam & vterum maiore, in ceruicem verò vesicæ & vteri minore inseritur: Cuius minoris obsequio & ductu interdum grauidis, sano fœtu, sæpè virginibus menses repurgantur. Sic ars secandorum corporum docet abundè excretionem siue sanguinis, siue cuiuspiam rei alienæ, quæcunque & ab vtero, & per vterum fluit, bifariam fieri posse, & per internum corpus, & per externum vteri corpus. Per internum vt per spermaticam, & per maiorem ramum hypogastriæ, cuius minor ramus inseritur in collum vteri: Per interiores verò sinus eo modo: per externum corpus beneficio eius ramuli qui in collum vteri implantatur, quam solam viam menstruis siue virginum, siue mulierum, siue prægnantium attribuit Columbus vt dictum est, neglecta omni speculatione eorum quę in interiores sinus vteri iniiciuntur. Immo negat consensum mammarum cum vtero fieri ob Epigastrię ramos obuios mammariis & rectos abdominis musculos, sed id fieri per hypogastriæ surculos istos qui ceruicibus vterorum applicantur & implantantur. Probabilior

verò ratio eorum est qui à testibus vias tum in collum, tum in capacitatem vteri inuestigant.

Ergo cum vterus tanto vsu & dignitate prestet, vt eum tanquam communis propagationis natureque agrum seminariúmque Deus constituerit, si qua eluuies sese illac vltrò proripiat, id non naturæ præscripto, sed velut quodam interdicto fieri putandum est. Immo, quod notandũ valdè est, natura quoad potest cum sartum tectum retinet, & ab omni vi impetúque asserit. Declarat id quod primus & solus Hippocrates animaduertit, nimirum, si solùm in sinistra parte vteri vlcus fiat, & mulier in vtero concipiat, siue etiam habet vlcus, siue sanata est, masculum enixuram spes est. Si in dextra parte vlcus fiat, & concipiat, fœmineum fœtum enixura est. Adeo satagit natura in vterorum incolumitate retinenda vnius sobolis ergò.

2. Prorr.

[13] Nunc institutum absoluamus, an ῥοῦ γυναικείου & menses, & gonorrhœa siue fœda, siue naturalis per easdem vias fiat. Menses omnes, siue sani, siue morbosi sint, per idem iter fieri probabile est. At maior dubitatio de cæteris, maximè de fluore muliebri. Nam gonorrhœan vtramque à spermaticis vasis fieri certum est. Et cum impurus cum muliere pura consuescit semen occasionémque gonorrhϾ βεομώδως iniiciens, ob affinitatem & societatem seminis cum semine, potius inficit vasa spermatica quam venas alias: Quanquam & postea per continuitatem cæteræ venæ contaminantur. Fernelius ῥοῦ γυναικείου, à virulenta gonorrhœa distinguit, non ex materiei qualitate, nam sæpe fluoris materia externas qualitates omnino similes habet humori virulentam gonorrh. committenti (de internis non loquor) sed ex excretionis fluendíque modo. Nam, ait, hinc maximè βεομώδης excretio à vulgari fluore distinguitur, quod ille à spermaticis vasis prodeat, hic ab vtero, & quod ille prorumpentibus mensibus non desinat, vterinus verò fluor cesset in menstrua eruptione, & aliquanto post tempore. Deinde luis venereæ signa se produnt quædam pathognomonica. Duas priores differentiæ rationes non valdè probo. Quid enim est dicere virulentam gonorrhœan à spermaticis esse, fluorem vteri ab vtero? si enim vteri nomine solam capacitatem audit, errat, si à toto corpore manat humor proreptans vterum, oportet eum preterfluere quedam vasa, & sic ab vtero esse non potest, quin à vasis vteri, quod si verum est, etiam po-

Cap. 16. lib. Patholo.

test à spermaticis esse fluor: à quibus spermaticis etiam menses defluunt. Quod ad aliam rationem spectat, nimirùm quod fluentibus mensibus desinat fluor muliebris, non desinat autem virulenta excretio, est quodãmodo velle insinuare per easdem venas, & ῥοῦν muliebré fieri, & menstruam purgationem, sed diuerso naturæ instituto [14]. Vt dum adest periodus menstrua, tum natura sistat cursum fluoris muliebris, inchoet autem solennem euacuationem, qua cessante ille humor qui inducias dederat, repetit. At videmus quasdam mulieres quæ cessantibus mensibus, ῥοῦν patiuntur tantum per dies aliquot: in quibus credibile per idem vas id fieri, vt menstrua eruptio aperuerit viam atque fluidiores venas fecerit: Aliæ sunt quibus perpetuo fluit humor albicans, & dum eunt menses, sinus pudoris non desinit esse imbutus eo humore prauo in quo differet καταμήνιον ἀπὸ χλωρῶν; & γονώδες ἀπὸ τοῦ ῥοῦ? Nisi fortè dicas illud menstrua periodo ferri, tametsi malum, & hunc non periodo férri vlla, vt menstruum malũ ab ipsis vasis propriè esse dicatur, fluor muliebris à quibusdã inanitatibus & cæcis viis, aut venulis quibusdam quæ non tã vasorum rationem habent, quam inanium meandrorũ & ductuum. Sed hoc coniectura nititur. Quanquam quis dicat gonorrhœam vtranque à vasis potius esse spermaticis, alias fluxiones ab aliis venis, sed naturales & legitimas, esse potius ab internis vasis, illegitimas ab externis vasis in collum vterorum desinentibus. Quid tamen impediet quominus quemadmodum in venis mesaraicis importatur chylus, & exportatur semicrudus sanguis, vt diuersa materia vno loco contineatur, sed ob varias partium facultates variè diuidatur, distribuatur, & diffluat. Reuera cum in venis crudus est sanguis, & decolor est id quod effluit, vt etiam subalbicans sit, si modo certam habeat periodon, licet diutius duret tum quia serosius est quod effluit, tum quod aquosius, tum quia mulier fortè est humidior, vt iam ad leucophlegmatian accedat, tamen ῥοῦς non dicetur, sed καταμήνιον. Admirabile enim est quod in natura obseruatur. Nam videmus sæpè mulieres laborantes, quibus color alioqui defœdatus est tum ratione morbi, tum præsentis cacochymiæ, quibus si per phlebotomiam demitur sanguis, ille maxima ex parte est corruptus, & vitiatus, & talis apparet, immo etiam larga detractione talis conspicitur: Si iisdem, eodémque tempore mensis erumpit, id quod effluet erit laudabile & floridulum: quid

quid hoc significat? an non ab iisdem vasis, & ab eodem fonte vtrumque manat. Cur ergo non illaudabilis conspicitur qui ab vtero, quemadmodum & qui è brachio detrahitur? Sed meo iudicio id fit, quoniam cum demitur è brachio sanguis, si vires præsertim valent, dum facultas excretrix & totius corporis, & partis laborantis, suo fungitur officio, per modum quendam defœcationis, & expurgationis, expellit id quod molestum est quâ data porta: Argumento est, quoniam si vis est infirma remanet & subsistit deterrimum, effluit laudabilis sanguis. At cū per vterum menstrua fit excretio, nō tanta vis facultatis excretricis patet, quippe sanguis nō peccat qualitate, sed quantitate: Et tametsi neque vtróque peccet, arcano & admirabili quodam consilio naturæ, aut Dei potius, menstrua ista excretio à natura tentatur, ad futuram procreationem, humectatur enim vterus, & vt natura doceat se adhuc habere reliquum sanguinem quo semen conceptum foueatur & alatur, si fortè concipiatur. Vulgo enim flores dicuntur, quod fructum præcedant, & sint certa signa futuræ conceptionis & generationis, & Hippoc. politico verbo dixit τὰ καταμήνια ἀνθεῖν. Vt inde colligere & concludere liceat contra eos qui tantam maleficentiam sanguini menstruo attribuant. Præterea per vterum, credo, talem natura sanguinem suo instituto proprio excludit, qualem asseruauit ad nutritionem fœtus. Sed per apertam venam expellentis robore quodammodo desecatur, secernitur, & velut à massa sanguinis eximitur id quod nocet qualitate, & huius iudicium est maximum in excreto sanguine. Accedit quod si demitur sanguis, non nisi ægro corpore fit, ægráque parte (alioqui excerneretur floridus) si ea ratione fit, præsertim si inflammatio est aliqua aut putredo in parte, necessario putris effluit. Et etiam si in vtero inflammatio est, qui ab eo inflammato educetur, illaudabilis foret. Quanquam hîc falli non oportet. Nā fieri potest vt etiam per vterum menstruum effluat, quod tametsi floridum sit, tamen internam malam qualitatem habeat, & si fieri posset vt reponeretur in vas, quomodo in phlebotomiis fit, necnon vi facultatis in sanguine etiam detracto residētis secretio fieret humorum, vt illaudabilis in vase appareret, cum in syndone laudabilis & floridus cernatur. Sed reuera, nisi ingens in tota massa corruptio sit, aut facultatis excreticis summa vis appareat, aut confusio fiat laudabilis humoris cum il-

laudabili, menſtruum ſæpè apparet laudabile, etiam in mulieribus ῥοῷ laborantibus: Id quod arguit, neceſſario per alias vias excerni menſtruum, & per alias fluorem fieri muliebrem Niſi fortè id eueniat quod ante diximus, vt generatione & ſubſtantia, & qualitate laudabilis ſanguis ad vterum alluat, ſua periodo effluxurus, qui per contagionem ipſius vteri humentioris, & collectionem ſeminali humoris in ſuis vaſis continentis, defœdetur ac contaminetur, & tunc Medici iudicium fallitur, ignorantis, an talis à corpore manauerit, an non.

Tandem aliquando concludendum videtur, vt non per eaſdem vias omnino fluat menſtruum naturale & ῥοῦς. Non naturale menſtruum, quod proximum eſt ῥῷ, & naturale, quæ toto genere differunt ob materiæ varietatem, conſentiunt in hoc quod per eaſdem vias ferantur. Sauaronola vir diligentiſſimus & prudentiſſimus. Ita de fluore muliebri, & menſtruo ſentit. fluxus quidam humiditatum quarundam in mulieribus fit à menſtruo alienus, & hic ab Auicenna Curſus matricis vocatur. Hoc autem differt à menſtruo, quoniam hoc à venis matricis venit, illæ aquoſitates à ſuperioribus ſunt vaſis quæ deferuntur ad matricem, tanquam ad ſentinam.

Auicennas lib. 3. fen. 21. tract. 3. cap. 23.

Quicquid ſit aut à corpore ipſius vteri, pote humidiore id manat, aut eſt ῥεῦμα à ſuperioribus partibus. [15] Et cum vterus ratione ſitus facilè recipiat excrementa aliundè allabentia, poteſt ea ratione humentior fieri, vt idem vtero contingat, quod & ori eorum qui cerebrum humidius habent. Tanta enim in os ſaliua occurrit, vt cogantur παφλάζειν, id eſt, loquendo balbutire, & expafflant, id eſt, dum loquuntur præ nimia humiditate, & copia humoris bullas circum dentes excitant, vi ſpiritus è pulmone exſufflati ad vocem edendam. Et fortè curioſius fuit quod inquiſiuimus per quas venas, & an per eaſdem venas menſtruum & ῥοῦς effluat. Nil enim intereſt quod ad communem medendi rationem.

Reſtant hæc explicanda, vt quædam ſpecies τῶν καταμηνίων explicentur ex Hipp. vt quæramus an fluor muliebris ſiſtendus, an eius aliquis vſus: Item vt notas aſſignemus quibus colligas vel hinc, vel illinc aduenire. Quartò vt curationem inſtituamus niſi fortè hoc referendum putamus ad noſtrum librum de morbis mulierum.

De primo dicamus ducti conſilio Hippo. qui in Epid. ita ait;

Prodeuntia & egressa nosse oportet, vnde cœperunt, vbi desière, quantum diuulsa sunt, item colores, salsuginem, dulcedinem, tenuitatem, corpus, tempus. Idem varias species τῶν καταμηνίων explicat, menses enim sunt pituitosi, alij pelliculosi, ὑμενώδεες Græcè, saniosi, ἰχωροειδέες, tenues, albi, grumosi, nigri, carbunculosi, ἀνθρακώδεες Græcè, caliginosi, ζοφοειδέες Græcè, acres, salsi, turbati, θολεροὶ Græcè, & πυώδεες. Item & aliæ species sunt, vt menses ὑδρωποειδεῖς, qui non tam dicuntur Hydropiformes, quod aqua excernatur, sed quod sanguis qui effluit lotu ræ carnium recens mactatarum simillimus existat, vt ex Hippo. collegi, & quodammodo καταμήνιον ὑδρωποειδὲς ῥόον ὑδατώδεα, exprimit eodem loco. Quanquam si desinet menstrua periodus ῥόος, nomen merebitur. Et cum loquitur de mensibus pituitosis ait hos fieri cum caput pituita plenum est, & ea non euacuantur per loca conuenientia, sed in mensibus, & in turbatione sanguinis vnà cum purgatione foras exit, & quæri posset, an illud, *Vna cum sanguine*, significet mixtionem pituitæ cum sanguine: ita sanè, alioqui si sanguis seorsim, & pituita quoque efflueret, ῥόος diceretur; sic sanguis qui effluit albicantior est, & ὑμενώδης, id est, pelliculas refert, & quodammodo ductilis est. Diximus enim ante Hippocratem alio in libro tractasse de morbosis mẽsibus, alio in libro de fluore muliebri: tametsi magna sit societas inter menstruum morbosũm, & fluorem muliebrem. Et reuera non debet vtrunque confundi, alioqui rerum omnium distinctiones euertentur. Inter cæteros Hippocratis locos vnus est valdè commemorabilis dum loquitur de menstruo pituitoso in iis mulieribus in quibus caput humidius est, nec pituita, vt ante paulò dictum est euacuatur conuenienter. Nam ἐν τῷ ταράχῳ τοῦ αἵματος, id est, dum menstruum commouetur, pituita quoque mouetur, & sanguini confusa menstruum pituitosum facit. Deinde subdit, *Si non cesset ista excretio, eueniet vt mulier ῥόον φλεγματώδεα patiatur, & siquidem iste ῥόος adest, semper procedunt per omnes dies, nunc confertim, nunc paulatim:* quandoquidem velut à carnibus aqua prodit, aliquando vt ἰχώρ; & tunc grumosi sanguinis copia est. Vides manifestè quomodo menstruum morbosum & pituitosum ob effluxum pituitæ à capite, quæ ad motum sanguinis mota quoque est, in ῥόον degeneret: Nam tunc cum non retinetur periodus, cum promiscuus & sanguis & pituita continenter effluit ῥόος dicitur: Dicebatur prius καταμήνιον ὑμενῶδες καὶ φλεγματῶδες, cum retineretur periodus. Et hic locus

Vltima sectio. lib. 6. Epid.

Lib. 1. de morbis mulierum.

1. de morb. mulier.

præclarus, vt fluoris vterini, & menſtrui diſtinctio teneatur. Et alio loco ait, ſi fluxus, ῥόος Græcè, nimius fuerit, nullo fomento vtere, ſed ſubditio aſtringente Fluxiones porrò, ſi repente aduenerit purgatio, fiunt ὕφαιμονες, id eſt, ſubcruentæ, ſi tardiùs, purulentæ. Iunioribus ſubcruenta magis, ſenioribus μυξώδεα, id eſt, magis menſtrua mucoſa apparent. Græcè καταμήνια καλεύμενα. Ac ſi dicat Hippo. Menſes ſunt morboſi, & impropriè dicuntur menſes, ſed potius ῥόος ἢ ῥέοι dicentur. Illo enim loco adumbrat veram naturam τοῦ ῥοῦ. Siquidem ipſiſſima verba initio lib. 2. de morb. mul. vſurpat, dum inſtituit docere περὶ τῶν ῥῶν. Verba hæc ſunt, fluxus albus in ſenioribus magis fit, fluxus ruber in iunioribus. Et illo loco verè ῥοῦν γυναικεῖον explicat.

Sub finem lib. de locis in homine.

Ac reuera ex his omnibus locis apparet menſtruum morboſum affine valdè eſſe ῥῷ, immo menſtruum morboſum εἰς τὸν ῥόον proximè degenerare. Ergò quoniam ſpecies menſium explicuimus nunc ad fluores muliebres conuertamur. Quidam λευκὸς πυῤῥὸς aluus, flauus, ὑπέρυθρος, ἐρυθρὸς, λευκὸς ὑπόχλωρος, χλωρὸς ὑπόλευκος, ἰχωροειδὴς, & variæ aliæ ſpecies quas libro illo 2. γυναικεί. Hippo. abundè explicauit. Inter cæteras ſpecies vnus eſt fluor mihi valdè incognitus vocat autem ῥόον αἵματος ἐκ τῶν ἄρθρων. Eſt autem quidam fluor glutinoſus, & ſanguineus à colliquatione partium ſpermaticarum, & qui tabem dorſalem tandem inferat.

Lib. 2. de morbis mulierum.

Nunc alia perſequamur. An ſit aliquis vſus eiuſmodi fluoris. Ariſtoteles, vt antè docuimus, diſputans περὶ τῶν λευκῶν, ait ea in puellis apparere, & alicuius eſſe vſus. In quo quæſiuimus an iſta excretio albicantis rei eſſet ῥοῦς. Ariſtoteles crudioris ſanguinis ſobolem hoc eſſe credit, vt nón tam ῥοῦν, ſignificet quam καταμήνιον: De eóque ita ſentit, excretio τῶν λευκῶν, ſeruat corpora integra; item & menſtrua purgatio, præſertim cum ab excrementis vindicentur. Sed ſi vtráque euacuatio vel non fit, vel immodicè fit, damnum euenit. Aut enim morbi oriuntur, aut corpus marceſcit. Itaque illa τὰ λευκὰ, cum ſuperant corporis prohibent incrementum, hæc autem ita fiunt. Cum natura coquere nequit, excrementum fit non ſolùm alimenti inutilis, ſed etiam in venis, vt per tenuiſſimas venas exundando ſuperet. Atque illo loco τὰ λευκὰ ſignificant καταμήνια ὠμὰ, ὕφαιμα, ob cruditatem & quandam cacochymiam quæ puellis ineſt. Nam ſi verus eſſet ῥόος non poteſt non eſſe malus, & vt ſignum, & vt cauſa vt ſignum, quia declaret aut abundantiam excrementi, aut affluxum, aut generationem perennem. Si caput humidius

Cap. 4. lib. 2. de generat.

adeſt, item ſi hepar prauos humores generat, aut ſi ſplen generat prauos humores. Omnium deterrimus eſt ῥόος qui & qualitatem malam habet, & perpetuam habet generationem, ſiue ea ſit in toto corpore, ſiue in vna parte vt cauſa, quoniam partes afficit per quas & in quas fluit. Tamen ſi adeſt, non continuò ſupprimendum, ſiue fiat ob ſolam congeriem (ita enim facilè deſinit) ſiue ob generationem. Tunc enim praua diſpoſitio ſignificatur, quam priùs tollere oportet, quàm excrementum quod inde immediatè manat. Teſtis dyſenteria, quæ repentè ſuppreſſa grauiſſimos morbos acceſſit. Eſt ergo vbi fluor vterinus ad tempus iuuat. At ſi humiditas tantùm quædam ſimplex circum pudenda appareat, & certò colligas aut ob humiditatem corporis multam, aut ipſius vteri id euenire, aut quandam vteri læuitatem eſſe, vt ante docuimus, ſiue metu vllo ad ſupprimendas eas ſuperfluitates accedere poſſumus. Quod notandum ad legitimè adhibenda remedia.

Apud Hippo. locus eſt valdè commemorabilis: docet mulieres bilioſas non impunè euacuationem ſanguinis per vterum ferre. Quia, credo, Arabum opinione bilem ſanguis frænat. A tali euacuatione incidunt in ὀλιγοψυχίαν, cibi faſtidio, anxietate & vigiliis occupantur: At ſi aluus turbetur bonum: Item & ῥόος χολώδης, per vterum confert, ſed non per multos dies fieri vult (alioqui vlcerationis vterorum metus eſſet) nec magna copia. Tria ex hoc loco colliges, primùm temerè non moliendam ſanguinis euacuationem in muliere bilioſa, & ſi immodicè feratur, ſtatim eum debere ſupprimi: Item alui ſubductionem & vomitiones impensè bilioſis cõferre mulieribus, non ſanguinis euacuationem. Tertiò fluorem muliebrẽ bilioſum in muliere bilioſa (idẽ de aliis in ſuo genere audiendũ) aliquatenus iuuare. Vnde colliges nõ ſtatim reprimi debere, alioqui grauioris mali metus adeſt. Verendum ne ſi ſtatim ſupprimatur, refluxus ad partes nobiles ſuffocationem afferat. At vterus non eſt via conueniens? Fateor, nec aures etiam, nec cor, at natura ſæpè tamen iis viis abutitur, vt ſe onere eximat & liberet. Sed videndum ne vterus, pars nobilis, diu vexatus iſta fluxione grauiter afficiatur. Etſi enim bonum eſt partes ſuperiores & ſitu & dignitate in inferiores ſeſe exonerare, videndum tamen ne dum hoc molitur natura, non minore detrimento nobiſcum paciſcatur. Quod eueniet, ſi pars quæ excipit ita grauiter affi-

Lib. 1 de morbis mulierũ.

ciatur, vt eius morbus magnitudine longè ſuperet commodum quod exoneratio partium attulit. Ergo fluor mulieris poteſt aliquando iuuare, eo modo quo hydrops maniam ſoluit, & item hydrops dolores capitis tollit, & cum partes ſuperiores turgent, quod verbo antiquo vocat σπαργᾷν.

Apho. 5. lib. 7. & ſub finem lib. 2. Epid.

Vltimum ex iis quæ propoſita ſunt, erat, vt notas aſſignaremus obiter quibus colligas vel à toto corpore, vel ab vtero manare fluorem, vel affectionem in parte aliqua latentem conſequi. Nec enim iis contenti ſumus quæ ex Hippo. adduximus, vt ſciatur, an à capite fluor ſit, an à ventre: Rurſum vel ab interno capite, vel ab externo. Sunt enim obſcuriora, nec rem ſatis explicant. Cæterùm docuimus iam ante quaſdam vterino fluore mulieres laborare quibus tantùm poſt menſtruam purgationem ſeroſa illa excretio contingat [17]. Aliis inter duas purgationes menſtruas euenit: aliis indeſinenter, niſi cum it menſtrua purgatio. Deterrima hæc poſtrema, tum quia aſſiduitate fluendi naturæ vires atteruntur, tum ob inſolentiam fluoris, ſic enim per contagionem bonum alimentum corrumpitur, & vna cum peſſima materia laudabiles ſpiritus effluere poſſunt, hinc ἀψυχία. Ergo aut ab vtero, aut aliundè primario (nam omnis per vterum fit, ideo ſymptomatibus vteri annumeratur) aliunde, aut cum mollius, & mucoſum effœminatúmque eſt, aut ὑδρωποειδὲς: potè cum pituita multa abundat, aut ſero multo. Vnius verò partis, vt cum aut cerebrum humidius eſt, aut à pulmonibus ſeroſum quid, aut ab alia parte, immo ab vtero ipſo eſſe poteſt [18]. Ab vtero, vel quod ſit humidior, vel quod in venis quæ ſunt ad fundum eius collectio fiat materiæ albicantis, quæ diu ſuppreſſa deterior fit, & tamen vlcus adeſſe non eſt neceſſe. Item ratione vlceris. At ſi adeſt facilè ſe ſignis profert, tum ex qualitate materiei fluentis, tum eius quæ proceſſit, tum à dolore petîtis. Accedit congreſſus difficultas ob dolorē qui excitatur, maxime ſi circum collum vlcus lateat [19]. Maximè vero ab vtero eſſe colliges, ſi circum os pectinis, aut in partibus internis ad vterum dolor quidam profundus ſit, ſi mēſes ſuppreſſi ſint; Credibile enim circum vterum ſtabulatum eſſe humorem, qui morâ vitiat vterum. Quod Hippoc. in Apho. declarat, ſi menſes non fluunt in vtero morbi eueniunt, quod interpretantur de eryſipelate, ſcirrho, aut alio ſimili tumore in vtero naſcenti. Si corpus benè habitum ſit & florida-

Aph 56. lib. 5. Gal. in Com.

lum, credibile eſt ab vtero potius eſſe. Sin corpus pallidum, aut bilioſum, aut melancholicum, vel in toto, vel in parte, illinc pendere ῥοῦ, probabile eſt. Ita enim de iis in Com. Aphor. Cacochymis mulieribus non modo purgationes menſtruæ, Græcè καθάρσεις ἔμμηνοι decolores fiunt, (decoloratio enim non ſolùm ob pituitam, ſed ob melancho. & bilioſum humorem fit, ſed etiam menſtruam periodum non ſeruant. Nam ſi craſſiores fuerint humores, difficilius fluunt quàm ij qui ſecundum naturam ſunt, longiúſque tempus expectant, ſin humidiores fuerint & tenuiores, conſuetum tempus anticipant, vel diutius fluunt, quoniam aqua intercute laborantibus muliebria diutius perſeuerant. Quo loco notandum Hippoc. non loqui περὶ ῥῶν γυναικείων, quia vſurpat vocem καταμήνια ἄχροα (ἄχροα ideſt, decolores menſes, vel πολύχροα, vt placet Philotheo:) & cum dicit non per idem tempus venientes, id eſt, periodum conſuetam non ſeruantes, tacitè declarat cauſam ſubeſſe, aut craſſitudinem humores, aut viarum infarctum, vnde fluor impediatur. Niſi quis includere voluerit ῥῶν γυναικεῖον, quod fluor ſit ἄχροος, quod non per idem tempus veniat. Tamen verè de menſibus audiendum Aphoriſmum putauit Galenus.

Gal. Com. ad Aph. 36. lib. 5.

Reuera, vt liberè dicam, ob vitæ inſtitutum noſtrarum mulierum, ob cruditates & intemperantem vitam, præſertim iis in regionibus, in quibus corpora ſunt molliora & humidiora facilè vterus pars declinet, & ad ſentinam corporis collocata poteſt ῥεύματι excipere & ῥῷ tentari. Et innumeræ ſunt mulieres apud nos quibus familiaris hic morbus. Quinetiam pleræque pulmonum morbis à defluxione corripiuntur, vt mirum non ſit ſi eodem & modo iſtis ῥευματισμοῖς corripiantur. Deſcenſu illius materiæ, vt antè docuimus de conſenſu partium thoracicarum cum genitalibus. Tamen meo iudicio videtur potiùs à cacochymia corporis totius, & præſertim ventris inferioris ῥοῦς eſſe: vt idem eueniat quod in fluore alui. Sed fluoris aluini ſiſtendi facilior eſt ratio, quam ῥοῦ, quia & aſſumptorum, & admotorum vis in ſiſtendo alui fluore percipitur. Porrò aliis varia accidentia eueniunt ἐν τῷ ῥῷ. Aliis nulla aut pauca: inter cætera Hippo. obſeruat nonnullis pituitam acrem à capite delabi præſertim grauidis, & tunc facit παλμοὺς ὑπεκλυομένους, palpitationes ſubexolutas vertit interpres, & malè. Melius palpitationes ſub exoluentes verterem. Alia multa in libris de morb.

mulierum inuenientur.

Vltimam nunc partem instituti persequamur, quæ in curatione consumitur. Ac primùm tum ratione partis ipsius, nempe vteri, tum naturæ mulierum difficilis curatio. Partis quidem quoniam nec vis medicamentorum præsertim admotorum intro subit, tum quia facilè patet excrementis. Naturæ mulierum, quia non facilè suos morbos medicis detegunt, & cum sciant se ægrotare, quoniam vim momentáque morbi non intelligunt, tùm demùm de iis aperiunt, cum iam progressi vix curationem admittunt, nec obsequuntur medicorum placitis. Ac primùm generaliùs rem tractabimus, præsertim quod ad eam mulierem pertinet quæ ῥῷ laborabat, cuius maximè originem à capite repetiuimus, quod corpus mollius & humidius, & caput porriginosum haberet. Omnino autem corpora humidiora natura sunt morbosiora, si verum illud: Queis natura nares humidiores, & genitura humidior, nimis integra sanitate fruuntur: quibus contraria, salubriùs degunt. Aliter in Epid. Quibus naturâ nares humidiores, genitura humidior & copiosior, hi morbosius sani sunt. Plurimis autem quibus ex morbo (suppl. naturâ humidiores) nares, vice versa, id est, sani etiamnum degunt: sed sani κατά τι. Vbi notare oportet Hippo. opponere humidiorem τῇ φύσει, humidiori τῷ ἐν νόσῳ. Quid hoc significat? An qui ex morbo humidior est, saniùs degit, quàm qui naturâ talis est. Immo quo naturalia instrumenta sunt humidiora, eo meliùs omnia in corpore administrantur? Secretum aliquid hîc latet. Duplex est humiditas, vna naturalis, altera contra naturam. Rursum naturalis bifariam, vna humidi primigenij vbertate, & hæc omnino bona est, quanquam omnino in natura excessus malus: vnde prisco quodam modo philosophans Hippo. de mixtione aquæ & ignis, docet eos morbosiores forè quibus plurimum est aquæ. Altera naturalis humiditas, est excessus cuiusdam excrementitiæ aquositatis, & vt sic loquar pituitositatis à primis parentibus orta, & diæta non correcta, sed potius fota & alita. Cuiusmodi plurimas Scytharũ mulieres Hippo. demonstrauit ob naturalem humiditatem infœcundas esse. Et de hac humiditate Hipp. hoc Aphorism. intelligit. Ideo minimè sani sunt. Altera humiditas vel præter naturam hoc in loco) est vel ex morbo, vel ex diæta. Nunc intelligamus cur anteferat humiditatem ἐν νόσῳ humiditati κατὰ τὴν φύσιν.

Aph. 62. lib. 6 Sect. 6. lib. 6. Epid.

Lib. 1. de Diæta.

Lib. de Aere.

φύσιν, quaſi ſaniùs degat humidus ex morbo, quàm qui naturâ talis eſt. Ita ſanè. Sed abſolutè pronuntiat & generaliter omnes morboſiores eſſe quibus natura nares humidiores, cum de humiditate ex morbo ait, ſcribit, Plurimis humidis ex morbo non tanta valetudinis imbecillitas. Itaque non abſolutè pronuntiat. Quod ſic intelligo fieri poteſt, vt quis propter cauſas aliquas morbificas, & ſemen & nares, & cerebrum humidiora habeat, ſed dum natura eam humiditatem euincet, & ars corriget, etſi aliquo tempore valetudinarij exiſtant, tamẽ non tandiu tales exiſtent, quandiu ij qui iam à paruo puero iſtam humiditatẽ in toto corpore contraxerunt[21]. Item cum naturalis eſt humiditas, ferè totius corporis eſt; cum morbo fit, ſæpè vnius tantùm partis eſt. Accedit & quod commodo corporis fit, vt corporis excrementa euacuentur, quod dum fit, corpus morbo, ſiue ex morbo humeſcere dicetur, atque ſic mea de iis ratio eſt. Alij ſuo iudicio vtuntur.

Ergo qui humidiores ſunt vel natura, vel vitæ inſtituto, præſertim ſi exceſſus & nimietas ſit, iis minùs integra ſanitas conceditur. Siccioribus contra. Quod ſine Dioriſmo non audiendum, alioqui locus lubricus eſt. Primum audiatur Gal. *Siccioribus naturis nulla eſt ſuperfluitas, humidioribus contra. Nam humidioribus ſiue toto corpore ſiue cerebro tantùm, continuò deſtillationes ex parua occaſione oboriuntur, anginæ & conſimilia*[22]. Contra tamen ea quæ dicuntur à Galeno de natura ſiccioribus, quòd nulla omnino ſuperfluitas manifeſta & ſenſibilis nec per cutim, nec ex cerebro effluat, obiici poteſt illud quod vulgò obſeruatur, natura bilioſiores & ſicciores ob calorem acrẽ adurentem ſæpè cruditatibus abundare, immo & paſſim deſtillationibus ferinis tentari. At dicemus id non fieri per ſe, ſed ex euentu: vel potiùs cum humidum dicimus, manifeſtum exceſſum humiditatis audimus, vt quantitate peccet, ſed cum meminimus humiditatum δριμέων, καὶ πικρῶν, καὶ πικροχόλων καὶ χολώδεων, quas in ſiccioribus abundare videmus; eæ potiùs qualitate peccant, vt in humidorum cenſu non habeantur.

Com. ad Apho. 2. lib. 6.

Ita pro ea muliere conſultum eſt.

Cum caput plenum eſt aut dolorifica inuehuntur, aut καταφορικὰ aut καταῤῥοϊκὰ, ſiue καταῤῥώδεα. Ergo ſi ὁ γυναικεῖος, ſiue καταῤῥῆξις, ſiue ῥευματισμὸς ſequitur à defluxione capitis, non autem à congeſtione in vtero hic præcautioni & curationi locus eſſe de-

bet. Præcautioni eorum quæ consequi possunt, curationi eorum quæ iam adsunt. Primum generationem impediemus, id fiet, tum parti consulendo ei quæ mittit, tum toti corpori, si fortè totius vitio id fit vt pote mollioris & nimiùm mucosi. Et bifariam fiet, tum ratione victus, tum purgatione. Auersione à parte in partẽ contrariam, vt pro vteri fluore alui fluor consequatur. Corroboratione, Mitigatione. Corroboratione partis recipientis, & generantis. Mitigatione, non solius humoris transeuntis, sed aut in tota massa sanguinis, aut quacúnque parte latitarit. Generatio prohibebitur, tum hauriendo corpus, tum partem à qua fluxio manat. Nam etsi vini parti vitium ascribitur, tamen totum corpus aliquãdo mollitie diffluit. Euacuatio fiet vel corporis totius, vel partis, manifestè aut occultè. Corroborabitur tum externis, tum internis. Ac primùm consuletur toti corpori victus ratione, abstinentia rerum liquidarum, vini albi, parciore cœna, abstinentia horariorum, salsorum, piperatorum, item victu vniusmodi. Purgationes erunt ex rheo, syrupo rosʃ. solutiuo puluere hieræ, syrup. de cichorio composito cum rheo. Valet & syrupus montagnanæ ex aquis artemisiæ, matricariæ in quibus agaricus infundetur, & saccharum candum ad lib. j dissoluetur vt fiat syrupus coctus. Ventriculo studendum blandioribus fomentis, & puluere cui digerendi & confirmandi vis insit. Capiti verò per frictiones ex sacculis milio, furfure cum foliis sampsuchi & consimilibus paratis. Macerata saluia in vino albo ore cõtinebitur ad promouendam saliuam. Lixiuium quoque solenne accommodatum erit. Vtero verò præsertim dum transitu acrimonia lædit humor conferet applicatio sacculorũ, tapso plenorum, qui madebunt lacte, aut aqua & vino, vel furfur excipietur sacculo & applicabitur. Magma rosarum confert. Item chamæmelum, & melilotus. Vtetur puluere ordinato ex Elect. Diatragacanth. frigid. puluere ireos, puluere gly & saccharo cando, vel accipientur sæpè tabellæ elect. diatragacant. frigid. vel dissoluentur iusculo & accipientur. Litus fiet ad spinam ex oleo mastich. myrtino addito benioing; Tandem applicabitur Empl. contra rupturam, aut similia parabuntur. Sub finem vtetur syrupo ex rosis transmarinis. Ad extremum valebit sudatorium.

Nunc autem sigillatim magis de curatione ista agemus sum-

pto exordio ab iis quæ ante dicta sunt. Nam docuimus alium fluxũ biliosum esse, alium pituitosum, alium melancholicum: Item aliàs totius corporis mollitiem laxitatémque in causa esse, ac præsertim pituitosi aquosique fluoris, alias hepatis prauitatem, præsertim eius qui biliosus & subuiridis est, aut alius deterioris coloris. Et in hoc morbi idea agnoscitur, cuius notitia apprimè ad medendum confert. Quis enim dubitat quin aliter sese gerere oporteat toto corpore affecto, quàm si vel pars vna, vel vterus ipse laboret? Quinetiam dispositionis varietas, rem quoque variat. Nam in quibusdam est frigiditas & humiditas multa calorem natiuum obruens causa huius rei, in aliis vitium ventriculi, & primæ regionis, vt in iis quæ fœdos quoque colores patiuntur, & in talibus fœtet anhelitus, ructus adsunt, cachexiæ signa, luridi sunt dentes, grauedo, tumor pedum aut corporis. Est enim praua chylosis, seu prauitas, vt loquuntur practici, digestionis. Item quemadmodum ventriculus & lactes malè suo funguntur officio, ita & hepar, & eius venæ: sic vt cum fiet mala hæmatosis, necnon ob prauam eius diathesin, extraneúmve calorem, aut refrigerationem quandam, chylus in mesaraicis, & simis hepatis corrúmpatur, vnde occasio facilè nascitur aut fluoris alui, aut vteri, prout vel aluus, vel vterus prius istam καταῤῥήξιν suscipit. Nec enim necesse est prauum fieri sanguinem, sed sæpè mediis viis impressione ipsius hepatis chylus inficitur, & maleficam accersit qualitatem, vnde corpus nihilum proficit. Euenit etiam vt in ipso vtero infirma sit facultas concoctrix, vnde vterus humentior frigidiórque factus dum aquosa superfluitate proluitur fluori vterino occasionem dat & principium. Quis itaque iisdem agat remediis si hepatis vitio id eueniat, & si ventriculi vitio? Item si excessus sit caloris corrumpentis in hepate, vnde κακοπεψία consequitur, aut excessus humiditatis, vnde debilitas consequitur?

Ac primùm quod ad totum corpus pertinet, hoc in loco breuiter perstringenda est curatio fluxus muliebris, quàm Gal. proposuit in vxore Boethi eo fluxu laborante ob nimiam & humiditatem & refrigerationem. Galenus & humiditatem morbi ὑδατώδους ὄντος τυρῦ, qui humidus erat, vt humor esset instar coaguli (Interpres enim has voces ὄντος τυρῦ omisit) & refrigerationem correxit: ventriculi rationem habuit, ab astringentibus primo quoque tempore abstinuit, quoniam ea nocuerant. Per

Cap. 4. de Pręcog. ad Posthum.

aluum humorem deriuauit, diuretica exhibuit. Item & sudorifica. Aluum quidem hydragogo subduxit, & ad proliciendam vrinam decoctum azari & apij propinauit. Frictiones adhibuit, litum ex melle ad prolectationẽ sudoris. Auibus montanis & siccante diæta vsus est, & non solum effecit, vt quod redundaret euacuaretur, sed vt generatio quoque prohiberetur. Hæc sunt curationis capita illius quam Galenus instituit, quæ sicco pede prætereunda non sunt.

Atque primùm ab astringentibus abstinuit, quoniam vsu medicamentorum astringentium ventris tumor secutus est, vt falsò eam concepisse existimarent. At collectio erat suppressæ humiditatis. Declarauit euentus, excreuit enim ingentem aquę copiam non sine magnis deliquiis, vt ea animam agere videatur. Vbi primum animaduertere oportet interpretis lapsum dum loquitur de applicatis astringentibus, ait enim, vnguenta insuper admota sunt, quæ muliebres locos supprimerent: Græcè, προσφέρειν τε ἐλιμμάτων στυφόντων τοῖς γυναικείοις τόποις. Admouere consilium fuit ad muliebres locos ea quæ vim haberent astringendi compescendíque suppl. muliebrem fluorem. Ergo patet non minimùm periculi adesse si fluor iste statim reprimatur. Nam hydrops particularis repentè est obortus. Quod antè explicuimus docentes illius euacuationis aliquem esse vsum. Immo & in biliosis aliquatenus iuuare ex doctrina Hippocratis. Annotat autem Abaltomari ex Aetio, mulieres nonnullas hoc represso fluxu in hydropem incidisse, alias in neruorum affectiones, aut capitis dolorem.

Interpretis lapsus.

Cap. 109. metho. medendi.

Secundo rationem ventriculi habuit. Nec enim est quod quis obiiciat Galenum in hac muliere nardino vsum oleo ad ventriculum [33] ratione præsentis leipothymiæ cum algore partium externarum (quod certè commodè fit, & fortè à nullo vnquam obseruatum) sed satis patet illius rationem habuisse cū videret hypochondriorum summam laxitatem, nec non ab humiditate & refrigeratione ꝫ istum pendere. Itaque, vt postea aperiemus, si suspicio est, ab imbecillitate primæ coctionis malum oriri, in curam ventriculi incumbemus.

Tertio diuretica instituit, de quibus pleríque ambigunt, vt & de iis quæ vim habent aperiendi vt pilulæ de aloe, & consimilia. Quem nodum soluere operæ pretium erit, vt quando & quomodo se in iis gerere oporteat, omnes intelligant. Eandem

orbitam triuit Manardus & alij, sed nihil tandem definiuerunt. Abaltomari à quacunque causa fuerit ρῦς, ad normam & exemplum Galeni diuretica instituit. At errat. Siquidem summa erat in vxore Boethi humiditas & frigiditas, sic ab vsu diureticorum, quæ calore suo fundunt, & tenuitate summa partium sunt prædita, nullum incommodum est insecutum. At si ventriculus imbecillior est, si biliosus, & ichorosus & malignus est fluor, si impensè calidum hepar & calore acri præsertim præditum, nunquid dictamn. casia, carpobal. semen balsam apiũ, petro. maced. phu. Valeriana nocebunt? Ita hercules. Quorsum enim diuretica, cum humor nimium sit tenuis & subtilis, & vt sanies ichórque? Verendum enim ne in diabeten coniicias. Præterea quid est necesse vsu diureticorum incidentium, attenuantium, & fundentium, primùm sanguinem fundere & liquare, deinde secernere per vias vrinarias, cum fluor muliebris sæpè à venis non sit vt ante docuimus? in summa sanguinis humectatione ob ichoris admixtionem, hoc quidem conferet, sed si fluor muliebris fiat ab humore secreto à massa sanguinis, vt omnis ferè fit, superuacua est sanguinis colliquatio à diureticis, & eorum vsu intrudetur humor in vterum ipsum iam apertum, immo & is magis aperietur: immo verendum ne diuretica remisceant separatum humorem ρῦ autorem ipsi massæ sanguinis. Denique læsio sequi possit vsu impensè calidorum & colliquantium. Est ergò vbi diuretica conferunt, est vbi non. Paulus dum de curatione ρῦ agit, ita scribit: Quoniam hæc passio est humida, subueniendum toti corpori iis quæ sine manifesto calore exiccant. Item frictione corporis, vnctione ex melle cocto, danda diuretica, vt decoctum apij & azari, & per ventrem totum corpus purgandum. Hæc quidem ex Gal. lib. ad Posth. surripuit, sed in duobus errauit. Primum vult ea vsurpanda quę sine manifesto calore exiccant, & tamen paulò post diuretica eáque valdè calida & siccantia dat, vt azarum. Immo omnia diuretica exiccant, vt paulò post docebitur. Deinde in hoc errat, quod sua remedia sine iudicio præscribit, non distinguens an humor sit frigidus, an verò sit calidus. At distinctio rerum tenenda est. Manardus verò istam nostram quæstionem dirimit de diureticis, an quod vrinam prouocat, menstruum prouocat: & si ita est, cur azarum & apium quæ mouent menses & vrinam dantur ad ρῦ. Incitabunt enim eum potius. De diu-

lib. 3.

Pauli error.

Epist. 5. lib. 11.

reticis præsertim calidis, (nam sunt quædam frigida & contemperantia vrinas promouentia, & ea potius οὐρητικὰ, quam διουρητικὰ dicentur, vt in voce διὰ vis aliqua insit) ita ex Gal. paucis, quoniam magna est controuersia, quæ non desiccant, & modicè excalfaciunt, lac generant, quę plus calfaciũt non tamen valenter siccant, menseis mouent, vtráque vrinas prouocant (suppl. cõmuni quadã facultate) sed propriè quę calfaciunt & desiccãt, diuretica vocentur, nõ quia sola moueãt vrinas, sed quia solas.

Cap. 22. lib. 5. de simpl.

Solas autẽ dicentur mouere quia non prouocant lac & mẽses quemadmodũ vice versa quæ lac & mẽses ciẽt, vrinas proliciũt. Et alio loco, cũ vrinã prolicere voles acrioribus & calidioribus, quã quæ sunt ἐκφρακτικὰ, vteris, nimirũ fundentibus, liquantibus, & secernentibus. Plura in primo Consiliorũ Tomo. Hinc colliges & mẽstruum prouocantia & diuretica esse calida & sicca, sed diuretica esse sicciora, immo & acriora. Nã & costus, & casia & cinnam. menstrua prouocant Galeno, cum tamen multum sicca sint actu: id est siccandi potestatem habent. Quanquam quædam valdè exiccantia, menses mouent aliquando, vt Galeno Sabina id præstat, cum eodem authore summè siccet. Sed omnia audienda καθ' ἧττον ἢ μᾶλλον. Ad rem redeamus, & has difficultates omittamus, vix eueniet vt aliquid verè diureticon sit, quin idem & menses cieat, vt concludere oporteat an tuto diuretico vti liceat ἐν τῷ ῥῷ an non, siue per se omnino vrinam moueat, siue vnà mensem iritet, & proinde fluoris muliebris materiam propellat. Manardus post istud examen, quoniam videt & casiam & apium, & azarum quæ dantur ad prouocandas vrinas ἐν τῷ ῥῷ, posse incitare quoque materiam in vterum, quod malum videretur, quoniam per partem læsam non conueniens videtur purgatio, ait tandem maius sequi commodum ex prælectis tali diureticorum vsu vrinis, quàm sit incommodum si vna & eadem opera ad vterum propulsio fit. Aut nullum enim aut exiguum incommodum vult sequi. Non enim fieri potest quin in viis ipsis ad vterum, & in vtero hæreat illa proluuiei materia, quæ, dum pellitur vrinæ vno impulsu, dum particula medicamenti aliò traducitur, commodè detrudi & detergeri possit per vias vteri. Quod si diutius vteremur illis vreticis, reuéra noxa afferretur, sed postea ita temperamus remedia, vt eorum vis retundatur. Deinde ad supprimentia, corroborantia & astringentia gradimur. Plura vide apud Manard. loco cit.

Cap. 13.

Concludemus paulò post de iis.

Nunc de vſu catapotiorum ex hieris, an conueniant, vti & ea quæ tenuitate partium prædita ſunt. Rondeletius bonus medendi magiſter in curando ῥῶ abſtinet præſertim à pilulis officinarum quod conſtent ex calidioribus, & iis quæ tenuitatem partium maiorem habent. Sed non omnino prohibet eadem remedia cum fluor à pituita eſt. Itaque ſecum conciliandus eſt hoc modo Quod attinet ad pilulas ex aloe & hieris, in materia tenui, ichore & bile venas matricis ad ῥȣ̃ faciundum appetente, temperandum eſt à pilulis, quod metus eſſet primùm ne moueatur magis ῥȣ̃. Et cum non facilè auertatur ab vtero licet omnia ex arte egeris, periculum eſt ne ſi incitaueris materiam, & vteri vaſa reſeraueris, facilè non reprimas Item efferatur & acuitur magis materia vſu rerum acrium & tenuitate partium præditarum. Tertiò verendum ne ſi ad aloem & hieras concurras menſtruam periodon legitimæ purgationis perturbes, vt & vnà ῥοῦς, & τὸ καταμήνιον confundantur. Quod notandum eſt. At ſi materia craſſior eſt & pituitoſior, non tantus adeſt metus. Ideo in bilioſo ῥῶ interdicit, in pituitoſo pilulas iſtas amplexatur. Nos poſtea legitima dabimus remedia. Hoc addemus ſi conſilium eſt repreſſo aliqua ex parte curſu ac impetu purgare venas ad vterum pertinentes, ad aliquod tempus ea remedia poſſumus vſurpare.

Quod ad diuretica pertinet, eodem quoque modo conciliare licet. Docuimus ex Manardo ſequi commodum magnum ex vrinarum irritatione, & ſudorum, quoniam mollities & humiditas tollitur. Ita enim Hippo. requirit corporis quandam συστολὴν, id eſt contractionem quandam & compactionem, fugatâ videlicet mollitie & effœminatione. Sic τὸ συνεσταλμένον τῷ διαλελυμένῳ opponit: vt συστο[illegible] quandam εὐεξίαν ſignificet. Ad quam rem humiditatis excretio, & per vrinas, & per ſudores requiritur. Sed quid attinet ſanguinem fundere ad proliciendas vrinas vſu diureticorum, cum ῥȣ̃, non ſit ex venis, ſed ex aliis quibuſdam vaſis, & ῥȣ̃ non fiat per ſeparationem materiei aquoſæ è venis? Nam bonum quidem eſt diuertere ad renes ſerum in morboſis menſtruis & aquoſis, ſed non in ῥῶ. Sed reuera hoc facit ad materiam & cauſam antecedentem. Nam totum corpus confluit. Et ita in iis moderatè agendum eſt, vt habita & corporum ratione, & materiei, ῥȣ̃ committentis diſtinctione,

modò diureticis vtamur, modo pilulis & consimilibus vias reserantibus. Quis enim adeo ieiunus vt eunte per vterum materia & calidissima, & hepate siccissimo calidissimóque existente ad catapotia concurrat? Quis eadem vsurparet, si ventriculi œconomia præ imbecillitate labefactetur: nisi fortè solo hierarum puluere vtatur? Rondeletius verò tum demum aperientia diuretica vsuuenire putat cum malum declinat, & corpus repurgatum est. Ac si dicat, cum magno impetu humor non fluit, ad vias vrinarias humorē deriuato, ne si dum in motu est id fiat, & vterum moueas, & fluxum magis incites. Præterea requirit vt corpus benè purgatum sit, ne diureticorum vsu obuias materias in renes intrudas. Et hæc sunt quæ generaliter de his dici possunt.

Primum hi frequentes clysteres conuenient, ne si fortè medicamenta des, idem fiat quod & in arthritide. Sæpè enim vi medicamenti solutiui ob καταῤῥοπὴν irritatur fluxus humorum in subiectas partes. At enemata conueniunt.

℞. [24] *Betonicæ (nā hæc vtero valdè confert purgando) melissæ agripalmæ, matricariæ, artemisiæ. an. m. j. cyperi, schœnuanthi. an. ʒ iij. seminis fœnicul. seseleos. an. ℥ ſ. seminis poœniæ rubentis ℥ ſ. seminis lini ʒ i. ſ. florum chamæmel. meliloti. an. m. j. fiat decoctio in col. dissolu. terebinthinæ ʒ iij. cathol. ℥ j. diaphœnici. ʒ iij. mellis rosati, sacch. rub. an. ℥ j. fiat clyst.*

Inter cætera dissoluetur in clysmatis mel mercuriale.

Mercurialis enim magnas habet vires ad proliciēdos humores serosos quos authores τῶν γυναικείων statuimus.

Conueniet quoque in iisdem enematis dissoluere confectionem hieræ, si eluere velis istas sordes, & magnæ in venis vteri obstructionis subest suspicio. Item valet aliquando confectionis hamech portio dissoluta.

Loco mellis mercurialis succus betæ, præsertim rubræ valet, item si ditior sit laborans mulier, dissoluetur syrupus rosarum solutiuus.

Valet & hoc enema superiori respondens præsertim si pituitosa valdè sit mulier, & εὔσαρκος.

℞. *Rosarum pallidarum. m. j. furfuris macri. p. ij. hordei. m. ſ. fumariæ, mercurial. parietariæ, & tapsi barb. an. m. ſ. absinth. centaurij minoris. an. m. ſ. costi. p. ſ. betæ rub. m. j. vrticæ mollis (de cuius vi multa authores asseruerunt) m. ſ. rosarum transmarinarum. m. ſ.*

betonicæ

betonicæ & Parthenij. an. m. ſ. chamæmeli (nam hoc omitti nunquam debet) p. ſ. fiat decoctio ad quart. iij. diſſol. vini optimi quart. vnum. Agaricus in nodulo poſitus infundetur in decocto clyſteris, & mirificam habet vim. Aliquando ſerum lactis, aut decoctum caulium rubrorum, aut hydromeli conuenient loco alterius decocti, & in rem præſentem.

Cauendum ab iis quæ calidiora ſunt, & quæ humidiora. Illa enim aperient plus æquo, & fluorem incitabunt: hæc verò locos humectando morbum fouebunt. Atque ſuperiora enemata in corporibus humidioribus & frigidioribus conuenient.

Hoc ſolùm addere opportunum erit non eſſe alienum in decoctione ipſa clyſterum ad ῥῦν pertinentium iniicere faſciculum radicis ſarſeparellæ, aut ramenta aliquot ligni indici, vt deſiccationi omnino ſtudeatur. Cauendum ab omnibus oleis, præter nardinum, cedrinum, de terebinthina, & alia id genus. Sunt qui decoctiones per os ſumendas tranſcolant per cineres ſarmentorum, vt maior deſiccandi vis adſit, cur non & decocta Enematon eodem modo parare non licebit?

Quod ſi corpus calidius ſit, & ſiccius, vt ῥοῦς ab humore contingat acri, mordaci, vnde dolores circum lumbos oriri ſolent vehementes, & metus exulcerationis eſt, iſta clyſmata ſuperiora omittentur, & alia vſurpabuntur.

℞. Nymphex m. j. aeizoi vtriúſque, portul. polygoni, tapſi. an. m. j. furfurum m. ſ. hordei. p. j. foliorum intybi ſylueſtris. p. j. ſemin. frigid. aut minorum. an. ℥ iij. ſeminis cytoniorum. ℥ ſ. mercurial. betonicæ (nam hæc duo numquam omittenda) Parthenij & vrticæ mollis. an. m. ſ. chamæmeli. m. j. fiat clyſter. diſſol. electuarij de ſucco roſarum ℥ iij. catholici ℥ 6. mellis anthoſati, aut mercurial. ℥ ſ. ſacch. rub. m. j. ſeri lactis. quart. j. Succus betæ, aut ſerum lactis, aut aqua decoctionis abſinthij, & hordei conuenient.

Chamæmelum vt verè hyſtericum non omittetur, betonica verò & mercurialis maximè confert, quoniam albam ſordidámque eluuiem maximè eluit.

Æſtate incoquentur roſæ pallidæ, & cum tutius aſtringere voles magma earundem roſarum macerabitur in aqua, & erit pro clyſteris decocto.

Maiore ſumptu diſſoluetur in enemate ſuccus florum perſicorum (ſi facilè educetur) aut roſarum pallidarum diſſoluetur. Præterea talis clyſter. exquiſitius componetur.

♃. Hydromelitis benè cocti lib. ſ. ſucci artemiſiæ, nepetæ, caulium rubrorum. an. ℥ ij. vel in calidioribus, ſucci plantag. lanceolatæ, aut emperviui tantundem, in clyſmatis compoſitionem inſumetur, diſſoluntúrque laxantia pro re nata.

Ergo ſtatuatur corpus mulieris cacochymum, cui tamen ventriculus ſat legitime officium facit, ſed viſcerum impuritas [illegible] fouet, & ex conſequenti ipſius vteri humiditas cum ſqualore quodam, primum à valdè calfacientibus abſtinendum, nec ſtatim ſiſtendus [illegible], ſed admiſcenda contemperantia aſtringentibus, & ſoluentibus, alioqui cauendum erit, ne omnia peruertantur. Primum vtemur hoc decocto.

♃. Vrticæ mollis, ſcariolæ, endiuiæ, lanceolatæ, piloſellæ, & bipinellæ an. m. j. plantag. & berberorum. an. p. j agripal. betonicæ, mercurial. an. m. j. ſemin. frigidorum maiorum & minorum. an. ʒ iij. ſeminis bardanæ & ſeſeleos an ʒ j. paſſul. corinthiacarum ℥ ſ. rad. petro. eryngiorum & bruſci. an. ℥ j. rad. ireos. ℥ ſ. fiat decoctio ad lib. j. in col. diſſolue ſyrup. capil. ſyrup. de endiuia, & de althea. an. ℥ j. coaguli leporis ʒ iij. fiat apozem. aromatizatum electuario diatragaganthi frigidi, vel diarrhodonis abb. vel arom. roſati. Bonum erit poſt doſin vnam ſumere tabellam diacarth. aut diaireos, vtrumque enim renes purgare poteſt, vel,

♃. Mercurial. m. j. ſeminis carthami ℥ ſ. rad. ireos florentiæ ʒ j. florum perſicæ arboris & roſarum pallidarum. an. m. j. bugloſſi, boragin. ſcariol. ſcabioſæ, betonicæ, & meliſſophylli. an. m. j. cicerum rubrorum. p. j. vrticæ mollis m. j. iuiub. ſebeſth. & pruna an. m. xx. plantaginis, & ſemperuiui an. m. ſ. roſarum tranſmarinarum. m. ſ. ſeminis citrij cardui & melonum. an. ℥ ſ. fiat decoct. addendo ſub finem conſeruæ violarum & roſarum. an ℥ ſ. necnon ſeminis pæoniæ maris. ℥ ſ. in colat. diſſol. mellis roſati colati & diligenter aſſeruati & ſacchari bugloſſati, aut candi an ℥ ij. fiat apoz. in tres doſes.

Sed in materia hac calida & effera poſſumus vti puluere leniente, renum obſtructionem tollente:

♃. Pulueris electuarij diatracanth. frigidi. ℥ ij. pulueris gly. ℥ ſ. pulueris ireos ℥ ſ. ſacch. candi ℥ i. ſ. fiat puluis, additis ſeminibus frigidis maioribus, quæ puluerem electuarij diatracanthi frigidi ingrediuntur, ſed tamen non niſi vſus tempore adduntur, quia facilè ranceſcent, vel, *hic puluis inſtituetur,*

♃. Cinnamomi gr. 4. pulueris nucleorum meſpilorum ʒ j. ſem. car dam. ʒ j. pulueris electuarij diaireos ſimpl. & diatracan. frigidi. an. ʒ j.

pulueris glycyrr. ℥ iij. sacchari candi ℥ i. ſ. fiat puluis accipiendus ex oui luteo, vel ex cochleari ſuperbibendo parum vini albi decocto radicis graminis diluti.

Hinc patet nos moderatiores fuiſſe in vſu diureticorum, & potius conſtitiſſe in his quæ leniendo vrinas & ſerum per renes deducerent. At ſi corpus duriuſculum ſit, & præpingue, ea quæ calidiora ſunt & tenuium partium, cum ſiccandi vi vſurpabuntur. Ad prædicta remedia accedent emulſiones ſolennes vi leniendi & mitigandi præditæ. Pauperibus ad tempus hydromeli conueniet. Nunc ad purgantia remedia feſtinandum in quibus eadem generalis methodus tenenda, quæ & in clyſmatis. Nam aliàs pilularum vſus confert: aliàs non. Si materia acris, mordax, ſi corpus πικρόχολον ᾖ, ſi cacochymia leniter & ὀπικεραστικῶς emendanda. Vtendum medicamentis leniter purgantibus. Inter cætera laudant trypheram perſicam, quod & corroborando, & leniter euacuando mirificas vires habeat. At placet quibuſdam, ídque non ſine ratione, malè & propter rationem iſtam Trypheram præparari. Quinetiam non longè à noſtro diacatholicone differt. Nos in vtriuſque formam opiatam delicatam, & magni vſus componemus:

Rondeletius.

Antiqui Fæſius.

℞ *Radicis ſalſeparilie ℥ iij. macerentur in aqua fluuialis, aut cyſternæ lib. iiij. donec. redeant ad lib. iij. addendo vini albi quartar. j.*

℞. *Roſarum pallidarum. m. j. florum perſicorum, ſeminis pœniæ. ℥ j. ſpicæ nardi. ʒ iij. cichorij totius, ſcariol. endiuiæ, borag. plantag. an. m. j. rad. biſtortæ, florum & foliorum dictam. an. ℥ ſ. mercurialis. m. j. betonicæ. m. ij. paſſularum corinthiacarum & granorum Kermes. an. ℥ ſ. corticis myrobalanorum citrinorum ℥ ij. been albi. ʒ ij. rad. petr. aſparagi, eryngiorum. an. ℥ j. calend. m. j. vrticæ mollis m. ij. ſemin. frigidorum maiorum, ſemin. coriandri, & ſeſeleos. an. ʒ iij foliorum ſenæ mundatorum. ℥ i ſ. aut ℥ ij. fiat decoctio addendo cinnamomi, & nucis moſchatæ. an. ʒ ij. colaturæ, adde rhabarbari puluerisati. ℥ ſ. expreſſ. ʒ iij. eiuſdem rhab. infuſi in vino albo cum cinnam. Caßiæ ℥ j. pulpæ paſſul. & ſebeſthen. an. ℥ ſ. confectionis Alkermes. ʒ iij. conſeruæ bugloßi, & ſyrup. conſeruationis citri. an. ℥ j. ſiue citrij minutim inciſi. ℥ i ſ. & cum ſacch. fiat opiata vtenda, vel in decocto calendulæ & gly. vel in forma boli.*

Poteſt addi puluis foliorum ſenæ ad ℥ ſ. vel ʒ 6. vt efficacior ſit opiata.

Ex iiſdem materialibus poteſt parari ſyrupus ſolennis.

Si paretur ſyrupus ſolennis, ex vſu erit ſyrupus roſarum ſolutiuus in eodem diſſolutus, vel ſucci mercurialis, endiuiæ, pomorum etiam de curtipendulo.

Eodem pertinet ſyrupus Regis Saboris ex foliculis ſolutiuis.

Subſtituentur pilulæ iſtæ, quæ deuorabuntur.

℞. *Ambræ griſeæ ℈ j. raſuræ eb. gran. 8. cinnam. gran. 5. radicis i eos & ſpicæ nardi. an. gran. 4. rhabarb. electi ʒ ij. maſt. ℈ j. pil. ruſi. ℈ ſ. cum ſyrup. Regis Saboris, vel cum ſucco pomorum, fiat maſſa pilul.* vel,

℞. *Ambræ griſeæ ℈ ſ. caryophy'. gran. 4. rad. ireos & biſto. an. ℈ ſ. maſtich. ℈ ſ. rhabarb. ʒ ij. ſ. confectionis Alkermes. ℈ j. theriaces. ℈ ſ. excipiantur ſyrup. conſeruation. myrobal. aut cort. citrij conditi. vel ſi ſiccior eſſe videatur maſſa excipietur in aqua macerationis roſarũ pallid. & florum viol.*

Et quoniam antè in omnibus ferè apozematum aut medicamentorum decoctis ſuccum aut mercurial. aut ſyrupum roſarũ ſolutiuum diſſoluimus, hîc vnum admonere non eſt inutile ad legitimè medendum. Quæcumque medicamenta aquas educunt, ea facilè exoluunt corpus humiditate educta qua partes erant quodammodo delibutæ. Et quod experientia docuit, ventriculus facilè offenditur. Ideo in medicamentorum ſerum & aquas educentium moderatiores nos eſſe oportet.

Quod ſi pituita magis in vitio eſt, & corpus mucoſum magis, non erit alienum vti pilulis officinarum. Nam mucago & illuuies corporis impediet quo-minus noceant:

℞. *Spicæ nardi ℈ j. caryophyllorum ℈ j. diambræ & diamoſchi dulcis. an. gran. 8. agarici non trochiſcati, aut trochiſcati. ʒ ij. puluis hieræ dupl. aloë. ℈ iiij. rhab. ʒ i ſ. theriaces & conſeruæ anthos an. quantum ſuff. fiat maſſa pilularum vtenda ſæpe.*

Inter cætera addetur caſtoreũ & turbith. Sed vt ea magis ſoluat poſſunt addi particul. aliquot maſſæ pilul. ſine quibus, aut aurearum, aut conſimilium.

Pilulæ communes admixto rhabarb. ad leniter purgandum cibo præſumi poſſunt. Item pilul. ex rheo & terebinthina[25]. Vide ad finem capitis.

Inter cætera confectio hieræ valet, ſi palato mulierum non valdè diſplicuerit. Hic ſyrupus ad coquendum & purgandum valet.

℞. Betonicæ m. ij. agripalmæ, nepet. Galliopſeos, parthenij, filipend. an. m. j. calaminthes hyſſopi puleg. cynocrambæ, id eſt mercurialis ſylueſtris. an. m. j. vrticæ mortuæ, mercurial. hordei. an. p. j. fructuum halicacabi, fragorũ chamæbati, an ʒ ij perſonatæ, ſiue bardanæ. m. j. ſeminis eiuſdem, ſeminis pœniæ, ſeſeleos, granorum iuniperi, lithoſpermatis. an. ʒ ij. Crithmi, id eſt, cretæ marinæ, argentinæ, omnium capil. an. m. j. roſarum pallid. m. ij. paſſul. integrarum nucleorum meſpyli. an. ℥. ſ. fiat decoct. in aqua, in qua incocti fuerint faſciculi duo rad. ſarſeparil. per horas duodecim, addito nodulo ʒ iij. cinnam. adde foliorum ſenæ ℥ iij. ſeminis fœnicul. dulcis. ʒ iij. violarum & florum ſtœchados. an. m. j. Adde expreſſionem ʒ 6. agar. infuſi in ſucco meliſſæ & vino albo, aut ſucco mercurial. cum ʒ j. radicis biſto. & nodulo cariophyl. aut nucis moſcatæ: Item addi poteſt expreſſum rhabarb. adde ſyrup. roſ. pallid. ℥ iij. ſacchari bugloſſati. lib. j. fiat ſyrupus. vel,

℞. Aquarum betonicæ, aut potius ſuccorum betonicæ, meliſſæ, vrticæ mollis, plantag. mercurial. an. ℥ iiij. ſucci lupul. ℥ ij. macera agari. alb. ℥ ij. cinnam & nucis moſcatæ. an. ʒ i ſ. ſpicæ nardi ʒ ij. Adde expreſſionem. ℥ j. rhabarb. infuſi in vino albo, & aqua cardui diſſolue ſyrup. roſ. ſolutiui. ℥ ij. oxymel. ſimpl. ℥ ij. aliquando tantundem mellis roſati optimi, & cum ſacch. fiat ſyrup.

Valent diacarth. de ſucco roſ. & ſimilia, Nunquam omittentur cardiaca. Quoniam in iſta humorum eluuie facilè vapores ſummittuntur qui feriunt cor, & inquinant ſpiritus.

A conditis, opiatis, pulueribus non abſtinendum.

Maximè verò pulueres valent, & tabellæ.

℞. Pulueris coriandri & fœnicul. dulcis conditi. an. ℥ j pulu. diambræ & lætitiæ. an. ℈ j. pulu. roſ. cinnam gran. 8. diamarg. frigid. ℈ ſ. raſuræ eb. cornu cerui, & corniculorum cerui an. ℈ j. margarit. & fragment. ſmarag. ℈ j. pulueris lapillorum in capite cancrorum reperiri ſolitorum gran. 8. pulu. rad. angel. & biſtortæ. an. gran. 12. cum lib. j. ſacch. fiat puluis addito puluere lumbricor. terræ.

℞. Pulu. radicis dictam. & ſpicæ nardi. an. gran. 5. diamarg. frigid. diamb. & arom. roſ. maioris. an ℈ ſ. rad. tormentil. & angelicæ. an. ℈ j. raſurarum ſolemnium. an ℈ j. pulu. lumbr. terræ præparatorum. ℈ ſ. ſacchari diſſoluti in aqua cardui infuſ. cinnam. ſufficientem quantitatem fiant tabellæ. Poteſt addi corallium vtrunque, ambra, moſchus, lapis hæmatites, ſphragis, & electa bolus armena. Item roſæ & ſantala.

Si à capite malum est, pilulæ fortiores imperabuntur, & vtemur ea methodo quæ obseruata est in curatione [pq] illius mulieris de qua egimus. Capiti enim omnino consultum est [27].

Sed &, quod diligenter obseruandum est, alui quædam laxitas & cruditas, immo & imbecillitas longioris illius fluoris causa est. Itaque & prouidendum maxime, immo à quacunque causa ortum malum, quoniam vel primariò vel secundariò læditur ventriculus, perpetuo prospiciendum ei hac cautione, vt si hepar incumbens, & viscera calidiora videbuntur, à calidioribus abstineamus.

Itaque litus conuenient ex oleo nardino, mastichino, de spica, de nuce moschata, & consimilia. Item & solennes fotus.

Litus autem non solùm fiet in parte antica ad sternon, sed in postica ad duodecimã dorsi vertebram, aut circum circà.

His supersedebimus, quoniam vsu nimiùm teruntur.

Multa ex aliis capitibus de diarrhœa, de fluxu immodico mensium, de imbecillitate ventriculi, & iecoris venari possumus. Reliqua tantùm ad rem pertinentia persequemur.

Ergo cum corpus legitimè erit repurgatum, tum ad astringendum concurremus tum sumptis, tum admotis. [28]

℞. Rosarum transmarinarum. m. iij. radicis consolidæ maioris. ℥ ij. radicis bistortæ. ℥ j. vrticæ mollis. m. j. pinpinellæ. m. ß. Teleph. polygoni, Equiseti. an. m. j. rosarum siccarum m. ij. foliorum salicis, plantag. nymph. an. m. j. lanuginis & florum salicis. an. m. j. pentaphylli radicum, foliorum, & florum. an. p. j. balaustiorum, cupulorum gland. sumach. an. ʒ ij. rad. sana mundæ regal. ℥ ß. berberorum. ʒ iij. mumiæ & conseruæ symphyti. an. ℥ ß. fiat decoct. ad lib. j. ß. dissol. sacch. rosati lib. j. madeat nodulus ex santalis, aut Karabe, aut bolo armena.

Radix bistortæ additur, *quia vterum valdè roborat.* Quædam calida adhibentur, quæ aut facultate occulta sistunt, aut sistentium vires deuehunt.

℞ Fumi asinini m. 4. macerentur aqua rosacea, magma reijciatur, & cum sacchare. fiat syrupus. Cuius admirabilis vis est.

Item syrupus parabitur ex succo rosarum transmarinarum, si potest elici, ex succo vrticæ mollis [29]. succo polygoni, plantag. centinodiæ, & consimilium herbarum cum saccharo rosato.

Item conseruæ symphyti, rosarum addita particula conseruæ rad. acori valent ad idem.

Infinitus numerus est rerum astringentium.

Interea decoctum rad. ſcynæ, aut ſarſepariliæ, vel in paſtu, vel extra conueniet. Bonum eſt prolicere ſudores. Stuuæ ſiue ſudatoria ſicca quadrabunt: & in eam rem coquentur chamæ. melilo. maiorana, pollium mont. chamæd. chamæpith. artemiſ. betonica, meliſſa, laurus, ebulus, flores ſtœchados, & alia id genus.

Poſtea inungetur corpus melle eo modo quo & Boethi vxorem inunxit. Gal. lib. ad Poſthum.

Encathiſmata, ſuffitus primum aperientes, deinde aſtringentes conuenient. Encathiſma tale fiet.

℞. *Radicis biſtortæ, lib. j. rad. ſymphyti. ℥ ij. rhois balauſt. pſidiæ. an. ℥ j. ſ. florum & foliorum ſalicis, plantag. an. m. iij. coquantur omnia addendo ſemina aſtringentia, vel in aqu. fabrorum, vel aq. extinctionis calculorum, vel potius in lixiuio communi, vel in lixiuio ſarmentorum ſalicis, quercus, aut ficus, addes roſarum magmata, & rad. lapath. acuti. & lib. ij. vini ſtyptici: inſidebit in eo decocto non calido.*

Conferre plurimum aiunt excipere fumũ lixiuij communis etiam vetuſtioris.

Item conchæ & oſtreorum teſtæ poſſunt coqui & in cinerem verti, & ita parabitur lixiuium.

Rondeletius hoc probat ad iniiciendum. Tamen non probo daphnoidem ſeu laureolam, quod ea acrior ſit & calidior.

℞. *Foliorum clematitis & daphnoid. an. m. j. hederæ. m. ij. fabas integ. m. xx hordei torrefact. leuiter. p. j. roſ. rub. p. j. fiat decoct. in vino rub. aqua artemiſiæ, & aqu. ciſternæ pro iniectione in vterum. Deinde vtitur ſuffitu.*

Placet experientiſſimis chirurgis inanem eſſe operam eorum qui per metrenchytem in vterum infundere aliquid conantur. Quod nil ſubeat corpus ipſius. Tamen quoniam per externas ad collum vteri pertinentes venas humorem fluere demonſtrauimus, nos profectum aliquem ab vſu iniectionum aſtringentium expectamus. Valet hic ſuffitus.

℞. *Ladani & carbonis ſalicis. an. ʒ ij. electri. ʒ ij. olibani maſtiches. an. ʒ j. caryophyll. nucis moſchatæ an. ℈ ij. benjoing. & ſtirac. an. gran. 6. pulu. rad. biſtortæ. & ſpicæ. an. ʒ j. pul. aliptæ moſcatæ. ℈ ij. pulueris roſarum, & nucum cypreſſi. an. ʒ ſ. cum gummi tragacanth. extracto in vino albo. aut pauca terebinth. fiant formulæ in carbones iniiciendæ.*

℞ *Thuris ℥ j. carabes ʒ iij. pulueris nucum cupreſſ. & cubebar. an. ʒ ij. trochiſc. algal. moſch. ʒ iij. Zedoar. calam. aromat. an. ʒ i. ſ. pro ſuffitu ad vterum.*

Opiata hæc interea confert.

℞. *Conſeruæ ſymph. & roſ. an. ℥ j. carnem duarum myrob. nucis moſch. conditæ & cort. an. ʒ j. Rob. de rib. ʒ ij. pulu. roſarum ʒ j. cytoniati ex ſucco parati. ℥ ſ. lapid. hæmat. aqua roſ. lauti, boli arm. terr. e ſigill. an. ʒ ſ. pulu. cupul. gland. ſantalorum & puluerís oſsium myrob. lautorum vino albo, & in ſartag. ſiccorum. an. ʒ j. ſpodij ℈ j. cum ſyrup. conſ. myrob. fiat opiata.*

Pro ſuffitu plurimùm commendant raſuram eboris carbonibus iniectam.

Ad nimias humiditates matricis, & lubricitatem vteri, hæc quoque poſſunt conferre: [30]

℞. *Menth. calaminth. nepet. an. m. ſ. artemiſ. agripal. an. m. j. piloſellæ omnium capill. an. p. i. ſcariol. cupul. an. p. i. ſ. ſeminis pæoniæ. ℥ ſ. been alb. ʒ i. cort. myrob. citrinarum ʒ ij. foliorum ſcab. p. ſ. fiat decoct. ad lib. j. diſſolue ſacch. candi, & roſati. an. quantùm ſuff. fiet ſyrupus coctus, adde ʒ ij. ſetæ in Kermes tinctæ.*

Ad eundem affectum poteſt & hoc pertinere:

℞. *Seminis agni caſti. ʒ ij. florum & folior. dictam. an. p. ſ. anthos ʒ i. quatuor ſemin. frigid. maiorum. an. ʒ i. ſ. ſeminis papau. albi. ℥ ſ. bulliant ſimul lento igni in aq. hordei contuſis ſeminibus. In Colatura ad lib. j. quæ fiet rurſus per cineres ſarmentorum diſſolu. ſyrup. de alth. & roſarum ſiccarum. an. ℥ ij. vtatur.*

Hæc potio valet initio præſertim ſi acrimonia ſit circum renes & ſenſus caloris. Et poſt vſum eius rei dant pilulas ex rheo & terebinthina Veneta ad renes repurgãdos. Idem remedium extinguit libidinis ardores.

Cap 63 lib. 3.

Paulus μετασυγκριτικὰ dat, vt dropaces, ſinapiſmos, pſilothra, ſmegmata, & breuiter curationis omnia capita recenſet. Emplaſtra ſolennia & vnguenta, vt de pelle arietina, Comitis, & innumera quæ commodè ad eandem rem concinnari poſſunt, ex capitibus de immodico fluore menſtruorum, de dyſenter. & prolapſu inteſtini venanda.

Item hoc poculum conferet. ℞. *plantaginis, portulacæ, berberorum. an. m. i. mumiæ. ʒ ij. roſarum rub. p. j. radicis conſolidæ ʒ ij. fiat decoctio in poſca diſſolue coaguli leporis gran. xxx. ſaccha. roſati. ℥ ſ. fiat potus. Repetat ſæpè.*

Cap. 68. lib. 2.

Dioſcorides ad muliebre profluuium ex aceto valdè commendat, omne coagulum, præſertim leporinum, quod mirum, cum omne coagulum acris & digerentis potentiæ ſit, & deſiccatoriæ.

Gal. 10. ſimpl.

catoriæ. Mirum quomodo acre medicamentum & calidum conferat ad affectum astringi poscentem? De coagulo fortè idem dici potest quod & de vrtica antè demonstratum. Nam facultate quadam recondita hoc contingit.

Pari quoque ratione tartarum ex vino albo quod acre est & detergens præscribitur in eundem scopum: & non abs re fortasse. Vnde primates medici hunc pulucrem ῥοῦν sedare autumarunt.

℞. Lapidis hæmatitis, boli armenæ. an. ℈j. carabes, corallij vtriúsque. an. ʒß seminis agni casti. ℈j. antheræ ℈ß. tartari, vini albi præparati. ℈ß faucium lucij ʒj. terræ sigil. ʒß. ambræ grisee gran. 12. radicis bistortæ. ℈j. cum ℥iij. sacch. rosat. & ℥i.ß. diatrag. frig. fiat puluis.

Anthera compositio est in puluerem redacta & sicca, quæ potius in admouendis esse debet, quàm in assumendis. Constat enim metallicis, quorum vsus tutus non est. Nisi fortè corpora sint duriora, μετα[illegible]: vide apud Gorræum.

In hunc puluerem coniici aptarique potest puluis coaguli leporis siccati.

Alia quoque in eam rem institui possunt, sed ea prout occurrent, vel artificio, vel ingenio comparabuntur, ita suo quæque ordine præscribentur[32].

Manardus tractat de tumore vteri, sed nescio quo modo tacitè delabitur ad curationem legitimam ῥοῦ γυναικείου. Fortè illa mulier ita laborabat, sed ob mali fœditatem non exprimit. Ex eo loco præclara multa deriuabuntur. *Epist. 5. lib. 10.*

In iis qui haud magna cum re sunt, neque sumptus superiorum ferre possunt, facilè conuenient post purgationem cum electuario diacarthami, aut de succo, aut alio simili, decocta foliorum mespili in aqua ferrata, additis rosis, & pauco melle[33].

Ex recentioribus Matthiolus ex Dioscoride colligit nonnulla valdè conferentia ad fluorem muliebrem: inter quæ nonnulla excepta sunt, quorum hic faciunda copia est.

Oleum hyoscyami renibus & pubi illitum confert, præsertim si quis adsit ardor. Eodem pertinet & camphora & succinū vsurpatum in litu cum materia conueniente.

In rosa flos est luteus, hic accipiendus cum extremo illo foliorum quod concolor est quodammodo, puluis faciundus & potui dandus.

Flores mali punici condiendi sunt: & eorum conditum ieiunæ datur, idque magno profectu. Nuclei dactylorum puluerati potui dabuntur.

Item macerabitur lactucæ semen in aqua ferrata, & in aqua illa dissoluetur ebur vstum, propinandum.

Radix caryophyllatæ in puluerem comminuta potabitur.

Item potentilla puluerata potui dabitur cum corallio, ambra & puluere eboris.

Inter cætera vtrunque corallum siue potu, siue bolo cum cōserua sumptum mirum in modum conferet.

Flores vulgò dictæ herbæ *Passe-velours*, conferunt plurimùm.

Item vinum granatorum.

Muscus arborum ventri applicatus dicitur eò conferre.

Exprimetur succus ex oliua syluestri, & pudendo illinetur.

Grana sumach. pota proficient, & nuclei granatorum puluerisati. Poma cytonia incoquentur in vino styptico, & eo decocto partes fouebuntur.

Folia caudæ equinæ aqua incoques, & propinabis.

Mentha supposita conferre narratur.

Inter cætera anisum bibitum plurimùm prodest, & decoctum symphyti petræi. Aliorum remediorum in idem congruentium sylua est apud Matthiolum in syntaxi in Dioscoridem.

Quæstio esse possit an non cauteria brachiis adhibita conferre possint. Nam ea commodè adhiberi posse videntur.

Pauperioribus syrupus magistralis parari potest, ex agar. folliculis addito succo mercurialis: & loco sacchari misceri potest mel rosatum si modo ingratus nimiùm syrup. non sit.

Inter cætera remedia commendant istud facile paratu. Accipitur ebur, puluerisatur tenuissimè in lapide porphyreo, propinatur ex aqua chalybeata in qua semen lactucæ maceratum fuerit donec relinquat mucorem quendam: & iste mucor vnà ebibitur.

Apud Hippocratem summum remedium celebratur ad τὸν ῥοῦν γυναικεῖον ebur vstum magna quantitate datum. Potest addi saccharum rosatum. Siccat impensè.

Et quoniam impuritas magna venosi generis & mesenterij, præsertim verò hepatis venarum fouet ῥοῦν muliebrem, postquā colluuies expurgata erit ad robur partibus conciliandum, ad ge-

nus venosum purgandum conferet decoctum sequens.

℞. *Radicis cichoreæ benè mundatæ, ℥ iij. rad. enulæ campanæ ℥ j. pimpinellæ p. j. macerentur & bulliant in lib. iv. aquæ adden. sub finem absinthij romani p. ij. aromatizetur totum paruo cinnamomo & dulcoretur: capiat quotidie mane ℥ ß. in aurora. addi potest parum vini albi in singulas doses. Item lignum sanctum.*

℞. *Mastiches emplast. contra ruptur. & vnguen. comitissæ, an. ʒ iij. rosarum puluer. & pulueris majoranæ an. ʒ i ß. trochiscorum de gallia moschata ʒ ß. cum ladano soluto in vino albo, & terebinthina; fiat magdaleon extendendum super alutam & applicandum regioni lumborum.*

ANNOTATIONES.

1. *Hipp. lib. 1. de mul. morbis docet cur mulierum morbi ferè immedicabiles existant. Verentur, ait, narrare morbos etiam si sciant: & præ imperitia ac ignorantia turpe id sibi esse putant. Sed & medici simul peccant nō exactè causam morbi percunctantes, sed velut viriles morbos sanantes. Multum enim differt morborum muliebrium ac viriliū curatio.*

2. *Tamen capillo est valdè nigro. An propterea calidiore est temperie? nequaquam.*

3. *Ad tractatum de ἐξ ὑστ. id pertinet ex 2. Epid.* Abscessus aut per venas, per aluum, neruos & spinalem medullam, per ossa fiunt. ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ἐκροάς, *vt vterum, os, pudendum, nares, aures.*

4. *Sunt quibus non probatur vt menses seu laudabiles, seu illaudabiles flores dicantur, sed potius fluores. Tamen Hipp. politico loquendi modo lib. 2. de morb. mulierum vocat* τὰ καταμήνια ἀνθεῖν *florere.*

5. *Narrat Fernelius cap. 16. lib. 6.* παθολο. *de muliere quæ licet menstruam purgationem nunquam esset experta, incolumis vixit.*

6. *Sunt enim corpora quibus etiam sanis sanguis aliquo qualitatis secundæ excessu vitiosus est, vnde acrior, aut nitrosior est.*

7. *Sic istum sanguinem effœminare quodammodo oporteret, vt* κατάῤῥοπος *fieret. Vnde quibusdam mulieribus appetit potius partes superiores, & rubent valdè genæ, & peripneumoniis sunt obnoxiæ. Et mirantur medici cur tales menstruæ non fiant.*

8. *Paulò antè docuimus innocuè supprimi aliquando sanguinem menstruum. Hipp. narrat de muliere cui per annos quatuor suppreßi erant menses, & peperit filiam, partu vitali, eámque nono mense, sed vnum notandum. Nam puella vlcus habebat in coxa, longior suppreßio mensiū huius rei causa fuit.*

9. *Probabiliorem περὶ τῶν λευκῶν, opinionem & veriorem adduximus in sequentibus paginis.*

10. *Fluor muliebris καθάρσεως, nomine potius quam κενώσεως donandus est. Multas his in regionibus mulieres affligit, potißimùque albas, & quibus læuis admodum, æqualis & visu iucunda superficies inest, cuius rei ratio hæc est, quòd iis cutis sit adstricta, excrementisque fuliginosis minimè peruia: tū quod delicatioris molliorísque sint habitudinis, eóque in morbosas affectiones procliuioris. Accedit quod sint aquosæ magis & effœminatæ quas ὑδατανόους vocat Hipp. Vnde excrementorum molestam vim non facilè depellunt, fluxionibus sunt obnoxiæ partésq; principes quodammodo aqueas, laxas, vliginosas putredinique minimè obsistentes habent.*

11. *Locus est præclarus apud Gal. Com. in eum Aphoris. in quo disputat de alatis vbi docet pityriasin vitio ipsius capitis contingere.*

12. *Apud Hipp. sect. 2. lib. 2. Ep. est historia commemorabilis cuiusdam mulieris, quæ cum duas filias peperisset idque ægrè, & non benè purgata esset, toto corpore intumuit, deinde profluuiū sanguinis semestre fuit, ab eo secuta est toto reliquo tempore albicans excretio. Quomodo id contigit. Stæua reuocat id ad vlcus aliquod in vtero conceptum vt facta fuerit suppuratio. Aliquando tamen rubra fuit excretio. An id sit verum vide.*

13. *Videmus multas mulieres excernere vrinas in quarum fundo verè est materia ῥοῦς γυναικείου, sed tamen non per vterum talis materia fluit, sed per vesicam vt vxori viri nobilis cuiusdam contigit.*

14. *Nisi dicamus apparente menstruo venas, immo & vterū turgescere, & sic ista aggreßione naturæ quæ aliquid criticum est naturale, cessat, aut saltem inducias dat fluor muliebris qui symptomaticus est toto genere. Deinde cum illa motio & inclinatio naturalis cessauit stato tempore, tunc symptomatica excretio repetit. Vt facultatis expultricis & secretricis vis appareat. Argumento, id est, quod mulieribus ob ῥοῦν intereuntibus post longam corporis extenuationem, mixtim promiscuéq; & ea illuuies, & sanguis excernatur, natura iam euersa, & facultatibus eius dißipatis ac profligatis.*

15. *Quemadmodum plerique etiam satis sicci, sunt catarrhosi, & iis multa natat pituita, ventriculus, & os humescit, quoniam eliquescit cerebrum, & facultate retinendi non pollet, ita pleræque mulieres fiunt ῥοώδεες, quia habitus corporis, & cerebrum ipsum liquescit. Vnde macrescunt atque contabescunt. Credo quod in iis naturam corroborare, est τῷ ῥῷ γυναικείῳ occasionem proripere.*

16. *Notandum valde quod ait senieribus fluor est albicãtior, iunioribus* ἐξέρυθρος, *&* ὑφαίμων. *Quia reuera quidã* ῥόος *est sanguineus: & cauendũ ne decipiamur existimemúsq; idem esse cum menstruo. Nã nec per easdem venas fit, nec eodẽ modo. Vnde Rondeletius cap. de fluore muliebri annotat istũ sanguineum fluorẽ &* ἐξέρυθρον *videri in grauidis mulieribus aliquãdo, & iis quibus suppressi sunt menses. Nam pro legitimis mensibus iste fluor sanguineus serosus supponitur. Qui verè fluor est, non menstruum.*

17. *Hinc Hippo. ait lib. 1.* γυναι. *Cum acetabula sunt plena pituita menses sunt pauciores, quod defluit mucosum & viscosum est, & in mẽsibus cum purgari desierit per duos aut tres dies muci ex vteris prodeunt, & horror tenet, &c.*

18. *Quibus renes sunt purulenti per inassuetas vias in vterinas partes humor fluit* ῥὼν *prouocaturus.*

19. *Præsertim si vlcus: nam si sola acetabula plena sunt, muco non est necesse.*

20. *Præsertim si humiditas sit cum frigiditate nam si cum calore, fluxu temporis facilè dissiparetur aut saltem corrigeretur.*

21. *Ex morbo humidior, dicetur vt cum quis insolatur, & liquescit corpus vnde coryzæ & similia. Tandem enim id corrigitur, & non in tam multos producetur dies vt humiditas à natura.*

22. *In eo numero senes esse possunt. Iis corpus siccum esse dicitur. Et tamen quanta excrementi & muci, & pituitæ copia? Sic aliud est excrementis siccum, aliud ipso habitu. Est vbi facultas partium retentrix imbecilla est; vel expultrix qualitate & acrimonia humorum iritata. Sic fluctio multiplex. Gal. Com. ad Aphoris. 13. lib. 3. tusses, dolores capitis, grauedines & similes affectiones repleti capitis symptomata esse ait: vbi malè legitur nomen,* νοσήματα *pro* συμπτώματα.

23. *Omittitur pars vna. Symptoma enim omne capitis aut est,* παραφρενικὸν, καταφορικὸν, καταῤῥοικὸν, *aut* κεφαλαλγικόν.

24. *Litus ventriculi ex ol. nardino in leipothymiis bonus.*

25. *Vires habet opinione maiores betonica, vnde natum Italorum prouerbium, Tu plus potes quam ipsa betonica, ad nullum non vsum potest aptari, vterum purgat, corroborat, conceptum retinet, vtilis est prægnantibus quibus alba sordidáque illuuies ex vtero manat, menses ciet, iecur & cerebrum expurgat pulmonicis & calculosis vtilis est, podagricos dolores leuat, doloré sque dentium demulcet aduersus toxica & morsus venenatos valet, simul abluit maligna vlcera & curat, ad pestem mirifica est, huius flores & vetonicæ altilis (vtrumque idem est) condiuntur, fit conserua vtilissima contra pestem.*

26. *Bolus ex terebinthina ſi frequenter deuorari poſſet, præpurgato corpore, mirum in modum conferret.*

27. *Filix ſeu Oſmunda regalis in ſenioribus mulieribus* ῥοῦν *patientibus conueniet, quia etſi ad hunc valet affectum, in iuniores ſterilitatem induceret. Maximè conueniet clematites quam vincam per vincam maiorem vocant.*

28. *Sunt quibus ſolennis & familiaris eſt pituitæ prolapſio in partes ſubiectas à capite, & maxime ad vterum, iis tamen non conuenit pilularum fortiorum vſus. Nam is deſcenſus, &* διάθεσις ῥευματικὴ καὶ καταῤ-ῥώδης *eſt ob ſiccitatem partium, & prouentum excrementi. Vnde per quandam liquefactionem, aut potiùs diffuſionem continenter pituita à capite fluit: Has validis medicamētis agitare, partes erit colliquefacere.*

29. *Inter cætera valet ſyrupus ſolennis ex aſtringentibus & vterinis, additis ℥ ij. rhabarb. commun. aut potius, ſi eius copia eſſe poteſt, rhapontici.*

30. *Vrtica ſiſtit ſanguinem cruſtam ferè inducendo, & poſtea neſcio quomodo ad aſtringentium, & ſiſtentium claſſem reuocatur. Laudant alij decoctum roſarum: aut roſas ipſas præſertim id quod rubet, ſumptas cum poſca. Plinius.*

31. *Maximè ad fluxum muliebrem, & ſuperfluas euacuationes Rondeletius laudat probátque pilulas de bdellio, ſiue ladano. Earum deſcriptio graphicè ab eodem facta eſt. Addi poteſt terebinthina. Imo ex ea bolus conferet.*

32. *De Anthera ſi legere vis videnda epiſt. 3. lib. 4. epiſtel. Manard.*

33. *Lubenter quærerem à doctis an non pauca quantitas pulueris ligni ſancti aut rad. ſchynæ, cū ouo ſumpti, aut cum aliis pulueribus mixti addito, vt decet ſaccharo,* ῥοῦν *conferre poſſit.*

34. *Ad ſiſtendum, & repurgandum valet hic bolus. ℞. Terebinth. Venetæ ʒ j. maſtiches pulueriſatæ ℈ ſ. ſacchari roſati ʒ ſ. cum ſyrupo myrt. fiat bolus cap. bis in hebdomade. Valet plurimum terebinthina in hoc affectu. Item hæ pilulæ quæ parantur ex maſſa pilularum ſine quibus rheo & caſtoreo.*

35. *Enula campana in primis commendatur, & reuera omitti non debet. Item cum aſtringere conſilium eſt, valent ramenta loti arboris, Gallicè* Aliſier, *Dioſcorides in primis commendat. Syrupus de floribus mali perſicæ in primis confert. Credo autem quod inter primas obtinet aqua rhabarbari præparata vt decet.*

HISTORIA TERTIA.

NOBILI Viro vulnus infligitur transuersim paulò supra articulum manus. Tendines desecantur. Vulnus magnum, propterea suturis indigebat sed hiantibus, quò puri ac saniei via pateret. Nullum commemorabile accidens, vt narrant chirurgi, visum est. Sanescebat in dies: aut nulla aut perexigua febris. Audio tamen eum perpetuò sitiisse. Cacochymus erat valdè, calido & sicco hepate, vino deditissimus. Cicatricem contrahit malum ad diem x. Nocte sequente febris insignis, ἀλυσμοὶ, *proiectiones membrorum, deliria, insomnia, oculis apertis dormiebat, tertio post die delirus, palpans, tremulus, ac parum conuulsus moritur.*

COMMENTARIVS.

HÆC nos Historia accuratos & sedulos esse iubet, vt in omnibus vulneribus, sed in neruosarum partium, & articulorum, & articulis propinquarum præsertim omnia tuta timeamus. Quinetiam sanitas & curatio repentina omnis suspecta esse debet, vt magis vereri debeamus si vulnus expers & tumoris, & puris sit, quam si particeps.

Et non tam citò ad inducendam cicatricem adduci debemus, vt ichor & virus latens exitum habeat. Ac primùm Hippo. docet homines ab omnis generis vulneribus interire, quo magis nos gnauos esse oportet, vt vulnera partium momentanearum omnia suspecta habeamus: vt licet specie ipsa & primo obtutu exigua videantur, tamen in recessu aliquid magnum & suspiciendum habeant.

Li. 2. de Prorrh.

TEXTVS.

Suturis indigebat.

Suturæ fortè suspectæ esse potuerunt, quod si pars hiauisset, nec tam citò, nec tam periculosè cicatrix contracta fuisset. Propterea aliquando satius est cum deformitatis metu aliquo, relicto vulnere aperto & hiante liberum egressum saniei relinquere, & sic securitatem parti conciliare. Propterea in paribus casibus rem diligentiùs pensitabimus.

Nullum accidens commemorabile, vt narrabant, nulla aut exigua febris, eum sitiisse dicebant.

Galenus prudens medicus, nec more quorundam, qui vt amicis & ægris gratulentur, morbos minuere solent, rem parui faciens, narrat latere in nobis humores æquantes sua cacoethia quoduis venenum. Et citat historiam cuiusdam qui cum quarto die febricitans leuiter vrinã tenuem, sed nigram reddidisset, reliquos dies edens & lauans præteriisset sanus, septimo verò die cum vesperi febrire cœpisset, tabefactus interiit. Sic non facilè credo istis chirurgis qui eum febrire non asseuerarent. Latebat enim fortè febris, nec eo modo sese efferebat, quo & æstate. Autumni enim erat finis. At quæ febres tunc vagabantur eiusmodi erant, vt ferè in solo capite calor esset, in extimis partibus calor mediocris percipiebatur. Per sex menses integros tempus seu constitutio fuerat αὐχμώδης. Et tales erant febres quales descripsit Hippo. cum ait, febres erant ἠπίαι, & in temporibus ferè solùm calor percipiebatur, vt febris quodammodo esset capitalis, tamen in toto imo corpore empyreumate remanente. Itaque sitis quæ aderat, satis demonstrabat incendium latens. Quanquam verum illud Hippo. Interdum nec febricitat, nec inflammatur sauciatus: aliquando citra causam febri-

Ad par. 27. sect. 2. lib. 1. Prorrh.

Initio lib. 7. Epid.

Lib. 2. Prorrh.

febricitat, & aliqua corporis pars inflãmatur. Sic in ægro περικαταρτηκὸν, nõ est obseruatũ, sed περιηθέμενον repentinam mortẽ intulit.

Rursum quod nullum commemorabile accidens adesset, id est, [1] nec inflammatio, nec tumor, nec quid simile, immò nec dolor, id imperitus chirurgus in bonis ducit. At talia bona suspecta sunt, & quæ sine ratione alleuant, sæpè tandem terrere solent. Ideo quæstio esse potest, an tutò hodie, vt aliquid semper præstare videantur, tumorem qui adest citò discutiunt chirurgi. Videtur id non tutò fieri, intercipere quidem cursum affluentis humoris, ne pars quidem læsa sauciáque affligatur magis optimum quidem est: omni ratione circumscriptum tumorem, quem parit sanies & virus ab vlcere manans, conari digerere & resoluere, non ita tutum est. In Aphorismis enim Hippocrates. *Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maximè neque insaniunt. His euanescentibus derepente, quibusdam conuulsiones & distensiones à tergo fiunt, quibusdam antè insania, vel dolor lateris acutus, &c.* Et notanda loquendi forma, quibus tumores φαίνονται: deinde, his euanescentibus derepente: nam quis dicat, an necesse est adesse tumores ad securitatem? Reuera si fortè adsunt, tutior res est. Sed adesse possunt ob affluxum materiei antecedentis, quæ per se & generatione bona est, quod si illa materia tumorem faciat, & statim refluat, non ita metus mali est [2]. Sed si tumor fit ob materiam coniunctam, potè corrupto ob vlcus alimento partis, aut veluti quodam flatu orgasmum faciente, maligno quidem, & partem tumefaciente, non est dubium qui παλινδρομῶ, & euanescentia subita illius tumoris exitialis sit. Quod enim ibi continetur κακόηθες est. Itaque cum dicit, ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, hoc eum habet sensum: Si ita eueniat vt tumor assit, natura à centro vlceris ad circunferẽtiam venenum pellente vt incumbat in curationem, satius est enim tumorem ad tempus quoddam manere, quàm ἀφανίζεσθαι ἐξαίφνης. Vbi vis statuetur in dictione ἐξαίφνης, orgasmum enim significat. Omnis autem malus, quia partes sæpè nobiles infestantur. Sic audire oportet tumorem non tam ob aliquam laudabilem materiã quæ affluit, quam ob reiectum quoddam virus à parte saucia in partes vicinas. Quanquam fit vt exiguo tempore allatus sanguis ad partem sauciam, auxilij ergò, etiam laudabilis inquinetur & corrumpatur, contagione ipsius sauciatæ partis. Galenus in Comm. clariùs docet dum

Aph. 65 lib. 5.

ait: Quibus tumores vlceribus ἐπιγίνονται, superueniunt, per augmentum causæ morbificæ, ita enim τὸ ἐπιγίνεσθαι [3] sumitur, non conuelluntur: vt ea ratione bonum sit tumorem apparere, & non venenum in alias parteis irrepere. Cæterùm ait tumorem euanescentem id non afferre, nisi aut insignis sit magnitudo, aut Cacoethia. Tandem concludo, quemadmodum è re ægrorum est, si tumores adsunt, non statim euanescere, ita quoque confert aliquando tumores apparere, vt conuulsioni præripiatur occasio, veneno subtus cuniculos agente, præsertim si quid in vlcere, aut circum illud est quod foras exitum petat. Ac credo huic iuueni è re fuisse si tumor satis insignis apparuisset venenum vlceris concludens.

2. Prorr. Sed & huc pertinet dictum Hipp. *Commodat corruptio nerui, aut ossis, aut amborum, tum in profundis, tum in nigris putredinibus.* Nam in putredinibus pus multum fluit, & putredines soluit. Et paulò post, *Conducit in doloribus etiam inflammationes ex vlceribus accedere, in sanguinis eruptionibus pus in venis apparere* [4]. Quasi dicat Hippo. tumorem, aut inflammationes circum partes affectas enascentes signum esse virtutis validæ, & naturæ secernentis & quodammodo defœcantis. Sic maior inde securitas. Notanter autem adiecit, in doloribus. Nam paulò ante loquens de capitis vulneribus ait bonum esse si nec febris adsit, nec dolor, nec inflammatio. Si autem adsint, ait bonum esse si adsint initio, & pauco tempore. Initio dixit, vt motus aliquis naturæ significetur quem statim ipsa comprimat. Nam ait malum esse si 4. die aut 7. accesserit. Cætera persequamur.

Cacochymus erat.

Corporis præparatio plurimum attulit ad generationem tam subitorum symptomatum. Minimis enim momentis excitantur morbi etiam cum lethalibus signis statim initio. Quod & in prima huius libri historia demonstratum est.

Nocte sequente, &c.

Tria hoc loco annotanda sunt: primùm quod tum demum paruit febris cum vulnus sanescebat, immo cum nil curandum gestabat, quod denotat nō tam à corpore lethalem hunc casum

aduenisse, quàm à clauso vulnere, & omnis symptomatis experte. Secundo mentio fit febris ad diem vndecimum quæ primo quoque tempore tam sæuis comitata erat symptomatis. Tertio mentio fit non solum alterationis in cerebro, sed & alienationis: vt paulò post docebitur. Quod ad primùm & secundum attinet, id quod tam subiti erat causa interitus fuit venenum tum prius in corpore latens, tum à vulnere. Hippocrates in explicandis vulneribus capitis videtur id expressisse dum ait, *In vulneribus capitis confert non adesse febrem, nisi initio & modico tempore: At incipere 4 aut sept. aut vndecima valdè lethale. Cæterùm si in principiis febrium, seu delirium accesserit, seu alicuius membri sideratio, periturum hominem sciendum est, si non omnino ex optimis signis aliquod adsit, aut vires aßint.* Quæ propositio tum vniuersaliter de omnibus morbis audiri potest, tum de vulneribus particulariter. Et Hipp. illo loco ad vulnera capitis accommodat. Reuera omnino hoc suspectum est. Vnde Gal. miratur valdè cur quidam factus sit phreniticus primo quoque tempore.

Lib. 2. Prorrh.

3. Epid.

Tertium restat. Iactabatur, delirabat, tremebat, deinde taciturnus palpabat. Reuera pathognomonica erant phrenitidis multa, febris vehementissima, delirium assiduum, indecora corporis compositio, custodibus perpetuò egebat, insultabat, & multa erant consimilia. Galen. omnia signa propria accuratè describit, περὶ ἄλυος alio loco dicetur. Tremoris causas aut infirmitatem magnam assignat Galen. aut affectum animi, aut copiam & onus, vide absolutissimam disputationem in historia de Pythione. Cæterùm cum tam vehementes motus habebat laterabatur cerebrum, cum factus est tremulus, & conuulsiunculas habebat: item erat ψηλαφώδης, iam alienatio erat in cerebro, & velut hectica diathesis, vt pleniùs intelligere licet ex Comm. Prorrh.



HISTORIA QVARTA.

NOBILIS virgo Delphinas annos nata 18. ferè hirsuta, μελανότριξ ϰ) μελανόφθαλμος, habitu & gestu satis melancholico, vtróque sata parente magnis & calidis visceribus prædito, mense Martio corripitur febre continua. Noctu & vesperi exacerbabatur. Interdiu ἀπύρετος ferè erat. Paroxysmum medicus non animaduertebat, sic intempestiuè cœnata est, & pota. Progresso morbo naturâ sanguinem defœcare conanti, aut crisin aggressura, è naribus sanguis prodit, & ad id temporis menses qui illi non benè respondebant, sese aperiunt. Malè consultus medicus, & falsò hæmorrhagia inductus venam in gibbero ferit. Menstruum resistit. Caput tum dolet magis: perturbatur, rapitur materia sursum, aut in cerebro commouetur. Dubitabamus an à liene suscitaretur. Sed, quod iniquius multò fuit, dum somnum arte conciliant, papauerum capita aqua incoquunt. Decocto vinum diluitur. Datur potui in cœna. Dum placidus somnus expectatur, perturbatur, desipit, lecto exilit & media area salit, sibi læsum caput ac quodammodo peruersum queritur, ad æquitatem non adducitur, quic-

quam non veretur, absurda & loquitur & facit. Aliis hoc phreniticon videtur, aliis potius melancholicum, alij furorem vteri id resipere autumant, alij φροντίδα morbum Hippo. alij veterum Catubuth esse sibi persuadent. Aliquando ad se redibat: nunquam placidè dormiebat, refractaria omnino erat, cum tamen ea bonis & moderatis moribus imbuta foret. Cum quiescere malum videretur, æstus in capite percipiebatur, venæ in temporibus pulsabant, febris solùm caput adoriri videbatur, nil tale in cætero corpore apparebat: Pulsus tardus, aliquando frequens, sed qualis in melancholicis est. Paroxysmus redibat. Aculeis sibi pungi caput & corpus narrabat: iactabatur, Perseuerabat ad tres menses malum. Tandem cum ex alto cecidisset, & in pedis articulo læsa fuisset, leuius malum visum est. Tamen non nisi longo post tempore planè est restituta. Malum omnem auxiliorum applicationem eludebat. Relicta sine remediis promptiùs conualuit. Satis lubrica sanitate fuerat. Duobus antè annis dysenteria crudelissima fuerat occupata. Verebamur de sphacelismo cerebri. Nil tamen tale euenit. Audio illud totum familiæ ξυγγενές.

COMMENTARIVS.

NEMO vnquam credidiſſet tantas ab eo morbo excitari poſſe tragœdias, nec infœlicem adeo euentum fore, cum nil in fronte promitteret quod tanti eſſe deberet. Ac reuera idẽ morbis euenit, quod & naſcentibus herbis. Hæ enim non niſi à peritiſſimo rei herbariæ agnoſcuntur orientes, florentes & adultas quiuis idiota internoſcit. Morborum mores, ingenium, vim & momenta, præſertim dum naſcuntur, non niſi medendi peritus animaduertit, natos vero & progreſſos omnes penè nouêre. Atque in huius virginis hiſtoria pertractãda, primùm ac præcipuum caput eſt de ea τῆς διανοίας alienatione, nimirum in ſpecie morbi inquirenda, cauſis, an ſuppreſſio menſium id fecerit, an papaueris hauſtus, an vi febris alicuius, an alia ratione, quoniam id tam repentè, & præter omnium opinionem euenit.

Gal. in Com. ad part. 1. ſect. 1. Prorrh.

TEXTVS.

Hirſuta, μελανότριξ, μελανόφθαλμος.

Cum vtroque nata ſit parente viſcera præcalida habente, & præſertim patre ſqualido, piloſo, hirſuto, mirũ ne ſit ſi corpus ad ſuccum melancholicum generandum idoneum nacta fuerit. Et cum mulier ſit, ideóque corpus habeat ἄπνουν, & δυσδιαφόρητον, ſuppreſſio excrementi non ἀτμώδους, ſed fuliginoſi & nebuloſi non poteſt non eam in aduerſam valetudinem facilè adducere. Porrò nigrities capilli & oculi an temperamentum melancholicũ, & corpus calidius indicat? nequaquam. Ita enim Gal. *Glabros & qui cute ſunt albida, qui capillis rectis & nigris, item nigris oculis, & qui otio degunt, ij minùs digerunt quod frigidiore ſint temperamento.* Contra tamen alio loco, *Calidior & ſiccior hiſpidior eſt.* Nigrum quoque capillum habet. Et vt paraphraſtes annotat, niger capillus fit cum deüſto vi caloris vapore, excrementum in exquiſitam fuliginem mutatur. Quod maximè in calido & ſicco temperamento contingit, vt in quo ſanguis vritur. Et vt res breui explicetur, dicimus nigritiẽ capillis comparari bifariam, per aduſtionem, & per ὑπόχυσιν, id eſt ſuffuſionem. Aduſtio in

Ad part. 78. ſect. 2. lib. 1. Epid.

Lib. de Arte parua.

calidis & ſiccis viſitur, & propriè qui nigro ſunt capillo, calidiores temperamento dicuntur: ſuffuſio verò fit in iis quibus denſa eſt cutis. Excrementum enim in ſpiraculis morans tingit & inficit. Et eo modo quidam glabri & frigido temperamento prædito nigro eſſe capillo poſſunt, non vi aduſtionis, ſed ob ſuffuſionem vi ſuppreſſionis commiſſam. Quo in ſenſu in illa conſtitutione quam deſcribit Hippoc. duo genera corporum maximè & febre ardente ſunt implicita, & phrenitide, nempe adoleſcentum, iuuenum & adultorum, vt qui calidiſſimi ſint, & facilè ad eos morbos propendeant. Item corpora mulierum & glabra, & nigro oculo, nigróque capillo prædita. Hoc autem fit ob ſpiraculorum obſtructionem[3]. Sic priora corpora per ſe, & propria generatione in tales morbos incidebant, poſteriora, ex euentu, nimirum ob obturationem meatuum. Quæ omnia ad virginis, de qua hoc loco, hiſtoriam pertinent. Nam vt abſoluam, quantùm obſeruare potuimus ex vrinis & deiectionibus, internum corpus abundat calore acri & ſqualido, & cum mulier ſit tum peculiari natura, tum vniuerſali mulierum conditione, cutim aſtrictam habet: vt non mirum ſit, ſi facilè de ſanitatis ſtatione deiiciatur, & ſi crudeliſſimis morbis afflicta fuerit, vt ſub finem hiſtoriæ ſcriptum eſt.

Menſe Martio corripitur febre continua.

Antequam de prima aggreſſione morbi dicimus, ad diſputationem de hirſutis hoc addemus, Balbus, caluus, gracili voce præditus, hirſutus patiuntur τὰ μελαγχολικά: quod abſurdum videtur. Sed hoc non eodem modo in omnibus audiendum. Nam hirſuti atrabiliarios morbos propriè experiuntur πηγνέουσι, tum quod atram bilem generent, tum quod bilis facilè conuertatur in atrabilarium ſuccum: Calui, blæſi, ἰσχνόφωνοι, vel tantùm ob ſuppreſſionem, vel ob pituitæ tantum exceſſum. In his abundat enim pituita, vel dicemus in hirſutis τὰ μελαγχολικὰ vigere ob impreſſionem malæ qualitatis, in balbis verò ob craſſamentum cuiuſdam materiæ quæ nata eſt, linguæ ἀκρασίαν inducere opinione Hippo. Cæterùm meminimus menſis Marti: quo tempore fiunt humorum fuſiones, & tunc morbi à repletione naſcuntur per humorum liquationem quandam. Quod Gal. ampliſſimè demonſtrauit Com. in Apho. & nos ipſi demon-

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Aph. 40 lib. 7.

straui mus in prima quæ hîc tractata est historia. Sed quod ver parens morborum dicatur, id fit ex euentu. Veri enim non tribuitur, vt tempori salubri morborum γένεσις, sed παροξυσμός.

Com. ad Aph. 15. lib. 1. & Ap. 17. eius lib.

Nocte & vesperi exacerbabatur.

Maior pars febrium συνεχῶν quasdam habet exacerbationes, & ingrauescentias certis quibusdam temporibus. Aliæ noctu, aliæ interdiu exasperantur & ingrauescunt. Et hoc loco non alienum erit tractare comparationem quam statuit Hippo. Inter febrem diurnam & nocturnam. Ita scribit: *Nocturna non admodum lethalis, longa tamen est, diurna longior. Sunt quibus ad tabem,* Illo verò loco non tam de continuis, quàm de iis quæ aut remissionem, aut intermissionem habent, loquitur Hippocrates. Ante enim dixerat quasdam febres diu intermittere, quasdam noctu, & quæ ad integritatem diu non desinunt πυρετοὶ, dicuntur μεθημερινοὶ, siue καθημερινοὶ: quæ desinunt ἀμφημερινοὶ. Dicuntur arguta potiùs quàm vera appellatione. Gal. in Com. docet febrem quæ interdiu intermittit, noctu verò viget minùs malam esse ea quæ diu viget. Quod tamen falsum videtur. Nam, ait, ea quæ diu affligit, duabus de causis deterior est, tum quod malum sit cutim constringi eo tempore quo laxari debet. At si viget interdiu, eo tempore cutis densatur: Secundum naturam tamen corpora apertiora sunt die quã nocte. Secunda ratio: Cum affligit diu, & intermittit noctu, incommodum tempus ad curandum, nam cogimur noctu dare medicamenta ægris & sic prohibentur somno. Itaque Vespertilionum vitam agunt ægri: defectúque somni quem ducere commodè nequeunt nec diu, nec noctu, contabescunt. Tamen cum nocturnæ febres à pituita potius esse videantur, longiores sunt meo iudicio. Sic controuersum est valdè vtra sit deterior an nocturna, an diurna.

Part. 6. sect. 3. lib. 1. Epid.

Part. 2. sect. 3. lib. 1. Epid.

Nocturna febris diurna febre melior.

Intempestiuè cœnata est, & pota.

Non abs re toties decantat illud Hippoc. in paroxysmis nil dare oportet. Ideo paroxysmos cuiusque morbi tenendos monet, vt cibationis occasio anteuertatur. Et sufficiet tantùm hoc loco ea adducere quæ Hippo. tam diligenter inculcauit: *Nosces quibus*

quibus in morbis sorbitiones non conferunt. Nam si dantur, nec loco, exacerbantur febres & dolores, & patet quod sumptum alimentum morbo dat incrementum, corpori verò tabes & infirmitas existit: Et paulò post, Sanorum diæta (supple non legitimè instituta) ægris est nocentior quàm sit ferarum diæta sanis. Porrò duo sunt loci valdè notandi apud Hippocratem ex quibus cognoscas quantùm afferat detrimenti intempestiuus cibus & potus in morbis: Prior est hic cum loquitur de mulieribus implicitis febre continua ob suppressionem, virginibus menses euenerunt, & nulla mortua est. Nam Philonis filia, cum ei sanguis copiosè è naribus effluxisset, septimo die intempestiuiùs cœnata defuncta est. Si ergo intempestiua cœna, etiam iam morbo crisi minuto, vt par erat, per hæmorrhagiam, tam nocuit, vide quid aliis sit allatura. Alter locus est de quodam qui cum incalesceret tantùm, intempestiuè cœnatus est, vt morbus qui leuis sua natura foret, eo errore commisso lethalis extiterit, vt in Com. Galen. demonstrat.

Par. 79. sect. 2. lib. 1. Epid.

Historia antepenultima lib. 1. Epid. sect. 3.

Sanguis è naribus, & menses non benè respondentes apparere incipiebant.

Hæmorrhagiæ, καταμήνια, vrinæ & alui fluores, ἀποστήμματα, parotides inter ea quæ indicant censeri solent à Gal. & Hippo. Galenus quidem hoc docuit in Prorrh. & Hippoc. in Epid. docet salubriter & menses erupisse, & sanguinem è naribus ad depellendas ardẽtes febres. Et alio loco contra quorundam neotericorum opinionem qui in ardentibus febribus hæmorrhagias vituperant, docet synceris febribus ardẽtibus si quid aliud, hæmorrhagias per nares ad depulsionem morbi quadrare. Cur autem id fiat aperiit. Ideo cum huic puellæ natura vt pote sanguinem repurgatura vellet aliquid & per vterum, & per nares moliri, non erat temerè ab instituto reuocanda[5]. Nam cum semel instituit aliquid excludere, maximè qualitate si peccauerit, id facere prohibita, magnopere læditur. Declarant abscessus illi nocui & partes corrumpentes. Si enim per vnam partem excernere prohibetur, aliam molitur. Cæterùm abs re foret hîc recensere ea incõmoda quæ vna mensium suppressio inuehit, cum & alio opere seorsim de his egerimus, & Hippo. librum integrum ea de re conscripserit, in quo singula verba

Par. 24. sect. 2. lib. 1.

Par. 79. sect. 2. lib. 1. Epid.

Ad part. 9 sect. 1. lib. 1. Epid.

Lib. de virginũ morbis.

non numero, sed pondere sunt æstimanda.

Hæmorrhagia inductus medicus venam ferit.

Magno errore tenetur maior Medicorum pars, quæ vt nil non agere videatur, existimat se parum proficere ægris, si non quicquam præscripserit, aut propinarit, aut secuerit. Et tum temeraria hæc medendi methodus per manus tradita ad iuniores transfertur, magna ægrotantium clade medicina administratur. Et in hoc errant grauiter. Nam si induxerint in annum venam reserare, & id cunctanter faciunt, si guttula sanguinis è nare fluat, tunc quasi trophæum reportantes clamant oblatam legitimæ phlebotomiæ occasionem.[6] Si luculenta sit hæmorrhagia, audacius secant, quia naturam copia grauari asserunt: si infra modum & pigro lapsu sanguis fluat, compensandum istũ defectum apertione venæ contendunt. Iam paulò ante docuimus inscienter eos agere qui hæmorrhagias criticas quamprimùm sistunt. At nos contra fluente sanguine nil agendum contendimus: quandoquidem veterum decreto statutum est hæmorrhagiis solui febres ardentes. Et quod de excretione per nares dicimus, idem de vterina purgatione audiendum. Quò pertinebit historia de vxore Cleomenis, hæc pleuritica erat, quarto die copiosi menses fluxerunt, dolor lateris, & sputa omnia cessauerunt. Sed tanta fuit vis κατωῤῥοπίης, vt de repente manante per vterum sanguine pleuriris cessauerit, numquid commoda est ea euacuatio in febribus? Quod si minor sit quam par sit, arte iuuetur ac incitetur. Et Hipp. in febribus horrores, labores, dolores, colli molestiæ menseis proritant. Sic tametsi ea vrgeant symptomata, si eruptionis menstruæ spes est aliqua, in illa consistet salus. Itaque omnium imperitissimè fecit medicus qui hæmorrhagiam repressit, vt non mirum sit, si tam dirocum malorum generationi occasionem dederit.

7. Epid.

In Coacis.]

Perturbatur, rapitur, commouetur.

Ad part. 4. sect. 1. lib. 1. Prorrh.

Aliud est apud Hippo. ταραχώδεα εἶναι, aliud παραφρενῆσαι. Nam ταραχώδεες dicuntur qui non insigniter turbantur, quod mente leuiter offensa euenit. Adaucta verò læsione, non iam ταραχώδεες, sed παραφρενέοντες dicuntur[7]. Sic ταραχὴ via est, & præmunitio ad

παραφρονέων. Rapitur, supple, humor à partibus inferis ad superas, & ibi tumultuatur, & mutationem quandam recipit. Idem enim humor in cerebro coercitus dum ibi moram trahit, alius humoris aliam naturam adsciscit. Nequit enim diu immutabilis in cerebro manere. Quod autem diximus commoueri in cerebro humorem ad illius perturbationis generationem, id ex Hippoc. patet, qui ad generationem morborum capitis vult vt commoueatur humor: Immo alio loco ait, Desipit homo cum bilis in capite commota fluxerit. In alio loco dixerat, cum bilis commota fuerit, suppl. in corpore, καὶ ὁρμηθῇ καὶ ἐς κεφαλὴν καταστῇ. Sed libro de morbis κίνησιν, in capitis & cerebri corpore animaduertit. Quod bifariam humor moueatur, vel infernè sursum, vel in capite ipso. Et stabilior est morbus vt paulò post docebitur. Vnde Galen. vtitur verbis καταῤῥεῖν καὶ μεταῤῥεῖν in ipso cerebro, cum transfluit, dimouetur, & decedit ab vna parte cerebri in aliam eiusdem cerebri partem propensiorem, aut imbecilliorem humor tumultuans. Verba Galeni sunt: *si aliàs ex alia cerebri parte in aliam humor noxius defluens, Græcè καταῤῥέων, ab omnibus reijciatur, vt tandem in neruos irrepens conuulsionem efficiat, est necesse.* Sic in corpore ipsius cerebri cum mansiones multæ sunt ab vna parte in aliam fit ῥεῦμα, μετάῤῥυσις, κατάῤῥους, vt nomen τοῦ κατάῤῥου, non sumatur tantùm pro defluxione à capite in subiectas partes, vt quibusdam veterum lectionis, & præsertim Græcè ignaris videtur. Sed nos nolumus otium terere in explicatione motus & transfluxus humorum in capite ad generationem morborum capitalium, cum plenissimè ante de his dictum sit.

Ad finē lib. de morbis.

Lib. de Indicationibus.

Ad par. 27. sect. 1. lib. prioris Prorrh.

Dubitabamus an à liene foret.

Hippocr. ad instituendam πρόῤῥησιν solet considerare τὰς φανερὰς προφάσεις. Vt cum partis à qua malum primùm originem ducit notitia habetur: id inter τὰ φανερὰ censetur, vt τῶν φανερῶν nomine nō intelligantur tantum τὰ ἔξω quæ inter ἀφορμὰς habentur. Sic nimirum de sacro morbo loquens ad prædictionem rem præclaram docet. Et quod de Epilep. dicit, idem de quouis morbo effatu digno, & præsertim qui sacram mentis arcem obsidet intelligi potest. *Difficillimè sacer morbus curatur, qui à primo puero præhendit. Secundo loco quibus factus fuerit morbus, nullam significationem præbens ex qua corporis parte initium cœperit. Qui à capite ini-*

Lib. 2. Prorrh.

tium ſimul grauiſsimus eſt, deinde qui à latere. Qui a pedibus aut manibus, ſanatur. Medicus curam aggredietur, ſi homo iuuenis fuerit & φιλόπονος, niſi mens aliquid mali habeat, aut ſtupore attonito ſideratus fuerit. Nam hæ ἐκστάσιες μελαγχολικαὶ, non ſunt conducibiles. Quid hoc ſibi vult, nam ἔκστάσις μελαγχολικὴ, tantùm abeſt vt mala ſit, vt ſæpè τῶν ἐπιληψιῶν ſit διαλυτικός. Vnde melancholici fiunt Epileptici. Sed illo loco Hippo. nomine τῆς ἐκστάσεως duo ſignificat, & humoris prauitatem, & diſpoſitionem iam in cerebro contractam, vt ea naturam impediat quò minùs citò morbum curet. Prauitas humoris eſt ea quam Gal. deſcribit: *Flaua bilis aſſata & ſanguis niger atram bilem generat, flaua hæc bilis cum aſſatur primùm in humorem æruginoſum abit, deinde in nigrum. Aſſatur autem ob febris magnitudinem. Et cum in phrenitide flaua bilis cerebrum prehenderit, & febris vehementia aſſatum hunc ſuccum melancholicum reddiderit, ob atræ bilis κακοήθειαν, vehementes fiunt inſaniæ, quas Hipp. 6. in Epid. μανιώδεις vocat.* Et paulo poſt in eodem Comm. videtur velle docere cerebrum phreniticũ, id eſt calida & ſicca intemperie laborans humorem æruginoſum, deinde atrabilarium generare. Ad rem redeamus. Si quis ſideratus fuerit & ἐκστατικὸς fuerit μελαγχολικῶς, non facilè eſt curare epilepſiam eius. Ergo patet ex illo libro Prorrheticon primùm animaduertere oportere, an quædam ſit pars à qua conſpicuè morbus foueatur, an cerebrum primò affectum ſit, an non. Ideo dubitabamus an à liene morbus tam repentinus foret, maximè quod melancholica eſſet naturâ virgo. Sed reuera non tam diligenter ad lienem attendere oportuit, ſi quidem conatus naturæ per vterum, & per nares, vt antè docuimus, ſatis indicabat onus quo natura premeretur, & quod, niſi impedita, excuſſiſſet. Quis enim dubitat quominùs in illa virgine orgaſmus & impetus fuiſſet eo modo quo in maribus, in quibus τὸ τεργᾶν dicitur? Et quod in mariũ teſtibus τεργᾶν καὶ τεργίζειν dicitur, in mãmis σφριγᾶν dici poteſt. Quanquam propriè σφριγᾶν volunt intelligi vbera lacte diſtendi: quomodo σπαργᾶν (quod idem cũ σφριγᾶν ſignificat) partes dicũtur ab Hipp. id eſt, intumeſcere, & turgeſcere. At apud eundẽ Hip. σφριγᾶν non ſignificat lacte plenum eſſe vber, ſed turgeſcere, eſt autem id quod ὀργᾶν Græcis dicitur verba Hipp. hæc ſunt: *Cum mola in vtero eſt, nil mouetur, nec in mammis lac gignitur, ſed σφριγᾷ τὰ τιτθία αὐτά*: id eſt, *nullo præſente lacte ipſa turgeſcit.* At iſte orgaſmus rerum admirabilium author exiſtit. Quid ergo impediebat

6. Epid.

Ad par. 10. ſect. 1. lib. 1. Prorrh.

Sect. vltima li. 2. Epid.

Lib. de ſterilibus.

quominùs in ea virgine collectio esset sanguinis cuius tetra anathymiasis cerebrum feriens tot malorum causa sit? Ita enim Hippo. qui insania corripietur, ei hoc signum præsagit, sanguis ipsi colligitur ad mammas, & collectio sanguinis ad mammas furorem facit, & suppressio mensium cancros in mammis, & desipientias parit, vt in libris de mulier. morbis docuit Hippocrates.

Sub finê lib. 2. Epid.

Aph. 40.

Papauerum decoctum, &c.

In multis peccatur, in intempestiua diæta & cœna, ex qua tantùm abest vt ægra adiuta fuerit, vt contra maior ipsi morbo occasio fuerit: præterea læsit vsus vini, Tertium & maximum remissio decocti papauerum cum vino. Iam translatio erat in cerebrum (declarabat conatus per hæmorrhagiam) imbecillius illud erat redditũ, tetra anathymiasis erat, tum à cibo in paroxysmo corrupto, tum vino, tũ ab ipso meconio. Huc accedit quod omnes qui tunc temporis vagarentur morbi, dolores capitis comites haberent implacabiles præsertim dum vigeret accessio. Sed inclinata febre, & calore sese frangente circum auroram quiescebat dolor capitis. Cæterùm (quod huc maximè pertinebit) annotauimus ante humorem eundem biliosum, aut ichorem & febrem ardentem facere, & phrenitin & desipientiam simplicem inducere. Nam si adhuc præterfluit venas, nec dum pedem fixit, aut vasis egressa in membranis cerebri, aut substantia ipsius impressa inustáq; fuerit, eæ παραφροσύναι, & παρακρούσεις eueniunt quas in vigoribus febrium ardentium, immo & tertianarum legitimarum videmus. Sin autem impacta fuerit bilis, stabiliorem desipientiam facit, cuiusmodi phreniticorum existit. Rursum vt fiat à bile febris, oportet quodammodo adhuc cum sanguine bilem ipsam confundi commiscerique & æquabiliter exardêre siue in sinus hepatis, aut circum os ventriculi, aut in maioribus venis, aut in pulmone, aut liene, aut etiam in cerebro ipso: sed vt in cerebro ipso fiat phrenitis (quæ à practicis definitur quoddam cerebri apostema, quasi sit ἐκχύμωσις aliqua, & velut egressio & sequestratio bilis à sua massa, quomodo in erysipelate fit) necessum est aut totum sanguinem ibi bilescere, aut è propria statione bilem discedere, & cerebrum ipsum perlinere & perfundere. Itaque si ad generandas παρακοπὰς in ce-

Pagina 28.

rebro fugaces, & concedentes, prout concesserit febris vigor, requiritur tantum translatio vaporis sursum, & eiusdem veluti μεταῤῥυσις, transfluxus & transfusio per venas, non est dubium quin τ῀ ὑπνωτικῶν vsus sæpè officiat. Sistitur enim in cerebro hic humor, qui tumultuans, & huc & illuc peruadens simplicem desipientiam faciebat: & dum figit pedem inuritur & imprimitur ipsi cerebro, vnde læsio mentis firmior existit. Porrò quantùm detrimenti apportet temerarius hypnoticorum vsus, in primo libro Consiliorum aperuimus, & illinc ducenda sunt quæ huc pertinent. Tantùm videre oportet an papauerum decoctum tantopere lædat. Dioscorides de multis speciebus papauerum disputat, & in iis capita, folia, semina, & succum considerari vult interpres. Capita & folia tunduntur, & succus prælo exprimitur, id expressum siccatur, & in pastillos aptatur. Dioscorides id meconium vocauit, quod ipso opio inefficacius est. Tunso capite & inciso succus, & liquor effluit, id ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, opiũ κατ' ἐξοχὴν vocatur. Quarto gradu refrigerat: Quanquam à qualitatibus quibusdam manifestis interpres Dioscoridis vim quandam calfaciendi impertit præter vulgarem Doctorum opinionem, sed tandem grauitate veterum sententiarum territus, fatetur à mixtione Glaucij herbæ id contingere posse, vt ementitium sit hoc & adulterinum. Semen papauerum in cibos expeti, minúsque esse formidabile, longa oratione confecit. Legimus & opinionẽ Dioscorid. & Theophrast. & Interpretum, sed papaueribus vim tantùm refrigerandi, & somni conciliandi inesse comperimus. Quid ergo est quod vulgo credatur infatuare? Et non nisi cum metu aliquo papauerum capita præscribant? Credo ipse papauer tribus de causis μώρωσιν, & ἄγνοιαν inducere posse, qui affectus aliquid affine habent Gal. item & quandam παρακοπὴν, id est alienationem mentis: Primum dum refrigerat & spiritus incrassat, Secundo tetros vapores, & calidos in substantiam cerebri impingendo. Nonne enim videmus initio paroxysmorum ab extimis ad penetralia cordis calorem refugere, & vnà capitis dolorem incredibilem sępè excitari, aut κῶμα, aut aliquid simile, contrà calore febris sese frangente (licèt sit tantùm remissio, non autem intermissio) quiescere capitis dolorem, & ad pedes calorem recurrere? Immo in lib. τ῀ ὀξέων quodam in loco tum demum exhibẽdæ aquæ, aut cibi occasionem adesse putat, cum pedes plus reliquo corpore cõcaluerint:

P. a. 372. & sequent.

Cap. 60. & 61. lib. 4.

Ad 59 sect. 2. lib. 1. Prorrh.

potè καταψυχθέντι facto calore & ſpiritu qui priùs erat ἀνάρροπος. Hinc liquet caloris ſpiritus, ichoris eſſe fluxum & refluxum, necnon quandam διαφόρησιν, vt ea ratione hypnotica, & impensè refrigerantia noceant, egreſſum maligni ſpiritus & caloris à capite impedientia, & difflatum perſpiratúmque prohibentia. Quod audiendum eſt, niſi corpus ſit legitimè repurgatum. Nam tunc, quoniam non tanta eſt tetrorum vaporum concurſio & ſurſum inclinatio, & tantùm alterandi ſeſe offert occaſio, tutior eſt refrigerantium vſus. Quod ne cui mirum videatur, etiam ex ipſa methodo medendi patet, in qua Gal. vetuit ne in febrib. à putredine ortis frigida exhibeatur affatim niſi pepaſim ſignis ἐναργῶς apparentibus⁹. Quod ſi tanta cautio in vſu aquæ eſt, multò maior adhibenda in vſu τῶν ὑπνωτικῶν καὶ ναρκωτικῶν. Vnde non mirum ſi ſomniferis initio morborum datis & comata, & caroticæ affectiones inſequantur. Siſtitur enim in cerebro humor, infligitur, imprimitur, qui ſua mora & ſuppreſſione, cum venenum aliqua ex parte reſipiat, non poteſt non impensè cerebrum lædere. Præter duos illos modos tertius adiiciendus eſt. Credo ipſe papauerum & conſimilium vſum aliquid habere κακόηθες, & malignum, & ſi non omnium, at ſaltem quorundam cerebrum inde tantopere læditur, vt ei labes ſæpè, quæ elui non poſſit, inuratur. Quid enim cum omne ſolanum frigidum ſit, tamen τὸ μανικὸν, parua quantitate datum præſertim puluis radicis eius cum vino facit ſpecies vanas, & imaginationes obſeruari, ſed duplicatus hic modus ad tres vſque dies mẽtis alienationem affert. Vt iam illud ſolanum non tam manifeſtis qualitatibus agat, quam occulta quadam vi ad perturbandam percellendámque mentis arcem. Sic tertia ſpecies ſolatri ὑπνωτικὸν dicitur, quarta μανικόν. Et non tam æſtimare oportet τὴν μανίαν generari ab vſu ſolatri ob humorũ eam qualitatẽ quam ad generandam maniam & ἔκστασιν Galen. multis in locis Prorrh. requirit, quàm à vi quadam quæ ipſius ſolani furioſi τῇ οὐσίᾳ inhæret. Quid non etiam quemadmodum vanæ imaginationes, ſpectra, deliramenta, furor denique ipſe ſolatri vſu inducitur, papaueribus vis occulta mentem moueat & perturbet? Quis tamen dicat Si papauer refrigerat, & ſomnum facit, cur nõ potius, ſi fortè ineptè vſurpatur, aut in tempore, aut in loco, aut corpore, Caron & ſimilem affectum inducit, & non deliria, nugas, falſas imaginationes, & vanas. Ita enim vult Gal. humo-

Cap. 69. lib. 4. Dioſcorid.

rum calidorum proprium esse turbulẽtos somnos afferre, mouere, deliria inducere, frigidorũ contra, comata, καταφορὰς βαθείας, lentorem, & stuporem. Quid ergo quod vim habet refrigerandi mentem mouebit, vigilias inducendo, aut efficiendo vt æger capite doleat, saliat, moueatur, ferocem oculum habeat, & læsionem, aut in actionibus quæ sunt in sensu, aut ab arbitrio pendent: quæ omnia, aut maior eorum pars τῆς παραφροσύνης à Gal. argumenta statuuntur. Respondere licet. Primùm si memineris eorum quæ de solano dicta sunt, quod nimirum mentem lædat, non tam manifestis qualitatibus quàm occulta eáque infesta vi, idem fortè dices de papauere. Vt in quibusdam turbulenta insomnia, & deliramenta excitet. Præterea dum & obstruit, & spiritus premit, & fuliginem vaporum cerebro ipsi apprimit, & sonum potest inducere, & mentem mouere. Hic enim somnus est παρεγχώδης tanquam comes & assecla τῆς διανοίας βλάβης. Qualem sonum copia vini accersit. Etsi enim vapor excitatus à vino calidus sit, tamen somnũ conciliat, & malignitate suam παρεγχω afferre solet. Sic papauer suaptè natura dicamus conciliare somnũ, sed ob conculcationem multorum vaporum excitatorum vi caloris febrilis, conflictus fit ob diuersas vires papaueris ipsius, & vaporis aut exhalationis infernè excitatæ. Nisi dicas, quod ante demonstratũ, & papau. & solatro inditam esse maleficam vim. Quod credibile omnino est. Et quemadmodũ κῶμα ἄγρυπνον à confusione humorum natura diuersorum exitatur: Ita quoque hausto papaueris decocto, & elatis multis fuliginosis sursum excrementis, conflictus & pugna quædam ob vires contrarias excitatur. Hinc in somnũ propensio, & nugæ. Nunquam enim maleficus magis est somnus, & turbulentus, quam cum aliquid est quod cerebrum refrigeret, & propterea ad somnum adducat, & aliquid quod idipsum cerebrum moueat, & excitet. Ne sit mirum ergo si & quis quodammodo sit caroticus, & deliret. Immo & ἄφωνοι delirant. Quanquã hoc cuidam mirum esse possit, cum vix fieri posse videatur, vt depræhendamus aliquem delirare, qui aut veternosus sit, aut caroticus, aut κάτοχος. Quam quæstionem Gal. mouit, & in eius explicatione dissimilis & immemor sui extitit. Nam ita de ea re sentit: *Nulla sanè quæstio est quomodo quis ἄφωνος mente moueri dicatur. Ridicula enim est interrogatio quærere, quomodo quis sciat alium delirare qui & mutus sit. Nam quod motus ostendat à ratione alienos, quod exiliat & inor-*

Ad part. 6. sect. 3. lib. 1. Prorrh.

inordinatè conuellatur, hoc desipientiam indicat. Contra sentit alio loco: Quomodo nec in comate desipientes, nec in catochis penitus immotis desipientiam cognoscere valemus, sic forsan Hipp. vidit catochi speciem, vt immotum quidem corpus foret, exiguum tamen homo loqueretur, vnde dignosci poterat desipientia. Sic credendum loquentibus ipsis ægris declarari desipientiam, completa catoche non ampliùs ægros loqui. Ex quibus patet necessariam esse loquelam, vt quis desipere depræhendatur. Tamen dissentanea planè scripsit Galenus. Et tandē pro instituto concludemus fieri posse vt & succus & decoctum papauerum omnino refrigerando somnum inducat, si & corpus benè sit purgatum, & legitimè præscribatur. Item potest inducere & soporiferum affectum & deliria, & inania spectra. Tertio, si fortè suo fine frustretur vapores fuliginémque sistendo in capite, perturbationem mentis perculsionémque inferet. Tantò autem id faciliùs fiet, quanto caput est infirmius. Vidi puellam deuoratis solatri manici baccis furentem: incredibile dictu quantus calor perciperetur in fronte & temporibus, vt ea ratione tantùm febris in capite concepta videretur.

Ad part. 55. li. eiusd.

Aliis hoc phreniticon : alis hoc melancholicum videtur.

Omnis humoris maligni suppressio, non multò post in ea parte in qua fixus fuerit sæua edit symptomata pro more & ingenio suo. Credo in cerebro illius puellæ factā esse & suppressionem, & alterationem. Hæc enim illam consecuta est[10]. Febriebat semper, & cum deliraret, vana & absurda loqueretur, indecore corpus componeret, non sine tamen doloris vacuitate, non abs re dubitabamus num melancholicum, num phreniticum id esset. Quanquam vterque affectus longè dissidet, & causa, & vacuitate, aut præsentia febris. Galen. in Prorrhetico duo annotauit, prius de feroce responso in homine modesto: posterius de distinctione μελαγχολίας καὶ τῆς φρενιτίδος. Cum in homine composito, & moderatis moribus prædito cernimus ferox & superbum responsum, & iam desipit, phrenitidem in vicino esse significamus. Contra cum in natura superba responsum blandum & come, tunc vel metus est τῆς καταφορᾶς, vel ληθάργου. Quod attinet ad maniam & phrenit. & melancholiam morbum idem Gal. diorismos assignat. Nam & phrenitis, & melancholia morbus & mania delirio definitur. Sed phre-

Ad particul. 9. sect. 2. lib. prioris Pror.

nitis cum febre assidua est, mania & melancholia absque febre. Rursum cum duplex sit humor melancholicus vtriusque affectus author, vnus ab assato sanguine, alter ab assata bile flaua. Ille melancholiam propriè dictam generat: hic ob bilis malignitatem, ait Galen. vehementem insaniam affert, quam Hippocr. μανιώδη vocat.

Ad par. 10. sect. 1. lib. 1. Prorrh. Et ad part. 2. eiusdem lib.

Magna herclè hoc loco quæstio oriri possit, an quis maniacus & melancholicus (præsertim in cerebro morbo fixo) sine febre sit [11]. Si enim diutiùs humor cunctatur, cur nō putrescit, si putrescit, cur non febrem in capite accersit, aut potius in cerebro. Nam paulò post conabimur docere aliud esse morbum capitis, aliud cerebri. Maximè verò tum cum bilis flauæ in atram, bilem fit ὀξείμνεια, vt Galen. passim loquitur. Vt ingenuè dicam cum communis animantium morbus & hostis febris sit, & nullum ferè expertem sui habeat, præsertim si quo alio morbo tenetur, vix tantus in cerebro parte principe morbus foueri potest, quin febris oriatur. Sed non tam morbus est vniuersalis, quàm, vt iã sæpius docuimus, capitalis & particularis febris [12]. Diximus enim in prima huius lib. historia pulsum in temporibus vehementem esse posse, dolorem capitis insignem, perceptionem caloris in fronte, vt iam in capite foueri febris videatur, cum tamen nil tale in toto corpore appareat. Aut saltem non est ἀνάλογον. Id Hippocr. primus obseruauit. *Polycrati febris, sed adeo lenis facta est, Græcè ἠπία, vt obscura consisteret, præterquam in temporibus.* Et paulò post: *Pythodoro febris continua ad decimam quartam obscura erat. In temporibus autem apparebat. Ipse sibi ipsi sanus videbatur. Corpus totum à sudoribus perfrigeratum erat, exceptis temporibus.* Item, *Erotolai filio dysenteria fuit & febris, febricula nec ægro ipsi nec multis omnino adesse videbatur, adeo obscura erat: iuxta tempora pulsus erat, lingua præ siccitate subalba moderatè siticulosus, & sine somno erat.* Denique eo loco innumeros commemorat in quibus febris tantum in capite esse videretur. Quod nos in 2. lib. nostrorum Epid. annotauimus describentes constitutionem æstatis & principij Autumni anni 1575. quæ planè sicca & squalida fuit, vt per sex ferè menses pluuia non fuerit. Similem affectum in puerorum capitibus vocamus σείασιν, per τὸ, ι, vel σειρίασιν ἀπὸ τοῦ σειριᾶσθαι, id est, inflammari, & siccari, vt vult Langius, est autem inflammatoria dispositio in cerebro, vt febris si qua adsit, non sit ei analoga,

Initio lib. 7. Epid.

Lang. Ep. 54. lib. 1.

Alioqui verè phrenitis esset. Sic in capite ipso malum cõsistit, & tandem ait Aphrod. per arterias communicatur incendium cordi, hinc sine putredine febris suscitatur. Plura in lib. 2. nostrorum Epid.[13]. Ergo tandem doceamus an in melancholia morbo & mania febris sit. Cerebrum natura frigidum est, & ægrè admodum inflammatur. Sed si in meningibus ipsis aliquid esset inflammatorium, derepente febris orirettur. At in cerebro ipso potest contineri humor, qui licet vim impresserit, & calorem conceperit, quia in substantiam cerebri hæret separatus, & nõ in arteriis ipsius venisque, ideo obscura febris in toto corpore potest esse aut nulla, cum tamen cerebrum ardeat, & febriliter, vt ita loquar affectum sit. Declarant lethargicorum febres: licet in cerebro ipso humor salsus sit nitrosus & putris. Sed quia pituita est, ideo non est manifesta ἐπίκαυσις. Declarat & apoplexiarum causa cum Gal. dicat eas aliquando generari, διὰ τὴν φλεγμονώδη διάθεσιν ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ, quod bifariam potest intelligi, vel vt reipsa inflammatoria sit dispositio in ipso cerebro, vt in plethora, & cum sanguis multus est coercitus in cerebro, calfactus, & propterea parenchyma ipsius cerebri inflammans, hinc attonitus homo redditur. Quod in ebriis vsu venire potest. Vel inflammatoria dispositio dicitur per similitudinem quandam, non quod sit reipsa inflammatio, alioqui phrenitis esset, & motus quidam (nam ait Gal. in Prorrh. caloris est mouere, frigoris attonitum & ignauum reddere) sed est dyscrasia quædam in cerebro & diffusio quædã humoris eo modo cerebrum imbuentis, quo & in inflammationibus humor partes inflammatus diluit. Quanquam prior interpretatio magis placet: in Hypochondriaca melancholia est diathesis inflammatoria pylori & partium vicinarum, tamen non est febris, aut ea obscura est admodum, vt Aetio placere videtur. Atque propterea Rondeletius agitat Gal. dicentem verum esse quod scribit Diocles de inflãmatione pylori, quod si hoc esset, necessario febris sequeretur[14]. At ex Galen. non est necesse acutas febres sequi ad inflammationem diaphrag. & hepatis, & similium partium: Id est, insignem oportet esse phlegmonem in iis partibus quæ possit inferre acutam febrem. At si latens sit ἐπιλόγισμα, orietur quidem febris, sed ea lenta & ἠπία, id est, lenis. Quanquam in parte ipsa si humor secretus sit, & si pars ipsa sua natura frigida sit, febris quædam conclusa & particularis esse queat. Vt tandem conclu-

Probl. 96. li. 1.

Ad Aph. 42 lib. 2.

3. locor. affect. cap. 7.

Ad Part 28. lib. 2. Prorrh.

damus, & fanaticus & melancholicus poteſt in cerebro febrem habere. Declarauit pulſus temporum in ea noſtra puella de qua hîc agitur, & perceptio caloris in frõte. Vt totum venenum humoris, vel à corpore ſurſum rapi videretur, vel in cerebro contineri, ſed nequiens diſſipari & edomari, affectum produceret. Etenim duo ſunt commemorabiles loci apud Galenum qui huc maximè pertinent. Prior eſt in primo Prorrh. *Totius corporis* δυσκρασίαν, *ſequitur mentis læſio, non aliter nimirum affecto cerebro, quam ipſum totum corpus afficiatur.* Id eſt, Cum totum corpus malè affectum eſt, cerebrum quoque malè afficitur: hinc mentis læſio. Et hæc non ſolum cerebri τῇ δυσκρασίῃ debetur, ſed etiam totius corporis. Et ex hoc loco poſſumus colligere ſæpè ad cerebrum non eſſe attendendũ, ſed ad totum ſimul corpus. Quod huic noſtræ virgini conueniebat. Nam totum corpus melancholicum pœnè eſt. Locus alter eſt, *Copia in venis aceruata tenue quoddam ſerum in ventrem confluit (Græcè ſerum* ὀῤῥὸς *dicitur) & cardialgias parit in os ipſius aſcendens, quod omnium partium maximè facultate ſentiendi datum eſt. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem primum deferri conſueuerat, lumborum dolores efficiet.* Qui locus adnotandus eſt maximè. Hinc enim ſcies eundem humorẽ varia edere in variis partibus ſymptomata. Nam idem humor duas habet ſubſtantias, vnam tenuem, alteram craſſiorem. Tenuis ἰχὼρ, & ὀῤῥὸς, & λεπτὸν, aliquid dicetur: Vnde in febribus, manẽte cauſa mali in viſceribus ipſis, tamen ὀῤῥὸς, & ipſius ſpiritus, & ichor veluti animatus & furibundus in longinquis partibus impetum facit.

Par. 34. lib. 1.

Par. 38. ſect. 3. lib 1. Prorrh.

Sed quoniam incidimus in eam diſtinctionem, vt diceremus aliud eſſe membranas cerebri affici, aliud ſubſtantiam cere- aliud caput, aliud cerebrum affici (quod vtrunque eodem pertinet) an id verum ſit ex veterum opinione, expendamus. Sed hîc authoritates veterum non tam ſunt numerandæ, quàm expendendæ. Gal. ita loquitur in Prorrh. *Capitis dolor*, id eſt, *Græcè* κεφαλαλγίη, *caput ipſum affectum docet, Catoche autem cerebrum ipſum.* Et alio loco. *Dictum eſt antè* τὸ κῶμα, *affectum ſolùm ipſius cerebri eſſe* τῇ ἐκστάσει *contrarium.* Et alio loco clariùs. *Cephalalgia caput affici docet, veluti & ſenſus auditorij læſio cerebrum ipſum. Colli dolor, & manus tremulæ neruorũ principium affici demonſtrant.* Celſus diſputãs de affectionibus capitis ita ait, *Nomine capitis nunc ſignifica eam partem quæ capillo tegitur. Nam oculorum, aurium & dentium*

Ad part. 55. ſect. 2. lib. 1. Prorrh.

Ad part. 6. ſect. 3. lib. 1. Prorrh.

dolor, aliàs erit explicandus. In capite autem interdum acutus & pestifer morbus est, quem κεφαλαίαν vocant. At dicet quis, Cephalæa estne morbus eius partis quę capillo tegitur? falsum id esse videtur, nam membranarũ est. Sed illo loco Celsus non intelligit eam distinctionẽ quam nuper elicuimus ex Gal de morbo capitis & cerebri, sed nomine capitis & pericraniũ, & meninges, & fortè cerebrũ audit. Tantum nomine capitis nõ intelligit conspicuas partes nares, aures, dentes, & similia. Ergo aliud est statuere morbũ τῆς κεφαλῆς, aliud τοῦ ἐγκεφάλου. Quanquã alius locus apud Galen. quo destruas istum diorismum. Interpretans enim illud: *Ex Cephalalgia aphoniæ*, ait, *ideo hoc dicit Hipp. quod Cephalalgiam velit esse signum affecti neruorum principij, non autem localem ipsius aphoniæ affectionem esse in eo: Hæc enim aphonia fit sæpè ob tensionem vehementem, vel ob musculorum & neruorum voci inseruientiũ exolutionem & laxamentum.* Quanquam aphonia sæpè localem habet in ipso cerebro causam. Ex his apparet neruorum principij morbum esse Cephalalg. neruorum autem principium cerebrum est. Valêre ergo iubeamus distinctionem illam superius adductam. Nisi dicamus contra mentem Galen. vt seruetur ipsa distinctio. Cephalalgia est capitis affectio, membranæ enim læduntur, quæ nomine cerebri non continentur. Aphonia autem, est ipsius cerebri affectio. Sic enim à membranis, ad cerebrum ipsum, quod non tam promptè afficitur atque illæ, repit affectio. Iuuat quoque istam distinctionem, id quod Gal. constituit, dum ait: *Dolor colli fit vel ob affectum ipsum cerebrũ, vel meninges, vel spinæ medullam.* Ac si dicat affectum ipsarum meningon, & ipsius cerebri aliud omnino esse, vt illarum affectio numero morborum capitis, huius autem morbus, numero morborum cerebri accenseatur. Sed hæc dicta sint, vt doceamus nos nil hic obscurum velle scribere, quod legentium animos suspensos tenere possit.

Ad part. 2. sect. 3. Prorrh.

Ad part. 40. lib. 2. Prorrh.

Alij furorem vteri.

Virgines viro maturæ ob quandam vteri ipsius ἐπιθυμίαν, & σπασμόν, varias incurrunt affectiones. Quis non eidem vtero accidere eadem dicat, quæ & peni virili, quem videmus sæpè turgescere, & inflari, vt quædam inde καρδιαλγίη insequatur fortè de furore vteri audiendum illud Hippocr. Leonidæ filiæ

Ad finē li. 7. Ep.

natura concitata, auersa est. Auersa in iram excanduit. Vbi ira
" excanduit reconciliata est [16]. Medicus non intellexit. Puella
" mortua est. τῆς φύσεως, nomine vterum intelligit, politico loquendi modo. De causis furoris vteri, & quomodo mentem perturbet, plenissimè dictum est in lib. nostro de morb. mulierum.

Alij φροντίδα.

Paulò post dicemus, caput totum & corpus totum veluti quibusdam aculeis sibi pungi narrabat. Et tamen eam extra se fuisse ante diximus. Vnum autem ex signis desipientiæ, quemadmodum ex Gal. patet, est cum ægri falsas quasdam dolorum imaginationes habent, qui non adsunt tamen. Sic in hac puella hoc videtur fortè inane quod punctiones se sentire narraret. Tamen cum ad se redierat, in eodem stabat dicto. Tamen locus est commemorabilis, περὶ φροντίδος apud Hippoc. [16] In visceribus veluti spina esse videtur, *ait Hippocr.* anxietas corripit, lucem & homines fugit. Timor inuadit, septum transuersum foris tumet, morbus vere corripit. Affectus est verè melancholicus. Et quæ eo loco scribuntur, ea omnia puellæ tribui posse videntur. Cæterùm meo iudicio, quod in corpore est ἄση, & ἀλύκη, id in animo φροντὶς esse potest. Est autem quædam anxietas mentis ad rem aliquam nimium attentæ. Vt in amasiis euenire potest. Quanquam ἀλύκη, & ad animum referri potest, nam ἀλύειν Galen. interpretatur, cum non quiescimus, sed nos ab vno negotio continuò ad aliud traducimur. Atque vt expediamus illam particulam de pruritu: hic adesse potest in mensium suppressione & orgasmo, vt omnino fecerit ineptè medicus qui territus quibusdam symptomatis sanguinem miserit. Illa enim quæ & in non menstruis mulieribus, & virginibus adsunt symptomata perturbationem à motu naturæ, aut potius conatu, in ciendis mensibus significant. Vnde Hippocr. ita scripsit: *Quibus ex rigore febres laboriosæ, muliebria his decurrunt. Et ceruix dolens hæmorrhag. significat.* Et paulò post, *Quibus per nares spes est vt per caput quatientia, & sonitus sanguinem profundant, profundunt hi, & muliebria deducuntur, maximè si circa spinas æstus fuerit. Fortè & id dysenterias facit.* Sic cum febriunt mulieres, & metus aliquis aut opinio eruptionis est, caue ne quid temerè tentes. Immo & in plerisque post ista symptomata eruptionem mensiũ tempus

Ad par. 16 lib. 3. Prorrh.

Ad finẽ 2. de morbis.

Ad Aph. 56. lib. 7.

Par. 50. Sect. 3. lib. 3. Prorrh.

præstitutum anteuenisse vidimus. Nunc audiamus Hippocr. qui affectionem huius puellæ videtur depinxisse: *Morbi circa caput & viris & mulieribus vehementissimi sunt & diuturni fiunt & adolescentibus & virginibus, in tempore pubertatis, maxime cum menses appetunt. Mulieribus in capitis dolore eadem omnino fiunt, quæ & viris. Verùm puncturæ illæ prurignosæ, & affectiones atrabilariæ, his minùs quam viris, nisi menses omnino aboleantur.*

Lib. 2. Prorrh. In quem Gal. non scripsit.

Alij Catubuth veterum. 17

Arculanus de ea affectione ex Mesuei opinione abundè edisseruit. Et non est sicco pede prætereundum id quod de ea affectione dictum est: *Melancholia duas famosas species habet, vna Catubut dicitur, altera Eros. Catubut nomen inuenit à quadam specie arraneæ quæ mouetur super aqua diuersis motibus, & sine ordine. Catubut est species melancholiæ plurimum eueniens mense Februario non expectans ad ver vsque ob subtilitatem humoris melancholici. Nam generatur à melancholia genita per adustionem choleræ, aut melancholiæ, in qua fortè caliditas non multum adurens remansit. Et sic licet sit cũ motu plurimo, non est tamen cum rixa, immo cum timore.* Signa & causæ ampliùs explicantur, vt ad librum recurrere eum oporteat qui plura desideret. Hic sanè affectus quadrare nostræ virgini potuit in multis signis ipsius morbi descriptionis. Eo tempore morbus apparuit quod ab Arculano descriptum est, & cum in ea mensium esset suppressio, quæ quidem vt lib. de virginibus edisserit Hippoc. horrendorum symptomaton causa esse solet, non formidauimus iteratam venæ sectionem. Quod nunc dico valdè notandum est. Etenim cum in omni morbo melancholico luculenta venæ sectio suspecta sit, in hoc solo catubut, specie melancholiæ eximia ad syncopin sanguis mittitur. Quod arguit aliquid esse in eo morbo quod in cæteris melancholiæ morbi formis nõ animaduertitur. Si enim suppressio aliqua solennis sit, præsertim sanguinis aut per mariscas, aut nares, aut vterum, quæ hunc morbum inuexerit, nõ erit extra rem copiosè sanguinem demere. Quis est enim qui tam audacter sanguinem mittat si eius propria generatio spectetur, ex atro videlicet succo per adustionem bilis generato? Plura vide apud Arculanum cap. de Cathubuth.

Cap. 16. de melanch.

Arcul. Cap. de cura Cathububuth.

Aliquando ad se redibat.

Præclara est quæstio, cum ex antedictis constet & diathesin, & causam in cerebro esse, cur nō malum perseuerabat? cur non semper delirabat? Cur quies aliqua concessa est? Et quod mirum est, etiam flagrante malo cum moueretur de quibusdam amicis qui eam deberent inuisere, quibus ista oculenda erat infirmitas, virgo illa cogebat sese, & quod nos obseruauimus, demordere videbatur labium, quasi vellet vocem continere ne quid insolens effutiret. Egressis illis amicis, quorum præsentia verecundebatur, paulò post more isto gariebat & iactabatur. Ante quæsitum est, an cum in parte aliqua dispositio, aliqua est, & impressa infirmitas, nec non materia adest, malum & dolorem perpetuum esse necesse sit? Hoc enim distinguntur vertigines per protopathiam natæ, ab his quæ compatiēdi lege eueniunt, quod illæ diu perseuerant, hæ fugaces sint. Sed illud verbum, perseuerare, & fugax esse magnam habet latitudinem. Nam cum dicitur malum perseuerare, non ita dicitur, vt quandiu διάθεσις adsit, malum quoque vrgeat, sed per comparationem cum eo dolore, vel eo malo quod vi sympathiæ fit, dicitur diuturnius esse, quam id quod ex euentu accidit. Item si vis ipsius diatheseos spectetur, cum in parte aliqua est, minima occasione malum accersit. Et in eo spectatur perseuerantia ista. Accedit quod dolorum & morborum alij sunt acuti, chronici alij: quoniam acutorum breue est tempus, ideo si causa in parte fixa est, malum quoque figitur & perseuerat: Si chronicus, figitur quidem, sed tamen non semper affligit. Vt in febre continua essentiali quoniā causa delirij certo tempore furit, & nondum parenchymati ipsius cerebri inuritur, ideo fugax est delirium, sed in febre symptomatica phrenitis ipsa delirium habet assiduum, quoniam assidue causa fouetur, & vt loquitur Gal. in cerebro ὑποστρέφεται διάθεσις φρενιτική. Cum autem causa diu fixa est, & morbus per se chronicus est, quoniam habet quædam momenta & inclinationes, non perpetuo affligit. Nunc sententiam Gal. audiamus de distinctione affectionum fugacium causam, & fomitem in parte non habentium, & earum quæ perseuerant. *Cum videris quempiam, ait, cum ferocitate desipientem, & si paulo post, sedetur, cognosce mentem non febris ratione læsam, sed phreniticam subaudi*

Ad particul. 25. sectio. 1. lib. prioris Pror.

Ibid.

ſubaudi affectionẽ, quæ poſt adaucta, ferina tibi videbitur. Vis ponẽda in verbis. Et ſi paulò poſt, vt contra aduerſarius dicat non continuam eſſe deſipientiam quæ paulò poſt ſedetur. Et reuera obiectio habet aliquid probabile. Sed verba Græca & literæ ſenſus aliud ſonant. Legitur enim κἂν ὀλίγον ὕστερον παύσηται: Id eſt, etiam ſi poſtea paulùm ceſſauerit, & ceſſare viſa deſipientia fuerit: Id eſt, vt ſit remiſſio aliqua (quod aliò τὰ πολλὰ dolorem non ſentire dicit) ſed non intermiſſio. Nam ſi abſoluta intermiſſio eſſet, aliunde malum eſſet repetendum, & non in parte ipſa cauſa firmaretur. Et ad eandem ſententiam paulo poſt dicit: *Migrationes ſymptomatum. Græcè μεταπτώσιες, ex migrantibus fiunt humoribus. Nam firmatos ſtabilitóſque vna in parte humores, ſpecies vna ſymptomatis, tum naturæ partis, tum humoris virtuti peculiaris, conſequitur. Et quod phrenitis in ipſis duret, ex eo firmatum in capite eum qui affectionem parit, ſuſpicio eſt.* Atque reperio humorem tribus modis morbum parere poſſe, per ſympathiam, vt cum à parte longinqua transfertur, ſiue eius ὀῤῥὸς, tantùm transferatur (quod ferè fit) ſiue μετὰ τοῦ ὀῤῥοῦ καὶ ἰχῶρος, craſſior quædam pars. Et tranſlatio verè dicitur: vel cum in parte eſt. Idque trifariam dicitur fieri: ſi perfluit tantùm venas, vt in febrium deliriis, ſi tranſgreſſis traiectíſque vaſis iam in parte ipſa impreſſionem fecit, vt in lethargo, phrenitide, catocho. Tertiò, ſi ſit etiam in eadem parte, ſed latius ſumpta μετάῤῥυσις καὶ κατάῤῥους. Ita enim quodam in loco μετάῤῥυσις καὶ κατάῤῥους, pro eodem ſumitur, vt κατάῤῥου nomine intelligatur transfluxio de loco ad locum. Exempli cauſa, cum humor occupat ventriculos cerebri, peculiarem quandam inuehit affectionem; ſi ſubſtantiam, nouum genus morbi; ſi in neruos auditorios, aliud; ſi in opticos, nouum quoque parit. Et hoc in eodem cerebro fit, & propriè μεταῤῥεῖν dicitur. Itaque humor contentus in parte aliqua, & fixus firmatúſque continuam quandam affectionem facit, facta comparatione cum cauſa fluente, & non fixa: non quod ſemper dolor adſit: nam omnis humor certo quodam tempore, certos habet ratóſque motus & inclinationes. Si in cerebro quidem humor ſit, ſed deerret, varias affectiones parit, prout in hanc, aut illam partem repit. Atque eo modo hunc ſcrupulum eximere oportet.

Ad particul 27. ſect 1. lib. 1. Prorrh.

Ad part. 27. lib. 1. Prorrh. ſect. 1.

Pulſus tardus, aliquando frequens.

Si quæ materia tantas in cerebro perturbationes afferebat, in vaſis maioribus inter alas & inguina interiectis coercita putruiſſet, alius pulſus fuiſſet. At congener erat corpori, morbo congener. Nam melancholicorum talis pulſus eſſe ſolet. Et quoniam de eo pulſu in priore Conſiliorum noſtrorum Tomo diximus, hac ſuperſeſſuri ſumus ampliore explicatione.

Aculeis pungi corpus narrabat.

De punctionis ſenſu diximus ante in explicatione vocis φροντίδος. Et cum curatio illius morbi præpoſtera fuiſſet, nulláq; criſis inſecuta fuiſſet, niſi quod ea quandam excretionem, & potius ſecretionem in caput feciſſet, ac ſi κατ' τὴν ἀπόθεσιν criſin moliretur, non mirum ſi materia quæ criſi κατ' ἔκρουν, aut per ſudores, aut alio modo excerni debuiſſet, recruduerit, & ſuppreſſa ſeipſa deterior facta fuerit, vnde punctiones & lancinationes.

Tandem cum ex alto cecidiſſet, leuius malum eſſe viſum eſt.

Fortè cum tumultuaretur ex alto cecidit, & offenſus eſt pedis articulus. Illáque laborem ſenſit & dolorem, & tranquilliore cœpit animo eſſe. An caſus iſte nouam mutationem afferre potuit? Galen. eſt locus valdè præclarus, vbi docet morborum quandam fieri μετάπτωσιν, id eſt permutationem, vt mutuò ſeſe excipiant morbi & ſymptomata. Narrat enim ſe vidiſſe quendam qui paraplecticus foret, obortis quibuſdā lumborum doloribus conuellebatur. Deinde deſinebat conuulſio, deinde redibat paraplegia, & ſic deinceps. Id quod cum rarò fiat, mirandum fuit Sed id quod hoc loco dicimus magis mirum eſſe debet. Nam noſtris temporibus viſus eſt phreniticus qui per nouem dies inſigniter & febrierat & delirauerat. Cum nouo die omnia recruduiſſent, nocte è lecto deſurgens manum violentam decumbenti Medico afferre voluit, à miniſtris deinde coercetur. Fingit ſomnum, inopinatò exilit è lecto, & feneſtram appetens, cámque perſiliens, in aream locum altum

Ad part. 26 lib. 3. Prorrh.

Anno 1575.

valdè decidit. Fortè aderant quidam colloquentes, qui decidentis corpus ſuſtinuere. A caſu iſto cum alioqui ferè illæſus eſſet, delirio eſt abſolutus. Sic diſcuſſa eſt miraculo materia morbum faciens. Et apud Hippoc. Cuidam aderat crurum rigor diuturnus. Fortè in lapidem cecidit, læſum caput eſt, vertigo oboritur. Deſiit malum vetus. Sic credibile huic virgini eueniſſe, vt caſum ob iſtum paulum reſipuerit.

5. Epid.

Malum auxilia eludebat. Relicta ſine remediis conualuit potius.

Melancholici vulgò Medicomaſtiges, & flagella Medicorũ dicuntur: Eſt enim is humor indomitus & efferus. Sed dicat quis, an qui ſuppreſſus humor menſtruus fuerat tam ſæua inducere potuit ſymptomata? Ita herclè: quanquam id non videtur Galeno. Contra Hippoc. hic enim ita ſcripſit: *Quæ cum tantula ferocitate (Græcè* τὰ ἐπ' ὀλίγον, *cuius vim paulò ante expoſuimus) in deſipientiam pellunt, melancholica, ſi vero* ἀπὸ τῶν γυναικείων *fuerint, ferina. Quo modo coriarij filiæ euenit.* Galen. in Com. ita ait: *Cum autem ij qui melancholicè delirant prompti ſunt ad inferendum propinquis malum (quod* κακουργεῖν *vocat) ſi* κακουργίας μεγάλας ποιῶν*), id eſt, ſi malefici magis fuerint,* παρακρούσιες θηριώδεις *vocitantur. Sed quòd talis deſipientia ferina oriatur ex ſuppreßione purgationis menſtruæ, nec prorſus verum, nec magna ex parte. Nam ſi melancholicus fuerit ſanguis, & in cerebrum ierit, talem affert* παρακοπὴν*: & ſic in cæteris.* Sic non negat quidem deliria, & alienationes mentis ob vnam menſium ſuppreſſionem euenire poſſe, ſed illas negat eſſe ferinas & maniacas. Quod fortè probabile eſt. Nunc audiendum cur diximus tam effræne malum remediis recruduiſſe, iiſdem ſublatis ceſſauiſſe. Idipſum multarum rerum gnara antiquitas obſeruauit. Ita enim Aëtius ſcripſit. *Operæpretium eſt noſſe multos melancholicos ægrotantes in tempore curationis nil commodi ſenſiſſe. Dimiſſa verò curatione reſtituti ſunt, natura ante curationem præualente contra morbos debiles ex medela factos. Sic remißionem naturæ dare oportet. Nam vnà cum curationibus videtur affligi. In quiete vero inualeſcere, & ſuperare morbos iam antea attenuatos.*

Part. 31. lib. 3. Prorrh.

Cap. 10.

Ante dyſenteria crudelis eam affixerat.

Tenaſmus & dyſenteria eam valdè duobus ante annis affli-

xerat. Et in recto intestino vlcus depascens obortum fuerat, quod ferè ἀνίατον erat. Credibile est in illa restagnare & succrescere humorem indomitum, siue pituita salsa fuerit, siue succus melancholicus ad atram bilem accedens. Et si quis non credat pituitam salsam posse tantos morbos accersere, audiat Hippocratem de secunda specie cavsi à pituita salsa disputantem. In cavso non legitimo pudendi liuor superuenit, & testiculus intensus iudicatorius est. Et Galen. ait igneam caliditatem & vrentem excitari ob fumosam substantiam à pituita salsa excitatam. Et Hipp. Tenasmos & inflammationes sedis ab ea pituita salsa excitari fatetur.

Part. 13. lib. 4. Acut.

Verebamur de sphacelo cerebri.

Hippoc. lib. de Fistulis.

Quid sit cerebrum σφακελίζειν, diximus in nostris definitionibus medicis. Cæterum obseruarunt primarij Medici post diuturnos capitis dolores syderationem meningon ipsius cerebri euenisse.

Id congenitum.

Resciui enim ex parte patris multos fuisse qui stulti fuerint, & ad deliria, melancholicásque perturbationes procliues[18]. An autem morbi sint congeniti, in prima huius libri historia amplè disputatum est.

Multa remedia vltro tentata sunt: quorum capita strictim percurremus, & eorum formulas aliquas perscribemus? Sæpiùs secta vena: data pharmaca & enemata cum melle mercuriali & confectione hamech. Galli exenterati capiti sunt admoti: Cucurbitulæ scapulis. Zibetum cum cottone pudendo applicitum, betonica capiti, præsertim fronti, cucurbitulæ in femoribus. Item & hæc.

℞. *Fibrarum ellebori albi. ℥ j. seminis seseleos & pæoniæ. an. ℥ ß. radicis azari. ℈ ij. buglossi, scolopend. melissæ, an. m. j. florum cord. p. j. fiat decoct. in colatura dissolu. Elect. diacarth. & de succo rosarum. an. ℥ ij. fiat potus.*

℞. *Massæ pilul. sine quibus, cocciarum, & fœtid. an. ℈ i. pulueris hieræ diacolocynth. ℈ ß. cum syrupo viol. fiant pilulæ deauratæ.*

℞. *Florum nenuph. lactuc. portul. & florum violarum. an. p. j. fiat*

decoct. ad ℥ iiij. & cũ ℥ 1. ſ. ſyrupi de nenuph. fiat potus cap. hora ſomni.

℞ Decoctionis ſaluiæ, maioranæ mentæ, meliſſ. ſtœch. chamæ. meliloti lib iiij. colentur per cineres ſarmentorum: adde expreſſ. ℥ iiij. foliorum ſenæ mundatorum ebullitorum in vino albo pro embroche totius capitis, & aſſuſione ex alto.

Ad ea omnia quæ de eo morbo tractata ſunt, duo adiicere oportet: Pri⁹ eſt, quod vulgò omnes medici calidos fotus & embrochas ad dolores capitis inſtituant. At cùm ſuperiùs paulò demonſtrauerimus maximã partem dolorum capitis eſſe ab humore, aut per ſe calido, aut à vapore, aut ab aduſto, concluſo, & ob difflationem prohibitam, quadamtenus putreſcente, fruſtra tot lixiuia ex calidis Cephalicis inſtituunt. Itaque hoc monitionis loco, mihi & aliis ſcriptum ſit.

Poſterius eſt quod omiſſum balneũ vniuerſale fuerit, quod tamen hîc primas tenet, tum ad contemperandos humores, tũ ad corporis perſpiratum, tum ad reſtinguendum incendium. Et maximè in Melancholia morbo cõuenit, præſertim cum eſt per aduſtionem humoris, ſiue affectum ſit cerebrum, ſiue in meſenterio malum conſiſtat. Reuera ſi non ita alienato fuiſſet animo, id tentauiſſemus: Sed in tanta rerum confuſione valdè de remediis eſt dubitatum.

Accommodatè ad id quod nunc diximus, Galenus de vſu balnei in dolore capitis ita ſtatuit: *Interdum ab initio morbi febres ſunt mites, ſed ab initio tamen ſymptomata grauia caput infeſtant, vertigines, pulſationes temporum, & alia, ob exuſtionem, vel exhalationem humorum in ventriculi corpore contentorum. Sanè, capitis ſolius quouis aliter modo habentis caliditatem balneum iuuat. Et ptiſſanæ cremor pro ſorbitione ſatis eſt.* Verum cum ſpiritus calidus & flatuoſus ob humorum prauitatem ad caput fertur, lauare hos non confert.

Ad par. 42. li. 4. Acut.

Calamitoſum huius virginis fatum.

Circa finem menſis Sextilis anno 1576. cum moleſtias tuliſſet, & propter aſſiduum capitis dolorem inſomnis diu fuiſſet, cardiogmo ſe tentari dixit. Tandem in febrem incidit. Eius febres non erant vehementes, ſed lentæ erant & malæ. Et earũ vis & venenũ in cerebrum ipſum impreſſionem quãdam faciebat. Caloris ſenſus erat maximus in fronte & tẽporibus. Et tumor erat μυξώδης, ad oſſa bregmatis parte ſiniſtra, die Martis hor-

ruit. Nocturna febris. secta vena. Die Mercurij eadem: de nocte nugata est & παρέληρε. Mane perseuerabant nugæ, nec ad medicamentum capiendum adduci potuit. Tandem precibus victa sumpsit. Visa est resipere. Ad nonam vespertinam eadem manebat. Tamen identidem capitis dolorem querebatur. Media nocte custodibus obdormientibus è lecto surrexit, cubiculum exiit, aut è fenestra cecidit, aut caput ad lapidem prædurum & obtusum, aut ad mensam plumbo obductam quæ propter culinam est, offendit. Attonita ex ictu casúue facta est, vomuit. Nil in cute apparebat. Sex horis post interiit [19]. Ossa bregmatis effracta erant, & intro detrusa, reliquum os ad suturam à litera λ, nomen sortitam fissum erat. Musculus temporalis planè contusus. Non narrabant cadendi modum, immo subcelabant matrem. Atque hoc valdè calamitosum fuit. Fortè duobus ante diebus deprehensus erat tumor ea parte sinistra præ capitis dolore obortus. Et is fefellit nos. Nam non eminebat à casu isto. Ignoratus cadendi modus fraudi fuit, & tam repentini fati causa. Nam aliqua arte prouisum fuisset; quanquam casus iste lethalis omnino erat, nec vnquã restitui potuisset. Suspicabatur mater violentum aliquem casum, nos verò celere hoc euentum tribuebamus vi doloris ipsius capitis. Et qui designabatur locus à matre, ex quo cecidisset, non faciebat opinionem tantæ rei quanta latitabat. At magni refert in morbis similitudine rerum nõ falli, nec pręiudicatæ opinioni nimiùm insistere. Cum enim multis id calamitosum fuit, tum huic virgini infaustum, saltem enim omnes nos suo functi fuissemus officio.

ANNOTATIONES.

1. *Pilositas in brunis præsertim est melancholiæ signum. Quod Arculanus. cap. de melancholia annotauit.*

2. *Nigrities capilli calidum temperamentum non indicat.*

3. *Galen. in commento dicit Hipp. duo obseruasse, ætatem, & naturam. Ætatem, vt qui calidiores ratione ætatis essent, ægrotarent: naturam vt in frigidioribus natura, quibus cutis densa foret, excrementum facilè subsisteret, & ob eam causam malum afferret.*

4. *Quoniam noctis humiditas calorem quodammodo temperat, diei autem calor & siccitas febrilem calorem auget, videtur non absque ratione dicere Hippoc. febrem diurnam ad tabem ducere: impensè enim*

ſiccatur corpus ac tabeſcit. Vidimus tamen omnes nocturnas febres malas eſſe, & magnam virium iacturam attuliſſe.

5. *Galen. ad particul. 71. lib. 3. Prorrh. docet febrium ardentium eſſe hæmorrhagias mouere, quia & ſanguinem fundunt, & ἐς τὴν κεφαλὴν ἀναφέρουσι. Huc pertinet illud 2. Epid. ſect. 1. ſanguinis è naribus largus fluor liberat ſæpè vt Heragoræ contigit, cuius Medici non erãt gnari. Hic taxat Medicos diebus criticis manantem ſanguinem ſupprimentes.*

6. *Hinc cap. 4. lib. 2. Meth. med. Fernel. arguit Medicos qui ex ſtillicidio ſanguinis è naribus, vel vrinis rubris captant occaſionem ſecandæ venæ.*

7. *Et ad part. 32. lib. 3. Prorrh. vocat quandam alienati iudicij & mentis ſpeciem περιφέρεσθαι τῇ γνώμῃ, politico loquendi modo,* il eſt eſgaré & fouruoyé de ſon entendement.

8. *Tamen miror cur Galen. loquens περὶ θορύβου καὶ παραφροσύνης, in pulſu Hypochondrij, non dicat τὸ θόρυβον eſſe prodromon delirij. Sed in contrario accipit ſenſu.*

9. *In Picardia vtuntur etiam in placentulis ſemine papaueris albi ſine noxa vlla.*

10. *Ad hunc locum pertinet problema Aphrodiſæi. Cur tam vinum quam aqua delirium & maniam inferat? Aqua id facit obtrudendo, &c. Legatur locus Problem. 94. lib. 1.*

11. *Hippoc. ferè initio lib. de morbo ſacro verè melancholicorum ſigna exhibet, & quomodo ſtatim reſipiant, rurſus perturbentur. Et Arculanus docet mulierum melancholiam deteriorem eſſe, ſed rariorem.*

12. *Arculanus docet viros potius melancholicos fieri, quam mulieres: ſed deteriorem in mulieribus eſſe affectum, quod à fortiori ſit cauſa.*

13. *Melancholici vocantur non ſolùm ij qui nigram excernunt bilem; ſed & ij qui iam habent in ſolidis partibus talis conſtitutionis ſtructuram. Ideóque qui ſunt corpore ſquallido, ſicco, macro, quique curis, vigiliis, ægritudinibus, perturbationibúſque animi concutiuntur ij melancholiæ ſunt obnoxij.*

14. *In Hiſtoria prima iam annotauimus ſæpè efferri tetrum vaporem & inflammabilem in pleriſque, qui ſpiritus capitis incendens intemperiem calidam, & valdè moleſtam infert cerebro. Quod & huic euenit & pleriſque, vt alibi annotauimus. Et puella hæc nobis narrauit affirmauitque cum Poiſſiaci degeret, monialium imprudentium conſilio affuſam eſſe fronti calcem viuam ad capillos exurendos. Nec enim eſt quod quis dicat aliud eſſe τὴν φλεγμονὴν, aliud φλεγμονώδη διάθεσιν. Si quidem pro eodem ſumuntur à Gal. Etenim Com. ad part. 13. lib. 1. Prognoſt. ait*

rubere oculos aliquando ob phlegmonem cerebri: lib. verò 7. Aphor. de eadem causa loquens ait, rubere oculos ob diathesin phlegmonodem. sic confundit.

15. *Mania tribus modis sumitur. Primo modo pro ingenti delirio, vt Hippo. part. 32. lib. 1. Progn. docuit loquens de pulsu Hypochondrij. Secundo modo pro delirio siue febri à calido humore, aut calida dispositione cerebri. Tertio modo pro quadam mania à frigido humore. Quod autem à calido humore sit etiam sine febre, & discrasia cerebri, ita Galen. qui locus huc valdè pertinet cap. vltimo lib. 2. de causis sympt.* Reliqua quidem omnia deliria ex mordentibus & calidis oriuntur succis, qualis maximè flaua bilis. Sæpè etiam ex calidiore cerebri intemperie, sola illa quæ melancholica vocantur frigidum succum pro causa habent. *Sic propter melancholiam propriè dictam, & phreniticum delirium, & maniacum, & paracopticum in febrium vigoribus, à calido vapore, & intemperie nascitur.*

16. *Non est quod quis subterfugiat, dicendum & membranas cerebri posse principia neruorum dici. Nam in prognosticorum Com.* ἀρχὴ τῶν νεύρων *cerebrum dicitur.*

17. *Inter locos cæteros est quidam commemorabilis lib. 2. de morbis mulierum vbi disputat de quodam affectu quē vocat, atram bilem in vtero. Et eius edit signa.*

18. *Punctionem istam melancholicis propriam veluti esse Aristoteles cap. vlt. lib. 7. Ethici proponit:* Qui natura atrabilarij sunt, ij semper requirunt desiderántque medicinam quod eorum corpus continenter pungatur, & vehementes semper habent appetitiones. *Aristo. illo loco docet semper nos dolori contrarium appetere, etsi illud difficile sit.*

19. *Scribitur vel Catubut sine h aspirante, vel Cathubuth.*

20. *Quomodo semen vitiatum parentum, id est, labe aut epileptica, aut arthritica, aut consimili infectum, istam imbecillitatem ad posteros transferat, ad finem Comm. in Apho. 28. lib. 6.*

21. *Fundum ventriculi deprehendimus subrubrum; & maculis rubris noperspersum, ac si ictum aliquem vímque passus fuisset. Admirationi nobis id fuit. Accredo à casu fuisse.*

HISTORIA



HISTORIA QVINTA.



XOR Consulis Regij morbo febréque populariter grassante occupatur. Febris κοπιώδης, ἀσσώδης, ψηλαφώδης. *Incendium summum in partibus imis erat: iactatio* ἀνέμετος. *Aluus liquidis excrementis ferebatur, fœtidis. Ne minimum manus appulsum ferebat. Nocte exacerbationes. Circa auroram diebus criticis indicantibus* ἄσφυξμος *pene erat, corpus sudoribus frigidis, modò vniuerso in corpore apparentibus, modò in ceruice & clauiculis diffluebat. Ad nonum diem corpus puncticulis pulicum morsus referentibus maculatum erat. Vires admodum effœtæ. Tandem serosis multis euacuatis sine manifesta crisi est iudicata.*

COMMENTARIVS.



VM mentio iniicitur morbi populariter grassant... citè mos morbi & ingenium explicatur. Nec enim abs re Hippocrates in quouis morbo τὸ ὀξὺ spectandum putat, καὶ τὸ θανατῶδες. Illud vim acutiémque morborum significat ex peculiari corporum natura humorúmque dominatu natorum: hoc verò insinuat illud quod ab eodem τὸ θεῖον nuncupatur. Sed has difficultates excutere nunc temporis spatium non est.

Lib. Progn.

Satis est hoc loco meminisse eius quod dictum est in Prognost. Oportet impetum morborum ἐπιδημέντων considerare. Laurentianus vertit, morbos exuperãtes; sed malè, cum ἐπιδημεῖν grassari sæuiréque in vulgus significet: Item temporis constitutionem tenere oportet. Nos pluribus explicaremus & morborum qui tunc temporis vagati sunt, & qualis fuerit temporis constitutio, nisi in lib. 1. Epidemiorum nostrorum res tota pateret. Tantùm de duobus monere oportet; hyems præcesserat rigidissima, quæ partes internas labefactauerat, & reuocato, potiúsque conculcato intrò calore eas adusserat, vt ferè νεκρώσεως metus foret. Secutum ver satis morbosum, æstas feruentissima, & seri acerrimi bilísque infestissimæ genitrix: vt mirum non sit si tanta morborum fœtura fuerit. Immo adeo partes internæ, & præsertim neruosæ, affectæ fuerant cœli inclementia, vt quibus à lithotomis detractus è vesica incisione fuerit sanguis, eis suum diem obire necesse fuerit. Aphtharum & morbillorum magna fuit ilias. An non tum vitio cœli, tum eximia quadam putredinis qualitate, quam natura frangere ac domare non potuit?

Par. 40. lib. 3.

Hoc fuit an. 1573.

TEXTVS.

Febris κοπιώδης, ἀσώδης, ψηλαφώδης.

In Prorrhetico ita Hippoc. fauces si parum exasperentur, frons dolet, contrectatíque fatigentur, atque in stragulis & vestimentis doleant, quæ ex his augentur difficilia existunt: In Græco legitur ψηλαφώδεες, κοπώδεες, cum distinctione, non autem coniunctim, vt κόπος ad τὸ ψηλαφῶδες referatur: τὸ δὲ ψηλαφῶδες, non cum significat qui palpatur & contrectatur, sed qui palpat & contrectat, vt ex alio loco patet. Et non diceret Hippoc. κοπώδεες, sed ὀδυνώδεες: nec enim κόπος, sed ὀδύνη ad molestam tactionem sequitur, id est, si quis ne blandæ manus appulsum ferat, quin doleat, quæ affectio hinc sequitur ὀδύνη propriè dicitur. Plura in nostris Definitionibus in voce παραφροσύνη ἀσαφής. Porrò περὶ κόπου καὶ πυρετοῦ κοπώδεος non dicam: sufficit tantùm dicere febres laboriosas, & à tenuibus ichoribus nasci, & à crassis humoribus. A crassis, vt cum Hippo. ait, vrina crassa alba in quartanis laboriosis exit. In Com. Gal. Laboriosas febres nominat, non quas multa antegressa motio peperit, sed omnes in quibus aliquis laboris & lassitudinis sensus existit. Et nunc de laboriosis excitatis ex multitudine crassorum humoris. De ichore autem fe-

Part. 16. sect. 3.

Ad part. 33. lib. 1.

Part. 2. sect. 4. l. 9. Epi.

brem laboriosam pariente ita in lib. Acut. Cavsus fit cum venulæ arefactæ ichores attrahunt, &c. Item, febris vehemens habet, & corpus veluti à lassitudine ossearia (Græcè ὀστοκόπος) laborat dolétque. Et hæc de lassitudine spontanea. Gorræus & ὀστοκόπον, & alias eiusmodi lassitudines ab immodico labore repetit, sed malè. Quanquam & motio vehemens id facit: sed sæpè & quies, & à quiete suppressio excrementi id committit. Itaque dicemus febrem laboriosam esse in qua lassitudinis sensio est maxima spontè excitatæ, vt æger ne minimum manuum appulsum, & motionem ferat: immo ne vestimentorum appositum & onus ferunt. Tali febre laborabat nostra ægra.

Part. 1. & 2. sect. 4. li. Acut.

Iactatio ἀνέμετος.

Iactatio Græcè ἄλυς καὶ ἀλυσμὸς dicitur, de quarum vocum significatione paucis dicam, quoniam de iis copiosius in nostris Definitionibus Medicis. Apud Galen. duplex est ἄσα, siue ἀλυσμὸς vnicus ναυτιώδης, alter ἀνέμετος. Ita enim scribit, bifariàm ægri sunt ἀσώδεες vno modo cum virtus à corpore grauatur, nullamque figuram retinent ægri, alio modo cum os ventriculi à prauis mordetur humoribus. Priores perniciosè afficiuntur, posteriores sunt nauseabundi. Et pleniùs in Progn. περὶ ῥιπτασμοῦ καὶ ἄλυος· ἀλύουσι ægri id est, iactant sese & priorem corporis figurã non retinent, sed subinde immutãt, aut ob ventriculi κάκωσιν, affectionem significat, aut ob virium debilitatem, vt corpus ipsum ægro & naturæ sit oneri. Quod est intelligendum, nisi æger mollior & delicatior sit, vt qui minima re offendatur, & doloris insolens iactetur. Ideo in fine dixit, vide an æger sit numerandus inter homines leues, qui facilè remittunt ac concedunt, & vinci se patiuntur etiam re leui. Leonicenus malè illum locum interpretatus est. Ad duas illas causas, aut signa τοῦ ἀλυσμοῦ, nempe oris ventriculi ab acri humore demorsi, & ἀῤῥωστίαν malignam qualitatem accensebis. Immo, virium infirmitas istius ἄλυος non videtur causa, cum sæpè post magnas euacuationes multos videas valdè imbecillos, qui quiescant, nec subinde mutentur. Itaque aliqua latens causa, vt venenata qualitas esse videtur, quę homines iactari, & conflictari (quod Græcè δυσφορεῖν dicitur) faciat, & proinde infirmitatem afferat, vnde maior

Ad par. 43. li. 2. Prorrh.

Ad par. 19. li. 1.

occaſio inquietudinis. Sed aſſignare iactationis cauſam infirmitatem virium (pace Hippocratis dicam) non eſt æquum. In peſtilentibus febribus, & in grumo ſanguinis ῥιπτασμὸν videmus, à maligna qualitate vires labefaciente, & ſpiritus diſſipante. Sed de his alàis.

ἄσφυγμος.

Mos & ingenium febrium id temporis vagantium erat admirabile & ſtupendum. Nam cùm febris exacerbationes in noctem inciderent, necnon vacuitas ſomni adeſſet, ſub auroram, præſertim diebus contemplabilibus ἀσφυξία, & veluti pulſus intercalaris, & qualis morientium eſſe ſolet, obſeruabatur. Quod ego verum eſſe aſſero. Adeo ichor aut humor qui febrem faciebat erat efferus & ἄπεπτος, & quem natura ferè aggredi non audebat. Talis ſeri dominatũ videtur expreſſiſſe initio lib. 2. Epid. Et hiſtoriam morborum eo tempore vagantium apertè in noſtris Epid. explicuimus [2].

Ad nonum diem corpus veluti puncticulis pulicum morſus referentibus eſt maculatum.

Cæteris omnibus omiſſis, quòd explicatio ex noſtris Epidemiis eruenda ſit, in explicatione iſtarum puncticularum operam impendemus. Video enim eruptionem iſtam ſæpè Medicos terrere, vt nil audeant tentare, ſæpè audaciùs aliquid facere, vnde periculum ægris creatur. Itaque quantum ex veterum & recentiorum ſcriptis venari poterimus, in hunc locum concludemus.

In febribus totũ corpus aliquando maculatur & inficitur, aliquando tantùm pars vna: Itẽ quæ in cutim erumpunt aliquãdo vt abſceſſus ſunt aliquãdo vt morbi. Quod valdè notãdũ eſt. In parte corporis erũpũt puſtulæ quędã vt Epinyctides, Therminthi, &c. id genus. Aliquando & in parte corporis maculas morbillos referentes efflorescere vidimus, prout vna pars magis laborat, quàm alia, in totum corpus emergunt puſtulæ, aut papulæ (nunc enim nomina confundamus donec diſtinctionis locus erit) ſiue exanthemata: Item ecthymata, puncticulæ, morbilli, variolæ, rubiolæ, & id genus cætera de quibus hoc loco di-

cturi sumus. Nam eatenus de papulis & exanthematis dicendum nobis, quatenus præsertim in febribus apparent, vel ante febres (vt fit aliquando) & quæcunque febres adsunt, ferè negotium dant Medicis, item quatenus hęc germinationes & eruptiones aliquid mali portendunt, siue cœlitùs id eueniat, siue à constitutione corporum, siue à loci quem incolimus, grauitate (ita enim grauem locum vocat Celsus passim insalubrem) & infamia. Nam numquam ferè variolarum & exanthematon ilias est, quin aut iam iam cacoëthes febres vagentur, aut proximè futuræ sint. Vt non tam (pace Arabum dicam, nec enim veteris doctrinæ autoritatem frangere consilium est) impuritas æstúsque sanguinis menstrui non defæcati illud inferat, quàm pestilens quædam cœlitùs expressa exhalatio. Nunc explicemus quòd voluerimus antè dicentes ex iis quæ in cutem erumpunt, alia morbi rationem habere, alia abscessus. In abscessuum numerũ veniũt ea quæ vi morbi, aut naturæ emergunt & cutim contaminant, vt vitium solùm cutaneum dicatur, cum corpus internum purum dicatur. Sic Simoni latæ pustulæ & pruriginosæ apparuerunt, cùm cætera sanus esset, vt Hippocrati & Galen. videtur: Et tuberculis apparentibus Hippo. tutum esse ait alere, si deiectiones sanorum similes sunt. Quasi velit virus morbi foras pelli, & viscera minimè esse impura. Est etiam vbi Icterus criticus appareat, cum solùm in vitium illud externum incumbere debeat Medicus, relicto corpore interno. Et Hippoc. clariùs de his: *Impetigines & lepræ quibus pueris aut iuuenibus quippiam horum fuerit, & paulatim conspectum in multo tempore augescit, tale* ἀνάθημα, *id est, eruptio & efflorescentia abscessus non est, sed morbus: Si verò quid horum fiat multùm & derepente, tunc abscessus nominetur.* Quæ sententia quoniam maximè ad id quod hoc loco quærimus pertinet, eam volumus interpretari, vt hinc demonstrationes petantur: Lepra, impetigo & vitiligo (quæ morbus est totius substantiæ, & in qua alienatio est substantiæ partium solidarum Galeno) tribus modis apparent, vel sunt tanquam morbi, vel tanquam abscessus vi morbi aut naturæ facti, vel inter vtrumque ambigunt. Vt Socrates cum puer cutim puram nitidámq; haberet, sensim illa mutari cœpit, deflorescere, conspurcari, immo malum augescit in dies, tunc non abscessus dicetur, ac si morbosam interni corporis affectionem sequatur, sed morbus dicetur, vt potè cõtracto malo

6. Epid. part. 30. sect. 2.

2. Aph.

2. lib. Prorrh.

Ad part. 17. lib. 2. Prorrh.

per vitium totius substantiæ, & per corruptionem proprij alimenti. Et foris applicanda sunt remedia, non sunt interna valdè fatiganda. Nam morbi ἀιτία in partibus externis labefactis existit. Nisi fortè quis obiiciat Elephantiasin morbum esse, & tamen cùm efflorescit in cute vitium, iam mali labem in partibus internis confirmatam esse. Quod Aetius ex Archig. confirmat. Nunc ad priora redeamus. Ergo si aliquid in cute appareat & efflorescat (quod ἐξανθεῖν Græcis dicitur) idque cõfestim, Græcè ἄλες κ̀ ἀϑρόως, non morbus cutis, sed abscessus dicetur: vt cum die critico, vel non critico aurigine & ictero cutis defœdatur. Item cum vitio aliquo interno derepentè abdomen intumescit, abscessus est. Sin sensim intumeat, vt in cute & partibus proximis seminarium fomentúmque morbi appareat, morbus abdominis dicetur. Quanquam fortè interna culpa non vacent. Et dum quis concumbit cum impetiginoso, & impetigo exarat & cutim exasperat, morbus est cutaceus. Sed si derepente ab interno vitio latente emanet, id abscessus erit, non morbus. Quanquam aliquando morbi rationem obtinet. Quædam vetula assidebat ægro pestifero: & dum fortè iusculum haustum reuomeret, guttulis aliquot aspersa est cutis. Et (quod mirum) pro guttarum numero carbunculorum numerus effloruit. Nunquid id morbus fuit?

Obiectio.

Cap. 120 serm. 1. Tetrab.

Itaque multa in cute apparent quæ an in morborum, an in abscessuum cẽsu numeranda sint, sæpè dubitamus. Vt cum Austrina cõstitutione & suffocante, ecthymata, aut morbilli emergunt, siue in febre, siue ante febrem. Nam sæpè in febre synocho pestilente vi morbi, quarto aut quinto die, & præsertim in statu erumpunt, febre nihilo remissiore aut fractiore, nisi fœda alui illuuies sequatur, aliquando ante febrem (vt nos vidimus) & tunc melius est cum ægris. Et dicendum, ne quis miretur, an talibus papulis corpus sine febre inficiatur. Anno 1575. multas & mulieres, & pueros vidimus, quibus corpus veluti rubiola derepentè infectum est, cum nulla adesset febris, nulla iactatio, nullum malum symptoma. Sed cum hoc negligerent, non impunè tulerunt. Nam non ita longè post febre correptæ sunt mali moris. Si nobis fides derogatur, Hippoc. aduocandus est. Hic enim meminit cuiusdam pueri cui sine febre exanthemata paruerunt. Sed aliquo post tempore conuulsiones secutæ sunt, & inde mors. Quod fieri videtur vi naturæ expellentis, quę irri-

7. Epidemior.

tata virulentæ materiei qualitate, antequam febris excitetur, quouis modo ſeſe liberans in cutim aliquid eructat. Et tamen abſceſſus id dicetur, licet non ſequatur ad febrem: Quoniam quod pertinet ad virulentas & malignas eruptiones; non ſolet obſeruari criſis, nec dies, nec tempus, nec ſigna. Quia quocunque modo id poteſt natura, id facit. Adeo ingens eſt vis venenatæ materiæ. Declarant magnæ perturbationes, & horrenda ſymptomata quæ & præcedunt ecthymaton eruptiones, & ſequuntur. Iam concludamus aliquid, quod ad ſententiam Hipp. ſupra adductã pertineat. Vt cutaneum vitium dicatur & morbus, tria quæruntur: primum vt iam à longo tempore primitiæ aliquæ illius affectionis apparuerint: Deinde vt eius increſcentis notæ in conſpectum ſe dent: denique vt progreſſu temporis ſuam abſolutionem acquirat. Contrà vt abſceſſus id dicatur, tria omnino oppoſita quæruntur, vt nil olim paruerit, vt repentè oriatur, vt multum fiat. Sed ſi in phthoë, aut hypoſarcidios, aut vitiligo appareat, dubium eſt an id ſit abſceſſus, an morbus. Sed quæſtio digna ponatur impetigo, aut papula (vulgo darta ἀπὸ τοῦ δέρειν) ſi morbus eſt cutaceus, vt cuius vitium tantùm ſit in cute, vnde ob malam diſpoſitionem partis impetiginoſæ in loco illo certo & circumſcripto corrumpatur alimẽtum, licet illud quod affluit bonum ſit & laudabile, quis metus eſt ſi topica curatione omnino tollatur? Si qui affluit humor fouens darten laudabilis erat, ſed partis tabo infectus, quid inde incommodi ſequetur, an quia diſpoſitio impetiginoſa de parte in partem migrabit? An quia impetigine externa extincta dabitur occaſio impetigini internæ quæ multò deterior futura eſt? Et tamen Medici methodici cautione magna extingunt illa vitia cutanea. Vnde Hippo. narrat de quodam Athenienſi quem infeſtabat prurigo & ſpecies quædam lepræ: vſu aquarum αὐτοφυέων, liberatus eſt iſtis, ſed non longè poſt factus eſt hydropicus & interiit. Credo quoniam illius prurigo & lepra erat velut abſceſſus vi naturæ tentatus, vt virus internum ſuppreſſum deteriorem multò affectum intulerit.

Hippoc. 1. Epid.

Nunc autem ſeriò ad illud accedamus quod nobis propoſitum eſt, nimirum vt de eruptione in totum corpus, & præſertim in febribus vel ante febres inquiramus. Primum nomina perſequemur, differentias, eſſentiam, & vires, tum quid portendant, explanabimus. Nil eſt tam vulgare quam nomen ἔκθυμα,

morbillus, variola, papula, exanthema, purpurea excretio, aut potius eruptio, pustula & puncticula, quæ aliquando confunduntur; & reuerà de his promiscuè & indistinctè nunc alia alios pronuntiasse passim video. Ex affectibus summa corporis obsidentibus quidam in cute prominent, quidam excauant, alij commaculant: Prominent tumor, tuberculum, pustula. Tumor est maior tuberculo: pustula autem & tumore & tuberculo minor est. Tumor, vt phlegmone, phygethlon, &c. Tubercul. vt carbuncul. furunculus, terminthus, &c. Pustulæ psydracia, epinyctis, ecthymata, herpetes, scabies, prurigo, &c. Hęc ita definit Celsus, pręsertim quod ad pustulas attinet. Nam exanthemata pustulas interpretatur, verba sunt eius: *Pustularum, plura genera sunt. Nam modò circa corpus partémque aspredo quædam fit similis iis quæ vel ex vrtica, vel à sudore nascuntur τὰ ὑδρῶα dicta, & tales pustulæ ἐξανθήματα dicuntur Græcis, eáque modò rubent, modò calorem cutis non excedunt.* Sic pustulas vocat Celsus ἐξανθήματα, quanquã quidam legi volunt ἐκζέματα, id est, pustulæ ardentes & feruidæ dolorem ciẽtes citra saniem, quòd ingens feruor omnem materiam absumat, alio nomine apud Gręcos ἐκβράσματα nominãtur. Coniectura autem ita existimantium est quoniam paulò infra de papulis agit Celsus, quę ἐκθύματα, & ἐξανθήματα melius dicentur. Posterior coniectura est quoniam facit mentionem de pustulis exasperantibus cutim, & feruidis iis similibus quæ ab vrtica aut sudore excitantur, & reuera melius ἐκζέματα ἀπὸ τοῦ ζεῖν, id est à feruendo, quàm ἀπὸ τοῦ ἐξανθεῖν ἐξανθήματα dicentur. Quãquam contra opinionem ita credentium facit quod Celsus in capite de papulis tractet tantùm de iis affectibus qui vulgo dartæ dicuntur. Duplicem enim facit papulam, vnam leuiorem, quę benignior darta vocabitur, alteram deteriorem, quam papulam ἀγρίαν vocat, id est feram, vulgò *la male dartre, ou seu sauuage*, dicitur. At neuter affectus propriè ἐξάνθημα dicetur. Sic per papulam non vertes nomen ἐξανθήματος. Quanquam affectum vulgo dictum rubiolam, papulam rubentem, à Plinio dictam Boan, vocant. Fernelius cum agit de papula, eam herpetis nomine exprimit, & duplicem facit vt Celsus. Sed reuera aliud caput instituit Celsus de herpete (quem sacrum ignem vocat) aliud de papulis, vt in iis magna nominum sit confusio. Gorręus & ἔκβρασμα, & ἔκθυμα, & ἐξάνθημα papulam vertit, quanquam ἔκζεμα, & ἔκβρασμα, pustula potius dici debeat, vt ante ex

Celsus cap. 28. lib 5.

Cap. 4. lib. 7.

Celsi

Celſi interpretum opinione docuimus. Sic video ἀδιαφόρως, nomen & papulæ & puſtulę tribui his affectionibus, vt minùs hîc hærendum videatur.

Nunc primùm quod attinet ad ἐκθύματα καὶ ἐξανθήματα, horum nominum exiguum aut nullum diſcrimen eſt. Et ἐκθύματα, papulas vertit Gorræus ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν dicta, id eſt, ἐξορμᾶν, impetu foras prodire. His nominibus inſigniuntur illæ puſtulæ, quæ in febribus ſynochis, iiſdémque peſtilentibus erumpunt variolæ vulgò dictæ, & morbilli. Quod autem tum toto corpore, tum in partibus quibuſdam papulæ modò vnius coloris, modò diuerſi, modo liuidæ, modò nigrę, aut purpureę, aut albeſcentes appareant, illud humorum dominatum ſequitur. Et cum non in febribus intermittentibus (niſi rarò, nam & in tertianis quaſdam eruptiones & puſtulas toto corpore vidimus, ſed erant ab incendio & feruore ſanguinis potius) ſed in continuis, non omnibus tamen, ſed ſi quid aut cacoëthes ſit, aut θεῖον; ideo ſuſpectas habent febres quas comitantur tales puſtulæ. Si in intermittentibus, aut in continuis non malignis apparent, illud ardorem æſtúmque ſequitur potius, aut prætermiſſam phlebotomiam præſertim in ſanguineis. Vt de muliere quadam annotauimus in lib. 1. Epid. meorum. De nominibus hactenus.

Quod ad differentias tum communes, tum proprias attinet, albicant quædam exanthemata, vt quæ à pituita, alia rubent magis, vt quæ à copia ſunt, & ſanguinis ob dominatum fiunt; Morbilli eius ferè ſunt generis: alia bilioſa, vt variolæ, quæ & mixtionem bilis & pituitæ ſequuntur, quędam liuent, alia nigricant, vt quæ ab incendio ortum ducunt, aut externa aliqua, eáque inſigni putredine: & cacochymiæ accepta feruntur. Quædam ante febrem, vt ante monuimus, apparent, quædam in febre, eáque aut die critico, aut octauo, aliquando ſub finem morbi, & poſt mortem. Vulgus purpuram vocat, quod & extinctionis caloris natiui, & extremæ corruptionis talis eruptio ſoboles exiſtat. Omnino autem ſuſpecta ſunt in febribus continuis, cum cœlum malignum eſt, aut proceſſit diæta vitioſa, & cum eorum ilias eſt, tunc enim morbus eſt popularis, & is ſuſpectus. Præterea ſigna adſunt pathognomonica, & aſſidentia, quæ haud bonis & eruditis Medicis imponunt. Quanquam omnium ferè morborum principia ferè ob ſimilitudinem ex-

perientissimos Medicos fugiant.

Ac primum historiæ aliquæ ex Hippoc. afferendæ veniunt vt quid de his sentiat audiamus. Hippoc. in Historia de Sileno ita loquitur: *Octauo*, ait, *papulæ cum sudore rubentes, rotundæ paruæ, varis similes (Græcè* ἄον ἰόνθοι.) *permanebant, non abscessum faciebant, Græcè* οὐκ ἀφίσαντο[16]. Mirum cur dicat, abscessum non faciebant. Sed Galen. ita interpretatur. *Cum æger robore suo septimum diem superasset (nam vi morbi erat ei eo die occumbendum) octauo papulas, Græcè* ἐξανθήματα *habuit, rotundas, paruas, natura eius morbo repugnante & prauorum humorum humorum superfluitatem ad cutim pellente, idque causæ fuit cur non nono, sed vndecimo obierit. Nam si nil tale die octauo accidisset, nono interiisset.* Papulæ enim illæ erant indicatoriæ non iudicantes. Et tertio Epid. Cum narrat constitutionem anni qui totus austrinus fuerat, pluuius & lenis, innumeros morbos recenset, immo & pestilentes, & innumeras in pudendis, & aliis partibus putredines, tandem ait, Carbunculi æstate multi, & alia quæ putredo vocatur, nam vt in Comm. Galen. annotat, Etesiæ non perflabant, ideo erat velut constitutio πνιγώδης: Et addit, Papulę item magnę, Græcè μεγάλα ἐκθύματα. Et Gal. ait, *Illa* ἐκθύματα *constant superfluis humoribus, atque qualitatem etiam non iniuria subsequuntur, cùm tenues humores exulcerationem potius quàm tumorem creent.* Sed inter cætera locus est commemorabilis apud Gal. de erutione exanthematon: *Qui per calidam siccámque intemperiem fiunt morbi, atrum crassúmque sanguinem reddunt. Simile iis effecit longiore ætate longa pestilentia orta, nec paucis eorum qui seruati sunt nigrorum excretio per ventrem contigit, maximè nono, vndecimo, & septimo die. Et deiectorum plures fuerunt differentiæ. Quædam ad atram bilem accedebant, alia mordacia non erant, alia fœdum odorem non habebant. Quædam media erant. Et quibus hæc excretio per ventrem non fiebat, his totum corpus nigris exanthematis scatebat. Aliis velut squamæ decidebant. Qui exactam atram bilem deiecerunt, omnes perierunt. Sed & alia quoque pluribus non febrientibus per cutim crassescentem & siccescentem oriri vidimus, vtique natura melancholici humoris redundantiam extrudente, cuius generis est & elephas. Vbi autem simul cum febre quicquam tale fit, carbonem appellatum gignit melancholicus humor in cutim incumbens. Quod si citra febrem abscedat, cum sanguini admistus est, elephantem parit, cum solus impermixtúsque, principio nigrum tumorem efficit, dein in cancrum desinit:* Plura addit Galenus eo loco hîc de industria omissa.

Hist. 1. sect. 3. lib. 1. Epid.

Part. 50. sect. 3. lib. 3. Epid.

Cap. 4. de atra bile.

Sed quoniam locus hic Galeni multa continet quorum explicatio plurimum lucis afferet iis quę hoc loco à nobis proposita sunt, epitome quadam nonnulla explicabimus. Primum est de excretione nigrorum humorum per ventrem, & de eruptione exanthematon quæ pro excretione per aluum succedanea fuerunt. Id est, quibus venter non fluxit, iis paruerunt exanthemata: horum & demonstratio petenda ex Aphorismis cum ait Hippoc. *Deiectiones sponte venientes, qualis sanguis niger, siue cum febre, siue sine febre, malum.* In Comm. Gal. videtur adducere exemplum illius pestiferę cõstitutionis, cuius lib. de atra bile meminit: Ait enim: *Plurimas tales deiectiones vidimus in hoc morbo pestilenti & longo, non in iis solùm qui exitio erant proximi, quam in saluandis. Non tamen vel in principio, vel in augmento apparebant. Tunc enim erant ruffa & fulua colliquamenta. Quæ mox apparebant, nigra erant, velut sanguinis fæx, siue ipso superassato generationem habuissent, siue extraneam corruptionem accepissent, ijs quæ in ventriculo fiunt cruditatibus proportionabiliter, cum ad vitiosos humores corruptio terminarit. Quare initio nunquam tales deiectiones bonum sunt magnam visceris læsionem indicantes, ad morbos verò consistentes sequuntur sæpiùs, naturâ superfluitates expurgante.* Et paulò post: *Sponte venientes tales deiectiones multarum & malarum in corpore dispositionum signa sunt.* Propterea cum meminit hoc in loco deiectionum nigrarum, ait eas apparuisse, nono, septimóue die. vt vis naturę crisin molientis apparuerit, non perennis generatio. Quod declarat participium illud, τὰ ἰόντα, vt in nostris Definition. Medicis aperuimus. Ergo cum tempus valdè siccũ & squalens fuerit, non mirum si assati fuerint humores & denigrati. Quanquam talem nigritiem bifariàm accidere in Com. 4. lib. Aphorism. per quandam nimirum assationem, & per corruptionem propriæ substantię. Quod notandum. Atque mirum esse debet quomodo etiam febricitantes in pestilenti statu & nigra deiectio, & exanthemata nigra supplentia deiectionem multos à morte vindicauerint, cum alio in loco scribat eos maximè in pestilenti constitutione interiisse quibus aluus fluida fuerit: *Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa, morbus multis eò erupit & cum febre, & sine febre, tormina cum doloribus, multorum quæ in corpore supprimebantur, exitus, quæ exibant dolores non soluebant, multæ corporis partes erant affectæ. Oblata egrè admittebant purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant, citò mul-*

Aph. 21. lib. 4.

Part. 55. 56. & 57. lib. 3. Epid. sect. 3.

ti peribant, multis malum producebatur. Deinde subiicit, *vnóque verbo, qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt. Cunctos namque venter sustulit.* Et Gal. idem ait: Et pestis hęc quę nostra ætate longissima fuit, ex his quæ per aluum vacuabantur, omnes penè peremit. Hinc vides excretionem per alui in pestilentibus venenatísque febribus auxilio fuisse, aliàs lethalem fuisse. At dices, cùm in illo statu alui laxitas omnes penè peremit, erat ob colliquationem, quæ omnis perniciosa est? Verum quidem illud, sed in citata ex 4. Aphor. sententia in iis qui etiam saluabantur primis diebus russa & flaua ab aluo colliquamenta fluebant. Solutio huius dubitationis duplex est. Prior est, omnium morborum pestilentium non est eadem idea, non eadem forma, non idem solutionis modus. Sic à nostris est obseruatum aliàs phlebotomiam profuisse, aliàs omnes periisse quibus secta fuerit vena. Quod & de alui fluxilitate dici potest; cum aliàs auxilio sit, aliàs perniciei. Vel dicemus in peste eruptionem exanthematon, & nigras deiectiones profuisse tum lib. de atra bile, tum quarto Apho. quod vi naturæ fierent, & die critico, & non tam esset generatio perennis, quam quædam suppressio, sine insigni vitio partium principum & naturalium præsertim: A derat tantum squalor & æstus multus qui extorret, & assat, sed aliquando non accersit putredinem insignem. Sed in tertio Epid. putredinum insignium multi insignes effectus narrantur. Item excretiones erant potius symptomaticæ. Præterea partes naturales valdè affectæ erant, & sic perennitas generationis erat. Propterea addit Hipp. quod valdè notandũ, nã in hoc difficultas vertitur:

Multæque erant corporis partes affectæ.

Secundum illud quod in contextu lib. de atra bile notandum erat, est, quòd exanthemata nigra dicat erupisse iis quibus aluus non fluxerit: quod herclè mirum est. Natura enim quouis sese modo liberat iis quæ ei molesta sunt. Sed cùm varias differentias deiectionum statuat, cur non exanthematon tot facit? Sane credibile est adustionem omnibus eundem aërem calidum & squalidum spirantibus contigisse; at cum peculiaris putredo non est, sed pro corporum natura variat, alia longè ratio est. Et non omittam quod scribit Gal. *Cum aliis, in pesti-*

Comm. ad part. 55. sect. 3. li. 3. Epi.

lenti eo statu alius abundaret succus, à statu aëris hunc auxit, tandem putredine excipiente, putrefactio pro humorum collectorum differentia variabat. Quo ex loco patet aëris statũ augere humorem; quod non tam credibile, quam si dicamus aëris impuri statum proprietatem potius putredinis & qualitatem inducere, quàm augere[7]. Quod si auctio & cumulus humoris maior fiet, id ab aëre fit secundariò tantùm, nempe quia per contagionem quidam humor infectus & alteratus alium affinem & contiguum afficit. Quanquam vt tempestas aliqua dicitur procreatrix, ita & conseruatrix esse solet.

Tertium notandum in textu lib. de atra bile. Non febricitantibus multis, ait, talia exanthemata apparebant, expurgantis naturæ vi: Id est, cœli, inclementia succreuerat talis humor, cuius natura cùm non esset potens ad euincendum, ad excludendum valuit. Itaque in cutim refudit. Atque ex hoc loco vnam distinctionem exanthematon eliciemus. Alia cum febre apparent, alia sine febre; si cum febre, si die Critico, bonũ, si modo abscessus sit par morbo: alia sine febre, illáque aut sequuntur peculiare temperamentum hominis, aut conditionem temporis. Temperamentum aut totius corporis, aut partis. Totius corporis, vt si totum corpus sit atrabilarium, dum enim defæcantur humores, terminthi, aut consimiles papulæ apparere possunt, aut partis, vt si quis sit splenicus. Quod pluribus demonstraremus nisi iam ante hoc in libro docuissemus quî fiat vt in quibusdam eruptiones fiant in cutim aliæ atque aliæ pro natura aut partis alicuius in iis, aut totius corporis. Temperamentum explicauimus. Restat de natura temporis. Ergo si tempestas aliqua sit aceruatrix alicuius humoris, mox febres ab eo humore deteriore facto & putrefacto, mox sine febribus eruptiones existunt. Sic cum talis eruptio apparet, non statim de malignitate vereri oportet, nisi assit febris & comitentur symptomata ἀξιόλογα. Tertia est quædam ratio eiusmodi eruptionis. Vidimus enim quasdam mulieres quibus statis temporibus papulæ veluti nigricantes apparent, mox in toto corpore, mox in parte aliqua. Et in nostra vicinia cui corpus squalido & sicco videtur esse temperamẽto, quæ olim ab equo decussa pro mortua relicta est, & per os, nares, & similes partes sanguinem reiectauit, huic eæ papulæ cum prurituapparent sine damno vllo. Dubitamus an id peculiari temperamẽto tribui debeat, an quod

iunior vidua facta sit, an decussus ab equo causa sit, vt interna quædam sugillationis relinquantur vestigia. Aliam vidimus cui cum vlcus in tibia olim fuerit, ab eo est liberata. Sed certis temporibus, in tibia olim affecta apparent exanthemata pruriginosa, veteris vlceris memoriam renouantia. Idem in multis obseruauimus quibus vel fracta pars, vel vlcerata olim fuerit, vel contusa, vel similiter affecta. Huius rei rationem inquirendam relinquimus iis qui arcana naturæ maiore otio scrutantur. Multis item mulieribus non menstruis erumpunt exanthemata, & ἀπηνέως euanescunt. Ita persequemur clarius sub finem huius tractatus.

Quartum notandum in textu libri de atra bile est de varietate affectuum à succo melancholico nascentium. Vbi duo animaduertenda: prius de carbunculo quem non sine febre nasci ait. Cui repugnant Celsus & Aegineta. Et herclè multis sine febre nascuntur carbunculi. Intelligi volunt cum febre nasci præsertim si occupent partes neruosas; præterea non statim dum apparet, mox febris adest, sed in incremento. Posterius est de mixtione humoris melancholici. Ait enim aut misceri cum sanguine, aut non misceri. Si cum sanguine miscetur, aut cum febre, aut sine. Si cum febre, pessimum morbum inducet, si sine febre elephantem. Si non miscetur, sed secernitur, tumores facit, qui scirrhi initio appellati, in cancros degenerant. Sic quæres hoc loco, an vt fiat elephas necesse sit sanguinē ab atrabilario humore mixto infici, cùm elephas videatur esse morbus cutaceus, & multis elephāticis sanguis detrahatur sanguini ferè sanorum simillimus.

Sed hæc ad explicationem contextus Galeni adducta sint; nunc persequendo disputationis filum ex Galeno etiam adducere oportet, & ex Hippocrate alias historias si quæ restant. Hippoc. cum constitutionem temporis siccam & squalidam narrat, inter cætera scribit: *Fiebant autem in febribus æstiuis circa* 7.8. *& nonā diem in cute aspritudines miliaceæ,* Græcè τρηχύσματα κεγχρώδεα, *cuticum morsibus similes, non valdè pruriginosæ. Hæ perseuerabant ad indicationem. Nulli masculo tales erupisse vidi, nulla autem mulier mortua est cui hæ fiebant.* Qui locus notandus est. Et herclè tales maculæ, & velut papulæ non declarabant malignitatem, sed feruentem quendam & veluti scintillantem sanguinē per squalorem æstatis. Et cùm mulierum corpus densum sit,

2. Epid. sect. 3.

id quod per insensilem transpiratum effluere debebat, id manifesta sui vestigia in cute relinquebat. Sic temerè de huiusmodi efflorescentiis non est pronuntiandum. Nunc de puncticulis (quoniam ad κωνώπων, id est, cuticum morsus accedunt) disseramus. Langius accuratus scriptor ita de quadam febre, vulgò dicta lenticula scribit: *Tradit Fracastorius anno 1528. febrem contagiosam, malignam potiùs quàm pestiferam in Italia paruisse, quæ ex Cypro migrasset: hanc puncticulam & lenticulam appellabant, quòd maculis, lenticulis aut pulicum puncturis similibus scateret. Ac verum quidem quosdam morbos exolescere, alios nouari, idque ob varietatem locorum & temporum, sed negandum est nouos oriri quorum vestigia nunquam apparuerint. Immo & ipsa febris lenticula dicta, id docet quæ olim grassata est.* Declarat Aëtius dum ait: *Gignuntur exanthemata principio febrium non simplicium, sed malignarum, Græcè κακοχυμοτέρων, sparsim per totum corpus vibices, Græcè μώλωπες, aut maculæ culicum morsibus similes. Valeant igitur qui innumera morborum multitudine vallati nouos excogitant morbos.* Sed Langio non erat exquirenda Aëtij authoritas quam Fracastorio opponeret, cum idipsum ex antiquo magistro Hippocrate deprompserimus.

Epist. 15. lib. 1.

Quod postremo loco propositum erat persequamur, de viribus nimirum & signis eorum quæ in corpore efflorescunt, siue in vna tantùm parte, siue in toto corpore fiat ἐξάνθημα. Quanquã maxima ex parte dum promiscuè rem tractaremus satisfactum est, tamen peculiari magis tractatu id est discutiendum. Demonstrauimus iam bis aliquid variè efflorescere, seu in parte aliqua, seu in toto corpore, aliquando ratione peculiaris affectionis corporis, aliquando peculiaris dispositionis, aut pulmonis, aut splenis, aut hepatis: siue macula sit simplex, siue papula, siue pustula, aut aliquid consimile. Plerósque videas hepaticos exanthemata in facie manifesta habere, lienosos verò multiplici tuberculo infici, mox terminthis, mox aliis carbunculos referentibus. Pulmonicis & phtisicis rubor genarum cõtinuus, aliis φῦμα, aliis circuli in tibiis, vt in iis quibus conuelluntur pulmonis articuli. Atque idem est iudicium de puncticulis, exanthematis, maculis pulicum morsibus similibus, aut miliaribus, siue cum febre, siue sine febre appareant, siue in tempore pluuio & austrino, siue in aquilonio appareant, siue morbus sit popularis siue non, aut ἐπιδήμιος, ratione cœli, aut ἐνδήμιος ratione diætæ, aut soli ipsius vitio. Cum enim tenella corpora puero-

Hippoc. lib. 2. de morbis.

rum & maiuſculorū in febribus, rubiolis, aut variolis inficiuntur, proſerpit ad alios malum, & ſimili tabo alij facilè inficiuntur. Vt ea ratione non tam ad reliquias ſanguinis materni imputrioris hæc tabes ſit referenda, quàm ad cœli & aëris morbum. Declarat facilis per contagionē ad alios traductio, & quod certis tātùm tēporibus tanta exanthematon & ecthymaton ilias eſt præſertim in febribus continuis & malignis, quarū vrinæ ſunt planè laudabiles, vt in certis vrbibus pauci huius morbi vim euadant. Quibus pauca apparuerunt, ij ſæpè pereunt, recondito intus veneno: quibus plura, cum iis malè agitur. Et reliquiæ horum ſæpè ſunt crudeliſſimæ; immo nos ipſi vidimus (quod in noſtris Epidemiis obſeruatum eſt) ſucceſſiſſe vlcera telephia, & quæ non minora minúſque mala eſſent quàm quæ impura lues Venerea infligit. Quod & annotat Paræus. Multò plura liceret ex Fernelio deſumere dum docet exanth. & ecthymata peſtem ſæpè tanquam παρανύμφους præcedere, & in iis aliquid cœlitùs impreſſum eſſe, nō ex reliquiis ſanguinis menſtrui eſſe: ſed neceſſario à cœli morbo id pendere.

i. Cap. libelli de puerorum papulis.

Lib. 2. de abditis rerū cauſis.

At ſi quibus ea ferè exanthemata apparent, quæ in aliis morbis malignis viſuntur, non propterea terreri oportet: cum mille modis eflloreſcere poſſint: Hippoc. ita ſcribit: *Quibus ſalſuginoſa ſputa & tuſsis ſupprimitur, iis corpus à puſtulis rubeſcit.* Et in Prorrhetico. *Mulieribus quidem in capitis doloribus alia quidem fiunt quæ & viris, verùm puncturæ pruriginoſæ, & affectiones atrabilariæ mulieribus minùs quàm viris, ſi non menſes penitus aboliti fuerint.* Et alio loco. *Puſtulæ ex laſsitudinibus non valdè fortibus perueniunt ad ſeptimam liuidæ,* φλυκταίνας, *vocat eas puſtulas.* Et in Aphor. verè exanthemata vlceroſa ait in cute apparere. Et in Epid. Timonactis filio fermè bimeſtri exanthemata in cruribus, coxis & lumbis, & imo ventre, & tumores valdè rubicundi[8]. His ſedatis conuulſiones & comitiales fiebant, ſine febribus multis diebus, & mortuus eſt. Et inter cæteros locus eſt inſignis apud eundem de quodam Andrea acutè febricitanti. Inſignis ardor & aduſtio: circa 25 diem puſtulæ per totum corpus pruriginoſæ, calidæ, veluti igne ambuſtæ, Græcè ἐξανθήματα πυρίκαυστα, conualuit. Credibile eſt tales puſtulas non fuiſſe malignas, ſed ſequi & humorum aduſtionem & febris incendium. Et in Coacis: Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, lethale, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maximè

In Coacis.

Lib. 2. Prorrh.

4. Epid.

7. Epidemiorū

Hip. 7. Epid.

ximè autē circa aurem his fieri solet. Et alio loco, Euphranoris filio pustulę velut culicū morsus apparuerūt, verùm modico tēpore, postridiè febricitauit. Et in Coacis: Pustulæ serpiginosæ supra inguina, ad laterū mollitudinem, & pubē orientes, aluum malè affectam significant. Et de tabidis: Pustularum eruptiones velut ferro lancinatæ, habitus tabem significant. Item, Circum oculos pustularum eruptiones in vitium refectionibus, aluum humectant. Nos vidimus mulierem quæ ex eo certò colligit se concepisse cū exanthemata apparēt in corpore. Atque hæc exanthemata in toto corpore, aut maxima ex parte apparebant. Sed alij sunt loci in quibus Hipp. obseruat eruptionē pustularū. Vt in morientibus prę vulnere capitis pustulę in lingua apparēt. Et mulieri anginosæ cū conuulsa interiisset, sexta die signū circa manum subliuidum apparuit. Denique si in febribus aut continuis, aut intermittentibus sectio venæ differatur, & serum redundat, cum illud impensè calefactum est, & refrigerium desiderat, tum in vasis feruens pustulas & exanthemata excitat.

In Coacis.

Lib. de vuln. cap.

Ad finem 5. Epid.

9 Sed exanthemata, & rubiolæ, & morbilli præsertim cum sunt venenati, horrenda adsunt symptomata. Febris adest assidua, nunc ad manum mitis, nunc acerrima & adurens, vocis raucedo, oculorum aliquando caligines, & mox ardor eorundem, corporis totius deflagratio, iactationes, lassitudo ὀστοκόπος, ἀλυσμὸς vterque, membrorum veluti quassatio & confractio; aliquando faucium exulcerationes, ac veluti anginæ metus, propensio in somnum, sed eum turbulentum, oculi lacrymabundi & lucem refugientes, inappetentia summa, multorum & variorum vomitiones, alui astrictio aliquando, aliquando fœda illuuies, corporis pruritus, & veluti acicularum puncturæ, tussis: & prout venenum magis has aut illas partes appetit, ita varia excitat in variis partibus symptomata. Vidimus qui quererentur de scapulis & dorso, ac si ruptio compagis ipsius spinæ esset, & velut membranarum ἀπόσπασμα, & velut ἀνεύρυσμα membranarum. Obseruarunt enim quidam eodem modo dilatationem in membranis contingere, & tendinibus, quo in arteriis: vt in arteriis propriè aneurysma dicatur, in venis σπαδὼν & κίρσος, in membranis ὑμενεύρυσμα, sic enim liceat verbum confingere ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν τὰς ὑμένας. Nisi fortè veteres, qui asserunt membranarum & neruorum distensiones & diuulsiones esse aliquas, & ἀνευρύσματος nomine includi, deceperit vocum Græcarū igno-

rantia. Vertunt enim nomen ἀνεύρυσμα, eneruationem, quod nomen ducatur ἀπὸ τοῦ νεύρου, cum contrà ſumatur ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν, id eſt, aperire, dilatare: Quod arteria dilatetur. Sed ſit ita, relicto verborum aucupio, quemadmodum venæ, vel vi congeſtionis dilatantur, vnde κίρσος dicitur, quem κίρσον in venis pulmonum fieri Hipp. libris de morbis ſcribit, vel per venenati flatus repentinum affluxum, item arteriæ, vel congeſto ſanguine arterioſo, vt imprudenter arteria aperta, ita membranæ & nerui poſſunt aliquid pati quod venarum & arteriarum aneuryſmati proportione reſpondeat.

Ergo vt ad rem redeamus, exanthematon præſertim malignorum ſua ſunt pathognomonica. Ea paulò ante expoſuimus. Nec alienum erit huc adducere iam commemoratam hiſtoriam cuiuſdam nomine Andreæ, cui 25. die morbi exanthemata πελιδνὰ apparuerunt: Et diebus pręcedentibus hæc aderant: os reſiccabatur, nullam potionem admittebat, multa iniucunditas circa os erat, lingua ſicca, inarticulata, aſperitas effloreſcebat ὑπόλευκος: vigil, anxius, exolutus, κεκλασμένος quaſſatus & fractus, & infinita alia, poſt quæ tandem puſtularum eruptio paruit. Et reuerà depingit verè ea omnia quæ erumpentibus puſtulis malignis apparêre ſolent.

7. Epid.

Quod ad pulſum attinet, ille calori non eſt analogus: nam ſępè frequens, paruus, nonnunquam intercalarē habet intermiſſionem. Atque hoc dicam. In rubiolis, & rubentibus puſtulis vbi potiùs quantitate res peccat quàm qualitate, & ſanguinis feruor eſt, pulſus altus, magnus, plenus & frequens eſt, & tunc phlebotomiæ locus eſt. Sed cum vitium potius eſt in qualitate, demiſſus, languidiuſculus & frequentiſſimus eſt pulſus. Quod notandum.

10 Itaque in eiuſmodi eruptionibus cautos eſſe oportet. Si ante febrem appareant, continere ſe lecto oportet, vt εὐδιαφόρητον fiat corpus, & nil mouere, niſi fortè blandum enema ſubiiciatur. Interea ſi qua vrgent ſymptomata, vt vomitiones, tuſſis, & oculorum dolores, ea lenienda ſunt. Bonum eſt dare id quod ſudores prouocet.

℞. Scabioſ. morſus. an. m. j. radicis dictami, & foliorum eius. an. ℥j. lentium. p. j. ficus & paſſulas. an. ʒ ij. glycyrrh. ʒ i. ſ. kermes xi. ſeminis citrij. ʒ j. radicis ſquinæ aut ſarſepar. ℥ ſ. radicis angelicæ ℥ j. fiat decoctio in aquæ meliſſæ, & fluuialis. an. (quantum ſuff. addes ℥ i.

num album, si non adsit febris) in col. dissolue pulueris diamargar. frigid. gran. 4. theriaces ℈ ſ. sacch. parum, fiat potus.

Valdè conferet ſudorem prouocare, vt malignæ qualitati humoris via pateat.

Si ſub finem febris talia appareant, & ſatis legitima quantitate vt abſceſſum faciant, theriaculis aqua remiſta aliis aquis cardiacis conferet. Si in vigore febriū, à calidioribus cauendum, ſed ſi infra ſubſiſtat ea excretio, non alienum quoque erit cardiaca temperata dare, addito decocto ſquinæ.

Epithemata regioni cordis applicari poſſunt; non probo ad regionem hepatis, quod impediatur motus naturæ, & excretio materiæ virulentæ.

Quod ad ſectionem venæ pertinet, innocuè poteſt celebrari antè iam factam eruptionem. Nam cùm apparent iam, niſi fortè videas tantam eſſe plenitudinem, vt ea ſibi quaſi viam obſtruens, & naturam premens, liberum exitum præpediat, nō alienum erit venam tundere. Cum tamen malignitas ſumma eſt, & languida facultas vitalis, cum meditatione omnia agenda ſunt. Annotauimus in noſtris Epidemiis, in eadem familia liberos multos exanthemata paſſos, quibus cum nil tale expectaretur, data medicata potione ij melius habuêre, & perfectius curati ſunt, quàm quibus dare medicamentum, ne excretio impediretur, relligio fuit. Immo, dato medicamento (niſi fortè validius fuerit) & aperta vena, eruptio citatur, & accerſitur. Quidam primarius Medicus affirmat ſe ſine vllo damno cuidā famulę iam apparentibus puſtulis larga copia, venam aperuiſſe, ſanguinémque plena manu detraxiſſe, cùm ſuffocationis eſſet periculum. Cur non idem in cæteris factitari poterit, præſertim ſi quid ſit quod vrgeat? Pulſus id teſtabitur. Qui ſi paruus & frequens, cunctantius id fiet, ſi plenus, altus, & magnus, audacius. Nec imbecillitate pulſus terreri oportet, ſi ea ab oppreſſione ſit. Sæpè enim tanta eſt oppreſſio, & ob plenitudinem conculcatio, vt ſeſe pulſus non explicet. Sed an imbecillitas pulſus ſit per ſe, an ex euentu, proprium eſt prudentis Medici diligenter inquirere.

ANNOTATIONES.

1. *Tamen apud Hippocr. 1. Prognost.* πόνος ἀντὶ τοῦ ἀλγήματος καὶ ὀδύνης *sumitur.*

2. *Apud Hipp. 2. Epid. sect. 3. ita legitur, fiebant in febribus circa 7. 8. & nonam* τρηχύσματα κεγχρώδεα *culicum morsibus maximè similes hæ perseuerabant ad crisin vsque: Nulli masculo eruperunt: Nulla mulier obiit cui id contigerit. Et graui auditu præditæ & soporosæ erant. Legatur locus totus quia præclarè facit ad tractatum de exanthematis.*

3. *Quis enim dubitat quòd non sit aliquis morbus ipsius habitus corporis, non repetita à corpore interno origine.*

4. Ἱδρῶα *Celsus pustularum nomine comprehendit. Plinius vocat papulas sudorum: Auicennas plantam noctis. Manard. Ep. 2. lib. 7.*

5. *Episto. 2. lib. 7. Manardus docet sub nomine impetiginis & papulæ tractari eum affectum quem lichenem vocant. Ita tamen vt papula sit quid leuius quàm impetigo.*

6. οὐκ ἀφίστασθαι, *idem est quod alio loco, sect. 1. lib. 2. Epid. dicit abscessus fieri* ἡμαρτημένως καὶ μὴ κατ' ἀξίαν τῆς περιβολῆς. *Vide pag. 176. Interpres vertit, non pro rationis excretionis morbi dignitate fit abscessus.*

7. *An aër potius qualitatem inuehat, quam copiam augeat. Est enim illud animaduertendum qua ratione tempestas, & aëris constitutio humores & spiritus afficiat. De spiritibus quidem nemo ambigit, sed de humoribus maior dubitandi occasio. Tamen hoc existimo fieri bifariàm, aut potius tribus modis: primùm à parte, quia aliquis, sed is paucus succus ratione tempestatis gigni potest, præsertim si corpus suscipiens aptum sit, & paucus hic succus alium auget, & veluti creat contagione quadam, quæ opinio Galeni est in hoc loco citato. Secundo modo afficiendo partes. Nam Austrina tempestas neruos afficit & cerebrum, quæ affectio peculiarem succi generationem facit. Tertio, per modum impressionis. Nam fit impressio caliginis, aut squaloris, aut ichoris, &c. Et id est aliquid diuinum esse. Potulenta quidem & esculenta afficiunt corpora vt & aër, sed ea distinctio. Nam aër promptiùs & faciliùs, alimenta longiore tempore; sed impressio etiam contumacior.*

8. *Notandum quòd talis eruptio fuerit sine febre, & quod tam sæui & pestiferi affectus suppressionem fuerint consecuti.*

9. *Sed & notandum quod obseruauimus in nostris Aduersariis, nimirum puellis quibus* ἀξιολόγως, *non facta est excretio, dolores & tumores articulorum contingere penè immedicabiles. Nam materia ista benigna*

non est, & prius ferè ossa alterat, & adulterat quam prouisum fuerit. Nil enim in fronte hoc malũ portendit. Testis filiolus I. Puthomme Notarij, & Damisellæ de Monmor filiola. Item filius D. de la Terrasse. Quod & Ambrosius Paræus in tractatu de exanthematis annotauit. Simile quid animaduertit Hippocrates sectio. 3. lib. 3. Epid. particula 22. 23. & sequentibus, loquens de constitutione quadam pestilenti in qua ignis sacer formidabilis in senes præsertim in eorum capita sæuiret. Inter cætera adscripsit: Erat autem fluxio quæ collecta erat (Græcè τὸ ῥεῦμα ζωιςάμενον) *non puri assimilis, sed alia quæpiam putredo, ipsáque fluxio multa & varia. Et in Comm. Galen. ait, à communi putredinis causa vnumquódque putrescens, propriam & peculiarem putredinis speciem obtinet.*

10. *Ac tum maximè id est faciundum cum* φλυζάκια *apparent, Gall.* comme des eschauboulures. *Aliquando enim simplex incendium & ardorem sanguinis declarant, aliquando aliud quid. Vnde annotauimus aliquo loco obseruasse multos qui grauissimè, immo lethaliter ægrotauerint, quibus ineunte morbo talia eruperint.*

11. *Si exanthemata apparentia* κρίνοντα *sunt, id est febris aliquam afferunt imminutionem, quiescere Medicos oportet. Si* κρίσιμα *sunt & apparent* ἀναξίως τῆς πειβολῆς, *id est, non est digna excretio ea quæ fit ad circunferentiam corporis, quandoquidem natura* πειβάλλει: *id est, reiicit in habitum corporis, quod aliter dices moliri* τὴν πειβολὴν, *tunc naturam iuuabis. Iuuabis aut medicamento in cutim pellente, aut medicamento eccoprotico, aut phlebotomia. Si enim febris magna est, & non sese frangit, ac mitescit aliquantula ea excretione,* καὶ τῇ πειβολῇ, *ad phlebotomiam veniundum est. Sed caue ne decipiaris quoad febrem. Nam aliquando augetur febris, sed id fit ratione suppurati materiei exanthemata facientis, aut ratione ipsius conatus, aut ratione impeditæ difflationis. Aliquando ita continua sunt exanthemata, vt videantur corpus incrustare. Et tunc impeditur difflatio, & quod diximus tempore ipsius conatus febrem videri auctiorem, illud vulgò obseruatur etiam in sudoribus. Pulsus enim eleuatur, & citatur natura velut sese ad munus commemorabile accingente. Et quod fit in sudoris excretione idem fit in exanthematis. Ideo diligenter attendes ne decipiâre. Item an fiat supurati ratione. Dum enim pus fit dolor fit, & febris augetur. Porrò ista formula loquendi, Abscessus fit* ἠμιῤῥόπως καὶ μὴ ἀναξίως τῆς πειβολῆς *legitur ad 2. Epid. sect. 1.*



HISTORIA SEXTA.

AMORRHÆI Consulis pusio quadrimestris torminibus vexabatur, vt colligere erat. Non longè post aphonos, oculos intorquebat, conuellebatur. Mirum hoc, repentè facies mutabatur, tanquam conantis aliquid excutere: deinde velut comprimebatur, tuncque occurrebat in os spuma, & spiritu veluti compresso diu, quasi ad se rediens magnum spirabat, eorum more qui contentione animi aliquid intuentes spiritum cohibuêre. Per totam noctem conuellebatur tantum brachio sinistro, & illud conuulsorio modo agitabatur. Deinde cessante hoc, idem brachium dextrum passum est. Et ex interuallis occurrebat spuma magna copia, & aphonos erat, & excreta spuma saliuáque magna spiratio, tunc restituebatur. Epilepticum hoc fuit: prouisum ventri aliquid συγγενές.

COMMENTARIVS.

QVO tempore puellus iste ea passus est, dolores capitis multi grassabantur, & crudeliss. hemicraniæ, & omne penè genus morbi partes capitis exercebat. Vt non sit mirum si in ista clade tenellum corpus pueri affectum fuerit. Aderant tormina, vt qui à ventre vapor

efferretur, dolorem excitaret, & inde alia quæ sunt consecuta [1]. Sed cùm cerebrum natura esset molle & delicatum, & ex euentu veluti cereum cranium molliculúmque, non mirum si minima occasione perculsum fuerit. Procatarticũ potuit esse à partibus inferioribus, deinde obfirmata sedes in capite ipso. Nam si venenata materia in cerebro coercita fuisset, credibile fuisset grauiora symptomata sequi debuisse. Sed cum in ventre dolor ab humore acri, & æruginoso excitaretur, compatiendi lege facilè cerebrum laborabat. Sic nos obseruauimus mollitudinem cranij & repletionem cerebri à multa aqua & humiditate excrementitia, maxima ex parte horum causam fuisse [2]. Nam nerui erant veluti impotentes, aquei, madefacti & effœminati, adeo vt Epilepsia ista potius esset à copia humiditatis, quàm à mala qualitate. Quod autem mirum fuit, est quòd cum Epilepsiæ magna & multa forent argumenta, tamen alterutra tantùm parte conuelleretur. Sic non erat simplex conuulsio, quod cerebrum oblæderetur, quòd aphonia esset, quod spuma adesset, quod periodicum esset malum, nec omnino Epilepsia, quod totum corpus non conuelleretur, sed vna pars post alteram, cùm tamen nulla paralysis secuta sit. Quanquam in primo Tomo Consiliorum nostrorum annotauimus ex Hippoc. Epilepsiam definiri posse conuulsionem à cerebro ortam, eámque circa tantùm vnam partem. Quis enim dubitat quominus prout humor cõuulsionis autor potius irrepit in eam, aut illam partem, à qua nerui diuaricantur, ita in dextra aut in sinistra parte conuulsionem afferat? Sic istius puelli morbus velut ambigebat inter veram Epileps. & conuulsionem propriè dictam. Euasit tamen, quòd & aluus solicitata est blandis clysmalis, & dolores torminosi sedati, ne exacerbati cerebrum percellerent, data theriaca quæ scalismum prouocaret, suffitus ex mastiche & olibano ad cerebri mollitudinem corrigẽdam [3]. Radix pœoniæ appensa collo, quam fugare Epilepsiam autumant. Nec tantùm tamen & credamus, quin ad alia remedia confugeremus. Nec enim facienda erat tanti eorum autoritas qui de reconditiore radicis pœoniæ vi aliquid dixerunt, quàm nouorum remediorum inuentione teneritudini ipsius pulsionis prouidendum, quæ tanto morbo ferendo non esset.

ANNOTATIONES.

1. *Error in hoc maximus committitur in pueris, quòd statim ab vsu pultis & lactis nutrices eos dormire faciunt. Quid enim ad cruditatem generandam facilius? Hinc Epilepsiæ & consimilium morborum occasio.*

2. *Caput & mollius & iusto crassius habet: Vt mirum non sit si Epilepsiæ obnoxius valdè sit etiam ante* ὀδοντιᾶσιν. *In ea enim familia non dentiunt ante decimum vel vndecimum mensem. Ac verum illud Arist. li. de somno & vigilia:* Cum supernarũ partium magnitudum in prima ætate infernas excedat, non mirum si prima ætatula Epilepsiæ obnoxia sit.

3. *Circa silentium Lunæ Februarÿ idem malum repetiit ferè auctius: & nunquam tanta in pulsu mutatio obseruata est: Statim à paroxysmo diffluebat multa saliua ab ore vi excernentis naturæ. Aëtius in eiusmodi morbo puluerem ireos, aut cyperi capiti aspergit, caput aut irino, aut anethino illinit: melle quoque ad litum vtitur. Nec non delingendum mel dat, pæoniæ radicem appendit collo vt contingat stomachum.*

HISTORIA



HISTORIA SEPTIMA.

LYSSÆI Consulis vxor septimestrem fœtum gerens tenasmo tentatur, & fluxu velut dysenterico: non multò post febris continua. tricesies de nocte desidebat, sed inanis erat conatus. De aborsu metus fuit. Malum fouit maximè à regione hepatis colluuies humorum delabens. Rheobarbaro locus fuit: item & soli Cassiæ. Varia clysterum genera imperantur. Bis secatur vena, iniectiones fiunt in rectum intestinum. Omníque modo noctu diúque dolores leniuntur abortionis metu. Conualuit.

COMMENTARIVS.

IN secundo libro nostrorum Epidemiorum animaduertimus circa mensem Ianuarium maximã mulierum partem morbis affectam esse, immo & per totam hyemem, cùm tamẽ præcessisset Æstas & Autumnus ferè squalidus & siccus. Immo per sex ferè menses pluuiarum carentia fuit. Citauimus ex Hippo. existere aliquando tempora in quibus ferè mulieres laborant. Nam loquens de pustularum eruptione in squaloribus ait: *Nulli masculo tales erupisse vidi*. Et eo loco quæsitum, cur in squaloribus, & post squalores tanta morborum ilias præsertim corpora

Sect. 3. lib. 2. Epid.

muliebria afficeret: Deinde cur non potius viri, cum mulierum corpus frigidum & humidum in ſqualente ſtatu, tanquam gauiſurum modico contrariorum vſu, melius habere poſſe videatur. Vbi notauimus ex ſententia Hippo. exiſtere poſſe tẽpus in quo & mulieres, & iuniores viri ſimul laborent: quod abſurdum videtur, cum contrariũ vtrorumq; ſit temperamentũ. Sed Gal. docet aliud eſſe laborare per generationẽ proprij humoris, aliud per ſuppreſſionem. In ſiccitatibus corpora iuuenum propenſiora ſunt ad morbos quos ſerum malum parit, quia & ratione temporis, & ſui proprij temperamenti talem humorum ichorem & ſerum generant: Sed mulieres tales morbos incurrunt, quia corpus habent minimè perſpirans. Morbi autem occaſionem dat non tam generatio ipſa, quam ſuppreſſio. Tempus enim ex ſe parens eſt ſæpè mali ſeri. Quod dum ſupprimitur ob difflatum prohibitum, tunc dicitur morbus generari per ſuppreſſionem. Sed cum corpus eſt ipſum biliosum ad τὸ ποιητικόν, accedit ἐπιδεικτικόν. Vt corpus iuuenum laboret vtraque ratione, & ratione τοῦ ποιητικοῦ, & ἐπιδεικτικοῦ: mulierum verò potiùs ratione τοῦ ποιητικοῦ. Huc enim pertinet locus præclarus, quem iam ante expendimus, vbi Galen. ait diſputans de ſqualida & peſtilenti conſtitutione: Cum aliis atque aliis in peſtilenti ſtatu alius atque alius abundaret ſuccus, à ſtatu aëris hunc, ſuppl. ſuccum auxit. Id eſt, & qualitas noua inducebatur, & ſubſtantia ipſius ſucci augebatur, producta ac promanante longiùs putredine, ab ipſius aëris morbo & vitio. Quanquam illo loco diximus id fieri κατὰ τὸ συμβεβηκός.

Sect. 2. lib. 1. Epid. part. 78.

Ad part. 55. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Ergo mirum fuit Medicis, cur eo ſtatu potiùs mulierum genus morbis tentaretur. Sed vnum notandum eſt. Maximè eæ mulieres afficiebantur, quibus viſcera calidiora ſunt, vt ea ratione ad maſculorum iuniorum temperamentum accederent.

Quicunque tunc morbi vagabantur, à quodam indomito ſero erant, vt iam dictum, derepẽte ſuum virus & ferociam exerente alias in caput, vnde incredibiles alterutrius partis dolores in capite vidimus cum lenta febre, & pulſu inſigni in temporibus quem Hippocr. πηδησμὸν τῶν φλεβῶν ἐν τοῖς κροτάφοις vocat, in aliis ophthalmiæ ſiccæ; in aliis prurigines in aurium profundo moleſtæ; in aliis ventris inferioris diſpoſitiones inflammatoriæ falsò colicum dolorem referentes. Et maximè corripieban-

In Epid.

tur corporà διαδιαφόρητα. Quòd autem malignum foret id serum, declarauit subita morbi adorsio. Nam citius dicto, & ita repentè inuadebant. Itaque illa ἐπισημασία ἀθρόα, virus & ferociam designabat: vt aliis ex locis explicatum est.

Tenasmo tentatur, & fluxu velut dysenterico.

TEXTVS.

De tenasmo pluribus non dicam. Solum afferam aliquam diuisionem. Alius dysenteriæ comes est, alius antesignanus: alius hæres, alius nec sequitur, nec præcedit, sed sequitur. Qui hanc mulierem affligebat, erat comes fluxus dysenterici: cuius causa non tam erat vlcus intestini, quàm cacochymia & seri mali copia, quæ dum pertransiret intestina, eorum membranas offenderet, & sua acrimonia deraderet. Accedebat irritatio sphincteris, & veluti ἐπιφλόγισμα, vt minima occasione cogeretur ad desidendum. Locus est præclarus apud Galen. vbi explicat quomodo inappetentia dysenteriis est tanquam ἐπιγέννημα, aliquando comes, Ita autem scribit: *Dysenteriæ fiunt ex humoribus acribus. Primum summa occupantur, deinde profundiora, & vlcera mala fiunt. Quo maximè tempore ventriculus offensus lege sympathiæ cibum fastidit. Et tunc est velut* ἐπιγέννημα, *& malum est vt signum, & vt causa.* Deinde subdit, *Fiunt quidem ab initio dysenteriarum fastidientes ægri ob malos ichores fluentes ab hepate, à quibus raduntur intestina, præsertim si amaræ bilis naturam habuerint. Nam superfluitas horum ad ventriculum defertur.* Centies enim docuimus quemque humorem habere duas partes, tenuiorem, à qua in longinquioribus partibus excitantur varia symptomata; crassiorem, à qua in parte cui inhæret surgunt alterius generis symptomata.

Ad Apho. 3. lib. 6.

Febris.

Galenus amplissimè loquens de hepate, & eius affectionibus, docet vitio hepatis multos laborare diuerso modo. Nam aliàs eius propria substantia afficitur, vt cùm intemperies eam afficit, & proprium eius parenchyma, & ex Erasist. Gal. assumit, aliàs venæ ipsæ quæ à gibbis ad sima tendunt, aliàs materies, & colluuies circum partes eas multa est, vnde morbi fouentur. Nam cum ea materia putrescit, tum febris accersitur putris. Et eodem

Cap. 7. lib. 8. de compositione medica. secundùm locos.

loco fusiùs explicat varietatem excrementorum, siue venæ obturatæ fuerint, siue hepar ipsum affectum sit, siue collectio sit humorum. Quæ omnia non explicabimus, quoniam in immensum oratio proueheretur. Sufficit locum designauisse: In nostra muliere corruptorum humorum cumulus erat, vt iam de hepatis propria affectione dubitaremus. Ideo secta vena est bis. Mirum tamen quibusdam videtur quòd fluente aluo vena aperiatur. Nam vel id quod fluit symptomaticè fluit, nimirum ob perennem generationem, aut laxitatem partium, aut facultatis retentricis imbecillitatem; vel aceruatio erat humorum corruptorum, quam natura amolitur per fluxum alui. Si prius, non est locus phlebotomiæ, ideo Hippoc. dicebat, Si sanguinem vis detrahere, ventrem confirma. Si posterius, naturæ totum munus sinatur. Nam sic euacuatur febris causa[1]. At sæpè iam antequam natura spontè aluum sollicitet, aut copia ipsa materiæ sibi viam fecerit, massa sanguinis infecta erat diffuso sero, & tenuiori materia à crassiori in imis corporum restagnante, desecta, vnde nisi perflaueris sanguinis massam, maior corruptio sequatur. Morbi non citò fiunt, sed sensim. Et cum sese proferunt, iam labes peruaserat multas partes. Vnde quibus primo morbi die sanguis à natura alienus detractus est, an credibile eam corruptionem vno die contingere potuisse? Itaque ad euitandam febrem, aut si adsit, iugulandam, modò non sit symptomatica, solùm aperienda vena est. Dixi, modò non assit symptomatica, quoniam ob vigilias, & inanes de surgendo conatus, & motum ipsius prauæ materiei, sæpè incalescit corpus. At tali calori non debetur phlebotomia, sed quies, & symptomaton remissio. Verum cum essentialis febris putredine diffusa ac communicata vasis, tam necessaria est phlebotomia, vt si ea prætermissa fuerit, graue sit peccatum. Nec argutulus dicat malè nos dixisse, non secandam venam si symptomatica febris. Nam, dicet, si inflammatio interna, quæ adest febris symptomatica est, nunquid omittes phlebotomiam? At hoc loco febres reuerà existentes, siue ob inflammationem, siue ob putredinem, in censu verarum febrium habentur. Sed & notare oportet ad tollendam febrem si ea aliquid commemorabile habeat, plurimùm conferre phlebotomiam præcautionis ergo. Nam si insignis febris ob vigilias & motum tetræ materiæ surgat, quæ ad fluorem accesserit, metus est periculi. Adde

[1] 4. Acuto.

quòd febris ipſa corpus infirmat, & alimentum corrumpit, vnde cacochymia accumulatur. Itaque cautos eſſe admodum Medicos oportet, ne temerè phlebotomiam celebrent, aut imprudenter omittant. Atque huic noſtræ ægræ plurimùm ea contulit.

Malum fouit illuuies humorum à cauis hepatis illabens.

Et allapſus affluxúſque humorum, & colluuies mediis inteſtinis ſparſa tandiu malum fouit. Nemo enim dubitat, quin dum repurgat natura meſenterium, & caua hepatis, quicquid capitur alimenti corrumpatur, naturáque ſolùm neſcio qua benigniore aura fruatur. Contactu enim decurrentis à meſenterio materiei chylus à ventriculo defluens contaminatur. Sic nos credebamus non eſſe tam ipſa inteſtina læſa, quam partes ſuperiores aut læſas, aut colluuie plenas ac infectas. Sæpè enim figuratum & ſatis laudabile διαχώρημα, id eſt quod ſecedit, & tamen inteſtina ex ſe integra ſunt. Sicut non eſt neceſſe vt in excremento color aliquis ſit, vt inde ſignificetur bona diſpoſitio ventris inferioris. Verba Galeni hæc ſunt: *Hippocrates ne meminit quidem coloris excrementi, quoniam non magnam vim habet ad inferioris ventris diſpoſitionem benè iudicandam. Nam quod id excrementum ſit benè concoctum, ſufficiunt hæc ſigna, molle, figuratum, &c. Fieri enim poteſt, vt venter circa proprium munus robuſtus ſit, ſed vel propter vehementem adiacentium partium caliditatem exugatur, atque exiccetur, quod benè coctum fuerit, aut propter diſtributionis imbecillitatem humidius quàm oporteat, egeratur: & cætera.* Quod autem dixit colorem excrementi magnam vim non habere ad ventris inferioris diſpoſitionem ſignificandam, id fortè mirum ſit. At color bonum vel malum ſignum eſt ex euentu. Nam à cyſti maximè hic color pendet. Si ſaturatus bile ſit excrementi color, eius nimietas pendet: ſin decolor & albicans, obſtructio ſignificatur. Ergo vt ventris inferi bona œconomia ſignificetur, nil color facit. Modo enim coctio bona ſit, & ſubſtantiæ ratio qualis eſſe debet, adſit, ſatis eſt. Immo inteſtina, quæ inter partes ventris inferioris habentur, non coctionem iuuant, ſed diſtributionẽ, ſi modo vera quæ in libris de vſu partium demonſtrantur.

Cap. 11. lib. 1. Criſeon.

Rheobarbaro, Cassiæ, Clysteribus fuit locus.

Remediis multis tentata res est, & cum non viderentur proficere, secuti sumus consilium Celsi, *In acutis citò mutatur quod non prodest: in longis quos tempus vt facit, sic soluit, non statim condemnetur, si quid non profuit. Minus verò remoueatur, si quid paulùm iuuit, nam profectus tempore expletur.* Maximè verò in clysterum vsu morati sumus. Ac primùm iniecti sunt clysteres ex lacte incoctis ficubus, chamæmelo. tapso, rosis: dissoluti vitelli ouorum, non saccharum, ne irritaretur intestinum. Facilè enim id eueniebat.

Celsus.

Alia instituuntur enemata coquuntur radices altheæ, ficus, rosæ tapsus, dissoluitur puluis ouorum in furno induratorum.

Alia instituta ex decocto capitum papaueris albi.

Tandem acceptum est decoctum capitis veruecini ad obducenda intestina.

Frequentia apozemata.

Cassia exhibita est, & valdè profuit. Quod fortè mirum sit. Nam intestinis ita irritatis, bilioso ichore plenis, immo & veluti effœminatis, lenientium medicamentorum vsus non est tutus. Tamen plus visa est contulisse, quam quoduis aliud. Nam cum caloris ingentis opinio est, cum humor qui defertur est valdè acer & mordax, potius conferet cassia cum thamarindis, quam quoduis aliud medicamentum. Lenit, mitigat. Et si parum laxauerit intestina, facilè postmodum robur eorum conciliabitur.

Sedi sæpè applicatum vnguentum populeonis, muccag. seminum psyl. cytoniorum. Facta iniectio ex aquis refrigerantibus, & colyrio albo Rhasis.

Abortionis metus.

Omnis enim vehemens conatus abortum minatur[3]. Quod cum mulieribus tenesmum patientibus eueniat, non mirum si metus sit ne fœtus elidatur. Quæ omnia facilius repetentur ex Aphorismis Hipp. Hæc sufficiant ad prædictam historiam. Idibus Aprilis 1576.

ANNOTATIONES.

1. *Ad hanc historiam referenda est historia Florentij De Baillet, serui, dysenteria cum multa cacochymia & tenasmo laborantis. Nullum pene clysterem admisit. Ne quadrantem quidem horæ in lecto continebatur. Nos vsu caßiæ, amygdalatorum, lactis vaccini & similium eum σὺν Θεῷ curauimus. Incredibile est quantum bolus caßiæ frequenter repetitus profuit: Quod tamē est contra communem vsum. Id Hollerius fœliciter vsurpauit, & nos sæpè idem fœlici successu vsurpauimus.*

2. *Atque vrinæ ipsæ satis legitimam medendi offerunt occasionem. Nam si crudæ fuerint & tenues nec tam secandæ venæ & purgandi; sed maximè purgandi occasio erit. Sed contra confusæ, ac turbatæ & humorales, vt ita dicam, audacius purgabis. Vide Hippocr. part. 43. lib. 4. Acutorum, & Historiam P. Toysonij.*

3. *Ideóque Hippoc. Aph. 30. lib. 4. ait*, Mulierem capi ab acuto aliquo morbo lethale esse: *& Aphorism. 31.* Mulierem vtero gerentem sanguine misso ex vena abortire & magis si fœtus sit maior: *& Aphor. 34.* Grauidam abortionis periculum incurrere si aluus plurimum profluat. *Defraudatur enim fœtus genio & desidendi frequentia eliditur.*



HISTORIA OCTAVA.



D. *MEMMÆI hortulanus paulò ante ſolſtitium hybernum in febrem continuam incidit. Ea nil in fronte habebat, multa in receſſu. Per totum morbum ferè deliramenta & manuum ſaltus, tremulus, balbutiebat. Terrificum omnibus hoc fuit. Ad clauiculas dolor ſubobſcurus & leuis. Morbus diu ſiccus manſit. Exacerbationes nocturnæ. Non meminerat eorum quæ fiebant. Vrinæ crudæ, boni coloris, ad ſanorum vrinas accedebant: dato medicamento aluus ducta eſt illo minimè ſentiente. Febris concluſa erat, nec ad manum mordax. Ægrotare ſe neſciebat, ſanguis detractus laudabilis, deinde aliquantum corruptus. Tandem euacuatis multis per aluum, & expectoratione multa ad viceſimum quartum diem præter communem opinionem reſtitutus eſt* σὺν Θεῷ.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

ILLVD τὸ θεῖον, quod in conſtitutionibus & ſtatu temporum obſeruari ſolet, meo quidem iudicio & ad partium diatheſin, & ad humorum conditionem referre oportet. Si enim flante auſtro nerui imbecilliores redduntur, ſi præeunte hyeme auſtrina & pluuioſa & εὐδίῳ, vere autem ſicco, ſqualido & aquilonio, mulieres ferè abortiunt, tum peculiari humoris generatione, tum partium generationi dicatarum affectione, non mirum ſi morbi generantur & vagantur ἢ εὐςατοῖς ἢ κακόηθεις, aut alterius moris: vnde in quibuſdam temporibus morbi potiùs ſæuiunt in cerebrum, in aliis in thoracem, in aliis in habitum corporis, prout aër ad hanc aut illam partem afficiendam aptus & affectus fuit. Cur enim aliis temporibus σπλῆνες, id eſt, lienares morbi vagarentur, aliis φάρυγγες, id eſt, faucium labores, niſi peculiaris eſſet συνπημωεία, inter τὸ ποιητικὸν, & ἐπιδεκτικόν. Quod etſi pleriſque inutile ad contemplandum videtur, nobis non ita placet. Si quidem & ad diagnoſin, & ad prognoſin, & ad præcautionem pertinet. Vt ſtudium ſit earum partium quibus talis τῶν ὡρέων κατάστασις: Ne malè exerceamus & fatigemus corpus medicamentis, re incognita. Cum enim aut catarrhi ſuffocantes, aut ſudor Anglicus, aut ſiderationes partium ob peculiarem aëris affectionem & ſyderum aſpectum, vagantur, quis adeo hebes vt horum contemplationem omittat, & non inquirat vnde & quomodo iſta lues oboriatur? Etſi in conſtitutione auſtrina veluti liquefacto cerebro multa pituita occurrat in os, nonne potius ad corroborandum cerebrũ confugiet, & ad illud aſſerendum, quoad fieri poterit, ab iniuriis externis, quàm ad medicamenta phlegmagoga? Ita herclè. Vt non mirum ſit ſi in humorum magna cruditate, calor febrilis accenſus immiſerit tetros vapores qui cerebrũ, iam imbecillius redditum ob vim tempeſtatis, deterius affecerint quàm ante affectum fuerit. Iam annotauimus in primo lib. Epidemiorum meorum extitiſſe iam ter aut quater conſtitutionem temporis hyeme in qua omnes ægri de

dormiendi impotentia cõquererentur. Et tamen hyeme ſomni ſunt longiſſimi. Quod fit aut quia peculiaris eſt temporis diſpoſitio quæ id faciat, aut quia cùm hyeme reuocetur calor intrò, magna eſt calidarum exhalationum copia, hæ autem ſomnũ prohibent. Accedit & noctium longitudo. Cùm enim omnia quieta ſint, & abſint familiares, non ita facilè moleſtiæ nocturnæ falluntur ac leniuntur. Ac iam aſſero illis temporibus hybernis obſeruaſſe me maiorem dormiendi difficultatem quàm in pleríſque morbis æſtiuis: in quibus tamen naturâ, ob bilis dominatum maior eſt τῆς ἀγρυπνίας occaſio. Et vt liberè dicam, in corporibus ſiccis & ſqualidis, & iã morbo attenuatis (Autumnales enim & Hyberni morbi maxima ex parte longiſſimi ſunt) tanta eſt ἀγρυπνία, vt ſomnum conciliare difficile ſit. Id facit ſiccitas, ſqualor partium, & ſeri maligni dominantis ſub finem Autumni & principium Hyemis dominatus. Quod diligenter notandum. Et ſi ad hypnotica paulò vehementiora confugeris, celeriter delirandi occaſionem attuleris. Sic non niſi cautè illa prȩſcribi oportet.

Cur Hyeme in morbis eſt ἀγρυπνία.

Ea in fronte nil habebat, &c.

Id quod contingit in lignis viridibus, cum multa eſt cruda materia, nec calor analogus eſt, plus excitat vaporum quàm diſcutiat. Vnde quæſtio eſſe poſſet an hyeme ita audacter ratione febris mittendus ſanguis. Immo febrem augeri par eſſet, vt materia faciliùs diſcuteretur, & calor in crudo ſucco emicaret. Si quis attendat quoque calorem contra naturam omnia corrumpere, & plus obeſſe alimentum corrumpendo, & ſuccos crudos malè alterando, quàm diſcutiendo, in alia fortè erit opinione. Per totum morbum ſaltus tremulus manuum: obſcuris verbis id explicatum eſt, ſed elucidabitur ſequenti oratione ſymptoma hoc quod eum ferè per totum morbum comitabatur, terrori fuit. Verebamur ne ab infirmitate eſſet, & ſic malum foret & vt ſignum, & vt cauſa. Sed quia penè ab initio morbi prehendit, non ita ſuſpectum fuit. Hoc autem attendere oportet, ne falsò infirmitatis metu perſuaſi & inducti omittamus legitima remedia. Ac primum quid ſit illud videndum. Hippocrates ita ſcripſit in Coacis, οἱ πρὸς χεῖρας ἀναΐσσοντες κακόν. Si ægri ad manum Medici ſubſultant, malum. Illud

Hipp. in Coacis.

πρὸς χεῖρα bifariàm interpretari poſſumus, vt & contrectante Medico ſubſaltent, & videas manum ipſius ægri intremiſcentem reuelli. Vnde dubitant an ſit quid conuulſiuum, an aliquid tremulum, an aliquid mixtum. Tremor propriè eſt motus deprauatus facultatis animalis partim à voluntate, partim à grauitate partis editus. Argumento eſt quod niſi coneris mouere membrum, non tremat. Sed cum conaris dimouere, viciſſim facultas & vincit & vincitur, & in iſta contentione fit duorum contrariorum motuum perpetua quædam ſucceſſio. At in ægro noſtro motus perpetuo tremulus apparebat, & veluti palpitans. Galenus fusè de tremore diſputans occurrit eorum obiectioni, qui tremorem à ſolo morbo eſſe contendunt, nec voluntatem concurrere. Quod vt probent, proponunt exemplum eorum quibus perpetuò caput tremulum eſt, & tamen nulla eſt mouendi voluntas. Reſpondet huic obiectioni bifariàm. Primũ quod in cuſtodienda quauis particula recta etiam voluntas agat, & contentio ſit muſculorum, alioqui pars corrueret. Poſterius ſi in culcitra molli reclinetur caput, non amplius tremet, quia ab actione facultas ceſſat. Itaque concurſus eſt & morbi, & facultatis in tremore. Et tremorem non quid diſſimile eſſe ſtatuit pulſui formicanti. In hoc nulla ſenſibilis quies eſt inter duos motus contrarios. Et arteriæ motus in minima ſpatij intercapedine agitur, eſt enim facultas proſtrata, & quæ tamen aliquid conatur ac molitur. Et cùm non ſit ſenſibilis quies inter duos motus (quod apparet in naturali motu cordis) eſt tamen quædam ſubſidentia fatiſcente facultate, quæ ſubſidentia mediæ cuiuſdam quietis rationem habet. Et quemadmodũ in formicante pulſu viciſſitudo motus non ab vna proficiſcitur natura, ſic fit ob pugnam virtutis & ponderis ipſius corporis in tremore motus quidam contra naturam partim à facultate & voluntate, partim à morbo.

Cap. 2. lib. 2. de ſympto. cauſis.

Nec hic diſtinctiones illas repetere conuenit quas Galen. aſſignat inter motum conuulſiuum, concuſſiuum, & tremulum, item inter reſolutionem & rigorem & tremorem & palpitationem. Sæpè enim confunduntur. Vnde initio huius tractationis motum illum contra naturam quem in ægro noſtro obſeruauimus non ſatis apertè nominauimus. Nam modò tremulus, modò palpitans, modò ſaltus quidam tremulus & iectigatio, modò quid mixtum dictus eſt iſte motus. Quaſi verò parum interſit inter hæc. Reuera motus erat

Cap. 4. & 5. lib. de conuulſione & rigore.

tremulus, & non à solo morbo erat, sed à facultate. Solum animaduertere illud oportet, quod contra Praxagoram & Herophilum Galenus constituit & conclusit. Herophilus tremorem in neruoso semper genere constituebat, quod reprehendit Galenus, non quin ad neruosum genus pertineat, sed quod non solus neruus tremat, sed ea tota pars quæ προαιρετικῶς mouetur: item quod facultatis ipsius non meminerit quæ maximè ad tremorem concurrit. Nam & sine ea contendente tremor omnino non fit, de tremore qui propriè dicitur, audiendum est. At Praxagoras tremorem ad arterias referebat. Vterque Galeni iudicio malè. Propositum erat de tremore multa dicere, sed quoniam qui Commentaria in librum Coacarum animaduersionum edidit, multis locis de eo abundè dixit, supersedendum est. Dicendum breuiter de isto tremore qui in principium morbi incidit, & qui non debuit à purgando & euacuando deterrere. Omnis tremor continentem causam habet virium infirmitatem. Et cùm ex tribus corpus constet, spiritu, humore, parte solida, spirituum dissipatio, aut collectio tremorem facit, vt in graui animi affectu contingit. Interdum eum accersit humorum & spirituum dissipatio, vt in fame, vigiliis, vsu veneris contingit. In acutis morbis aliquando fit copia humorum, vt Pythionis historia admonuit. Interdum qualitas humoris, licet is quantitate sit paucus, interdum partium solidarum siccitate & marasmo, vt cum phrenitin, au cavson tremor excipit. Id etiam in morbis longis cernitur, facultate victa ac languida reddita. Id quod beatus ille pater in monasterio S. Claræ declarauit; post semestrem enim morbũ tremulus interiit. Atque vt breui finiam, Pythionis historia reuocabit in memoriam illud totum quod in morbo ipsius hortulani euenit: *Pythioni primo die tremor à manibus, febris acuta, nugabatur.* Galen. explicans causam istius tremoris mihi videtur deceptus esse. Nam cùm tremorem istum magni faciat, & quòd primo die inciderit in ægrum, propterea credat à plenitudine esse (nil enim præcesserat quod vires conuulsisset, alioqui in narratione ipsa Hippocrates haud prætermisisset) miratur cur venæ sectionis non meminerit, cum necessaria hîc videatur. Morbum quippe plenitudo commisit, vt ex ipso etiam tremore collegit, qui plenitudinis signum est. Tamen paulò post dum explicat cur tremerent manus ita scripsit: *Probabile est in primis thoracis regionibus, vbi est continens tho-*

Hæc ex Com. in particul. 2. sect. 1. lib. 3. Epid.

Histo. prima sect. 1. lib. 3. Epid.

rax ad vltimas ceruicis vertebras affluentiam humorum constitisse aliquando, non multum tamen vt quæ dyspnœæ excitandæ non esset satis. Nec enim validè refert ad respirationem primum intercostale (Græcè πρῶτον μεσοπλεύριον.) Sed cùm esset vitium in neruorum radicibus qui ad manus pertinet neruique degrauarentur, tremor manuum consecutus est. Nam ex primo intercostali & vertebris ei superpositis nerui musculos manum mouentes enascuntur. Huius rei hoc est argumentum, quòd tremores vnà cum sputis quæ successerunt permanerent, & etiam quòd, vbi aliquod signum in sputis coctionis apparuit, non ampliùs fierent tremores morbúsque tolleretur cum iudicium consequeretur per sudores.

Com. in part. 4. eiusdem lib.

Pythion duplici affectione laborabat, febre essentiali, & thoracis affectione. Sic duplex crisis fuit, vna thoracicæ affectionis per sputa varia & sanguinolenta, cum tamen nec esset pleuritis, nec dolor lateris, nec peripneumonia. Alioqui historiam vt febris continuæ & essentialis non enarrasset. Et idem ipsum est ac quod scripsit in lib. 4. Aph. Excretiones in febribus,&c. Altera crisis fuit ipsius febris per sudores, & apostasin & stranguriam. Febris quidem longiùs tardiúsque post alteram affectionem desiit, nam vrinæ manebant crudæ. Apostasis autem & stranguria consecuta sunt, quoniam diu mansit morbus crudus. Vnde in eam sententiam Galen. ex Hippocrate citat: *Si quis diu vrinas tenues & æquabiles reddat, & reliqua salubria sint signa, abscessus portenditur in locis septo transuerso inferioribus*. Porrò materia in primo intercostali conclusa erat, propterea non deterius habuit æger licet primo die nil expectorauerit. Non vrgebat enim malum. Aliter verò fit in vera pleuritide & peripneumonia. Augetur enim respirationis vsus, maiórque difficultas ducendi & educendi spiritus. Quod non contingit occupato primo mesopleurio. Et hîc præclara quæstio moueri potest: si frustra in parte aliqua fit concoctio, si vniuersi corporis manet cruditas, quid iuuit ista expectoratio, & tremoris solutio? Reuerà si morbus vnus est, & materia vniusmodi fusa per venosum genus, licet eius pars aliqua priuato naturæ beneficio mitigetur & coquatur, hoc nil perinde facit ad solutionē, quàm si naturæ nulla esset molitio. Sed si duplex est focus materiei morbificæ, si duplex affectio, è re naturæ & ægrorum est, si saltem vna materia naturæ gratiam recipiat. Id quod in Pythione accidit. Et in Hemitritæo, cum duplex focus, duplex materia, si biliosus humor mitescit, saltem commodo ægrorum fit si ter-

tiana intermittens quotidianæ coniuncta desæuit. Sic in morbis complicatis vno manente, alterum commodè desinere potest. Ad rem redeamus. Quorsum Galen ad solutionem tremoris istius phlebotomiam desiderabat, cum particularis esset affectio, & à congestione materiæ nullum dolorem excitantis ad primum μισοπλευεαν? Et tamen ita Galenus ea de re scripsit, postquam tremorem istum à plenitudine esse statuit: Itaque potuit auxilio missi sanguinis succis reuulsis qui hoc loco affluebant, affectio coctionis initium habuisse sexto die (eo enim die processit ἀνακάθαρσις:) Quomodo autem ita iuuerit sectio venæ, ob tremorem cuius causa particularis erat, non video. Ratione quidem febris iuuare plurimùm potuit. At ratione istius materiei prementis & obstruentis iuuare non potuit, cum nulla inflãmatio esset vt colligere ex scriptis licet. Immo sola per os excretio, & coctio materiei iuuare potuit nulla sectione venæ celebrata. Atque cùm ægro nostro secta vena bis aut ter esset, laudabilísque effluxisset sanguis, nihilo penè minor factus est tremor. At iuuit expectoratio lenientibus cibis & arteriacis procurata. Doctiss. Hollerius explicans Aphorism. istum, οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντες, veram effigiem istius morbi in Hortulano & Pythione exprimit, & nõ tam τρόμον vocat quam σπασμότρομον, nomine composito ἐκ τοῦ σπασμοῦ καὶ τρόμου, quemadmodum affectio ista non simplex est, sed aliquid habet promiscuum ex conuulsione & tremore. Porrò iste σπασμότρομος à simplici tremore differt, quòd tremor simplex cessat si pars resideat ac conquiescat. Sed ἐν τῷ σπασμοτρόμῳ manu etiam subnixa ac quiescente, tremulum quid & conuulsiuum apparet. Id quod in ægro nostro contigit. Et idem author subdit, Noui & quibus in longis febribus & autumnalibus à copia crudi humoris non tam siccatis quàm humore madentibus neruis, id, id est σπασμότρομος, καὶ τρομῶδές τι, citra periculum acciderit. Plura legere possis de istis rebus loco citato, si quando de iis deliberandum sit. At morbus ægri nostri Autumnalis erat, & vt colligi potuit, multa cruditas fuit in vniuerso corpore. Et prout τῇ ἀνακαθάρσει thoracem expurgauit, minui cœpit illud symptoma.

Hollerius.

Tandem siue ratione particularis in thorace congestionis, siue etiamnum redundantiæ succorũ in vniuerso corpore oppressio fuerit, ex superioribus colligere est tremorem esse à plenitudine quod & Hippocrates cõfirmat qui ἀκρατίαν τρόμου δεῖ he-

morrhagia etiam profusiore solui ait. Quod ad locum præsentem pertinebit. Et eodem libro Galenus conuulsiones quoque quæ statim ab initio oriuntur, à plenitudine esse contendit. Sed & locus est valdè notandus apud Hippocratẽ vbi animaduertit manuum torporem & segnitiem sequi ob venarum in thorace varicosam dispositionem, præsertim si malum ad humerum tandem peruenerit. Vt sæpè manui ipsi remedium applicandum non sit licet pars ipsa laboret.

Part. 59. lib. 3. Prorrh. Com. ad part. 68. eiusdem lib. Lib. 1. de morbis.

Cætera quæ in historia continentur narranda non sunt, per se enim satis facilè intelligentur.

CONSILIVM PRIMVM.

De Melancholia. Ad D. Iaulnay Medicum.

BReuibus quidem verbis magnum morbum, quo iam dies aliquot nob. mulier domesticæ calamitatis tædio affecta, conflictatur, explicasti. In quo partim desiderio nostro satis esse factum putamus, partim aliquid aliud expectamus, vt ordine & methodo meliore nostra hæc procedat commentatio. Sed quoniam nobis cum artifice res est, minùs laborandum putamus, cum concepta in nobis de tua eruditione opinio satis nostrum desiderium lenire possit ac eleuare. Melancholicam affectionem esse bellè quidem definiuisti, περιχαταστικῶς explicasti, sed cum mœror & ægritudo in censu externarum causarum ponenda sit, potuit explicari an corpus natura in talem affectionẽ propendeat, an aliquid sit συγγενὲς, quod corporis character, moles, color, pilus & anteactæ vitæ ratio aperire potuerunt, vt minimo mœroris vento tanta impressio facta sit, vt aut externæ causæ ratio ineunda solùm sit, aut iam cum ipsis naturæ principiis, vt sic dicam, pugnandum foret. Omittis an sectio venæ celebrata fuerit, an non, quod tamen hoc primas tenet. Sed quid nobis de morbo videatur, quoque præsidio oppugnetur, si & morbi, & ægræ indoles ingeniúmque patitur, paucis aperimus.

Pathemata melancholica cùm aliàs ægrè cognoscantur, ma-

ximè in mulieribus id fit. Non quod non facilè se suis signis prodant ac promittant, sed primus morbi fons non facilè aperitur. Et in hoc Medicorum viget industria. Si Hippocrati vnus vterus morborum muliebriũ parens, quid est quod aliundè fontem & sedem inquiramus? Sæpè deliria melancholica vidimus quæ nos ad furorem vteri cum Aëtio reuocaremus. Et nuper occurrit Hippoc. locus quo adumbrat affectũ melanch. cuius causa in vtero existit, vocat autem; Bilis atra in vteris.

Sic tum est videre an menses respondeant, an cerebrum per πρωτοπάθ. an per συμπάθ. laboret. Si quid ingenio valemus, morbus illius mulieris videtur accedere ad eum quem Hippoc. φροντίδα vocat. Cuius si ideam descriptam inspexeris, & method. medendi, & remedia in parato habebis. Quoniam enim anxietas ægritudóque hanc corporis affectionem ægrotationémque induxit, quod ἄσση καὶ ἀλύκη in corpore dicitur, idem φροντὶς in animo existit.

Corpus purgabis, etiam liberaliore manu.

Si id ægræ difficultas & pertinacia non permittit, fallẽda est. Confectio hamech hîc primas tenet.

Aperietur vena brachij: si menses resistunt, ad maleolum descendes.

Diæta humectante & refrigerante vtetur: Applicentur cucurbit Hypochondrio sinistro, & femoribus.

Conciliabitur somnus. A narcoticis & meconio abstinendũ.

A syrupo rosarum pallidarum abstinendum, nisi magna dominantis ichoris argumenta adsint.

Cucuphas ex calidis non vsurpabis. Nam hi melancholici, præsertim si dominatur bilis, febre quadam capitali laborant.

Nec tandem ad festucas ellebori albi transgredi alienum erit.

Balneum loco & tempore conferet.

Cætera tibi tua singularis & eruditio & diligentia suppeditabit.

CONSI-

CONSILIVM SECVNDVM.

De lue Venerea.

NOBILI viro vlcus erat in pene, maximè ea in parte qua situm est corpus velut neruosum & tubulosum. Primis diebus rati non esse à maligno, vulgaribus & blandioribus remediis curationem tentauimus. Nil profectum est. Tandem vicit ea opinio, vt crederemus Neapolitanum esse quid. Nam Dysepuloticum erat. Dato medicamentulo, repentè pustulæ apparuerunt, aliàs venerem resipientes, aliàs non. Nam quædam ex his suppurato aliquantùm laudabili desistebant. Aliæ crustosæ euaserunt. Paulatim creuerunt, & pullularunt. Et primũ quærebatur, num pustulæ Neapolitanæ suppurent . Ne hoc fraudi sit, sciendum veras & luis Venereæ proprias pustulas suppurati & expurati expertes esse. Sed si confusus est humor pustulam committens, vt aliquid habeat benignioris humoris qualis communem scabiem committit) fieri potest, vt suppuratum promoueatur. Vel, ne quis decipiatur, si quod pus apparet, illud non est verum & laudabile, sed sanies quædam quæ superficiem pustulæ tenet, non autem à profundo manat, vt in furunculis & pustulis malignis euenire solet. Præter pustulas istas aderat dolor ad sinistrum Hypochondrium, quod tandem occupauit nothas costas. Scapulæ dextræ quoque dolor aderat, vt breui partes solidas occupatum iri crederemus. Nam est vbi tantùm humores venenum occupauit, & tunc nil commemorabile est, est vbi carnem, & tunc pustulæ erumpunt: est quoque vbi partes solidas, vt neruos, tendines, ossa, denique partes quæ ex semine sunt. Vbi duo triáve sunt notanda. Cur ita in seminales partes agat. Cur potius ossa media intumescant quam eorum capita: Tertiò, an quid sit analogum inter articulares dolores & luem Veneream neruos occupantem. Sed hæc breuiter perstringo.

Quòd ad primum, Maior est analogia inter semen corruptum & semen laudabile & sanũ, quàm inter semen, aut quid aliud . Et cum semen sanum minimâ etiam mole quid maximum sit, &

vires multas magnásque contineat: Ita ſemen morboſum minima quantitate, facultates magnas, & ad corpus labefaciundum vires complectitur. Vnde hyſtericæ à ſuppreſſo ſemine multò deterius habent, quàm quæ tales fiunt à menſtruo ſuppreſſo. Quò enim quid benignius & præſtantius, eò deteriorem labem contrahit, & efficaciorem, quàm ſi corrumpatur aliud quod tantam præſtantiam & bonitatem non habeat. Cùm quis congreſſus eſt cum impura, per communicationem tantùm ſpiritus & auræ venenatæ ab vlcere in ſinu pudoris cõcepto, quod prius ſemen corruptum inflixit, elatæ, & aura iſta maligna maleficáque, quam ſpermaticam ſeminalémque vocare poſſumus, poſtquam leuiter reliquos humores affecit, iam in proprium legitimúmque partium alimentum, quod ſemen eſt, & ſeminis proxima materies, agit atque illud inficit, vnde tanta malorũ ilias. Nam ſupponamus cancrũ eſſe in partibus iſtis naturalibus mulierum, qui cancer alterius ſit generis & moris ab eo cancro quem lues inducat, non ea ſurgent mala, quæ oriri ſolent à concubitu, & cõtactu cancri Venerei. Adeo analogiſmus in iis malis excitandis magni eſt momenti. Si venereum venenum verè eſt venenum, cur more aliorum venenorum non afficit cor, & extinguit, aut ſaltem ſyncopas, aut alia id genus inuehit? Sed venena diuerſorum ſunt generũ, quædã ſunt magis humoralia, alia minùs. Quę magis humoralia, etſi poſſint cor afficere ipsũ, tamen in congeneres humores magis agunt, vt ſanguineum venenum in ſanguinem, venenum ſeminale in ſemen. Alia non ita ſunt humoralia, vt quæ à venenatis animalibus manant: Ea enim ſpiritu potius agunt, & dũ diſſipant ſpiritus vitales, mortem accerſunt. Sic in peſtilentibus morbis (quod fortè pauci notarunt) quidam alioqui valdè ſani & hilares intra quadrantem horæ pereunt, alij peſte correpti non niſi diuturniore tempore, immo alij euadunt. Vnde hoc? Quia venenorum peſtilentium aliud magis humorale, & internum, aliud aëreum magis, ſpirituoſum & externum. Aliud mixtum. Quod externum eſt in peſtilenti exhalatione & expiratione conſiſtens, quia ſpiritus eſt & aura, & nil ferè materiale habet; ideo agens primo quoque tempore in ſpiritus vitales, quibuſcum aliquid habent συγγενὲς καὶ ὁμόφυλλον, mortem infert repentinam. Quod verò internum magis, & materiale, non tam necando eſt ſatis. Et tunc puſtulæ, anthraces, tubercula in inguinibus progerminant: cor-

ruptus ſanguis effluit. Et niſi iam à diebus aliquot mala iſta impreſſio in humoribus fuiſſet, non tam cito attractus aër peſtilẽs ea omnia corrupiſſet. Sic videmus aliàs puros magis à peſte tolli, aliàs magis impuros: ideo ad præcautionem peſtis Gal. iubebat præpurgari corpora & ſiccari. Quare id? Quoniam ſi ad aëris peſtilentis contagionem accedat & magna humorum eluuies, omnia deteriora futura ſint. Cùm enim non adeſt iſta colluuies humorum, vnum nobis vincendum eſt tantùm, nempè expiratio tetra & peſtilens: ſed ſi corpus impurum eſt quoque impreſſio in eos fit, vnde magna ſymptomatum fœtura ſurgit. Atque vt breui finiam. Luis Venereæ venenum materiale eſt magis, & non tam afficit cor quàm hepar & partes vicinas, præſertimque in ſpermate & materia pituitoſa figit ſedem.

De ſecundo dicamus ex quorundam opinione: cur tophoſa potius oſſa in medio fiant, non in ſuis capitibus. Quidam eam reddunt huius rei rationem. In medio oſſium plus medullæ eſt quàm in partibus; aut ſuperioribus, aut inferioribus. Immo ea medulla creſcit decreſcitque pro lunæ temporibus. Cùm enim ea plenior eſt, oſſa medulla exuberant; cum vel noua exoritur, vel ſeneſcit, minus habent medullæ. Hæ autem mutationes vel augmenti, vel decretionis medullæ, magis in mediis oſſium cauernis, quam in capitibus finibúſque cernuntur. Et cum medulla, vel id quod ei analogum eſt, tanquam quippiam oſſe ipſo mollius, idoneum magis ſit ſubiectum quod admittat venenatam luis Venereæ qualitatem, & eandem aliis partibus communicet: Qua parte plus illius mollioris ſubſtantiæ eſt, eadem & magis ſe venenum ipſum figit atque firmat. Integra autem plenáque luna, oſſium inanitates replentur magis, vt mirum non ſit, ſi in mediis ipſis oſſibus ſæpius tophi & durities tophaceæ appareant. Hæc inquirenda pluribus relinquimus aliis.

Tertium ex iis quæ propoſita ſunt eſt de analogia materię Venereæ, & eius quæ arthritin facit. Paulò antè diximus ſubiectum luis Venereæ eſſe tandem proprium partium ipſarum alimentum cuius reliquiæ ſunt ſemen ipſum: vnde ea ſurgit proportio inter ſemen corruptum, & ſemen ſanum. Item materies ipſa veluti mucaginoſa, lenta & glutinoſa conſtituta eſt, in quã hydrargyrus ipſe, tanquam verum alexiterium agit. Declarat ſumma digerendi vis vnguenti Neapolitani, item & prouocatio

ſaliuæ vberrimæ: in qua vna luis venereæ fugatæ ac ad extremum verſæ ſpes & fiducia poſita eſt. Ecquod eſt ingenium & mos illius humoris qui arthritin committit? Efferus & implacabilis eſt, de nocte ſuas habet exacerbationes, omnium remediorum vires ferè eludit, tophos & tubera in articulis excitat, immo & partes ad atrophiam ducit. Orgaſmum habet. De nulla parte ſecurus homo eſſe poteſt. Furibundè inuolat modò in has, modò in illas partes. Nec tantùm hoc eſt acceptum ferendum diatheſi partium ipſarum, id eſt, articulorum, quàm internæ virulentiæ ipſius humoris. Scio quidem articulum, læſum, imbecillum ac infirmum ſuum alimentum corrumpere, eo modo quo & aliæ partes dolore tentari ſolitæ, ſed id eſt tantùm cauſa adiuuans. Nam etſi humor ipſe in articulum nondum infirmum irruerit, non deſinit tamen ibi dolorem excitare: ſed non tam contumaciter. Ergo ſiue periodorum vices, ſiue exacerbationum nocturnarum analogiam ſpectes, ſiue ingenium humoris, ſiue contumaciam & naturam humoris humana remedia reſpuentis (nam & calida & frigida non admittit, & quibus dolor arthriticus lenitur, iiſdem mox exaſperatur, & exaduersùm) magna eſt proportio inter & affectum ipſum, & naturam humoris affectum parientis. Immo verò arthritis ſæpè lui Venereæ ſuccedit. Paucóſque videas qui lue Venerea exerciti fuerint, præſertim ſi inueterarit, qui non & articulares dolores tandem experiantur. Quod attribuunt quidam vſui hydrargiri & ſolennium remediorum, quibus in ea curatione locus eſſe ſolet, ſed malè id quidem. Nam id potius ab ipſius humoris venerei, & morbi natura & indole pendere cenſendum eſt.

Vnde & hoc loco quærere non alienum videri poſſit, an non ad arthritin curandam eadem curandi ratio adhiberi poſſit tutò & iure, quæ & ad luem veneream. Si tanta affinitas vtriúſque affectus & humoris, ſi ij maximè articulari morbo crucientur, quibus corpus μιξώδες καὶ ἀλμῶδες, vt quodam loco loquitur Hipp. cur non illitâ hydrargyro prouocatio ſaliuæ ab arthritide recidua aſſerat? Nam quod obiici poſſit de articulorum imbecillitate, ſiue ea ſit cōtracta à natura, ſiue acquiſititia, & quæ potiſſima cauſa eſt, & morbi, vt ſic dicam, diſpoſitiua, poſtquā colluuies ea humorum euicta fuerit, quæ tandiu fouet morbum, robur articulis conciliari fortaſſis poterit. Sed hęc curſim dicta ſint.

Restat vt breuiter minutulis velut interrogatiunculis & quæstiunculis de curatione luis Venereæ dicamus. Primùm, an non alia curandi methodus securior, & promptior esse possit. Secundùm, an non plena periculi non præsentis, sed futuri, saliuæ prouocatio. Tertiò, an non grauiter peccetur ab iis qui cum vident corpus pustulis Venereis efflorescere, saliuam eliciũt & summa vi prouocant. Omnino enim tuta videtur curatio si motum naturæ sequamur, vt non tam addicamur tritę cuidam imperitorum Chirurgorum methodo, quam rationi ipsi.

Ac dum tertiam hanc quæstionem persequimur, primæ quoque satisfacimus. Eodem enim pertinebunt. Ac primum perniciosis valdè morbis liberantur plerique profusiore aluo, cum in colluuie humorum restagnantiũ in mesenterio primum mali semen poni videatur. Quod declarat Gonorrhœa. Non enim tam id fouet quod in longinquioribus partibus redundat, quam quod in primis viis, in quibus corporis veluti sentina est. Accedit quod communis omnium ea sit assertio, quod in impuro concubitu, pernicies primùm hepati communicatur, vt multis & rationibus, & experimentis roborare solent. Quæ autem commodior via ad expurgandum hepar quam renes, aluus, & habitus ipsius corporis nullo prouocato sielismo cũ dispendio partium nobilium, cerebri, pulmonum, ventriculi & cordis? Gibbum hepatis prouocatione vrinæ repurgabitur, & sudoribus si ita res feret, simum alui subductione commodissimè vt omnium veterum autoritas confirmat: Ergo in hac vna aut triplici purgatione quæ eodem pertinet sine sputatione, consistendum videtur. Si in sero præsertim virus primum consistit, aut vt liberius dicamus, in proportionata & analoga semini tãquam corpori ad virulentiam eam magis idoneo materia, istis purgationibus habemus & consequimur quod optamus. Nam elicitis sudoribus per cutis spiracula facilè id quod turget euacuabitur. Si in seminali quadam materia, si eo vsque progrediatur purgatio donec habitus & moles corporis collabatur, ei materiei satis esse factum videbitur. Accedit, quòd venenata vis suis alexipharmacis oppugnanda sit. Si enim inter omnes constat morbum istum in venenata vi & aura potiùs consistere, quam in alia vlla re manifesta; quærendum suum remediũ, nec tentanda ea euacuatio, quod plerique facere solent, ad extremum vsque promota. Sed inter cæteras rationes, hęc maximè

vna plurimum roboris habet quòd hîc vt in aliis morbis motus naturæ sequendus videatur. At iam vsu probatum est naturam omni ratione conari hoc virus depellere in corporis superficiẽ, admoto duobus aut tribus locis pyrotico, si sinatur sanies quædam effluere, spes aliqua affulgeat sanitatis, quod audio factum esse fœlici successu.

Non tamen sudorifica & alexipharmaca omissa sunt. Immo cõmodior & tutior videretur via, si imperata dięta quadraginta dierum sensim procuraretur euacuatio illius materiæ, & domatio istius veneni repressióque, quàm ita fœda tristíque saliuatione miserè æger fatigaretur? Et id quod me magis mouet est ista vlcerum fœtidorum & putrium ob vsum hydrargyri prouocatio & eruptio. Quid enim impedit quo minus aut in aspera arteria, aut in pulmonibus tale vlcus excitetur? Quod si eueniat id mihi videtur nulla penè arte curabile, quòd eo medicamentorũ vis integra peruenire non possit. Nisi fortè obiiciat quis, affatim prouocata saliuatione nil penè subesse quod tetrum istud vlcus fouere possit, cum proprium eius curandi sit alexipharmacum hydrargyrus.

Sed & vt concedam experimento probari ea saliuæ prouocatione relapsus magnam tolli occasionem, duo tamen sunt quæ me ab vsu hydrargyri reuocare possunt. Prius est vlcerum eruptio ita malignorum, & neruorum labefactatio. Nil enim æquè neruoso generi ac cerebro bellum indicit ac argentum viuum. Id declarant tremores qui ab eius exhalatione excitantur. Posterius est, si prolapsio materiei Venereę magna vi liquefactę ac excitatæ vsu argenti viui in intestina dysenterias crudelissimas & funestas excitat, quid non efficiet deterius multo in partibus superioribus, quę vt situ, ita dignitate pręcellunt aliis. Si hepar imbuitur primùm, cur non id omni ratione repurgas aut per habitum, aut per secessum. Sic omnino ἀνακάθαρσις, quæ per os fit prouocata saliua placere non potest. Si ad pituitam quæ circũ ventriculum latet, & quæ facilè & virulentiam concipit recurras, illa & vomitione, & subductione excerni & elui potest. Nec propterea prouocanda ista saliuatio quæ tantis molestiis ægrum cumulat. Obiiciet de capite in quo ferè pedem figere solet ea lues. Hoc verum quidem asserimus; & vt cerebrum maximè pars est spermatica, & ab eo tanquam à fonte prolificum semen multum profluit (vt Scytharũ sterilitas fidem facit)

ita virus istud & facilè & promptè in eo cerebro sese offirmat. Id μαδαρώσεις & ἀλωπεκίαι facilè confirmant. At, dicet, prouocatio saliuæ tutissimè cerebrum expurgat. At conferendum est vnum incommodum quod affert hydrargyrus cum ea commoditate quam procurat saliuatio. Iam diximus inimicam esse cerebro & neruis hydrargyrosin. Et excitatis vlceribus fusisque magna vi humoribus non potest non in sympathiam trahi cerebrum. Sed tutò alia arte euacuari potest. Multa habet emissaria. Præterea, lethargici, & comatosi in quibus multa materia est frigida curantur sæpè alui profusione, item & ophtalmiæ, cur non & eadem commoditas cerebrum à virulentia asserere potest? Plura in eam rem afferri possent.

Secundo loco quærebamus, an non prouocatio saliuæ plena esset periculi non tam præsentis quàm futuri: Sed dum alia duo capita promiscuè tractauerimus, huius secundæ quæstionis definitionem quoque adduximus.

Restat tantùm vt concludamus in vetere hoc morbo, & iam partes solidas obstinatè adorso, litui ex hydrargyro locum esse, nec tam contumax malum facilè cessurum, nisi maioribus remediis tanquam vectibus quibusdam ad amoliendum conuellendúmq; vtamur. Sed ita se in omnibus gerere, & ex eo quod aliquid effloruerit in cuti, linendi occasionem captare, illud captiosum est, & ignorantiæ plenum. Et ad Empyricos potius pertinet quàm ad Methodicos, & eos quos non tam lucri cupiditas mouet, quàm conseruandi sui innocentis officij studium & cura. Et cùm ea curandi ratio tanti sit, non ita ex præiudicata quorundam opinione pendendum est, sed videndum quid, & quando, & quomodo agendum. Alioqui vix crudelitatis, inhumanitatis & inscitiæ crimen effugiemus?

Sed & ad superiorem de vsu hydrargyri in illinendo toto corpore disputationem pertinet hæc quæstio plurimùm adiumenti allatura: an pusionibus lue infectis tutus litus hydrargyri vniuersalis? De particulari quidem facilè admiserim, fortè pustularum ea sit peruicacia vt nulli alteri cedant remedio. Sed quorsum vniuersalis litus? vt prouocetur saliua? At expuere nequeunt, vt sudent? at prouocandi sudoris tutior alia est ratio. Sic dum corpore illito fusio & dilapsio humorum consequatur, si sursum repat humor, & per os expuendi impotentiâ & insolentiâ non excludatur, multum inde detrimenti eueniet.

Satius est itaque foras venenum pellere, & quò natura vergit eò ducere. Immo & fortè hoc in adultioribus locum habebit. Verum antequã huic Consilio finem imponamus, quæstionem lectoribus voluptatis simul ac vtilitatis plurimum allaturam mouere quoque non erit alienum, An non tutus sit vini vsus in lue Venerea, & in Gonorrhœa præsertim[+]. In hac quidẽ, quoniam cruditas tollenda est, quæ fouet & alit eum fluxum. Et cum venenum sibi sedem in humore pituitoso crudóq; deligat, quæ cruditatẽ oppugnant, quæ coquũt, alimentum distribuunt, & digerunt, ea mirificè conferunt ad prçcautionem & curationem. Huiusmodi autem vinum est. At tollendus omnis excessus, mediocritas tenenda. Atque in lue Venerea, modò ne sit ingens capitis dolor, cur æger vino est abstinendus? vires retinet, quibus maximè opus est. Venenum oppugnat. Et cùm opiatis calidis, & acriusculis vtamur, cur tantopere vinũ fugimus calidiusculum alimentum. Ne hic præuertat opinio præiudicata, hæ & similes rationes pondus aliquod ad id efficiundum quod volumus sunt habiturç 1576.

ANNOTATIONES.

1. *Virulentia, siue lues Venerea est virulentorum phymaton in corpore perennis propagatio ex conspurcatione sanguinis & humorum ex impuro concubitu: vel Virulentia est phymaton virulentorum perennis in corpore propagatio, quam affert sanguinis & humorum ex impuro congressu conspurcatio. Vel, Quam affert humorum & viscerum conspurcatio ex contagione ab impuro contracta concubitu.*

2. *Notare vnum oportet quod valet ad therapiam in hoc morbo, nempe non solùm animaduerti debere naturam eius qui inficitur, sed eius etiam qua infecit. Nam quæ succulentæ sunt & sanguineæ, hæ non fouent alúntque tam acerbum & pertinax virus. Contra melancholicæ & quæ serosiore abundant sanguine, & quibus cutis expallescit, hæ teterrimis scatent vlceribus & sanatu difficillibus. Sic oportet eos qui ab his virus contraxère, multo sedulius curare.*

3. *Absurdum est & à ratione alienum meo quidem iudicio, quòd viri quidam doctißimi etiam scriptis editis censuerunt, non posse fieri decocta ex vino aut saltem ex vino solo, sed infusionem fieri debere ex aqua, mox hanc diutius excoquendam esse addendúmque in fine vinum quod hoc censeant ineptam esse materiam infusioni, quodque tandiu excoqui nequeat,*

nequeat, quandiu oporteret ad eliciendam virtutẽ medicamenti. Certum enim vinum esse optimum medicamenti cuiusuis vehiculum, & in Chymicis extractis experientia comprobatur, nihil esse aptius ad extrahendas medicamentorum facultates ipso vino, aqua vini, & aceto, quod igneis & calidis subtilibúsque partibus penitiora quæque permeans intimam quanque facultatem eliciat, & in se concipiat. Verum quidem est non longam pati coctionem, sed aut longa infusione ligni sancti, radicis, schynæ aut sarseparillæ in eo facta id compensari solet, aut in duplici vase debet excoqui. Hac arte parato decocto multi desperati perfectè curati sunt, noxamque partibus solidis ab argenti viui vsu impressam emendare & tollere comprobatum est. Adde ad has vini dotes & hanc, quod vinum succos bonos ingeneret, ait Galenus Comm. in hunc Aphorism. ὀλίγκη &c.

CONSILIVM TERTIVM.

Pro Thesaurario Arthritico.

QVONIAM dum disputaremus de Therapia Arthritidis pituitosæ necessariò incidimus in disputationem de doloribus noctu ingrauescentibus, non alienum ab instituto erit si nonnulla quæ animo concepta habemus super ea re eloquamur ac exprimamus, hæc enim intellecta descriptáque plus voluptatis afferent quam animo retenta. Deinde verò ad remedia quæ præscripta fuere nobili viro veniemus. Quæsitum est ergo cur dolores articulorum de nocte exacerbentur? quidam ad pituitæ motum confugiunt, qui noctu magis quàm interdiu cieri solet, vt enim secundum anni tempora humores generaliter mouentur, ita certis horis diei quadam ad tempora vniuersalia ἀναλογίᾳ, hic potius humor quàm alius mouetur ac se profert. Ac primùm non omnino arthritis ab humore pituitoso est, quemadmodum in alio opere à nobis demonstratum est. Et licet concedamus hinc pendere arthritin, hæc fortassis ratio non sufficit. Hippo. Epid. quinto: Ita de motu materiei purulentæ. *Tempore nocturno, profectò in omnibus suppurationibus, & his quæ circa oculũ sunt, dolores ad noctem.* Quod cur fiat alterius est instituti. Scimus enim quod quidam morbi & γίνονται ἢ παροξύνονται, aliis at-

que aliis temporibus. Vt ne euagetur oratio noſtra, cuiuſdam Medici primarij hæc ratio aſſignatur exacerbationis iſtius nocturnæ. In vnoquoque animante calor quidam fixus eſt, & calor fluens: fixus remanet donec aut σφακέλῳ, aut νεκρώσει partis temperies depereat. At fixus alias paucior eſt alias plenior & vberior exiſtit. Et talis calor affluens à corde in quo nectar eſt ζωτικὸν καὶ σύῤῥουν, vt loquitur Theophraſtus, aliū calorem ἔμφυτον excitat, iuuat, illuſtrat, & ad τὴν ἐνέργειαν inuitat. Quandiu calor ille in parte manet, nec imminuitur, nec alteratur, tandiu pars naturaliter ſeſe habet. Contra ſe habet, ſi alio modo calor affectus eſt: vnde in febribus eſt partium quidam κόπος inexplicabilis, quoniam calor eſt alteratus aut aliter quàm è natura affectus. At in arthriticis paroxyſmi cauſa refertur ad caloris illius influentis & vernaculi fugam & reuocationem ad ſuū fontē cor. Illud enim in confeſſo eſt noctu partes interiores calidiores eſſe, exteriores verò refrigerari, aut ſaltem minùs habere caloris natiui, contrario autem modo interdiu affectas eſſe. Inter vigilandum enim, & præſertim die ipſo calor natiuus ad habitum funditur, & occurrit lumini & calori diuturno tanquam rei cognatæ. Calor enim noſter ad calorem diurnum tanquam ad τὸ σύμφυτον recurrit. Itaque cum extimæ partes deficiantur ac deſtituantur iſto calore per tenebras à circunferentia ad natiui caloris τὴν πηγὴν reuocato, facilè humor tumultuatur vt potè nō rectus ac temperatus à calore iſto natiuo omnia ſub ditione ſua tenente[2]. Atque hæc cauſa eſt cur de nocte arthritis potius exacerbetur quam tempore alio. Contra ſi interna phlegmone eſt, dum calor intro repit & acceſſionem calori natiuo adiungit, febris maior fit, & dolor à phlegmone excitatus inualeſcit. Tamen aduerſum ea quę à nobis dicta ſunt aliquis obiiciat, ſi alij dolores interdiu excitantur ab aliis humoribus pro dominatu cuiuſque & ἰδιοσυγκρασία, quæ cuiuſdam motus interioris cauſa eſt, cur non eadem ratione humor arthritin committens qui vt plurimùm pituita eſt tragœdias turbáſque excitet noctu peculiari ſuo motu; ad id nil penè cōferente iſto aut accurſu, aut receſſu caloris? Suo enim natiuo calore illuſtrantur aliæ partes dum alij humores interdiu mouentur, & dolorem proritant. Quæ cum ita ſint, tantum plauſibilis videtur ratio ſuperius allata, & quæ non ita firmis rationibus eſt ſtabilita, vt non eam vehementior quędā rationum philoſophicarū aura percellat, atque conuellat.

Verum his omissis capita curationis perstringamus.

Æstate maximè à vino abstineat, huius loco vtatur decocto betonicæ radicis schinæ, sarsesparil. aut aqua decoctionis seminis coriand. Quod si vrgeat necessitas, vtatur oligophoro, idque Hyeme. Elixis carnibus vtatur siue iusculis: aut saltem vtatur re aliqua iurulenta. Piscium vsus non confert, nisi saxatilium & friabilium. Prandium liberalius esto. Venere vtendum parcissimè. Laconicum conferet ex herbis post scribendis. Fœmora & aliæ partes dolentes illinentur oleo catellorum, deinde integentur pelle arietina recens detracta. Hora somni vtetur opiata sequenti: Illinetur spina mastichino & ol. myrtillorum. Caput lauabitur lixiuio parato ex cephalicis. Si dolor ad ischion maneat vesicatorium applicabitur ex fimo columbarum & pipionum cum grauellata simul mixtis cum iusculo ranunculi: Aut cortex viburni applicabitur: Pyroticum adhibitum ad eam partémque Grecis ινίον vocatur conferet.

℞. *Conseruæ enul. campa. & acori. an. ʒ ij. conseruæ florum beton. cichor. & anthos. an. ℥ j. carnis citr. conditi. & myrob. emblic. an. ʒ ij. myrrh. mastich. an. ℈ j. cum syrup. de stœchade fiat opiata, vtatur in introitu lecti.*

℞. *Seminum cytoniorum & psyllij. an. ℥ ß. radicis altheæ ℥ ij. seminis eiusdem ʒ ij. extrahantur mucag. in aqu. rosarum & plantag.*

℞. *Prædictarum mucaginum ℥ iiij. succi plantag. ℥ ij. butyri recentis vstulati & vngu. populeon. an. ℥ j. ol. viol. & ros. quantum sufficit pro linimento.*

Valet cataplasma vulgare ex pane dissoluto in lacte caprino, cum oleo rosato, & vitellis ouorum. Aut illud.

℞. *Stercoris bouis gregarij lib. j. vini albi. ℥ ij. ol. chamæmel. rosar. & violati. an. ℥ j. axungiæ cati. ℥ i ß. misce, fiat cataplasma admouendum articulis calidè.*

Sequuntur herbæ ad hypocauston, seu laconicum.

℞ *Alth. totius ebul. totius. an. m. ij. foliorum mal. violar. pariet. an. m. j. foliorum betonicæ major. absinth. consolidæ saluiæ & calamenth. an. m. j. yuæ arthriticæ m. ij. florum chamæm. melilo. aneth. & origani. an. p. ij. rosarum stœchad. squinuanth. an. p. j. semin. anisi & lauri. an. ℥ ß. coquentur in aqu. fluu. adiecta parte quarta vini albi. Immergantur lapides candentes.*

℞. *Caßiæ fist. ℥ ij. aquæ solatri, & plantag. an. ℥ j. aquæ ex radicis bryoniæ extracta. ℥ ß. ol. ros. & viol. an. quantum suff. fiat linimentũ.*

℞. Emplast. diachylon ireati œsypati philagrij & ceræ nouæ. an. ℥ ij. puluer. thur. mastiches & myrrh. an. ℥ j. pulueris boli armenæ & lapidis calaminaris. an. ℨ ij. cum ol. rosato. fiat massa emplastri. ad roborandos articulos.[6]

℞. Salis torrefacti puluerisati lib. j. pulueris mastich. ℥ ij. pulueris rosarum beton. & yuæ arthriticæ. an. ℥ ß: misce simul & incalescant in sartagine: fiat puluis quo blanda manu articuli contrectabuntur.

℞. Gummi pini, resinæ pini emplastri diachylon ireati, & de vigo sine mercurio. an. ℥ j. picis naualis. ℥ ij. sulph. viui. ℥ ß. cum ol. irino, fiat massa emplastri: Extendatur super alutam & admoueatur ossi sacro & ischio vtrique.

℞. Succi saluiæ, vini alb. an. ℥ ij. gummi pini. ℥ ß. mastich. tenuiter puluerisatæ ℥ ij. ceræ nouæ. ℥ iij. ol. chamæm. quod suff. misce omnia diligenter & coque ad consumptionē vini & succi saluiæ, & fiant magdaleones ad vsum dictum.

Ad eundem scopum id quod sequitur est institutum.

℞. Succi granorum rhamni (burga spina vulgò dicitur) lib. j. sacchari. ℥ x ij. fiat syrupus coctus perfectè aromatizetur cinnam. & caryophyllis. Dosis sit. ℥ ij. cum ℥ i. ß. rhubarb. puluerisati.

℞. Pilul. sine quibus ℨ i. ß. cocciarum ℨ j. hermodactyl. & aggreg. an. ℈ ij. agar. recenter trochis. ℨ ß turbith. electi ℈ j. seminis ebuli. ℨ j. excipe cum syrupo de stœch. fiat massa vtenda præsertim Hyeme.

Sequuntur & aliæ vtendæ semel hebdomade paulò ante cœnam.

℞. Aloës ℨ i. ß. rhub. ℨ i. agaric. trochisc. ℨ ß. pilul. æggreg. ℈ ij. omnia excipiantur sequenti decocto.

℞. Agarici fœminæ. ℨ j. turbith. ℈ ij. foliorum saluiæ maioranæ yuæ arthriticæ. an. ℨ ß. seminis coriandri schœnuanth. an. ℈ j. fiat omnium decoctio in duabus partibus aquæ & vna vini albi quoad redeant ad ℥ ij. adde mastiches nucis moscatæ caryophyl. an. ℈ j. salis gemmæ grana 6. inspissentur super cineres calidos: Eo liquore loco syrupi, inspissetur & formetur massa præcedens.

ANNOTATIONES.

1. *Admirabilis est arthritidis ipsius generatio & morborum neruos & membranas partésque neruosas occupantium. Ad id enim maximè videtur facere ipsius nerui σύνθεσις, & συμπάθεια, cum iis quæ sui sunt generis, & propter continuationē neruorum & eorum exquisitum sensum.*

Accedit & quod nerui medulla longè sit alia temperamento à temperamento ipsarum membranarum neruos inuestientium. Sic quod remedium est ipsius medullæ cerebri idem potest esse incommodum naturæ ipsarum membranarum. Id quod ipsi cerebro contingit. Nam ipsum naturâ habet temperiem humidam non modo in pueris, sed etiam in perfectis. Id quod planè Gal. ad Aphor. 24. lib. 3. vbi locus malè est explicatus à Leoniceno.

2. Atque vnum notandum est quod pertinet ad cognitionem naturæ somni nocturni. Illud enim experimento constat eos qui cum suis vestimentis super lectum dormire volunt præsertim si nocte id fiat, rigescere, & nescio quam laßitudinem persentire cum molesto punctionis inexplicabili sensu: quod non ita euidenter interdiu euenit: quod temporis nocturni naturæ & temperamento tribuendum videtur, vna enim cum recessu, & inclinatione solis, fit nescio quæ mutatio in humoribus, recessus, & per quandam ἀντιπερίστασιν, eorundem reciproca succeßio, quæ potißima videtur esse causa. Quid si dicamus arthritin quandam esse febrem articulorum, & particularem esse febrim velut κοπώδεα? vnde videmus eos qui horrent & rigent dolorem nescio quem inexplicabilem persentiscere in neruoso & musculoso genere. Sed notandum vnum de fuliginoso excremento quod Gal. Comm. ad Apho. 15. lib. 3. ait naturæ operationem subterfugere cum nec aßimilari, nec agglutinari poßit corpori quod nutritur. Et illud est fortè excrementum fuliginosum quod suppressum dolores excitat & varia symptomata.

In articularibus morbis ab iis Diureticis est abstinendum quæ impensè calfaciunt, & sanguinem fundunt.

4. Fortè in cura arthritidis vnum omittitur, quod tamen facilè esset. Nam Plinius cap. 9. lib. 28. ait inter exempla extitisse quosdam qui lac asininum bibentes liberati sunt Podagra & Chiragra. Id quod non est præter rationem. Nam acrimonia seri tantorum dolorum causa esse solet. Quod si aut proba victus lege, aut asinæ lacte, aut alia arte corrigi emendarique potest, huic quædam à sæuis iis doloribus, immunitas consequatur necesse est.

5. Notatu dignum plerósque vertiginosos arthriticos & cephalalgicos à molestiis morbi saltem incrementis vindicari adhibito ad eam partem ruptorio quæ ἰνίον dicitur, ac præsertim ad extremum eius quod est initiũ eius scrobiculi qui in fine occipitis est quà multi nerui decurrũt. At reuera nulla pœnè molestia nullóque incommodo id fieri potest, & hinc profectus maximus consequitur.

6. *Notandum hoc quod sequitur ex Gal. ad part. 66. lib. 3. de articul. Frequenter in ossibus, membranis aut neruis mucaginosus humor colligitur. Carnosa autem pars propria sui ratione mucosa non fit. Pituitosus & mucaginosus humor collectus ægrè exinanitur, cum nec perfusione, nec Catap'as. nec medicamento attrahatur, aut discutiatur, nisi prius attenuatus, & in vaporem resolutus. Et quoniam lentus humor ægrè in vaporem discutitur, ideo ægrè quoque euacuatur. Et hæc illius humoris glutenosi contumacitas, dolorem semel obortum fouet diutius atque alit.*
7. *Folia commendari solent ad sacros ignes, & totus rhamnus dicitur vim habere siccandi & digerendi. Fortè in eum finem succus granorum eius datur ad serum corporis consumendum.*

CONSILIVM QVARTVM.

De Epilepsia.

AMORRHÆI Consulis filiolus iam ante morbi sui historia enarrata innotuit[1]. Nunc auctarij vice capita aliquot deliberationis institutæ adiicientur. Horum enim intelligentia latiùs manans ad alios pertinere potest. Epilepsia mater puerorum vulgò dicitur quòd eius rudimenta quasi etiam à matre rubente ducta esse videantur. Et quod conuellantur sæpè & facilè id non tam productiuè fit quam susceptiuè. Id est, non tam ob humoris ad id pariendi idonei copiam fit, quam ob neruosi generis imbecillitatem[2], quoties autem partes aliquæ aut natura, aut alia ratione sunt imbecillæ, minima occasione offenduntur. Accedunt & dentitionis molestiæ, & febres ardentes quæ humores irritant, animant atque acuunt. Annotauimus in historia de eodem puero, in ea familia dentitionem non nisi ad mensem vndecimum apparere quod cum συγγενὲς sit, tamen aut imbecillitatem summam declarat, aut insignem duritiem, aut mollitiem gingiuarum. Et cum ad mensem quintum eæ molestiæ conuulsionis apparuerint, id factum est bifariam, aut quod summa sit aptitudo ad Epilepsiam in eo puero, aut quod tametsi in ea familia tarda sit dentium eruptio; tamen natura non desiit aliquid aggredi, & cum materia indisposita

esset, & pars, inanis iste conatus molestias suas habuit. Nostra hæc fuit deliberatio.

Cuique ætati sua est sanitas, suus & morbus. Id summus Hippocr. abundè persecutus est. Sanitas cum omnium partium ea est conspiratio vt & humorum & spirituum & partium solidarum ratio probè sit constituta, morbus verò contra. Morbus aliquando ratione vnius partis euenit, aliquando totius corporis. Partis, cum pars aliqua momentanea laborat cui corpus consentit. Huiusmodi sunt cor, hepar & cerebrum. Hoc, ait, Hipp. maximè ad sapientiam facit, & omnis intelligentiæ internuntius esse dicitur. Afficitur aliquãdo per se, aliquãdo ex euentu, in pueris vtroque modo laborat. Per consensum ratione lactis acriusculi, vermium, & torminũ. Per se ob mollitiem, & facultatis animalis imbecillitatẽ. Ideóque cum congener sit, minus formidandus Medicis videtur. Sed in hoc puero aliquid præter rationem apparet, quod aut peculiare vitium, aut cerebri, aut totius corporis, aut aliquid συγγενὲς declarat cerebrum aut humidius, molliúsve, aut affectum grauiditatis tempore. Mater enim metu sæpè consternata est, hoc autem valdè afficit. Accedit ad eam opportunitatem cæli inclementia. Si vnquam enim alias cerebrum in omnibus ferè epidemicè afficitur, & dormiendi impotentia est. Et vt malo occurratur hæc consulta sunt.

Nutrix repurgabitur semel mense: & si res tulerit vena aperiatur. Temperandum à cibis qui crassum succum & flatũ generabunt. Elixis vtetur. Iusculorum vsus nõ erit multus nisi lac deficiat. Abstinebit vino, vtetur aqua coriandri aut simili decocto. Fricabuntur membra pueri blanda manu, & à cunarum magna agitatione abstinendum.

Puer purgabitur diluto rhei infusi in decocto rad. pœoniæ, beton. buglos. florum cordialium addito semine citri. Non lactabitur ita sæpè & sine ordine si patitur quies pueri. Pultis loco panata dabitur in qua dissoluentur aliquãdo grana aliquot rad. pœoniæ & corallij rubri. Fontinellæ capitis applicator pannus læuis & molliusculus, & in duplatura inspergetur puluis maioranæ cum semine nigellæ, aut suffietur pannus vernice & ligno aloes. Appendebit collo nodulus solemnis. Vtetur opiata ex conseruis cephalicis, addito mithridatio cum puluere pœoniæ.

ANNOTATIONES.

1. *Duodecimo ætatis mense interiit. Aperto cadauere ingens aquæ copia in cerebro reperta est: nerui optici erant valdè angusti, alij nerui erant duplo ferè maiores.*

2. *Nosse autem oportet imbecillitatem partis non esse sufficientem ad generandam paßionem in intermedio tempore paroxysmorum: id est, in tempore ipsius quietis. In quo nil infestatur, etiamsi natiua imbecillitas sit continua. Quod à Galeno hîc dicitur ad omnes morbos redeuntes extendi potest.*

3. *Galen. Com. ad Aphor. 28. lib. 6.* Necesse est cerebrum natura imbecillũ si Epilesia corripi debet. *Et ad finem Cõmentarij:* Multi habent parentes podagricos, aut aliis morbis obnoxios in quibus vitiatum semen erat, atque ideo natis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

4. *Circa materiam de epilepsia hæc quæri iure possunt: Si materia epilepsiã committens ea est quam confinxit Galenus, cur innumeri catarrhosi, & quibus multa pituita plenum est cerebrum epileptici non fiunt? An quia est dispositio aliqua, an non? Et si est dispositio an priùs inducta est, an simul cum materia inducitur? Si materia id facit, quare non omnes epileptici fiunt? An quia materia aliam acquirit qualitatem? Qui subtili sunt ingenio & delicato cerebro ij facilè in Epilepsiam cadunt, item qui crasso & obæso sunt corpore, & obtuso ingenio. An id eadem ratione? nequaquam exquisitus sensus id facere potest. Omnis pars delicata & exquisito sensu prædita non facilè cumulum fert humorum, & tetra aduersáque anathymiasi promptè feritur. Immo etiam solo ieiunio facilè nerui laborant. Et melancholicis, quia aßiduis agitati curis spiritus & sanguinem inflammant, cerebrum à sua mole facilè obruitur.*

5. *Si* ἔκλαμψις, *causa est cur iuuenes liberentur epilepsiæ molestiis, cur abstinentia vini confert? Cur phlebotomia confert? Nam illud ad coctionem & illustrandos spiritus facit: hæc refrigerat, & neruos debilitat, immo cerebrum debilius facit. Fateor quidem phlebotomiam conferre si certum sit à copia sanguinis, & nimio eius feruore malum repetere: sed si localis in cerebro sit dispositio, pace aliorum dicam conferre non videtur. Quod ad vsum vini refert, non ita lædere videtur vt quidam putant. Nam alimentum est, & alimentum medicamentosum. Si ideo nocet quia vapore lædit cerebrum, innumera remedia calida dãtur & cephalica quæ calore & tenuitate partium caput feriunt. Ideo quæ ratio vinum interdicit*

dicit, eadem & id genus remedia interdicere deberet. Hoc fortè negotium quibusdam daret. Item vinum mirificas dotes habet. A cruditatibus vindicat: hæ autem sæpè incubonis & epilepsiæ parentes esse solent. De vini dotibus hæc Galen. Calefacit vinum corpus totum, & citò mouetur ad partes omnes. *Accedit quod* χυμὸς χρηστὸς ἐργάζεται. *Com. ad Aphor. 56. lib. 7. Sed est locus apud Galen. Com. ad Aphor. 5. lib. 5. Ex quo possis arguere epilepticis præsertim à materia frigida, & succo crudo, iuuantissimum esse vini vsum. Loquitur de conuulsione, quam vt inducit vinum, ita eandem dissoluit. Verba hæc Galeni:* Vinum copia substantiæ neruis conuulsionem affert: rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, neruos calefaciundo exiccandóque. Et si hoc aliquando non facit, mortem sequi necessarium est. Hæc ratio ad epilepsiam transferri quoque potest.

CONSILIVM QVINTVM.

Ad Dominum Lescotium. De Melancholia Hypochondriaca.

VIVERE quidem magnum quid est, at bene viuere melius & optabilius est. Benè autem viuit qui integra sanitate fruitur. Et qui probè munia & corporis & animi exercet, nec facilè de sanitatis statione depellitur, integrè sanus existit [1]. Si æger animus est perturbationibúsque facilè decutitur, sanitas corporis ferè lubrica est. Si laborat imbecillúmque est corpus vix liberè suas functiones exercet animus. Quanquam sæpè valet ingenio, cui vis firmitásque à natura negata est. Quorum enim fœlicitati ingenij natura prospexit, in iis ferè corporis firmitatem neglexit. Et,

> *Raro vtrunque Deus cuiquam largitur vt idem*
> *Sit sapiens & sit robusto corpore pollens.*

Quòd si alterutrius optio fiat, malim tamen valere animo quam corpore: Vtriúsque tamen summè & impendiò magis sa-

nitas optanda eſt. Ferè enim vtriuſque eſt tantus conſenſus, vt vnius ſanitas ad alterum ferè redundet. Id declarat ingenium humoris melancholici. Etſi enim per ſe corpus afficit eíque vim infert dum viriditatem decutit, tamen & animum facilè attingit. Vnde cum melancholico humore corpus tenetur, animus inficitur ac faſcinatur. Et hîc non tam corpori, quàm ægro animo medicina quærenda eſt. Quanquam morbi pertinacia ſæpè remediorum vim eludit. Id verò crebriùs fit in iis quibus corpus molliuſculum datum eſt. Hi enim facilè à perturbationibus ſe vinci ſinunt[2]. Eam non tuentur conſtantiam quæ homini verè ἀνδρεί conuenit, vt in quadam æquabilitate vitam exigat. Inconcuſſus manet omnes perturbationum radices elidens. Qui molles ſunt & muliebres, minimo etiam vento rapiuntur, & coloris in facie magna & ſubita eſt mutatio. Si qua eſt coloris ſuauitas, hæc mox in auriginem, fœditatémque commutatur. Contrà animi æquabilitatem coloris in facie viriditas (quod politico more Hippo. vocat χλώρασμα λαμπρὸν[3]) perpetuò conſequi ſolet. Sed ne hîc Phormio Græcus coram Annibale dicat, capita aliquot conſeruandæ ſanitatis perſtringemus. Hæc non homini, ſed Calliæ ſcribentur. Primum eſt vt inteſtino & gentilitio, vt opinor, lactium incendio occurratur. Id enim morborum iliadem afferre ſolet, quod pluribus nõ explicandum. Nimietas omnis vitanda eſt. Et vt ſatietas fraudi eſt, ita quoque abſtinentia & inedia impenſè nocet: frugalitas media eſto. Illa morbos à repletione parit, hæc humores adurit, & corpori ſqualorem inducit. Id autem naturæ tuæ aduerſum eſt. De vino nil loquor, quòd te victus cultúſque quotidianus moderatè eo vti docet. Omnino autem abſtinendus non es, quoniam coctioni & humorum diſtributioni operam dicat. Iucundiorem vitam facit ſed breuiorem. Idem facit quod calx arborum radicibus affuſa, celeriùs matureſcunt fructus, at arbor facilè tabeſcit. Frigidæ potus ſolus non conuenit, vias enim obſtruit, obſtructio alimenti diſtributionem impedit. Hoc autem tabum ac marcorem corpori conciliat. Hinc videmus multos copioſiore alimonia vtentes etiamnum elangueſcere ac extabeſcere. Alimenta humidiuſcula conuenient. Aſſa non ita erũt ex vſu, bilem quippe ingenerant. Multa de induſtria prætermitto quæ etiam lippis patent. Acetaria omnia obſunt, etſi enim lentam cibi cupidinem acetum

solicitat, dum humores subigit & fermentat, noxium est valdè. In vsu capparum, qui frequens proderit, perexigua aceti affusio esto. Interdum clysteribus blandis vteris, apagesis frequentiorem medicamentorum vsum. Purgatio quidem, ait Celsus, interdum necessaria est, frequens periculum affert. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis obnoxia maximè sit infirmitas. Ac cauendum ne in secunda valetudine aduersæ præsidia consumantur. Detractio sanguinis, nisi si quando res vrgeat, spiritus exhaurit, vires exoluit, oculos hebetat, corpus siccat maturam senectutem reddit. Idem meo iudicio euenit hominibus quibus sæpè secatur vena, quod & arboribus quæ insitionem patiuntur, syluestres luxuriant magis & plures producunt fructus. At insitæ non ita sunt feraces, [illegible], vt loquitur Theophra. Insitio enim quæ cum vulnere fit, ipsa ipsas mutilas & imperfectas reddit. Frequens vero venæ apertio vi ob insitionem illatæ respōdere videtur. Cassia cum thamarindis tibi erit benignum medicamentum. Vel eius loco vteris eo syrupo quem non ita pridem tibi concinnauimus. Crudus non dormias, nec immoderatæ exercitationi te dedas. Piperatis, salsis & acidiusculis carebis. Alterant enim hæc sanguinem. Et quoniam aliquando ipsę voluptates & veneres videtur illiquefactę ad animos nostros perfundendos, ἐν τοῖς ἀφροδισίοις restrictus esto. Hinc corporis tabes, & animi ἀτονία. Somnus statim à cibo fugiendus, diuturnior quoque. Vt enim moderatus corpus exhilarat, ita immodicus idem exoluit. Non placet eorum vitæ ratio qui in pastibus nullam seruant legem. Sæpè de industria non cœnant, & prandio liberaliore omissam cœnam compensant. Immo, quod omnino sanitati officit, cursu, luctáque vnius diei integri, omisso & prandio sibi famem opsonant, vt in cœna auidius ciborum desiderium expleant. Hippocr. ea de re lib. integrum ferè scripsit. Vt mirum non sit si plerique incogitantes filum vitæ, cuius amœna est fruitio, pręcidant. Et vt tandem finiam omissis multis Ieiiusculis Celsi quendam vitæ canonem præscribemus. Sanus homo, &c. Hæc cum facere possis quid obstabit quominus fiant?

ANNOTATIONES.

1 *Melancholici (cuiusmodi erat is æger de quo hoc loco agitur) perpetuis querelis Medicorum aures verberant: sed cum aßiduæ querelæ hunc finem habeant, vt tandem queri pudeat, hoc in melancholicis non est audiendum. Manard. Epist. 5. lib. 4 Epist.*

2. *Huc pertinet locus præclarus cap. 1. lib. 5. de locis affectis: Quibus vitale robur infirmum est, animi verò perturbationes ob ἀπαιδευσίαν fortes; iis facilè animæ essentia dissoluitur. At vir magnanimus, nec ob tristitiam, nec ob perturbationem fortiorem succumbit, vt potè cui animæ robur validum, animi verò affectiones non ita sint vehementes. At præstaret Græcam literam afferre.*

3. *Cicero coloris suauitatem vocat in Oratore. Et opponi potest verbum ἀπανθεῖν καὶ παρακμάζειν, id est, vigorem amitto & defloresco. Vnde ad eum sensum Cicero dicit, formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate.*

CONSILIVM SEXTVM.

De Pulmonis vomica.

IO. TASSINI Historia prima narrata est, & ea aliquid commemorabile habuit. Non enim certò tam insolentis morbi & symptomaton causa teneri potuit. Sed exitus morbi qui eum vno post anno prehendit, & de medio sustulit, vnā ex coniecturis veram esse comprobauit. Vomicam aliquam subesse coniiciebamus à qua vapor teter efferretur, vehemētium symptomaton author. Rationes quæ adducebant vt crederemus vomicam esse à qua vapor sursum eleuaretur, expositæ sunt. Nec ego vnquam putassem elatum à pure materiáve purulenta vaporem tanti esse[1]. Ad mensem Augustum dolore capitis incredibili tentatur, febris assidua, iactationes, verebamur ne in ea incurreret in quæ priùs ceciderat. Multùm sanguinis è naribus fuderat antequam morbo prehenderetur. Statim iniectum enema, missus sanguis. Eodem die datum medicamentum. Aluus liquidissimis excrementis fluxit. Nec quicquam

compactum apparuit. Ingens erat incendium, & vires naturæ deiectæ erant. Dolorem lateris querebatur, & ad regionem hepatis. Iis locis pungentem se dolorem & lancinantem percipere ac sentire narrabat. De vomica coniectura augebatur. Sæpè vox deficiebat, ac si aut pulmo confossus, aut perforatus, aut adhærens esset. Nil purulentum expectorauit. Non poterat multùm & affatim bibere, quia deficiebat spiritus. Et potus velut in cauum descendere videbatur. Septimo die tandem cum sudore pingui interiit. Aperto cadauere deprehensus est pulmo adhærens tum in parte dextra, tum sinistra costarum. Membranæ vtrinque subliuebant. Circum gibbum diaphragmatis pars pulmonis tota in pus & saniem fœtentem liquefacta erat. Magna quoque puris materia transfluxerat in hepatis regionem, & ibi conclusa erat. Noua ibi vomica conclusa videbatur. At non erat. Totum corpus internum fœtens admodum erat, hepar sanum & lien. Intestina alieno maximè colore. Anno præterito quo grauissimè laborauerat, vt ante diximus purulentas habuerat deiectiones. Ac credo idem hoc posteriore morbo naturam moliri voluisse, sed vias non fuisse idoneas & faciles. Credo quod si vstus fuisset, aut sectus, magna salutis spes affulsisset. Nec mirum si periclitatorum cæca medendi ratio, sæpè Methodicorum & Rationalium preceptis & ratiocinationi ante eat Et cum summus Hippocrates passim hoc remedium in libris περὶ ἐμπύων vsurpet, nunquid satius est aliquo remedio cruento & ancipiti certissimam mortem, si aliter facias, & id remedij genus omittas, redimere, humanum est & officij plenum aliqua ratione ægrorum miserorum doloresque eleuare, atque id magis si cum aliqua salutis spe.

ANNOTATIONES.

1. *Verisimile est in febribus putridis à loco & foco ipso vaporem excitari ignitum cor appetentem & ferientem, qui donec discussa fuerit materiæ pars à qua est eleuatus, alit febrem. Vt enim in agro nostro deprehensum est à certo foco, nempè à vomica suscitabatur vapor qui &* ἀφωνίαν, *& febrem excitabat, & veluti miraculo quodam paroxysmus soluebatur. Deinde redibat terrifico modo. Magna est vis vaporis maligni præsertim vbi est* ἐξοχὴ τοῦ σηπεδόνος, *vt aliquo loco loquitur Galenus.*

In Coacis Hollerij multa continentur quæ ad demonstrationem huius difficultatis bibendi, nullo in faucibus tumore existente, pertinent.

2. *Hinc putris erat pulmo, imminutus, semilacer, & adhærescens: in tali casu oppugnare oportet putredinem per siccantia. Et tamen vulgus Medicorum ferè humectantia consulit, sic dum habet rationem cuiusdam extenuationis, liquida putrefactiua præscribit. Galenus multò meliùs capite vltimo lib. 4. de locis affectis, cum in eo casu desiccantia, & aromatica præscripsit. Vide diligenter locum istum.*

CONSILIVM SEPTIMVM.

De Tumore Hypogastrij.

IN tribus maximè rebus disputatio versata est: Primùm vt tumoris ventrem occupantis & propria sedes & causa quæreretur: Deinde legitima medendi via consuleretur: Tertiò, de futuro euentu, an nouum aliquem morbum minaretur, an suppurato, aliáve ratione tumor solueretur. Difficultatis cardo in eo vertebatur, quòd cum decem ante mensibus & difficultas spirandi summa esset, & tumor in regione lienis perciperetur, nec non dolor ad mammam vsque sinistram exporrigeretur, nunc mutata sede ac solio sub vmbilicũ tumor latitet prementi manui sese offerens. Prius Hypochondrium sinistrum propriè dictum occupabat, nunc verò eam partem quam Hippoc. propriè ἦτρον, & Hypogastrium, nos abdomen & sumen appellamus, inuasit. Et quod mirum fuit, repentè deuolutum est id quod ad lienem manui durum occurrebat. Vt iam aliquis suspicari possit, aut lienis extremum obduruisse, aut corpus ipsius, si diis placet, laxatis veluti vinculis illuc prouolutũ. Sed doloris vacuitas satis declarat nullam esse relaxationem, immo sunt argumenta lienis & benè habiti, & situm positúmque suum retinentis. Cæterùm, cum durities, sublimitásque ventris (quæ μετεωρισμὸς Hippocrati dicitur) aut Hypochondriaca sit, aut Hypogastrica, aut Hysterica, nullo existente argumento, aut Hypochondriacæ, aut Hystericæ, reliquum est vt sit Hypogastrica, & propriè κατὰ τὸ ἦτρον. Contrectanti Hypochondrium vtrunque molle satis, & æquale apparet. Sic & iecur & lien omni cul-

pa vacant. Menstrua purgatio conuenienter satis fit, sic vterus in vitio non est. Restat vt tumor in mesenterio ipso sit, aut in Epiploo. Si quis contingat, ferè sese prodit, vt credibilius sit ad Epilpoon quàm ad mesent. tumorem pertinere. Indolens est tumor, durus, digitis non cedens, inueteratus, sic scirrhi magna suspicio est. Quod pertinet ad repentinam eam à sinistro Hypoch. ad vmbilicum deuolutionem, id nouum non est, cum & Hipp. scribat: *Tumorem in Hypoch. affligentem si recens fuerit, & sine inflammatione soluit murmur circa Hypoch. Maximè verò si cũ fæcibus & vrina excernitur. Si verò non transeat, iuuat eum ad inferas partes deuolui.* Id quoque explicat Hippocrates: *Lien eleuatus & impletus distribuit id quod continebat per venas corpori, & maximè in omentum & locos circa ventrem & crura.* Et cum ægra nostra satis intemperanter aquam hauriat, & prauo vtatur victu, non mirũ si splen facilè colluuiem susceperit, cuius partem in omentum deposuerit. Et cum sæpius diarrhœa ac cholera morbo tentata sit, declarat id interceptionem aliquã chyli, qui moram trahens corrumpitur, & dum per id tempus id quod tenuius est excernitur, id quod remanet vel intextum partibus, indurescit facilè ac lapidescit. Vnde in iis partibus & steatomata, & scirrhi, & cancri denique ipsi sectione corporum deprehensi sunt. Nunc curationis capita perstringantur. Ex interuallis corpus repurgetur, præsertim sena, ne educta tenuiori parte humorum, corpus illud indurescat. Frequenti vsu enemat. ex capitibus veruecinis decoctis cum multa mercuriali & maluis. Vsus fotuum remolliẽt non ita frequenter cõuenit, ne scirrhus irritatus cancrum accersat. Spes nulla suppurati est. Ita enim tumor subter vmbilicum rarò in pus vertitur, contra in superioribus partibus ob loci calorem Gal. Et cum absit febris minor suppurati spes est vt ex loco Progn. patet. Quòd si educi possit aut clyst. aut profusione vrinæ crassæ, & veluti γονοειδῶς id moliẽdum. Ita enim Hippocrates obseruat in Pernitho excretam vrinam quæ contenta haberet genituræ similia, aliquando abdominis tumores soluisse[3]. Quotidie mane illinetur pars butyr. recent. vino albo eloto, addita portione medull. cruris bubuli, aut vitulini. Quod ad præsensionem attinet, nisi ægra moderato victu vtatur verendum est ne in Hydropen incidat. Facilis enim cumulus erit humorum, & carnium consumptio vnde Hydropis metus.

Part. 25. lib. 2. Progn.

1. de morb. mul.

Com. ad part. 41. lib. 1. Progn. Ad particulam 35. lib. 1. Progn.

ANNOTATIONES.

1. *Et quod mirum fuit id quod ſiſcum ipſius lienis adaugebat repentè ad inferiores partes eſt deuolutum. Tunc maior extenuatio corporis erat iuxta illud Hippocr. Queis lien efflore ſcit iis corpus minuitur. Nunc autè ipſa coloris ſuauitas, & ipſa εὐεξία reſtitui incipit. Quintus Serenus capite de tumore Lienis hoc verſibus benè expreſſit. Legentur cũ locus poſtulabit. Lien attrahit humiditatẽ ſua raritate, & ob carnem ſuam criſpam & tortitiam, vt loquitur Aphrodiſai Interpres. Veteres aquam in liene poſuerunt per ſynecdochen, ab eo quod conſequitur: quia hydrops ſæpè à liene eſt. Meſenterium à lumbis ducit originem: ſi ea parte fluxio ſit, hinc rudimentum Hydropis eſſe poteſt.*

2. *Benè cum ægra actum eſt, quòd tumoris materia relictis Hypochondriis in imum ventrem partem minus nobilem depoſita fuerit. Vt enim ex tumoribus is periculoſior qui Hypochond. dextrum occupat, indulgentior vero, Gracis ἐπιεικέστερος, qui ſiniſtrum opinione Gal. ſic qui relicto vtróque inferiores partes laceſſit, minus formidabilis eſt.*

CONSILIVM OCTAVVM.

De Febre lenta & Hydrope.

ÆGER iſte febre lenta tenebatur, cum lentitudine totius corporis, offenſio vocis, & veluti παφλάζων erat, ſemiſopitus, ægrè mouebatur, inappetens omnium ciborum, leucophlegmaticus, ' quæ omnia facultatum omnium imbecillitatem ſignificare ſolent. Vixit ſemper valetudinarius, quod aut vitio diætæ factum eſt, aut gentilitium fuit. Eius ſorores & fratres ferè omnes antequam conſtantem ætatem attigiſſent, perierunt. Facies etiam ſano peſſimi erat coloris, naſo erat velut gutta roſea latentis elephantiaſeos ſignum. Virium ita effœtarũ cauſa erat obſtructio, aut partium corruptio, aut ſpirituum diſſipatio, aut cruditas ſumma, aut cacochymia, & penuria alimenti laudabilis quo ſpiritus illuſtrarentur ac recrearentur. Magna horum pars concurrerat. Reuera & intemperanter viuebat, & eodem modo ſeſe habebat quo & mulieres quæ malacia laborant

rant

rant. Et cum cibum appetiuisset, cum oblatum auersabatur. Id fatiscentis facultatis naturalis appetentis signum est Galeno: Et vt loquitur Hippocr. ἀπονενομμένος εἶχεν πρὸς τὰ σιτία. Sed & aliquid gentilitium erat ex parte patris. Mater longæua viuit, & fieri potuit, id quod ex parte matris viuacis in eo insitum fuit, caussam fuisse cur ita à grauissimorum morborum periculis emerserit. Eius enim morbi insolentes fuerunt, & Medicis penè admirabiles ferunt visos esse eósque terruisse. Credidimus ab imbecillitate cerebri facultate retentrice imbecilla factam fuisse magnã pituitæ prolapsionẽ, quæ pulmones partim obstruxisset, partim in ventriculum recepta ἐκλύσεις quasdam & subuersiones stomachi attulisset. Talis occursus & διάχυσις pituitæ & veluti σύντηξις, eum reddidit velut παφλάζοντα. Huius vocis quæ sit energia libro 2. Epid. meorum annotaui. Videbatur esse lethargus ex pulmone, de quo Hipp. Cuius essentia consistit in anathymiasi crassorum & malorum, vaporum à pulmone pituita putri pleno eleuatorum. Tamen non fuit magna δύσπνοια, vnde colligebant in pulmone vitium non esse.

3. de morbis.

Febris erat lenta symptomatica, qualis in vitio partium ipsarum hepatis præsertim solet esse. Vnde Hippoc. in vteri corruptione non requirit magnam febrem, πῦρ, inquit, ὀλιγοχρὸν est. Quod notandum ne febris simplicitate, & συνήθεια quæ apparet, decepti, aut in diagnosi, aut in prognosi labamur. Medicus primarius requirebat febrem maiorem quæ soluendo, & coquendæ cruditati satis esset. Quod Hippocrati apoplexiis febris succedens ἀνάλογος sæpè materiam coquendo conferat. An tamen febris aliquid proficiat in morbis aliis iam locis explicatum est.

1. de morbis.

Cæterùm cum noctes insomnes haberet, & iactationis plenas, ausi sumus venam aperire: fluxit sanguis corruptus. Et quoniam videri potuit quibusdam in tanta cruditate & rudimentis hydropis minus securam esse phlebotomiam. Defendimus hoc nostrum factum auctoritate Tralliani quam expendit Langius. Trallianus in curando anasarca venam reserat, non ratione quidem frigiditatis, sed quoniam detractio copiæ confert, vt cum ignis suffocatur à lignis viridibus, ligna detrahuntur. Sic detractio sanguinis leuat naturam parte oneris detracta. Tamen, vt ingenuè dicam, ista ratio Tralliani & similitudo, pace eius dicam, inutilis est. Non enim animaduertit in cruditate opus esse multo calore & spiritu. At per phlebotomiam eius

Trallianus. Langius epistolarum lib. 2. pag. 170. An in Hydrope secanda vena.

fit euacuatio. Vnde quibus in ista cruditate mittitur sanguis, omnibus corporis lentitudo & immobilitas quædam aduenit. Id quod experientia docet. Et in lib. 2. Epid. meorum annotaui de Domino de Cossigny, cui in consimili penè cruditate, & corporis catarrhosa dispositione secta est vena: ac statim immobilis & fandi impotens factus est. Salubre quidem & præclarum est remedium venæ sectio loco facta: at intempestiua homini necando, aut morbo protrahendo satis est. Et in nostro ægro pœnituit me facti, quod euentus aliter rem esse docuit quàm nos existimauissemus. Et reuera nos dehortabatur cruditas, sed cacochymiæ magna suspicio, & dolor nocturnus ad id incitabat. Ac mirum fuit quod statim à venæ sectione dolores quieuerunt, & fuit ἀναισθησία, & fandi impotentia, & τῆς γλώσσης ἀκράτεια, quod & ab infirmitate erat, & à copia pituitæ quæ à cerebro liquescente manans proluebat radicem linguæ & quodãmodo afferebat παράλυσιν. Caput in superficie adeo erat siccum & squallidum vt exustum planè videretur & extabescens.

Istius lentitudinis causa relata est maximè ad hepar & partes naturales in quibus cum plurima foret cruditas [1], & febris lenta, plus excitabatur crassorum vaporum quàm dissipari posset. Propterea si maior fuisset febris, spes esset aliqua dissipatum iri crassos istos vapores qui spiritibus viam obstruentes corpus ita ignauum & lentum reddebant. Videmus enim cum ligna viridia sunt, & ignis paucus, plus excitatur fumi quàm si res ita non esset. Quanquam & accusabatur & pulmo & caput.

Consultum est ventriculo fotibus ex nardino oleo. Nam Galen. syncope opitulari ait litum nardini olei & similium ad os ventriculi. Clysterum frequens iniectio ex cephalicis & detergentibus. Bolus ex conseruis anthos rosarum, buglossæ & theriaca. Purgatio ex rheo cum aloë. Decoctum origani, betonicæ cum semine, & radicibus pœoniæ sub forma oxymelitis. Duodecim post diebus interiit veluti paraplecticus.

ANNOTATIONES.

1. *Antequam sic affectus esset, pedes intumescebant & detumescebant: post remansit maior pars materiæ in ventre. Locus est præclarus lib. de affectionibus Hipp. dum rationem reddit cur initio detumescant & intumescant pedes, deinde non sit fugax tumor, quoniam initio vapor*

ſanguineus eſt cauſa huius rei. Sed quia ſucceſſu temporis pituiteſcit magis materia, ideo manet. Vide id quod Chriſtoph. à Vega annotauit in lib. 2. Prognoſt.

2. *De hoc Lethargo, vide lib. 2. Epid. meorum.*

3. *Febres quæ ſequuntur vitium* τῆς ὅλης οὐσίας *partium, maxima ex parte ſunt lentæ, ſymptomaticæ & periculoſæ, & incautis Medicis ægros necant.*

4. *Conſimilis eſt morbus deſcriptus à Manardo Epiſt. 5 lib. 14.*

CONSILIVM NONVM.

De Φιμώσει.

FILIO H. M. Conſulis contigit affectus qui Græcis φίμωσις dicitur. A cauſa procatarctica fuit. Nam cum pruritui ſatisfacere volens partem defricaret, vlcuſculum contigit. Neglectum verò, diuturnitate cicatricem callúmque contraxit. Hinc reſtricta coactáque cuti, glans detegi non poteſt. De ea affectione ita ſtrictim dicendum, φίμωσις καὶ παραφίμωσις, indifferenter & ad viros & ad mulieres pertinet. Id aut caſu, aut natura contingit. Si in viris glans non detegitur, ſed præputium vndique ferè coaleſcit, φίμωσις dicitur. Si ita glans denudata deducto retrorſum preputio vt tegi nequeat, παραφίμωσις dicetur. Quanquam & φίμωσις Manardo vocatur. In mulieribus aliquando ſinus pudoris oſtiolum non eſt perforatum, & ſi id à natura eſt, ἡ γυνὴ ἄτρητος dicitur. Imperforatas Auicennæ interpres vocat. Si verò caſu euenerit, in muliere quoque φίμωσις appellatur. Barbari id vitij capiſtrationem vocant. Et cum naturalis eſt meatuum præcluſio φιμώσεως nomine donatur, quacunque id corporis parte eueniat. Sed κατ᾽ ἐξοχὴν, de præputio dicitur. Porro ἀπὸ τοῦ φιμοῦ etymon eſt φιμώσεως; φιμὸς autē ſignificat nexum ſummi oris perarum & ſacculorū, cum toto ſuperiore eius ambitu in anguſtum collecto funiculo religantur. Guido Cauliacus preputij clauſionem vocat. Paulus Aegineta omnium pleniſſimè egit. Atque ad φιμὸν in mulieribus laudat inſeſſus emollientes ex hydrelæo, & decocto fœnig. item cataplaſm. inſtituit. In viris ſæpè fit aut ob cicatricē quæ in præputio cōcreuit, aut ex carnis incremēto,

Cap. 55. lib. 6. pag. 55.

vnde coalitus ſecutus fuerit. In hoc adoleſcente ſuſpicio magna fuit vlceris, quanquam & à natura viſa eſt hæc pars aliquãtùm imminuta. Ad finem glandis vlcus erat ἰχωρῶδες. Deterſum eſt & curatum. Tandem ſpongiolæ ſunt inditæ anguſto meatui, vt is magis pateret. Parum profectum eſt. Cogitabatur de amputatione, aut inciſione recta præputij flaccidioris & oblongioris. Res in aliud tempus dilata eſt. Nil moleſtiarum afferebat, at metus erat ne non corrumpere virginem poſſet. Nec id abs re, anguſtus enim valdè meatus eſt. Dum hæc agitarentur, occurrerunt duo eandem σίμωσιν geſtantes qui in palæſtra venerea ſe non minus ſtrenuos & aptos, quam reliquos affirmarent. Et alter iam quinos liberos ex vxore ſuſceperat.

CONSILIVM DECIMVM.

De Catarrho.

NIL tam vulgo iactatur quàm catarrhi nomen. Nil cuius & cognitionem, & curationem nemo non profiteatur. Nil in quo magis peccetur, & imprudentius quiſque labatur. Immo & imperita garrulàque quæque anus & periclitator quilibet in catarrhis ſiſtendis magnum quid pollicetur: Et quò quis indoctior, eò curandi catarrhi peritior cenſetur [1]. At hîc video paſſim vnumquemque turpiter labi & decipi: & miſeros ægros, innocentes tamen, tantæ aliorum ignorantiæ pœnas luere [2]: Nam cùm materia aliàs ſit tenuis & effera, aliàs mitis & craſſiuſcula, non parum intereſt ad ſalutem quo quis remedio vtatur. Et turpius hîc peccatur, quoniam frigus omnis deſtillationis authorem ſtatuit. Errandi hæc occaſio inde nata eſt, quod tuſſim excitet frigidæ auræ aſpiratio. At hæc ratio languidior eſt & eneruatior [3]. Et dum falsò hoc vtuntur fundamento, quicquid ſuperſtruitur vacillat ac corruit; hinc manauit quorundam neotericorum error, qui à frigido deſtillationis cauſam arceſſentes, vinum, idque generoſum tuſſiculoſis præſcribunt. At hic error, vt apud Homerum Ιλιαδ. α.

ἰφθίμους πολλῶν ψυχὰς ἀϊδι προΐαψεν.

Sed vt his prætermiſſis ſanitatis tuæ ratio ineatur, capita

hęc breuiter perstringam.

Non solum pręcautio, sed & curatio necessaria est. Pręcautio quidem vt longè antè obuiàm eamus iis quæ fera in pulmones destillatio afferre solet. Curatio, vt quod præsens est tollamus. Symptoma enim pręsens est, tussis partim sicca, partim humida, cuius causa destillatio est. Destillationem autem fouet morbus quidam & diathesis morbosa in cerebro iam firmata. Id Galeno dicitur διάθεσις ῥευματική. Est enim perennis generatio humoris efferi in cerebro qui malus vt signum; & vt causa, vt signũ, nam significat imbecillitatem quandam in cerebro; & latẽs vitium cuius occasione illud excrementum, & serum acre succrescit facultatem expultricem irritans: vt causa, quoniam non solùm malè afficit partem à qua manat, sed eas per quas influit, in quas labitur. Vnde eiusmodi fluxionis comes est sępè exulceratio faucium, gurgulionis marcor, pulmonum pruritus quidam, vt placet Hippo. vasorum erosio, aut apertio, hinc excreatio cruenta, aut varix in pulmone (ita enim Hippo. σπιδῶνα ἐν τῷ πνεύμονι vocat hinc tabes. Nec tabis nomen ita turbare debet. Reperio enim apud Hippocratem eis tabem quandam esse familiarem quibus pulmones calidiores sunt. At talem tabem, pręsertim si eius cura statim habeatur, annuam, sed curabilem statuit Hippoc. Nec enim ab vlcere est, nec à venenata aura. Omissis multis quæ hîc narrari possunt id totum in quo laboratur, statuo esse ferinam destillationem à capite iam vetere infirmitate prædito. Nec solùm hîc accuso caput, sed & partium inferiorum cuidam intemperiei consulendum puto. Omitto multa quę à primariis Medicis præscripta sunt; nõnulla tantùm adiiciam, vt multorum virorum de tua salute satagentium conspirationi tam efferus cedat morbus [+]. A medicamentis validioribus abstinendum. Alioqui cursus materiei tam efferæ citabitur magis. Nec si dolor capitis oboriatur, propterea ad pilulas veniundum. Has caue, & angue peiores vitabis, pręsertim aloen ipsam quæ est ἀναστομωτική. Nec facit illud quod ex 5. Meth. med. ex Gal. quis obiicere potest, qui catarrhosis colocynthiden præscribit. Agitur enim de euellenda materia contumaci. At hîc potius temperandum est.

Vsus syrupi diacodyonis, & de papauere conferet.

In auctiore tussi pilulas de cynoglosso non formidarem.

Conserua rosarum, violarum, & caro cytoniorum, confer-

ua nenuph. sæpè ore teneatur.

Æstate vteris iulep. rosato in rem præsentem parato.

Valebit plurimùm syrupus ex floribus & germinibus salicis, foliis vrticæ mortuæ, summitatibus viminis rubri, bursa pastoris, plantag. addito capite vnius papau. & rad. altheæ.

De nocte hordeatis locus erit addito semin. lactucę in decoctione.

Gargarismus ex plantag. ros. & additione foliorum hyos. ya. valebit. Immo inter cætera id mihi placet.

Balneum aquæ dulcis temperatum & egelidum vitando omnem exuperantiam.

Lac asinæ.

Parabuntur pilulæ albæ, hypoglottides dictæ, addito semine papauer.

Manè iuscula cum decocto pulli & pedum vitulinorum, aut capreolorum additis pass. gly. & hordeo mund.

Si cauteria bracchio non iuuant, applicabitur in occipi. c.

ANNOTATIONES.

1. *Locus hic præclarus de Distillationibus, & sæpè memorandus, ad part. 18. sect. 3. lib. 6. Epid.* Destillationes à capite in pulmonem malignas puta, si subtiles & corrodentes fuerint. Has nec in pulmone tandiu morari donec concocta crassescant, conuenit, vt sunt aliæ fluxiones à tenui quidem materia, sed non corrodente & ęgrè maturescente, nec rursus statim eas acres expelli necesse est. Intus morantes non facilè coquuntur, & pulmonem lacerant. Si excernantur, etiam tusses molestas excitant, à quibus caput repletur, & hoc rursum deponit in pulmonem, & à tussis vehementia vas rumpitur. Id fit in tenuibus humoribus qui spiritum excludentem eludunt. Sic morantes & dum excluduntur, nocent.

2. *Ad finem capitis vndecimi lib. 5. pathologiæ Fernelius vnum commemorabile annotauit quod pertinet ad dignoscendum an aliquo tussiente affectus causa sit in pulmone, an in capite.*

3. *Catarrhus omnis aut ab externo est aëre, aut à nobis ipsis, vt cum meracum bibimus, aut ab intemperie partium. Is autem morbus non est, sed consequens morbum. Aut enim cerebrum laborat vt pars similaris, vel vt pars organica: vt similaris, vt cum calidius, frigidius: vt or-*

ganica cum plenum est. Quo enim modo se habet diarrhœa ad ventrem, eodem & catarrhus ad caput cap. 4. lib. 3. de symptomatum causis. Hipp. lib. de loc. in homine catarrhum ait fieri à carnibus frigidis, & à calidis. A frigidis per compressionem: à calidis per colliquationem. Et Comm. ad Aphor. 13. lib. 3. Tusses & coryzas symptomata esse ait repleti multùm capitis. Duretus interpretans Meth. medendi Hollerij de tussi multa eáque præclara dixit. Vnum est maximè difficile & quod Medicos torquet, quid sit ista tussis quæ vulgò Quinta dicitur. De hac aliundè in 2. lib. meorum Epidemiorum. Dubitatur enim an ista tussis sit à capite, an à pulmone, an à partibus vicinis veluti fusis & liquatis. Non quòd sit vera syntexis. Omnes enim vulgò ad caput ipsum recurrunt. Galen. Comm. quodam in Epidemia alias partes quàm caput accusat. Sed id obscurè facit. De ea re diximus lib. 2. mearum Ephemeridon. Reuera inexplicabilis est modus quo fit catarrhus. Nam quid est quod quis in cellam vinariam, aut locum similem descendẽs statim destillatione laborat? Vbi erat tam multus humor liquatus? Itaque quærenda est huius rei causa subtilius.

4. Nam est vbi locus est validis medicamentis, est vbi non. Vnde Celsus cap. de phteiriasi palpebrarum ita scripsit lib. 6. Medicamenta intus lenia danda sunt ne quid acrioris pituita concitent, &c. Et in Ophthalmiis & Capitis dolore sæpè nocent pilulæ. Quam ob causam iis qui destillationibus sunt obnoxij, & in metu tabis consilium est Hippocratis, vt incrassentur impinguentúrque: Ita enim fiet vt cum hæmoptoici fiant benignitate frequentioris alimenti, sanguis biliosus contemperetur. Quod diligenter annotandum est. Nam in excretione sanguinis per os plerique Medicorum exactam diætam præscribunt. Sed & annotauimus vnum valdè commemorabile ex cap. vltimo lib. 4. de locis affectis, lib. 2. meorum Epid. nempè perperàm eos agere qui humectantia impendio magis vsurpant in morbis thoracis. Corruptionem ipsius pulmonis afferre videntur. Vnde nimius potus, & rerum liquidarum vsus implere pulmones videtur, & sanguinem serosiorem reddere.

5. Tanquam à causa sit frigida omnis distillatio, calefacientibus remediis, & pilulis liquantibus omnes penè Medici vtuntur: Item ægri ipsi perpetuò fouent caput linteis ad ignem admotis: contra aliquando caput refrigerare oportet, & humorem à capite stillantem incrassare. Quod Aëtius adscripsit, dum loquitur de oxyrrhodini vsu in ferina destillatione, ait tenuitatem destillationis inspissat, exurentem & acrem qualitatem in capite refrigerat, tussim sedat, somnum inducit; hoc pauci Medici animaduerterunt.

6\. *Postquam primarios Medicos consuluit, iisque visum est ex vsu esse lenientia, mitigantia, catarrhum compescentia, tandem nostro consilio syruporum incrassantium vsus visus est necessarius. Lutetiam venit tussiculosus, curis implicitus. Debebat enim sistere se coram Senatu examinis ergo. Et cum hinc illincque animus curis agitaretur, benè cœnatus meminit superioris istius Consilij. E Pharmacopolio syrupum de papauere quærit. Eo copioso vsus est, tum ad catarrhi leuationem, tum ad somni conciliationem. Sed suæ imprudentiæ pœnas non longè post pependit. Obmutuit enim, & ἄφωνος mansit per duas horas integras. Etiam valdè agitatus vocem non recuperauit. Huic febris apparuit ingens (antè enim ἄπυρετος non erat) sequentibus diebus veluti balbutiens, & parum attonitus redditus est. Multorum obliuiscebatur. Καταφορικὸς interiit. An vsus istius syrupi tantopere obfuit? an materia suppressa quæ καταφορὰν inuexerit? an bonum in catarrhis venenatis & subtilioribus dare narcotica? an non, dum symptomati occurrimus, causam morbi fomitem adaugemus? Etenim in talibus fluxionibus ferinis fit quædam διάχυσις, & retinens de Natura syntectica, & talis humoris suppreßio cum aliquid venenati habeat, perniciosa est. Commodè per halitum & sudorem exhalaret & digereretur. Sed si hydroticis vtimur, metus est ne corpus calescat, & humores commoueantur.*

CONSILIVM VNDECIMVM.

Ad fœtorem oris.

IN fœtore oris curationis capita hęc sunto. Pars vnde prima mali labes diligenter repurganda. Toti consulendum. Gargarismis os colluendum. Manè pręsertim sialismus prouocandus iis quę temperata sunt. Saluia vino macerabitur. Aurum, id est, numus aureus ore continebitur. Theriaca aut mithridatium quotidie manè deuorabitur. Pilul. vsus ex rhab. frequentissimus. Tabellę. Pimpinella macerata in vino. Eadem ore contenta. Frequens vsus syrup. rosarum pallid. vini absinthitis frequens vsus. Carnium vsus paucus. Vitanda allia, & quę odore ingrata sunt. Granatorum, & limonum vsus iucundus. Pomorum aureorum cortex conditus. Vsus coriandri. Masticatio nucis moscatę miro profectu indulgetur. Aqua cister-

cisternæ cum rosa ad collutionem oris.

℞. Rad. acori & coriandri præparati. an. ʒ j. dictami. ʒ j. absinth. pontici scordij. an. p. ß. buglos. pinpinel. pilos. meliss. stæchados. an. p. ß. florum cord. p. ß. fiat decoct. in qua infunde rhab. ʒ ij. ß. cinnam & nucis moschat. an. ℈ ß. expreßioni adde vini albi cochlear vnum syrup. ros. pallid. ʒ x. fiat potus.

℞. Coriandri præparati ℥ ij. pulu. panis tosti. ʒ 6. fœnicul. dulcis conditi. ℥ j. glycy. ℥ ß. fiat mixtio.

℞. Tabell. aromati rosati & diarrh. abb. an. lib. ß. vtatur.

℞. Mithrid. ʒ iij. conseruæ rosarum buglos. & violarum. an. ℥ j. vtatur mane, & hora somni.

℞. Rhab. ʒ ij. nucis mosch. grana 8. pulueris arom. rosati grana 6. agar. troch. & aloes lotæ. an. ℈ j. cum vino albo infusionis zingib. & cinnam. fiat massa vtenda ad 4. pilulas sæpè ante pastum.

Aquæ Imperialis vsus conuenientißimus, & vinum absinthites.

ANNOTATIO.

1. *Cùm à toto corpore sudor graueolens manat, quod symptoma vt plurimum biliosis & ruffo capillitio cutéque subalbida præditis contingit, hac ratióne corpus odorum & benè olens redditur, præsertim æstate, quo tempore cutis spiracula & pori patent propter ambientis aëris caliditatem, coquunt radicem cardui benedicti in vino albo, quotidie manè propinant tres vel quatuor ℥. statim à potu huius decoct. vrina crassa & fœtens redditur. Vel, accipitur terebinthina Veneta ad quantitatem oliuæ cum pari portione mellis, coquitur modicè, deglutitur, vinúmque insuper bibitur. Alij magno profectu myrrhæ & serpylli pares portiones terunt, & ex iis pilulas formant, quarum duas manè deuorandas præbent, insupérque vinum bibendum exhibent. Hæc præsidia non modo ad totius corporis fœtorem, sed etiam ad oris graueolentiam arcendam valent.*

CONSILIVM DVODECIMVM.

De febre continua cum grauibus ſymptomatis.

VANDOLII Hiſtoria, & illius qui interiit, cuius mentio facta eſt in lib. 2. Epid. meorum, notanda eſt & aliquid affine habet cum iis quæ in Prorrhetico ſcripta ſunt, cum docet Galenus quomodo multa etiamnum euacuatione facta morbi tamen remaneant. Verba autem ſunt hæc, Nempè, cum affectio fit & nondum facta eſt, ſeparata cauſa ipſam efficiente, ſedatur, ſi verò completa ea fuerit, etiam ſi euacuata fuerint illa humida[1], Græcè τὰ ὑγρὰ, quæ affectionem procreauerint, nil in ſanatione rationis ampliùs exiſtit: Græca verba ſic habent, quoniã interpres obſcurus eſt, πλέον οὐδὲν εἰς ὑγίας λόγον. Nihilo magis proficitur quod ad rationem ipſius ſanationis pertinet. Quanquam nec nobis placet omnino noſtra verſio latina. Verba enim Græca maiorem habent ἐνέργειαν. De Vandolio res ita habuit. In omni re erat nimius, indulgebat veneri etiam crudus. Curis & ſolicitudinibus ſeſe conficiebat, & vt tædia ſuſcepta leniret aliquantum, cibis multis & meraco omnem moleſtiarum preſſum eleuaturum ſeſe credebat. Siccum valdè & αὐχμηρὸν caput habebat, & ab infirmitate ardoréque concepto per diffuſionem quandam καταρρῶδες. Cruditas toto corpore multa erat, & partium latens vitium ob cauſas prædictas. Is febricitare cœpit. Rem parui fecit, ſibi ipſe Medicus fuit, & inſcio Medico tabella magni ſcutiferi, diagredij quantitate euacuationem magnam vulgi opinione moliri ſolita, aluum ſubducere morbúmque tollere ſtuduit. Laxatur aluus intempeſtiuè, irritatur deſtillatio, tuſſis aſſidua, febris continua, ſudores ferè perpetui. Sudorum iſta frequentia ab inſtituto Medicos reuocauit. Nil enim tentare audebant, cum copioſus eſſet ſudor, & corpus valdè ſudandi aſſiduitate debilitaretur[2]. In multo hoc ſudore ſpem ſalutis ponebant. Febris non frangebatur, aut id nos latebat. Secta vena, non abundè detractus ſanguis. Septimo die reſtitutus videbatur. Octauo, febris magna non ad ſenſum quidem, ſero deliria, iactationes, verborum abſurditas[3], ſudor nullus,

lingua ſicca & τραχεῖα καὶ fuliginoſa. Sitis non erat ἀξιόλογος. Mente parum conſtabat, ad ſe aliquando redibat. Exacerbata omnia. Inflammationis, & in gibbo hepatis, & in cerebro magna argumenta. 14. die cum ſudore diaphoretico interiit.

Nec enim credibile eſt tantam eſſe initio mutationem vt reſolutio iam adſit. Et quæ per excretionem ſeu expreſſionem fit, aut natura, aut arte tentatur. Nec pluribus de eo modò dicendum. Vnum tantùm obiter monendum: An præſentibus ſudoribus initio morborum ceſſandum, & non aut vena aperiunda, aut corpus purgandum? Omnes enim ab opere ceſſant. Ego verò exiſtimo etiam moliendum aliquid, quòd inanis ſit naturæ conatus cauſam morbi per cutim emoliri volentis. Nam ſæpè ingens eſt intus æſtus iuuans eam excretionem; interea natura fatiſcit, & nil ſalutariter excernitur, quia nondum cocta ac mitificata eſt materia. Et cum principium morbi in iſto prouocando ſudore natura exigit, locus non eſt ſolennibus remediis, & ita omnia in peius ruunt, ægríque malè res eunt. Hoc Vandolio cõtigit, ſatius enim fuiſſet naturam nihil moliri quàm fruſtra aliquid moliri. Et nos cum faceremus Medicinam cuidam mulieri regionem hepatis dolenti, nos non reuocauit ab vna, atque altera venæ ſectione ſudor. Immo inanis iſte ſudor ceſſauit refrigerato per phlebotomiam corpore, & leuata oneris parte natura, (quod obſeruandum eſt in Medicina facienda attamen id cautè faciundum.) Incendium erat internum quod ſudandi occaſionem incitabat. Sed dicet quis, ſi initio morborum ars aluum etiam copioſè fluere facit, vomitiones excitat, & natura idem præſtat, cur non & ſudores proliciet? Eadem enim vtriuſque rei ratio eſſe videtur.

ANNOTATIONES.

1. *Sudor omnis aut fit per excretionis modum, aut reſolutionis, aut oppreßionis. Et hanc poſtremam explicant Galli cum dicunt,* vne ſueur d'ahan. *In Vandolio erat potius ſudor oppreßionis. Notauimus lib. 2. Epidemiorum meorum, quid ſit corpus eſſe,* ἐν τῇ τάσει καὶ τῇ λύσει: *vt epilepſia & conuulſio omnis dicatur eſſe,* ἐν τῇ τάσει, *paralyſis vero & pareſis* ἐν τῇ λύσει. *Quod notandum eſt. Et nunquid id quod de iis affectibus dicitur, idem de ſudoribus dici poßit, vt ſudores qui ſunt diaphoretici &* σωτηρικοὶ, *dicantur eſſe,* ἐν τῇ λύσει, *ſiue per* λύσιν τινα, *qui verò*

per excretionem fiunt ἐν τῇ τάσει εἶναι, siue κατὰ πόσιν τινα. Quod ex Epid. Hippoc. colligi quodammodo potest.

2. *Aphrodiseus prob. 122. lib. 2. Quærit cur sudores ante paroxysmum sint graues & molesti, qui febrem sequuntur per relaxationem & remißionem effluunt. Quia qui antecedunt per violentam expreßionẽ destringuntur. Ex Hipp. 4. de Morbis, aliquis probauerit in febribus esse inutiles, quia aqua sanguinis exhalat. Aqua autem repugnat febri ex Hippoc. Notandum autem, quòd sudor omnis sit aut per excretionem, aut resolutionem, aut oppreßionem. Hæc postrema ratio in ægris sæpè obseruatur.*

3 *Circa sudores multa possent animaduerti. Sed duo obseruari debent, prius, quòd sudor tempori erumpens maximè faciat ad morbos iudicandos & dolores sedandos. Posterius quod vbi cruditas est multa, sæpè sudores multi sunt. Circa prius peccari solet plurimùm. Nam cum & apozematis & medicamentis purgantibus aluum sollicitamus, & vrinas prouocamus, sudandi occasionem demimus. Quibus enim aluus humida est, humórque ad vesicam affluit, sudant minimè. Ideo natura reuocatur ab excretione per sudores. De posteriore ita considerandum ex Aphorismo 41. lib. 4. Nam in morbos casuri longè ante sudant, & is sudor est prænuntius morbi quemadmodum, & κόπος αὐτόματος. An non potius à cruditate est, & si est, num potius coquendum, quam vacuandum?*

CONSILIVM XIII.

De Ptyalismo.

CApita hæc fuerunt deliberationis:

Cur cum macer sit, immo ad tabem vergat, tanta humiditate caput sit præditum vt ptyalismi finis non sit. Fortè partes siccæ sunt humiditate natiua, humidæ excrementitia vt in senibus contingit, vt iam senectutis ex morbo sit rudimentum. Et est summa naturæ infirmitas, & facultatis retentricis imbecillitas, vt iam sit ῥευματικὴ διάθεσις. An talibus vsus iusculorum conuenit? humidi sunt, dices, & catarrhosi, ergo siccandi. Item siccum sano propinquius, vt etiam ij qui corpus siccant diæta, aut alia ratione melius habeant quam alij. Et homines

ſqualidi, ſicci & quaſi ſtrigoſi longius ſæpè viuunt quam contrarij. Et cum cerebrum ſit metropolis humidi & glutinoſi, an non ſeruandum ſimilibus?

Hippocr. lib. de carnibus.

Ptyaliſmus aderat. Vnde? Nam ptyaliſant Hypochondriaci, quibus cerebrum inflammatum, quibus melancholia cerebralis eſt, quibus catarrhus perennis, aut ventriculus humiditate natat, aut corpus lienis aqua plenum eſt: Vel poſt morbos longos vt febres quartanas & quotidianas in quibus tandem ſuperueniunt ῥευματισμοὶ, vt ait Galenus qui ptyaliſmi ſunt cauſæ.

Lib. de Typis.

Dictum an ſputum omne ſanguinis, præſertim ſi à pulmone eſſet κυκλώδεες, vt videtur Gal. docere: an tutus validiorum medicamentorum vſus catarrhoſis & pulmonicis, quod in primo Tomo Conſiliorum dictum eſt.

6. Aphoriſmorũ.

Videbatur habere excretionem è pulmone & ſemiputrefactam, id eſt ſemicoctam (ἡμιπεπτὲς enim apud Hippocr. pro non abſolutè cocto & mitificato ſumitur) & effœminatam, Græcè ἐκτεθηλυσμένον, vt vocat Hippocr. id eſt diſſipatam, diuulſam, nil compacti habentem, & abominatur ſputum ipſum, Hippocr. vocat μυσαχθὲς τὸ σίαλον, quod aut malitiam, aut malignitatem ſputi declarat, & rei quæ è pulmone excernitur. Ita enim Hippocrates loquitur lib. 2. de morbis.

Lib. de morbis.

Ibid.

CONSILIVM XIV.

De febre quartana cum grauiſsimis ſymptomatis.

LVDOVICI DV BEX Hiſtoria commemorabilis. Cum febre quartana laborauiſſet diu, & ea quaſi contabeſceret, colicis doloribus crudeliter diuexatus & tandem collapſum propè abdomen eſt, & ita emarcuit vt ſceleton eſſe dixiſſes. Inter alia ſymptomata quæ contigere, & quæ Medicis negotio fuêre, difficultas quædam potandi fuit! Mirum hoc, appetebat cibos, & benè deglutiebat, ſed cum bibebat, ſecundo aut tertio hauſtu tanta difficultas, & moleſta tuſſis contingebat, vt ad nares reſiliret potus. Cauſa cognitu difficilis. Nil enim in faucibus tumens apparebat, nullus aderat dolor. Ego id referebam

ad ligulæ quandam contractionem, & asperæ arteriæ siccitatem, quæ efficeret, vt non satis obsequeretur hauriendo liquori, ita vt in asperam arteriam de potu aliqua pars deffflueret. Id quod tussim & molestiam afferebat. Alius Medicus ad inflammationem id referebat. Decipiebatur meo iudicio. Et quoniam res ea est difficilis, legatur Commentar. Hollerij in Coaca aduersaria. Eò loci abundè de ea re scripsit. Nos ita ægro & admotis & assumptis occurrimus humectantibus & lenientibus. Et id profuit. Cum enim pinguior factus est, istud cessauit symptoma. Ita scriptum voluimus quoniam res ea contemplatione digna fuit.

CONSILIVM XV.

De ἀμβλυωπία.

NE malum in oculo obfirmetur, primo quoque tempore danda est opera purgando capiti. Hoc enim mali fomes censetur, non pars alia.

Decimo quinto quoque die deglutientur pilulę in eum vsum paratæ, quarum vis vt paulò maior erit, ita rariùs in vsum venient.

Interponentur pilulæ blandiores hora vna ante cœnam leuiorem deuorandæ. Nec ab officij publici munere erit feriandum.

Parabitur conserua mane & hora somni vtenda vt robur cerebro addatur, & oculo vis vernacula restituatur.

Sed vitæ ratio primas hoc loco parteis sortitor, vel habeto.

Prandium liberalius esto, cœna frugalior & parcior.

Vini præsertim, vt potè cerebro, neruis & oculis inimici moderatus vsus esto. Nec enim è re putatur esse si omnino circuncidatur.

Assorum quam elixorum vsus frequentior esto, non tamen omnino à iusculis temperandum.

A luculento igne fugiendum, vel saltem oculis obex aliquis opponatur, spiritus alioqui visum impertiens dissipatur vehementioris aëris calidi repercussu.

Cibus ſimplex vſuuenito, varietas vitator donec lumini natiuus ſplendor reſtituatur.

A lucubrationibus quoad fieri poteſt, abſtinendum, & lectione pertinaci. Vbi enim dolor eſt, quies & tranquillitas imperanda, nec è pedibus laboranti incedendum. Durum iis quibus carere libris vita carere eſt.

Magnarum cogitationum curſus reprimendus, magna enim cogitatio obcæcat, Plinio, abducto intus viſu, propterea circuncidendam omnem negotioſam cogitationem vel actionem Celſus mouebat.

Qui crudus dormit, præſertim ſtatim à cibo, deſtillationes excitat atque alit.

In conuiuiis aliquando adeſſe, ſæpius ab iis ſeſe retrahere oportet.

Sobrietas hîc primas tenet, ſed inedia non toleranda, vt ij faciunt qui vt famem opſonent, paſtum vnum prætermittunt. Sic enim natura offenditur.

Tranquillitas animi, & incitatioris curſuum animi ſedatio in primis quærenda [2].

Hæc faciſiùs obſeruaret qui ſuæ ſpontis eſt, & nullis obligatus eſt legibus, cui licet modò ruri eſſe, modò in vrbe, non exacta obſeruatio, ſed mediocris quæritur. Verum oculorum dignitas ſatis exactam legem indicit.

Quod ad externa attinet, cucurbitularũ applicatio frequens in humeris eſto.

Clyſterum magnus eſt vſus, ne ventriculi offenſio vlla à medicamentis conſequatur, quanquam in blandis conſiſtendum.

Procurant ſemper veteres alui libertatem, quòd ea vnica ſit morborum ocularium medela, qui alioqui alia remedia eludunt ni aluus, aut ſponte, aut arte ſoluatur.

Si malum contumacius erit, quod ſperamus non fore cum Deo, capietur occaſio vſurpandi illius remedij ſolennis, quod vt ſeriùs vſurpatur, ita manifeſtiorem cæteris præſtat effectũ [3].

Si Deus noſtris votis annuat, breui oculi ſerenitas recuperabitur.

ANNOTATIONES.

1. *Cum quis queritur de imbecillitate viſus, non ita multos eſſe opor-*

zet in purgando, nam aliquando potius est corpus reficiundum quam medicamẽtis agitandum. Quis enim dubitat quod aut in cerebro sit infirmitas, aut cruditas. Si sit alterutrum, benigniùs est tractandus æger. Vnde Hippoc. Acut. 4. in catalogo eorum qui purgari non debent, censet eos qui obscurè vident. Quanquam mouere humorem, & non educere, sæpè magnorum symptomaton causa est. Alter error qui committitur est, quia nimis liberaliter vtimur frigidis & repercutientibus in morbis oculorum. At vim, & id quod est æthereum extinguimus & membranas magis frigefacimus, &c. Etsi aër frigidus oculos lædit, cur non aquæ frigidæ? Item notandum est humorem qui ophthalmiam facit, ratione quidẽ crassioris & humidioris partis frigidum esse, ratione verò partis tenuioris acrem esse & mordacem. Sic vnum & idem remedium non confert. Vnde vulgi remedia sæpè plus prosunt quam methodicorum conquisita præsidia.

2. *Locus hic notandus, vide locum bellum de animo & oculis apud Plin. in Epist.*

Plinius cap. 4. lib 28.

3. *Ad superiora suo loco, suóque ordine adiicies duo, vnum de decubitu, alterum de vsu veneris. Decubitus supini conueniunt oculorum affectionibus: venus medetur lumborum dolori & oculorum hebetationi. Quanquam de Venere dubitatur.*

Idem Cap. 6. lib. 28.

CONSILIVM XVI.

De ἀποσιτία, Pro magnifico Sederino.

CVM ventriculus langueat per cibi quandam abstinentiam & ἀποσιτίαν, non mirum si in dies ista ὑποσιτία increscat; & corpus contabescat. Admirabile enim illud est quod scripsit Hippocrates lib. de Diæta acutorum. Quibus in more positum est bis die cibum capere, si fortè illi non pranderint, infirmi fiunt, iacent & ad omne opus timidi, stomachi morsu tentãtur: viscera suspendi videntur, meiunt vrinam calidam & flauam, & stercus peruritur. In Græco[1]. κρεμᾶσθαι δοκέει τὰ σπλάγχνα αὐτέοισιν: Iste autem κρεμασμὸς καὶ μετεωρισμὸς, non aliundè est quam ob collapsum stomachi habitum, qui cum intumuit visceribus est cuiusdam fulcri loco; viscerum enim repletio est viscerum rectitudo quædam

Part. 24. lib. 2. Acuto.

dam[2]. Vnde fit vt quidam squalido habitu & melancholico cum tulerunt abstinentiam vnius diei aut plurium dierum, existiment sua veluti viscera pendere, & mali Medici frustra eos medicamentis solicitant, potius verò adiectioni studendũ est, quam detractioni. Maximè verò peccant Medici si corporibus biliosis abstinentiam præscribunt. Nam efferatur magis bilis in illis, vrinæ redduntur tinctæ magis, augetur intemperies. Deiectio exuritur, habitus corporis, & præsertim extimæ partes refrigerantur. Nam in picrocholis vernaculus calor, ait Galen. In id quod igneum est digreditur, propterea & temporum pulsus est manifestus: & extimæ partes refrigerantur quod venter humoribus, Græcè ἰχῶρες, biliosis repleatur, quorum morsu atque contristatione affectus virtutem dissoluit, corporísque extrema refrigerat. Et cum solum enæorema sufficiat in corporibus valdè biliosis ad crisin, hoc docet quod tales morbi non tam in materia multa, quàm in pauca eáq; qualitate nescio qua affecta consistat.

Com. ad part. 24. lib. 2. Acuto.

ANNOTATIONES.

1. Κρεμᾶσθαι. *Plin. cap. 5. lib. 28. videtur citare hunc locum, & ait non prandentium exta celerius senescere, legendum pendere & succrescere.*

2. *Quo pertinet illud Hippocr. in lib. 3. de articulis cum loquitur de fractura costæ, Si febris continua non prahendit eum qui fracta est costa satius est eum non inanire. Inanire enim est* ἐπωδυνώτερον, πυρετωδέστερον, βηχωδέστερον: *moderata repletio ventris directio costarum est, euacuatio autem* κρεμασμὸν *facit, &* κρεμασμὸς *dolorem. Vnde melancholici sæpe non possunt explicare quandam doloris speciem quæ non aliunde est quam propter istum* κρεμασμὸν: *moderata enim repletio* διόρθωμα, *quoddam visceribus affert. Hoc valdè explicat Hippocrat. lib. de vetere med.*

CONSILIVM XVII.

In quo continetur explicatio Aphorismi 34. lib. 6. Aphorismorum.

Iis qui calui sunt varices magni non fiunt, quibus verò caluitio laborantibus varices superueniunt, rursus capillati fiunt.

DVO in Aphorismo explicando animaduerti debent, primùm quidem dictio ipsa, deinde verborum sensus & res subiecta. Nam & Galenus optimus Hippocratis interpres omnino Aphorismum istum eiurare videtur. Tandem honorarij arbitri partibus functus, interpretationem verisimilem apponit. Atque inde totius Aphorismi fundamentum omnino vacillare ac nutare ait, quod Hippoc. supponat τὴν φαλάκρωσιν, affectum esse sanabilem. Quod vt intelligatur verborum distinctio apponenda est, μαδαρότης καὶ φαλάκρωσις, affectus affines esse videntur. Vterque ad caput pertinet, nisi quis referat nomen μαδαρώσεως ad palpebrarum morbos. Sed tum confunditur cum nomine μιλφώσεως. φαλάκρωσις caluitium seu caluities dicitur, μαδαρότης defluuium capillorum. Caluities insanabilis est, madarôsis sanari potest. Hanc enim humorum prauitas committit, quam si correxeris, generando capillo occasionem porrexeris. At caluitium ab exausto est potius & siccitate. Senibus familiare est, quia cerebrum consumitur, id est, vt Galenus explicat, imminuitur, præsertim parte capitis anteriore. Nec amplius cranium alluit, & propterea in syncipite potius caluities contingit, quàm in occipite. Siquidem dum cerebrum siccatur; & quodammodo minuitur, pars anterior capitis non tam sæpè, nec tam facilè irrigatur nescio quo rore, qui est velut capillandi occasio. Vnde qui calidiore & sicciore sunt temperamento caluescunt aliis celerius[a]. Contra Eunuchos, mulieres & pueros caluos negat fieri Aristoteles, maximè ob humiditatem Eunuchos quidem quoniam effœminantur. Quanquam & in

Com. ad part. 1. sect. 3. lib. 3. Epid.

immodica humiditate, aut nulli, aut rari sunt capilli? Ex his itaque patet hoc loco impropriè φαλακροὺς vocari, sed eos intelligi vel quibus defluunt capilli, vel qui rarum habent capillũ, quos Græci vocant ἀραιότριχας: & caluitium ita generaliter vsurpatur. Vnde Tullius in Tusculanis: Proinde stultissimum Regem in luctu sibi capillum euellere scripsit, quasi caluitio mœror leuaretur, vbi nomen caluitiei generaliùs paulò sumi videtur. Nunc ad institutum de Aphorismi sensu nos conuertamus.

Tullius.

Varix & caluities affectus sunt longè diuersi & semoti[4]. Varix dilatatione venarum tibiarum aut crurum definitur. Caluitium capitis est affectus, est item & defluuium capillorum, nomine capitis sumpto paulò generalius, vt fecit Celsus. Sic sedibus affectis longè distinguntur. At idem humor & defluuium capillorum parit, & varicem. Prauus enim cum existit, radices capillorum exedit, vnde defluunt facilè capilli, & glabrities contingit. Vnde admirabilis est humorum, aut ἀνωῤῥοπὴν, aut κατωῤῥοπὴν. Si enim viam sursum affectat humor, capillorum defluuij autor est, si deorsum; implens dilatánsque vasa, varicem infert. Et quod in arteria aneurysma est, idem in vena est παρὰ τῶν κιρσὸς, varix Latinis. Ac de varice ita Galenus dum explicat quomodo varix soluat insaniam, Græcè μανίαν, varix ex crasso & melancholico humore fit, adeò quòd natura pellente ad partes ignobiles eos qui maniam efficiunt humores, præsertim cum crassi fuerint & melancholici, sequitur passionum prædictarum generatio, & maniæ solutio; vbi duo notanda sunt, prius, quòd humor varicem generans sit crassus & melancholicus; posterius, quod intelligatur de mania à succo melancholico simplici, non de furore qui à bile est[5]. Quanquam & meo iudicio soluere potest maniam à succo melancholico à bile assata generato. Sed tamen hîc nomine τῆς μανίας τὴν μελαγχολίαν intelligendam putat. Itaque magna vis est deriuationis humoris & reuulsionis à partibus in partes aliàs, vt mirum non sit si varix obortus defluuij capillorum occasionem tollat. Humor enim concluditur venis varicosis, qui si in caput transferatur, radices capillorum sua virulentia consumens, capillos defluere faciat. Vbi duo notanda sunt & quęstione digna: Prius an actu & sua mole humor crassus melancholicus varicem committens caput petat, & rursus à capite delabens ad tibias & crura sese cursúmque suum inflectat. Et qua id ratione videatur fieri. Poste-

Aph. 21 lib. 6.

rius, an non defluuium capillorum peculiari capitis vitio contingere queat, vt quantus vis oriatur varix à tali morbo caput vindicare non possit. De posteriore dicemus primo loco. Galenus explicans part. quandam Epid. vbi Hipp. vult flatulentam dispositionem tanquam causam adiuuantem esse in propagando affectu in alatis quos πτερυγώδεας Græci vocant, quod vbi est infirmior calor naturalis, flatuum sit prouentus, & vbi flatuum prouentus, maior occasio ruptionis vasorum ac proinde spuitionis sanguinis vnum affert commemorabile, & ad institutum pertinens. Ac primum reprehendit eos qui pro πτερυγώδεας, legunt πιτυρώδεας, id est furfurosos, vt sic hic eorum sensus, dispositio flatulenta, iuuat maximè ad generationem furfurum in capite. Nam si flatus est multitudo, declaratur flatulentus calidúsque spiritus qui effert multos vapores sursum, hinc furfurum nata occasio. Tribus modis respondet, primum mille videri minimè flatulentos, quorum tamen in capite porrigo est multa. Secundò, quod omnibus calida excrementa contrahentibus furfures multi nascerentur, quod falsum. Tertiò, aliquando caput peculiari quodam vitio furfuraceum est, & porriginosum, cũ alioqui humores naturaliter affecti sint. Tertia hæc ratio est notanda. Nam quod dicitur de porrigine, idem dicendum de capillorum defluuio. Siquidem totius corporis humoribus benè alioqui temperatis, caput vnum ita potest esse affectum, vt in eo redundẽt praui humores μαδαρώσεως authores. Quod etiam in reliquis affectibus corporis considerandum. Nam frustra toti corpori consuleretur, si in vna tantùm parte dispositio, malúmque inhærescat. At in eo casu qui dictus est, varix obortus nil ad defluuium capillorum tollendum conferret. Sic priori quæstioni factum satis.

Com. ad part. 13. sect. 3. lib. 6. Epid.

De posteriore dicendum, videtur penè impossibilis ea humorum melancholicorum metastasis, & reuocatio ad inferiora, cum eorum motus piger sit, & crassitudo magna[6]. Nam de humoribus melancholicis nos intelligere diximus. Ac Galenus in Commentario istam metastasin à capite ad crura fieri dixit. Et idem Hippocrates, quod mirum esse debet, vocis gracilitatem, id est, hæsitantiam, vt quidam interpretantur, varice oborto in testiculo alterutro tolli scribit: immo negat posse solui siue horum altero varicibus obortis tentato. Nam subiungit balbos, caluos, gracili voce præditos pati fortiter, τὰ μελαγχολικά[7]:

Initio sect. 5. lib. 2. Epid.

quod si verum, minimè mirum esto si varicibus obnoxij esse debeant, & varix magnam ad firmitatem vocis oportunitatem afferat. Præterea eodem loco scripsit Hippoc. dolorem in locis infernis fortem surditas tollit, item hæmorrhagia. Et eodem loco, Quibus tussis sicca, his non soluitur nisi dolor fortis ad crura, aut testẽ, aut coxas irruat. Et rursus, Hydropici fiunt φαλακροὶ, id est patiuntur μαδάρωσιν, quod fit aut per translationem, aut cerebro ipso iam aquescente, & Hydropicam dispositionem suscipiente. Huc pertinet & Aphorism. solennis, *Quibus biliosæ deiectiones superueniente surditate, cessant, & quibus surditas, si illæ superuenerint eandem tollunt*[8]. Bilem enim ad cerebrũ tolli in Comm. Galenus scribit, quod an verum, considerare oportet. In hoc enim disputationis cardo vertitur: In quolibet humore quædam est pars tenuior, crassior altera, Crassior non videtur ita facilè ferri, nec id quod varicem committit, aut quod deiectionem biliosam multam, ad cerebrum rapi videtur. Et vix aliquis translationem motúmque sursum humoris præsertim pigri & crassi qualis committit varicem, fieri facilè credat. Ideo credibilius est ferri potius partem tenuiorem, & spirituosam, quæ ipsa orgasmum facere solet, & quæ præ se fert cacoethiam virulentiámque si qua sit. Vt si eam tenuiorem partem alterando dómet, atque demulceat, plurimum adiumenti attulisse videatur. Et ne videar hanc interpretationem finxisse, ea Galeni est in Prorrhetico. Docẽs enim cur iis quibus suppressæ sunt hæmorrhoïdes, & cor doleat, & lumbi. Non enim idem eodem in loco vtrunque dolorem excitare videtur: Galeni hæc verba sunt: *Copiâ in venis aceruatâ tenue quoddam serum*, ὀῤῥὸς *Græcis, in ventrem confluens cardialgias parit dum in os eius ascendit, quod maximè sentit. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem & primùm deferri consueuerat (nam de hæmorrhoidibus sermo est) lumborum dolores efficiet*[9]. Quod & humori capillorum defluuium parienti euenire potest. Nam tenuior & serosior eius pars ad caput repens facit, vt defluant capilli corruptis eorum radicibus, quæ pars si cum crassiori alia parte ad partes inferiores deuoluta fuerit varicosa corpora venarum reddere apta esset. Itaque ex hoc Commentario discere oportet, admirabilẽ esse humorum inclinationem per venas, arterias & cœcos aquæ ductus. Item vim stupendam naturæ, vt quæ sua facultate expultrice armata de parte in partem humores pellens

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Aph. 28. lib. 4.

Com. ad pars 38. sect. 3. lib. 1. Prorrh.

etiam contra naturalem motum ἐχόρτων eorum, modò generandi morbi, modò eiusdem tollendi occasionem afferat. Vt Medicus satagere debeat num qui partem obsidet affectus, peculiarem imbecillitatem sequatur, an non in alia corporis parte sit scaturigo è qua humor emanet[6]. Nam hæmorrhois excitata, aut varix procuratus morborum terrificorum cerebrum appetentium soluendorum causa esse potest. Actum sexto Calen. Februarij anno 1578.

ANNOTATIONES.

1. *Varices caluorum nisi magni fuerunt, furiosi fiunt 5. sectione. lib. 2.* τῶν ἐπιδημιῶν. *De caluitio idem potest dici quod & de canitie Aristoteles, vbi vitiligo ibi canities, non contra: vbi cutis laborat, ibi capillus; sed non vbi capillus, ibi & cutis. Quod notandum est.*

2. *Plinius cap. 45. lib. 11. citat ex Oppio autore vetustissimo varices in cruribus viris tantùm, mulieribus raro euenire. lib. de atra bile ni fallor agit quoque Gal. de varicibus. Et Plinij eodem capite notanda historia de Caio Mario varices patiente cui vni viuo extracti sunt, & quomodo varices mulieribus non accidunt, ita nec hæmorrhoides. Tamen nostra ætate magna mulierum pars varicosa est.*

3. *Et sect. 5. lib. 2. Epid. ait Hydropicos fieri* φαλακρούς, *nomine etiā impropriè sumpto.*

4. *Locus est apud Hippoc. vocis grauitatem varix tollit. De quo loco abunde diximus. lib. 2.* τῶν ἐπιδημιῶν *nostrorum. Agitur enim abundè de vocis grauitate. Et lib. 1. meorum Epid. De vocis gracilitate quam varix tollat plenè.*

5. *Notandus locus apud Hipp. ad part. 34. sect. 1. Prorrh. Ad corporis totius intemperaturas sequitur mentis læsio, cerebrum enim non aliter afficitur quam totum corpus. Quæri autem hîc potest quomodo & bilis repat sursum, & succus ater, aliàs in capite caluitium excitaturus, aliàs deorsum translatus, varices. Et distinctionem attulimus de humoris duplice substantia, vna tenui, crassa altera. Et huc pertinet locus præclarus memoriáque dignissimus apud Aphrodisæum, cur atra bilis in crus decumbens, aut in mammam cancrum excitet, in cerebrum translata eadem non cancrum, sed maniam inducat? Vt non videatur ad cerebrum crassior pars materiei repere, sed tenuior, Aphrodisæus. prob. 90. lib. 1.*

6. *Paulò ante diximus, quomodo atrabilis in mammis & cruribus can-*

eorum non excitet, sed maniam.

7. *Id genus solutionum per apostasin, alium modum adumbrat Hippocrates. Solutio coxarum doloris, oculorum distortio, cæcitas: testium tumoris mammarum eleuatio. sect. 5. lib. 2. Epid.*

8. *Melancholici maximè sunt flatuosi. Et cum flatus sese quoque-versum facilè insinuet, non mirum si à capite ad tibias, & ab his ad illud malum repat. Maximè vero quod varices sæpè à flatu melancholicis oriãtur. Præterea melancholici sunt hæmoptoici ratione istorum flatuum. Et vt aliis locis annotauimus, minùs in melancholicis formidabilis est excretio sanguinis quam in aliis.*

9. *Huc pertinet locus 2. Epid. vbi scripsit, Varices caluorum si non magni fuerint, furiosi fiunt.*

10. *Quod Heropyti historia demonstrauit. Huic febre continua laboranti coxendix dextra laborauit facto in eam partem abscessu. Deinde surditas & febris alleuabatur, tum coxendix magis dolebat, & contra. Quod notandum est vt intelligatur quæ sit naturæ vis, & symptomaton successio.*

11. *Galen. cap. 4. lib. de atra bile, sanguinem nigrum & crassum natura in crurum venas deponit, à quo distentæ varicosæ redduntur, cutisq; venis obtenta tractu temporis nigrescit. Vetat autèm sic affectas venas secare, ne quibus sectæ sunt, melancholia corripiantur. Si quando agendum erit de varicibus duas præclaras historias affert ad rem maximè pertinentes.*

CONSILIVM XVIII.

De Oculi albugine.

Filia Ioannis Iosserij, mercatoris Trecensis maculam in oculo habebat, & velut albuginem quandam quæ pupillam erat opertura: erat & præterea palpebra oculi vi ignis velut erosa, vulgò *l'œil éraille*. Hæc sunt instituta.

Purgetur syrupo instituto ex agar. foliculis & rhabarbaro cũ herbis Cephalicis & Ophthalmicis.

Vtatur decocto sarseparilíæ benè diluto.

Abradatur capillitium, & fricetur caput sacculis ex furfure & milio, vtatur ailquando lixiuio sarment. vitis cum herbis

cephal. agar. & ſena.

Item opiata ex conſerua anthos, ſtœchados, roſarum addito mithrida.

Item elect. diatrag. frig.

Item fœniculo condito, & drageta communi à paſtu. Excipiat vaporem fœniculi, dauci, carui, aniſi, roriſmarini.

Admoueatur cauterium inter muſculum bicipitem &c.

Oculus abluatur aqua detergente ex plantag. ſolano, roſis, eufragia, chelido, verbena, addita aqua aluminoſa in parte eroſa.

Paretur colyrium ex trochiſcis albi Rhaſis mucore ſeminis feniculi: addita ſarcocolla nutrita in lacte muliebri, lapide calaminari præparato, & aloe lauta. Interdum ſacch. candum pulueriſatum.

Ad Epidermidis regenerationem admoueatur ſuccus ſolani, plantag. ſemperuiui, centinodiæ.

Item mucago ſeminis pſyl. medulla pomorum redolentium, mucago tragacanthi admiſto vſto plumbo & loto lithargyro, antimonio præparato, & tuthia pręparata. Item plumbi lamina.

ANNOTATIO.

1. *In morbis oculorum & cerebri vulgo ad ſiccationem capitis vtimur frequentibus ſacculis ex furf. milio. ſale. fortè non ita conferunt, vt creditur. Nam frictiones iſtæ pericranium tunicam, & membranas cerebri, fortè nimium ſiccant: Item videntur poros obstruere. Frictio enim frequens, dura, & ex ſiccis tandem indurat & con ſtringit.*

CONSILIVM XIX.

Ad Tineam inueteratam.

CONtemperetur ſanguis & iecur. Abſtineat vino. Vſus lactis aſinini. Balnea aquæ dulcis.

Decoctum frequens ſenę cum muſculo prunorum, catholiconæ, decoct. fumiterræ, lapath. cichorij.

Fe-

Frequens abrasio capillorum. Ablutio capitis cum lixiuio ex decocto radicis cucum. asinini, dracontij, ireos florent. senectæ serpentis cum foliis senæ.

Scarificatus profundus post detersionem capitis cum smegmate duro, spongia, lapide pumicis.

Cum plurimum manauerit ichoris & sanguinis post scarificatum vngetur caput liquamine lardi tosti in veru perfusi inter assandum auena donec lardum exiccetur: & totum quod liquatur excipiatur succo fumiterræ.

Si malum ad hyemen prorogabitur, vtetur pilul. ex hiera diacolocynth. sine quibus, de fumoterrę, & huiusmodi.

Si ad frontem serpat, fiat leuis litus ex hydrargyro paratus, ex ʒ ij. mercurij, pro ℥ iiij. rosacei vnguenti mes.

Cataplasma valet ex farina fabacea, hord. cicerum, fœnigr. lupinorum coctis in oxymelite, addito puluere ireos purpureæ.

Oleum de frumento mirè conferet.

Hęc mulier post vsum istorum remediorum frequentémque capitis lotionē ex lixiuio parato ex fabarum tunicis conualuit.

CONSILIVM XX.

De Pleuritide.

NObilis mulier Pleuritica prægnans habuit aliquid commemorabile. Doluit latus, febris continua erat. Vterum ferebat iam octo menses cum dimidio. Dubitabamus an partus accelerandus foret. Alij è maleolo tundendam venam putabant. Tamen ex brachio sanguinem detraximus. Planè corruptus erat. Tandem pariendi sese occasio obtulit. Vires erant infirmæ. Dolores suos & tormina (vt politico verbo vtar) deuorauerat: Dedimus decoctum foliculorum senæ. Folia erant pauca quantitate, vt non tam aluum subduceremus, quam cum leni alui subductione tormina excitaremus [1]. Excitatis torminibus peperit feliciter. Mirum quod dolores pectoris in grauidis sunt valdè terrifici, & non facilè sedantur nisi ferè vterus sese exoneret. Nam comprimuntur partes ventris, & veluti humores sursum ad lactis cursum, repunt. Vnde nisi aliò di-

uertas vix dolor quiescit. Vix autem diuertuntur aliò nisi cum partus periculo. De his plenius in lib. 2. nostrorum Epidemiorum.

ANNOTATIO.

1. *Quoniam tormina iuuant partum si quod medicamentum tormina exitans ex vsu foret: Illud sumus experti absente febre.*

℞. Matric. artemis. nepetæ. an. p. j. hyssopi p. i. s. Mercurialis, agripalm. an. p. s. semin. citr. pæon. an. ʒ s. cinnam. & rad. bistort. an. ʒj. fiat decoct. in qua bull. folior. Oriental. ℥ ij. fiat fortis expreßio, vt terrestris pars remaneat, tormina excitet. Adde vini albi parum.

CONSILIVM XXI.

Ad fœtorem narium.

CVM sit fœtor narium antiquus, videndum num sit ob cõformationem, aut gentilitium: à vitio olfaciundi facultatis, ossium vitio, aut viæ, aut generationis ipsius materiei.

Malum aliquando est in olfaciundi sensu ipso, aliquando in ossibus. Quærendum an sit symptoma fœtor narium, an morbus, & quis morbus, quod symptoma: cuius morbi. An sit actionis læsio, an exiens mutatum, an vtrumque: An sit vlcus. Nam in ea virgine de qua consulebatur, solebat velut quoddam crustosum ex ima nare deradi quod ἑλκῶδές τι, significare videtur.

Sciendum præterea an vitio humoris qui talis generatur, id fiat, an bonus quidem & εὐώδης humor sit excrementitius, sed dum attingit ossa ethmoidea, aut alias partes vlceratas, ibi corrumpitur, & δυσωδίαν acquirit. Sic diathesis tantùm mala esset. Et non tam vacuandum quàm alterandum.

Est enim vbi diligentius purgandum, est vbi non, præsertim cum agitur de fœtore oris. Immo licèt totum corpus euacuaremus ne hilum fortè proficeremus. Indelebilis enim est diathesis.

Dubitari poteſt an humectantia conferant, an ſicca & calida. Si enim tetra eſt ſanies, ſi vlceroſum quid potius eſt ſiccandum & detergendum: Et quod in methodo medendi, aut potius in libris de locis affectis Galen. facit, qui pulmonicis præſertim ſi putredo eſt in pulmone ſicca & calida dat, cõtra quam Medicorũ vulgus facit præſcribens multa iuſcula) id herclè faciundũ eſt. Contra quæ humectant iuuare videntur. Nam id quod è cerebro huic virgini fluunt, ea viridia ſunt & tetri viſus, quæ declarant æſtum quendam in cerebro, aut corruptionem. Quibus enim corpus bilioſum & æſtuans, ſi tale caput eſt, iis mucus ferè viridis excernitur.

Sic ratione caloris valebit litus ex mucore pſyllij extracto in aq. plantag. Addita pomata lauta in aqua odorifera, aut aqua roſacea: valebunt pilulæ etiam cum aromaticis. Gargariſmi cum odoriferis: Balnea ad contemperandum & ſqualorem tollendum. Cauterium occipitio addendum. Abſtinendum à maioribus & calidioribus. Ptyaliſmus prouocandus iis quæ ſunt moderata. Tabellarum frequentiſſimus vſus. Cucurbitulæ. Si vlcus, curandum vt vlcus. Caput purgia valent.

℞. *Foliorum maior. betæ. betonicæ. an. m. ſ. tundantur, affunde aq. beton. & vini albi. an. ℥ ij. fiat expreſſio.* Adde aliquid ireos. Vel infunde in hydromelite: Adde tantillum piperis quia vis coctione euaneſcit.

ANNOTATIO.

I. *Noduli non ſunt omittendi. Fernel. probat expurgationem cerebri per gargar. ſi liquor hauſtus in nares ore reſupino relabatur in fauces. Fiat decoctio in hydromelite maceretur iris, ſaluia, cyclamin. Vel in hydromelite diſſoluitur mel anthoſatum.*

CONSILIVM XXII.

De Thoracis vulnere.

Dominus Des-Mareſts Andegauenſis, & D. de Reilus Comes vulnerati ſunt in Thorace. Sed loco diſſimili vul-

nus inflictum erat. Priori parte ſiniſtra ad ſecundam aut tertiam coſtam qua parte mammaria eſt, non ea quæ coſtis ipſis adhæret, ſed quæ interna dicitur, & ferè ad ſuperiorem pulmonis partem inflectit. At comes vulneratus erat inter quartam & quintam coſtam, & pugio rectà quidem adactus erat, & mediaſtinum penetrauerat; deinde paulum inflectendo oppoſitam penè partem attigerat. Et minima etiam ſectione ſedes ipſius pugionis indagari potuerat, & fluenti ſanguini deinde ſuppreſſo exitus eſſe potuerat, ac ſi contraria & oppoſita fuiſſet apertio. Sed vt ſæpè ſummorum virorum & fiduciam rerum magnarum habentium cæcitas eſt maxima etiam in rebus minimis, quod ratio, quod tactus, quod tumor quidam eminens principio dictitabat, nimirum fieri debere eo loco apertionem, id differtur, negligitur, tandem necis occaſionem allaturum. Ingens fuit hæmorrhagia, inſignis alicuius rami venę ἀζύγυ, cęſę argumentum. Iuſſus omnino quieſcere. Nulla tuſſis penè toto morbi tẽpore. Difficultas reſpirandi exigua. Poterat in vtrunque latus dormire. Quidam ex Medicis volebat experiri num alacer eſſet æger in ſe erigendo, iubebat vt ſeſe æger paulùm erigeret, maximè vt detegeretur, num aliquid in capacitate eſſet, quod motu ipſo deprehenderetur. Sed, vt inter pares inuidia facilè ſe iactat, aliis id non viſum faciundum: Maximè verò quod eius opinionis autores primi non eſſent. Et tamen id ad explorandum maximè fuerat opportunum. Poſt quartum diem initum conſilium (quoniam ad cicatricem vulnus tendebat) ſuper iis quæ ad vulnus attinent, num tutò ſineretur claudi, an verò dilatandum foret, an omnino claudendum. Diuiſæ fuerunt ſentẽtiæ. Alij omnino claudi debere cenſuerunt; quod multum ſanguinis & ſpiritus effluxiſſet; quod nil alienum videretur in capacitate contentum; quod Guidonis & Galeni cõſilio vulnera thoracis primo quoque tẽpore eſſent ad cicatricẽ ducenda, alioqui fiſtulæ metum eſſe, & ſphaceli alicuius, aut ſyderationis in pulmone qui alioqui alieno aëri & externo non aſſuetus facilè affici alterarique poſſet. Naturæ negotium dandum, viam eſſe ad os, ad vrinas aut inteſtina. Pleuritides beneficio naturę tranſſumpta exuctáque materia curari. Alij contra nitebantur. Suſpecta eſſe iſta ægri bona & præter rationem alleuationem. Inſigne vas inciſum, ſic non eſſe probabile, vt intra quatriduum clauderetur. Formidabilem eſſe cicatricem ex-

ternam, quod, cum pars interna sit membranosa, proptereáque amplius vulnere diducatur quam carnosa, & tardius coalescat quam ipsa carnosa, metus sit ne falsa opinione internæ membranæ ad cicatricem perductæ, ne præter opinionem vulnus refricetur & refringatur. Ac tum fortè non amplius locus erit piulco, aut euacuationi suppressæ saniei. Dicebant nil referre si benè habere videretur primis diebus; sed expectandos alios dies criticos, & quid serus vesper veheret. In his vulneribus tuta omnia timenda esse. Non metum esse debere fistulæ nisi vulnus cõsenuisset. Non ita ab externo aëre metuendum esse, quòd plus detrimenti esset affuturum à suppressa sanie, aut pure, quam ab externo ambiente. Et quod dictũ est naturæ opus committi debere, & alias tutiores vias confinxisse naturam. Contra dictum nouercam & brutam esse naturam, & aliquando veluti consultò: pus & saniem ad tempus seruare, quod cum cõmodè excerni non potest, repentina mors obtingit. Sic satius esse cum vulnus hiet & pateat, si quid alienum sit, illac expurgare, quam aut nouas vias comminisci, aut occlusum obseratúmque vulnus denuò aperire. Magna enim ignorantiæ esset suspicio, & iuncta crudelitatis opinio. Immò tutissimè & sectionem fieri illo loco, & vulnus patere affirmabant, & locum esse idoneum sectioni in purulentis. Qui præerat omnia sic moderari voluit, vt vtrique parti adblandiretur. At istæ blanditiæ & temperamenta ægrum perdiderunt. Desitum est vulnus cicatricem contrahere. Triumphus ante victoriam canebatur. Iam satagentium quorundam Chirurgorum auaritia, sibi loculos amplissimos acquirebat ad emunugendam regiam liberalitatẽ. Attentiores ad rem erant, non ægri rem, sed suam. Regis qui frequẽter aderat (æger enim erat amicus Cæsaris) beneuolentiam aucupari volebant. Et in hoc omnis eorum ratio, animus, industria & negotium otiosum versabatur. Iam libellos vulgò, *Placets*, supplices ad demerendam Regis liberalitatem porrigebant. At Regis nimia diligentia, & amor ad præcipitandũ ægrũ nimius fuit. Omnes enim id vnum studebant vt Regi placerent, vt aliquid agere & dicere viderentur. Hic ægri salus negligebatur. Et si quid aliàs malè gestum fuit, hîc malè gestum est. Itaque Regis spes fallitur, ægri salus deseritur, foro & scænę seruitur, auaritię loculus quæritur, mons parturit, mus nascitur ridiculus, & his artibus in opprobrium & artis Medicæ, &

Chirurgiæ omnia conuertuntur. Minùs enim benè tractatur quam aliquis de plebe homuncio aut ſcrutorũ venditor[1]. Porrò ſupprimitur ſanies in thorace multa, febris perſeuerat, alui profluuium[2] macies, tandem derepentè difficultas ſpirandi, ῥίγος, & inde mors, hæc contigit circa triceſimum tertium diem à vulnere. Apertum cadauer, tres aut 4. libræ ſanguinis ſanioſi, corpus ipſius pulmonis non erat vulneratum, ſed tamen per ichoris contagionem erat velut tabo infectum, & membrana ſuccingens erat ſyderata[3]. Mirum quod toto tempore morbi nulla penè tuſſis fuit. Si tantula pars humoris pleuritim facientis tuſſiculas affert, cur non tanta ſaniei pars in thorace & circũ mediaſtinũ ſuppreſſa? Nullus dolor lateris, nullum ſputũ cruentum. Idem contigit alteri ægro Andegauenſi. Licet enim ingens copia materiei in capacitate thoracis contineretur, nil ore reiectabatur, nulla moleſta tenebat tuſſis. Quod mirum eſt, & fortè eius rei ratio difficilis eſt ad agnoſcendum.

Licet quotidie per vulnus flueret ferè ſanguis ſanioſus tantum quantum continere poterant decem vaſcula quibus tonſores in phlebotomiis vti ſolent. Incredibile dictu quantum intra die nouem ſanguinis impuri per vulnus emanauerit. Inſigne enim vas erat vulneratum. Id quod maximè operoſum fuit. Dolor erat cruris & tibiarum implacabilis. In primis diebus reuocabamus ad fluxum ſanguinis. At erat occaſione læſi nerui inſignis deriuati à ſpina dorſi (quo loco vulnus quoque inſtictum fuit) propè apophyſes vertebrarum dorſi, & ſenſum partibus inferioribus impertientis.

Sic credibile virus aliquod conceptum fuiſſe in parte cæſi nerui, quod tam immitis doloris cauſa eſſet.

Primis diebus ignorabatur & cauſa tanti doloris, & remedia. Ad paregorica, & narcotica concurſum eſt[4], ſed fruſtra. Tandem ol. arte Chymica extractum calens infuſum eſt, hinc alleuatio doloris aliqua[5]. At quia commodè inſtillari non poterat, ideo dolores immedicabiles fuerunt.

Sic cum vulnus inflictum eſt, & dolor aliquis nulli cedens remedio obortus eſt, luſtrandæ ſunt diligenter partes[6], vt videamus num inſignis neruus in partem implantetur quæ per communicationem dolet.

Quo die datum medicamentum interiit[7]: Et id fuit calamitoſum. Quanquam cum præfatione datum eſt, & ſup-

pressio vrinæ & dolor ad τὸ ἦτρον, inuitabat ad id accelerandum remedium.

ANNOTATIONES.

1. *Qui thorace vulnerantur exteriore parte sanescunt, interiore verò non, suppurati fiunt: & si interiore parte cicatrix infirma est, vulnus facilè refricatur rupta cicatrice.*

2. *In Coacis pus per aluum secedere lethale ait, atque id per comparationem audiendum est.*

3. *In thorace & frequentius in pulmone arescit sanies, & calore in crustam versa cicatricis falsò creditæ imagine nobis imponit, donec ob thoracis motum & partis mollitiem leuißima occasione excussa crusta vulnus recrudescat. Si externa & interna pars simul sanescat, euadunt. Si simul externa & interna, & cicatrix debilis fuerit, vulnus iterum aperitur.*

4. *Thorax & ventriculus frigida læditur, & id mortem minatur, & tamen frigidißima aqua ventriculus delectatur. At aliud est considerare id per modum indigentiæ, aliud per excessum. Cum iuuatur, indigentia est.*

5. *Pulmo ab Hippocrate dicitur attrahere contrarium alimentum corpori. Nam omne alimentum calefacit: alimentum autem à pulmone attractum refrigerat.*

6. *Galen. ait se vidisse vulnera in cauum thoracis, illata tribus conglutinata diebus priùsquam inflammatio oriretur, largo sanguine effuso & per os reiecto.*

7. *In ægro fortè summa imbecillitas repreßit sanguinem ex euentu. Est enim vbi in leipothymia fluit magis sanguis veluti laxatis fibris, est vbi leipothymia sanguinem sistit, dum reuocatur calor & spiritus ad interiora.*

CONSILIVM XXIII.

Pro Dysentericis.

ANNO D. 1578. Æstas fuit feruentissima, & siccissima. Etesiæ spirauerunt, ita vt morbi pauci fuerint iuxta Apho-

rismum, *Siccitates imbribus salubriores.* Obseruauimus tamen in secundo libro nostrorum Epidemiorum, Hyemen & Ver quod istam pręcessit æstatem intempestiuũ fuisse. Nam Hyems spirantem austrum habuit sub finem, & aliquantum suffocans fuit, vnde pituitæ salsæ fuit procreatrix. *Scripsit enim Galenus eo modo de pituitæ generatione: Quæ pituita à forti fit frigiditate, acida euadit; quæ à caliditate caput replente, salsa; quæ à pauca fit frigiditate, vel exiguam habet dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem:* Deinde subdit dum loquitur de Hyeme australi pluuiosa & serena, quàm ver: Aquilonium secutum est, ergo ea quæ fit, *In ista australi constitutione pituita ob eam quæ in Hyeme fuit caliditatem, salsa erit: proptereáque dysenterias pariet quando longiori tempore mordens & radens intestina offenderit*[2]. Vtpote quæ pituita ob suam visciditatem & lentorem dum exit & traducitur moretur & cõsistat; perpetuò autem ob suam qualitatem abradat, vnde dysenteriam necessario committit. Ex quibus patet quod prouentus pituitæ salsæ fit austrino statu, vt pote qui sit parens salsæ pituitæ, eandémque corrumpat. Et si accedat tempus aquilonium exprimitur iste humor salsus, & prout in parte insederit, ita varios affectus producit. Vnde annotauimus in secundo libro nostrorum Epidemiorum tusse admodum molestas (quintas vulgus vocat) grassatas fuisse virca Veris finem & media Æstate, vnde ab ea tussi & febres & grauia symptomata secuta fuerint, vt pueris multis aut intereundum, aut tabescendum fuerit.

Com. ad aph. 12. lib. 3.

Porrò, non quoties genitus humor est, morbi inde proueniunt: differtur enim morborum eruptio in tempus aliud. Et ego credo eundem fortè humorem qui Hyeme genitus, Vere aquilonio expressus, in propinquioribus partibus symptomata, & morbos producebat, vt fauciũ dolores, ophthalmias, dolores laterum, tusses per molestas, Æstate aliquantum suppressum, sub finem Æstatis & initio Autumni profluuio alui, & istas malignas dysenterias attulisse. Quod mirum non est. Nam idem Hippocrates accidisse docet, in primo Epid. Cum Hyems aquilonia fuisset, ver frigidum, aquilonium, pluuiosum, æstas, non admodum feruens, sub finẽ Æstatis & principio Autumni dysenteriæ vagatæ sunt, profluuia, ventris, & πρειῤῥοίας (offusiones vertit Interpres) melius, vrinæ effusiones vertemus. Ex quibus patet alio tempore humores generari & colligi, alio mor-

Const. 2. lib. 1.

morbos cōgeneres in hominum vitam inuadere. Cæterùm repletio capitis à sero maligno, & pituita salsa quæ ferè indomita est, cum in intestina humor descendit, dysenteriarum autor esse potuit. Accedit & quòd Æstas æstuantissima, seri & bilis acerrimæ procreatrix fuerit, vnde mirum non est si leui de causa intestina vitientur. Nec omittenda est ea adustio humorū quam Æstas attulit[3]: At cum humores adusti sunt, leui de causa irritantur, & irritati molesti sunt & partibus à quibus emanant, & iis per quas transmittunt.

At de dysenteriarū aliæ sunt populares, aliæ non. Populares aut sequuntur vim cœli, id est aëris, & efficientis vim sequuntur, aut vim ipsius corporis tanquam suscipientis causæ[4]. Quæ nō sunt populares, peculiare tantum vitium sequuntur & peculiaris excrementi suppressionem, aut vernaculam intestinorum imbecillitatem. Quæ sunt populares, aut sequuntur, vt dictū est, vim causæ efficientis, aut suscipientis, aut vtrumque. Ex eo autem populares & Epidemicæ colliguntur quod sub eadem specie morbi, multi aut intereant, aut grauiter laborent. Cæterùm aut sunt intestinales & mesentericæ, aut hepaticæ. Absurdum enim est omnem dysenteriam attribuere intestinis ex eo quod τῆς δυσεντερείας, nomen ἀπὸ τῶν ἐντέρων deriuetur[5]. Malè enim difficultas intestinorū vertitur ἡ δυσεντερεῖν. Tormina melius dixeris. Intestinales & mesentericæ fiunt ex eo quod illæso hepate, & in intestinis, & in mesenterio prima mali labes, siue cœlitus impressa, siue à vitio ipsius excrementi manet. Hepaticæ aut sunt criticæ, aut fiunt κατὰ τὴν λύσιν, aut, κατὰ τὸν ἐκπιεσμόν. Si sunt criticæ, prohibendæ non sunt, sed humorum cursus frenandus est, & moderandus. Si fiunt κατὰ τὴν λύσιν, fatiscentis facultatis sunt signū, & hę sunt lethales, nisi legitima remedia adhibeantur. Cum verò fiunt κατὰ τὸν ἐκπιεσμὸν, id est, per expressionem quandam, & excussionem, id eo modo contingit. Caua hepatis sæpè abundāt multo humore eóque ἐπεργκνεῖ, & dum natura id nititur excutere fiunt vomitiones, nauseæ ἀλυσμοὶ, ῥυπτασμοὶ, ἄσαι, febres, & cacochymia communicatur venis & partibus aliis. Ergo si vt sunt morborum ideæ, ita & morborū remedia varia sunt, prout variæ sunt dysenteriæ ita variare remedia oportet. Nec, quemadmodum multi faciunt, quasi eundem soccum & cothurnum omnibus aptantes, oportet eodem modo curare omnes dysenterias à quacunque causa ortę sint, siue ad hepar, siue ad intesti-

Dysenteria populares.

Intestinales mesentericæ hepaticæ.

Nō vna est medendi ipsis dysenteriis ratio.

num solũ pertineat, animaduersio magna adhibẽda est. Nam id præclarũ est quod animaduertit Galen. cum loquitur de medicamentis quæ ἐπικεραστικὰ dicuntur. *Hac cùm in ventrem infunduntur subtus, vt in dysentericis, aliàs demulcent, aliàs irritant. Si valentiora sint humoribus acribus, eorum humorum vim retundunt. Contra, si medicamenta contemperantia valentioribus facultatibus, aut multis pauca admista fuerint, vnà & ipsa corrumpuntur, alúntque cacochymiam. Itaque eos vacuare statim oportet qui à mitigantibus & contemperantibus medicamentis irritantur, cum sint repleti multa, nec facilè mobili corruptione.* Vnde videmus plerósque iniecto blando lacte grauius habuisse[7]: Quod accidere videtur, vel quod lac superatum est ab humoribus acribus & malignis, & sic natum est augere cacochymiam, vel quod iam vlcus conceptum est, quod dum perfundit subiectus clyster, irritat. Quod Galenus animaduertere debuit. Irritatio enim & exasperatio aliquando contingere potest ob superficiariam intestinorum exulcerationem[8].

Cap. 11. lib. 2. de med. sumpt.

Atque ex superioribus venari oportet medendi rationem. Si enim intestinalis dysenteria est, cum afflicto non sit danda afflictio, in vsu solo fortassis enematon & lactis per os sumpti consistendum est. Si hepar mali author est, & τῷ ἐκ πεσμῷ, sese in intestina exoneret, febrísque absit aut adsit, tunc alia captanda ineundáque est medendi ratio. De qua dictum est in historia Domini de Lyssy.

Sed & duo ad superiora addere oportet, vnum est de vsu astringentium[9] initio: alterum de vsu diureticorum quę dantur ad deriuationem. Hîc enim non parum peccatur[10]. Si magna est cacochymia, & certis colligas argumentis exonerari partes in ventrem, hîc potius sensim atque sensim moliri debes euacuationem quam cogitare de astrictione. Alióqui æthiopẽ laueris. Et id causa est cur in multos dies morbus producatur, & exulceratio sordidior reddatur. Nam tertia aut quarta purgatione multum educes bilis, & seri, & pituitæ, quam vix quindecim diebus natura deiiciat dum sæpè & parum è ventre excernitur vt dysentericis in more est. Nec plenius tractanda est hæc quæstio, cũ potius desideret præsens & accuratũ medentis iudicium, quam verborum vbertatem.

De vsu diureticorum controuerti potest. Si serum malignũ & indomitum & salsum, aut bilis tenuis dum proluit intestina

vlcerat, pungit & stimulat, si aliò deriuauerit, fortè operam nō luseris. Contra magnum alleuamentum aderit. At exulcerationis sępè causa est humor lentus, tenax, mediis hęrens viis, qui dum per anfractus intestinorum pigro transmittit gressu, profundiùs exulcerat. Id quod ex contextu superius allegato colligere est: *Pituita*, ait, *ob suam visciditatem dum exit & transmittit, moram trahens & consistens, perpetuò autem ob suam qualitatem abradens, dysenteriam parit.* Quòd si hîc diuretica pręscripseris, dum materia contumacior reddetur, maiores dolores excitatura est. At dices, tenuior est pars quæ id faciat, id est quæ pungat? Contrà hîc Galenus, *Ob suam*, ait, *qualitatem abradit.* Ergo tollenda est, aut mitiganda est ista qualitas, alioqui frustra laboraueris.

De remediis in curatione dysenteriæ vsurpari solitis hîc nil dicam, satis erit indicare Consilium 53. lib. 1. ex quo omnis generis pręsidia elicere possis huic instituto necessaria.

ANNOTATIONES.

1. *Locus hic praclarus. Ideo fit, vt in plerísque melancholicis atrabilariis & biliosis pituita à caliditate caput replente fiat, eáque salsa & mali sit moris: Cuius generis est ea pituita, quæ in Hispanis charadon prouentum affert.*
2. *Nota de visciditate & lentore. Ideo qui diuretica dant, partem humorum tenuiorem ad renes auertentes, illam visciditatem & lentorē videntur augere.*
3. *Vsti humores graues & periculosos morbos producunt, vstione enim malignitatem acquirunt.*
4. *De Dysenteria ea præsertim quæ à nimia oritur repletione locus est notandus apud Hippocratem de generationis & curationis modo, Post nimiam repletionem (ait) alui fluor fit cum alimentum corrumpitur. Vide plura lib. 3. de Diata.*
5. *Quid enim hoc est vertere* τὴν δυσεντερίαν, *difficultatem intestinorum.*
6. *Vnde* ἐκπιεσμὸς, *Gallis dicitur,* expression. *Et* ἐν τῷ ἐκπιεσμῷ, *si materia mitificata fuerit, exigui admodum sunt dolores, ad quos facit ambages & anfractus intestinorum.*
7. *Lac & alia id genus Dysentericos aliquando offendunt.*
8. *Hippoc. sect. vltima 2. Epid.* In turbatione ventris fabas co-

ctas dato, si supernæ ventris partes valdè biliosę non fuerint.

9. *Galen. Ridet opinionem Herodoti, & Dioscoridis qui arbitrantes quouis tempore Dysentericis astringentia ex vsu esse, & nil nisi astringens dari aut subiici oportere, ideo adipem anserinum, & alia medicamenta contemperantia & consolidantia, astringentium ex numero esse dicerent ex eo quod viderent Dysentericis conferre.*

10. *Cum in dysenteria sit excretio parua & frequens, ideóque sit symptomatica, faciundum est, vt contra sit rara excretio & magna. Id quod medicamentum purgans ritè institutum præstabit.*

11. *Galen. explicans cur mictio noctu plurima paruam significet deiectionem, ait ex eo Aphorismo nos curationem petere posse alui humidioris & siccioris. Si humidior, exigua potio sit, & multa ad renes deriuatio: si sicca aluus, maior potio, & distributio ad renes prohibeatur. Si itaque ex eo aluum lubricam esse existimes quod quis dysentericus sit, fortasse falli poßis. Nec propterea & à liquidis est abstinendum, nec deriuandum ad renes. In hoc errant plerique. Immo si deiectionis materia potest reddi meabilior, & liquidior, non tot tormina excitarentur. Itaque quæ hoc loco dicuntur, valdè notari debent.*

CONSILIVM XXIV.

De Voluulo.

IOANNES LE CHARRON, voluulosus factus à prolapsu intestinorum in scortum [1]. Manus adhibita, reposita intestina: Restitutus. Sed postea excreta est à medicamento innumera humorũ colluuies priùs mota, sed non promota. Et id in voluulosis notandum est, licet periculum præsens vitatum sit, metuendum nisi sequatur multa excretio, & reuocetur omnino motus humorum deorsum, qui sursum ferebantur motu peristaltico intestinorum vitiato aut impedito. Maximè verò dandum rhabarbarum vt os ventriculi prius læsum ac infectum roboretur.

Mesuęus obseruauit multa symptomata comitari solita eos qui à voluulo liberati sunt, qui tamen à futuris malis omnino liberi non sunt.

Et quia totus venter inferior commotus est, non prius secu-

ritas conciliata erit, quam ſequatur alui profluuium aut ſponte, aut arte procuratum.

Nec enim in iſto morbo cani debet triumphus ante victoriam. Vnde mortui ſunt incuria iſta, de quibus Medicus ſecurus iam erat.

Ne ſe exponat aëri, neue in victu peccet. Et in locum vacuum poſt vomitiones chyloſas & ſtercoraceas ſubit ambiens torminum magnorum author. Voluulo defunctos & iam conualeſcentes, tanquam puerperas curabis poſt vitatum præſens periculum. In D. Du Peron erat lapis in inteſtinis perforatus vt liquidiori materiæ via pateret. Aër ſeſe in vacuum locum inſinuauit. Dolores implacabiles oriuntur & antecedentibus ſæuiores. Vide quantâ ſit opus cuſtodia.

Voluuloſis à prolapſu inteſtini inutilia medicamenta laxatiua per os ſumpta, augent potius malum & obſtruunt.

Si humor ſit obſtruens, ſique non ſit inflammatio magna, hieræ primæ debentur aut in potu, aut in forma boli.

Induratæ fæces hamo aliquando extrahendæ. Iniiciantur per longam fiſtulam olea chalaſtica: imò iuuaret flatus excitare & immittere vt inteſtinum dilataretur, & ea dilatatione aliud ad ſe ſe retraheret. Frequentes clyſmi, & acres, & exigua quantitate.

Aqua Theriacalis & vinum conferet, quia inficiuntur ſpiritus, vnde animi defectiones & ſudores exoluentes. Sed dices voluulus an eſt craſſorum, an tenuium inteſtinorum tantùm vt vult Galenus? nam ex Galeno elicere poſſis tenuium inteſtinorum inflammationem non poſſe viam præpedire. Nam corporis tenuis inflammatio non poteſt ſpatium effatu dignum replere [2].

Vide Conſilium 31. lib. 1.

ANNOTATIONES.

1. *Ad materiam de voluulis pertinet illud Hippocratis lib. 2. Epid. pectinum ruptiones quæ circa pubem fiunt, vt plurimùm ſtatim innoxiæ. Quæ verò paulùm ſupra vmbilicum in dextra parte ſunt, hæ ſunt doloroſæ, anxioſæ, &* κοπρεμήματοι, *id eſt ſtercoris vomitum inducentes. Quem locum volunt intelligi de cæci inteſtini interceptione circum vmbilicum ob ruptionem peritonæi. Tumor eſt quidem exiguus,*

ſed exitialis vt in ea muliere obſeruatum quæ incola domus erat ad inſigne fontis.

2. *Iſte voluuloſus Io. Le Charron, euaſit quidem tunc. Exactis aliquot poſt annis alio morbo interiit. Aperto cadauere obſeruatum eſt, mediam quandam partem inteſtinorum, & meſenterij rupto peritonæo in ſcortum ampliſsimum, & omni fide maius prolapſam, vt etiam inde retrahi nequiret. Et iſta prolapſio erat illi naturalis, inteſtináque tanquam in loco natiuo & augebantur in ſcorto & nutriebantur. 1591.*

CONSILIVM XXV.

Ad Ptyaliſmum pro Comite de Chaulne.

Aſſis quam elixis vtendum potiùs: Potulenta parca manu ſumenda: vini albi, & vaporoſi rarior vſus eſto.

Vitanda quæ vapores multos ſummittunt, ſuffitus & odorata, caput parciùs calfaciundum: à paſtu moderatè corpus exercendum, cœna frugalior prandio. Crura & pedes fricari debent manè. Aliquando laconico prudenter vtendum eſt.

Corpus validis medicamentis non eſt agitandum nec pilulis.

Conſerua roſarum cum rhab. in vſu eſto. Cucurbitulæ ſæpè applicandæ.

Mane prolectāda pituita apophlegmatiſmis paratu facilibus Errhinis omnino abſtinendum non eſt.

Tabellis vtendum. Conſerua roſarum frequenter vtenda mane, & hora ſomni.

A paſtu drageta communi vtendum, aut miua cytoniorum ſenſim liquefaciunda in ore.

Caput fricandum ſacculis moderatè.

Suffienda capitis ſunt ornamenta. Decoctum radicis ſchynæ nonnunquam vſurpandum.

Exercitationes, curſus, ſaltus, equitationes, inſolationes eiuſmodi moleſtum ptyaliſmum proritant magis.

Ad eam rem valet Opiata ſequens.

℞. *Omnium rad. aperit. an. ℥ i. eryng. & enulæ camp. an. ℥ ſ. beton. ſtœchad. meliſſæ, mercurial. ſaluiæ vitæ, bipinellæ, vngulæ caballinæ. an. m. j. hyſſopi. p. j. iuiub. ſebeſth. pruna damaſ. an. m. x. paſſul. corinth. glycy. an. ℥ j. ſeminis pæon. ſeſel. citr. an. ʒ i. cortic. citrij cond. & con-*

seruæ acori. an. ʒ j. ſ. fiat decoctio in qua, bull. foliorum ſenæ. ℥ iij. adde extra ignem caßiam & infuſum ʒ vj. rhab.

CONSILIVM XXVI.

Pro impotentia ad Venerem.

Æger arrigit, ſed verpus mollior poſt manet ſic non ſubit, nec ſemen eiaculatur.

Id fit aut vitio inſtrumenti, aut totius corporis morbo, aut ſeminis defectu, aut eius inefficacia, vt minus turgeat, & minus ſpirituum contineat, ac minùs penis in ſua contentione & tenore maneat.

Videndum num olim aptior fuerit, an non procliuis ad libidinem, vt poſtea natura imbecilliore reddita, minùs promptus fuerit.

An non doluerit aliquando partes iſtas, an non ſuffitum ex cinnabrio, aut conſimilibus paſſus fuerit.

An non vitio diætæ, vt ſi vinis tenuioribus vtatur, & rebus liquidiuſculis; & an non parcius edat, vt ſufficiat ad alendum tantum, non ad nutriendum.

Congredietur loco & tẽpore, non crudus alioqui ineptus erit.

Coeat poſt multam titillationem, & cum retenta vrina & meiendi ſummo deſiderio, illito priùs pene medicamento ordinato.

Nimium bona habitudo efficit aliquando ineptitudinem iſtam, vel quia corpus totum abſumit, & in alimentum conuertit, vel quia vaſa fiunt anguſtiora præ mole corporis & pinguitudine, vnde ſeminis quædam ſuppreſſio. Quemadmodum Hippocr. animaduertit nutrices nimium obeſas & ſucculentas minùs lacte abundare Rationes alibi expoſuimus.

Acetata, & olera multa fugitanda. Non ieiunet. Non ſe nimium impleat, tum ne inde cruditas eueniat, tum ne reuocatus ad ventriculum & partes adiacentes calor, deſerat teſtes & partes ſemini mitificando deſtinatas.

Nimia cura & ſolicitudo obeſt, auocantur enim ſpiritus. Tales erigunt, ſed cadit erectio.

Vſus piſtaciarum frequens commendatur plurimum.

Puluis pudendi Tauri. Cerebrum paſſerum.

Ad id conferet plurimum Opiata sequens.

℞. *Diasatyr.* ℥ j. *conserua eryng.* ℥ ſ. *ginzib. conditi.* ʒ j. ſ. *rad. bulbi ascalonij.* ʒ iij. *semin. erucæ, pastin. & fraxin. an.* ʒ j. *renum scincorum* ʒ ij. *confectionis Alkerm.* ℈ iiij. *conseruæ anthos* ʒ iij. *cum syrup. conseruatio. citrij: fiat opiata vtenda ad quantitatem nucis mosch. hora somni.*

℞. *Aqu. vitæ* ℥ ij. *macera seminis staphisagriæ* ʒ j. *foueatur verpus & perinæon.*

CONSILIVM XXVII.

Pro vxore D. Poille, in imbecillitate visus, aut potius caligine.

VSus frequens pilul. comm. aliquando paulo vehementiorum capitis frictiones. Puluis ex coriandro, fœniculo, similibus.

Opiata ex mithridat. conserua summitatum fœniculi.

Aqua in qua maduerit cinnamonum. Vitanda aqua valdè frigida, nam lędit spiritus & ventriculum.

Sanguis palumbis instillatus. Decoctum schinæ. Pedum lotio cum cephalicis.

Insuffletur cinnamomum & saccharum candum, aut fœniculum. decoctum fœniculi & ocularium ad fouendum oculum, corpore mundo. Aqua ocularis distillata, addetur mel anthosatum & commune. Masticatoria.

CONSILIVM XXVIII.

Pro herpete cum serpigine.

CVM dirus quidam herpes cum serpigine brachium sinistrum, pręsertim infra cubitum, & totam manum fœdaret, iam annos multos sæuiens, vt etiam iam parti inducta diathesis

videretur, poſtquam concepit, hoc malo liberata pars viſa eſt, immo ſuus nitor reſtitutus. Vnde hoc? Sed aquea quædam per vterum, aut per ſinum pudoris excretio contigit, vnde tandem tertio aut quarto menſe abortiit. Fœtus velut ſemiſideratus videbatur humor qui olim in manum ſæuiebat, vterum appetiuit, non tamen eum læſit, ſed id quod in vtero erat afflixit. hinc aborſus cauſa. Circa eum affectum hæc agitabantur.

Id quod in brachio iſto eſfloreſcebat, an per diadochen erat, an per apoſtaſin. An morbus erat. Si erat vitium confirmatum & diatheſis, cur nitidior cutis apparet, tanquam extincto malo. An humor talis in corpore gignitur? An eam malam qualitatem in manu pruriginoſa acquirit? Si enim purus affluebat & reuocatur aliò, quid inde periculi?

Vt ſit apoſtaſis, fieri debet repente. Si ſenſim fiat & multo tempore, nec eſt exanthema, nec apoſtaſis, ſed morbus Hippocrati. Quod hîc fit, remanet enim vetus fomes mali & in corpore & in parte.

Malum externũ citò curare non oportet.

Allata hiſtoria Athenienſis apud Hippoc. huic erat prurigo, & cutis leproſa: Vſu balnearum naturalium cutaneus affectus curatus eſt, hinc Hydropicus factus interiit.

Allata hiſtoria mulieris cui caput dolebat cum vterum non ferret, &c. Cauſa hæc eius rei videbatur, quia fortè erat bilioſa, & bilis in vtero aut circum vterũ erat quæ ſummittens ſurſum vapores dolorem capiti inferret. Cum vtero gerebat: ſanguis & ſpiritus reuocatus bilem temperabat. Hinc doloris capitis vacuitas.

Item notatus locus Hippo. quod cum mulieres puræ concipiunt videntur grauius affici quàm impuræ. Quod huic noſtræ mulieri contigit. Nam cum habeat corpus penitus impurum, pro ratione impuritatis non habuit malè initio conceptus. Aliæ enim mulieres quæ ſunt puræ habent grauiora ſymptomata. Verum tamen eſt quod etiam grauidæ perpetuò humidiores erant partes pudendæ ob ſpeciem quandam ῥευματισμοῦ.

Lib. de natura pueri.

Et malè ominabamur fœtui. quod contigit. Puer enim editus velut exuſtus erat & tabo infectus. Illud enim Hippoc. valet. Qualia patitur mater vtero gerens, talia & puer. Immo apud Hippo. editus eſt puer vlcus habens in coxa, quoniam præter rationem ſuppreſſis menſibus, mater conceperat.

CONSILIVM XXIX.

Pro ſocero noſtro velut ſemitertiana laborante.

OBſeruatione dignum eſt quod quidam annotarunt hemitritæon accidere Eccleſiaſticis, quòd initio propter labores magnam bilis copiam congerant, deinde pituitam. Et ea pituita continuam quotidianam & tertianam intermittentem parit. Hoc dictum quadrat ægro noſtro. Is enim, ſi quis alius vtrunque humorem gignit. Et is humor erat veluti ſegregatus à maſſa ſanguinis, & aliquo loco ſtabulabatur fouebátq; febrem.

Si febris focus eſſet circum pancreas, & ventriculum, aut vomitiones aut nauſeæ adeſſent. Hæc non adſunt. Ergo focus febris alio conſiſtit loco.

Semitertiana, periculoſa, quod non ſolùm ſtomachum & partes neruoſas attingat, verum veternoſos facit, & cum deliriis annexas habet vigilias, reſolutiones & ſyncopas [1].

Si continua eſt quotidiana cum intermittente tertiana cur vno die ſunt duæ acceſſiones? [2] Niſi fortè ille paroxyſmus, qui ſine rigore eſt & frigore, ſit tanquam quotidianæ indicium: nō tamen eſt quid periodicum. Sed cū quotidiana remittat, deinde exacerbetur, illa exacerbatio eſt principium primi paroxyſmi, & manifeſtus paroxyſmus eſt tertianæ intermittentis. Arculanus vocat paroxyſmum ſecundum ſemitam introitus, quia paulò ante præcedit alterum paroxyſmum tertianum. [3]

Oſtendimus (ait Galenus) à bilioſo & pituitoſo ſucco febrem cum horrore venientem proficiſci (id eſt ſemitertianam) Hęc enim κατ' ἐξοχὴν dicitur φρικώδης. Eam verò quę caret horrore, à bilioſo quidem, ſed eo lentiore & coctu difficiliore, quam ferunt principum partium eſſe inflammationem. Et hæc febris dicitur potiùs τριταιοφυής. Sic febres τριταιοφυέας, à bile lentiore eſſe vult, ſtatuítque vnum humorem, duplicem verò ſemitertianæ. Cōtra alio loco cum loquitur de febribus: Quę τριταιοφυέες dicuntur, ait, *Generantur iſtæ febres non ex ſucco vno, ſed pluribus, quorum calidior febrem acutam ſuccendit ſtatímque diſcutitur. Quæ dum cor-*

Ad part. 5. ſect. 3. li. 1. Epi.

Ad part. 25. ſect. 2. lib. 1. Epid.

pus tenet contingit frigidioribus corrumpi ac putrescere, iterúmque ex illa remißione accenditur febris. Sic vno loco statuit vnum humorem febris τριταιοφυέας causam, in altero duos succos. At bifariam dubitationem istam eleuare oportet. Vno modo quod cum ait duos succos causam esse istius febris, maximè id intelligendum est cum sunt ex interuallis horrores, aut parui rigores, & manifestæ reduplicationes. Cuius generis τριταιοφυέας, febres explicauit in Epid. loco allegato, vel dicemus bilem quandam benigniorem esse causam febrium τριταιοφυέων [4] maximè earum quæ potius accedunt ad eas de quibus Hippoc. in Aphor. Quæcunque febres non intermittentes tertia die fortiores fiunt, &c. in iis enim remissio est manifesta secundo die, altero paroxysmus manifestus.

Par. 2 5. sect. 2. li. 1. Epi.

Si in febribus horror est manifestus, an humor propterea est in venis? Credibile est humorem nempe bilem quæ facit intermittentem tertianam in hemitritæo ferri ad genus neruosum, & facere non rigorem, sed horrorem qui medius est inter frigus & rigorem, & qui per se non est proprius humoris biliosi. Sic Hippoc. obseruat febres continuas tertianarum more inuadentes in quibus sunt parui rigores inordinati (id est horrores) & tamen non erant intermittentes licet rigores essent. Sic horror iste potius videretur ob pugnam duplicis materiei contrariæ oriri, bilis & pituitæ, quam ob delationem in habitũ corporis, vt fieri solet in reliquis febribus. Sed quomodo in continuis febribus contingant rigores ex interuallis alio loco explicauimus.

Lib. 1. Consil. meorum ad Consil. CX.

Febres à forti obstructione sunt continuæ symptomaticæ, & à materia extra venas, vt patet ex Galeno in quarto Aphorismorum.

Nescio cur Hippocrates animaduertit tabidos, & eos qui morbis longis detinentur præcipuè semitertiana laborare.

Parti. 5. sect. 3. lib. 1. Epid.

Sic cum morbus fit longus Medicus obseruet num quid sit semitertianum, vt mos, motus morbi, symptomata & periodi annotentur.

Nec obest obiicere quod in morbis longis & tabescẽtibus [5]; horror non adsit, qui κατ' ἐξοχὴν, facit febrem semitertianam horrificam, nam Galenus tali obiectioni satis fecit: *Si tabidis & aliter diu ægrotantibus solet accidere hæc febris, fortè licet horrore careat, semitertianam vocabimus, si die secundo iterum inuadat.* Tamẽ

Com. ad part. 5. sect. 3. li. 1. Epi.

id potius dubitanter dictum est, quàm absolutè pronuntiatum, quanquam valdè probabile est. *Et ut res certissima sit satius est illud tenere quod ante assertum est, Quæ febris ad integritatem non venit, sed horrificas primo die facit repetitiones, altero simplicem unam accessionem, semitertiana vocatur, si autem simpliciter tertio quoque die inuadat, dicitur propriè τριταιοφυής.*

Comm. in 6. Epid. includit nomine τῶ τριταιοφυέων, & semitertianas, & longas tertianas. Quod videtur falsum. Sic vox διότι, videtur aliter meo iudicio interpretanda.

Part. 23. sect. 2. lib. 6. Epid.

Eodem loco febres τριταιοφυέας, medias statuit inter semitertianas, & tertianas illas in quibus aliqua est intermissio.

Verum quod ad therapiam spectat quæstio nunc non minoris necessitatis quam voluptatis moueri potest.

An laborantibus semitertiana cõtinua habente paroxysmos tertio quoque die, aut tritæophyea ipso die tertio quo reduplicatio fit, aut vena secari, aut medicamentum dari tutò potest? Id enim in religione non est apud nostros. At fortassis malè. Si enim in afflictione ipsa, si in paroxysmo cibum dare nocet, cur non & purgare, & medicari? Immo Galen. explicans cur febris diurna sit longior quàm nocturna & deterior, ait ideo diurnam esse & deteriorem & longiorem quod cum diurna est, oportet de nocte medicari, quod incommodo non vacat. Item quod constringatur corpus tum cum digeri debet. At dum vrget morbus non difflatur corpus, sed inclinante accessione. Viget interdiu, de nocte digestio fieri debet. Non fit ob noctem. Contra in nocturna. Nam interdiu discutitur quod nocte coctum est. Tertia ratio, si cubant interdiu, nocte non dormiunt maximè verò ob curationem: si non cubant vespertilionum vitam agunt. Nam nec nocte, nec die dormiunt. Sic temporis diuturnitate, & defectu somni, & defectu digestionis ob noctem quæ astringit, & ob intempestiuum curationi tempus tabescunt. Sed quærat quis cur de nocte non difflatur corpus? Id etiam ad arthriticos extendi potest. Vide quanta sit cautio Galeno in diurna febre aliquid moliri, vt etiam tempus ipsum nocturnum expectet ad medicandum.

ANNOTATIONES.

1. *Semitertiana funesta est Cacoëthia, inflammatione, symptomatum vehementia, difficultate curandi. Est duplex focus & inaequalitas tanta, vt Medicus non facilè curandi occasionem capiat.*

2. *In semitertiana vno die est exacerbatio quidem cum horrore, sed is leuior est eo qui contingit altero die. Febres autem continuae synecheis habent etiam paroxysmos. Et quod cum madore quodam quotidiana repetat seu exacerbetur, illud est proprium quotidianarum.*

3. *Quid? nonne qui laborat tertiana febre etiam pituitam habet multam? Immo in omnibus est & bilis & pituita. Credo in semitertiana putrere duos humores aequaliter ferè potentes & abundantes. Et id facit ad hemitritaei generationem & malum morem. Vnde illud Galeni Com. in historiam de Philini vxore, Pessimi sunt morbi in quibus bilis & pituita redundant. Quibus succis redundantibus semitertiana succedit. lib. 1. Epid. Et ad hist. de Sileno, multo grauissimi simul morbi in quibus pituitae, seu succi crudi magna copia, & simul bilis colligitur propter ἀντενδείξεις in curatione.*

4. *Febres τριταιοφυεῖς duorum sunt generum. Nec enim (vt vulgò creditur) omnes sunt malae, quia continuae: sed sunt quaedam quae quodammodo ad Tertianas accedunt.*

5. *Tabescentes febre hectica laborant continua. Et tamen Galen. obseruauit quibusdam tabidis adiunctam febrem tertianam, Hippoc. quintanam. Fortè quinta haec à materia esse videtur longè à venis semota, aut in pulmone coercita.*

CONSILIVM XXX.

De Febre continua.

ILlustris Domina febricitauit assidua febre. Aluus erat liquidior. Febre carere visa est. Recruduit sequenti die febris. Iactationes, lingua tremula. Decimo quarto, mors dextrum Hypochondrium molliter tendebatur[1].

Relictis multis, quorum demonstratio ex superioribus duci eruíque potest, in ea tantum parte laborabimus in qua quis du-

bitare poteſt qui fiat, vt qui febre aſſidua laboret duobus ſæpè tribúsve diebus, fiat ἀπύρετος, & quodammodo reſtitutus, deinde denuo febricitet, & eodem modo die decimo quarto, citiùs tardiúſve iudicetur, ac ſi nulla interiecta ἀπυρεξία, febris interciſa interruptáque non foret. Vnde iſta ἀπυρεξία? an reuera talis exiſtit? an tantum apparet, & reuera non eſt? Si eſt, quomodo fit, & cur dierum criticorum certitudinem non tollit & infirmat. Si enim morbus iudicandus fuit die decimo quarto, & æger febre vacauerit duos tresve dies, an iudicium erit diei decimi quarti? Iſta interiecta & interpoſita ἀπυρεξία cõtinuitati & ſeriei dierum ſtato ordine progredientium officere videtur? Quoniam id ambiguum exiſtit, hîc veluti honorarius arbiter & interpres exiſtam, vt quid ea in re ſit ſequendum, facilè percipiatur. Ac primùm hiſtorias recenſere operæ pretium duco, in quibus febris aliquam vacuitatem in aſſiduo continuóque cauſo, Hippocrates obſeruarit. Deinde quid ea de re Galenus ſtatuendum putet, explicabo.

Philiſcus continua febre afflictus die tertio mane & ad meridiem febre viſus eſt liber eſſe.

Clazomenius viceſimo iudicatus, non ſudauit, à febre liberatur viceſimo ſeptimo coxæ dolor. Non meminit dierum interiectorum.

Qui in dealcis horto habitabat, vndecimo die febre erat liber, ſudauit, duos dies integros intermiſit, febris die 14. rediit, Item die viceſimo liber à febre fuit, & tamen 40. die eſt iudicatus.

Euryanactidis filia ſexto die liberata fuit febre, non ſudauit, iudicata eſt. A iudicatione die 7. riguit. Decimo à ſudore quem habuerat, delirauit, confeſtímque ad mentem rediit. Cum diem intermiſiſſet duodecimo multùm delirauit. Denique die ſeptimo à quo ita multum delirauerat, interiit: id eſt, totius morbi die decimo nono.

Circa hanc hiſtoriam duo obſeruanda, prius quod abſoluta fuit intermiſſio, Poſterius quod cum intermiſſio fuiſſet aliqua, & die duodecimo deliraſſet & febricitaſſet, ſeptimo die ab iſto duodecimo ad mortem iudicata fuerit. Et Galen. Comm. in iſtam Hiſto. ait, non eſt cur pleniùs quæramus de diebus criticis cum hi nullum habeant ordinem, quandoquidem mortem attulit, & deſtillatio à capite, & innatum tabidum. Quaſi

velit à duabus hisce causis dierum ἀταξίαν, & confusionem inductam esse.

Parius etiam die centesimo obiit, die 34. & 40. febre liber fuit.

Anaxion vicesimo sudauit, febre liberatus fuit, die 17. febris rediit, die 34. iudicatus.

Hermocratis verò historia non omittenda est, immo celebranda, quoniam ex eius Commentario deducetur ratio omnis quæ valebit ad id illustrandum de quo quæritur. Textus hic Hippocratis, die 7. grauiter habuit, sub diem vndecimum omnia illi visa sunt remissa esse. Die 14. à febre erat liber, non sudauit, dormiuit, omnino mente constabat, vrinæ tenues. Dies 17. febris rediit, in sequentibus diebus incaluit, febris erat acuta. Die vicesimo est iudicatus, à febre liberatus non sudauit. Die 24. incaluit. Proximis diebus acuta febris, lingua combusta, die 27. mortuus est.

Ac primùm obiiciamus Aphorismum istum, febres quouis modo intermiserint periculum abesse significant. Et tamen Hermocrates interiit, & alij plerique in Epidemiis, quibus tamen in febre continua fuit ἀπυρεξία. Et sic intermittit quouis modo. Immo Hippocrates vtitur verbo intermissionis. Cur ergo perniciosus illis fuit morbus? fortassis maiore id eget distinctione. Nunc audiamus Galenum de ista vacuitate febris in febre assidua, vt iis satisfiat quæ primo loco posita & quæsita sunt.

Aph. 43. lib. 4. Aph.

Primùm in Hist. de Hermocrate, cum dies septimus valdè molestus fuisset, vndecimo die omnia remissiora visa sint, ita Gal. *Rectè Hippocrates adiecit, visa sunt, nec dicit absolutè, mitiora fuerunt. Nec enim potuit ex periculosissimis signis subito, cum eadem permaneret humorum cruditas, ad meliorem statum deuenire. Maximè cum nil eluxisset decretorij die vndecimo, quod tamen eo die sæpè fit.* Quod autem sit signum exitiosissimum, fuit sopor qui vel summam imbecillitatem significabat, vel refrigerationem summam, addo & δίψαν, ob febrilem æstum id quod Galenus non animaduertit, Hippocrates verò obseruauit.

Galenus abundè quæstionis scopum tetigit, Com. ad part. 8. de Hermocrate, nam cum Hipp. ait, die 14. non sudauit, febre liber fuit, idem est ac si dixisset, visa sunt omnia remissa, & tamen reipsa talia non sunt, non sudauit, non fluxit sanguis,

non erupit parotis, infida est enim morbi intermissio, aut potius remissio, Græcè ῥᾳστώνη, quæ vox notanda est, vt eo loco vocat, quanquam Hippocrates manifestè dicat, febris intermisit. Est enim sine ratione alleuatio. Et Galen. in Comm. ait die 14. & 20. perfectè febrem cessauisse. Et vulgus Medicorum gaudet si qua videatur alleuatio, tametsi ex symptomatis perniciosis proficiscatur, nesciens cum natura enecatur & extinguitur calor insitus, tales solere accidere affectiones, id est, febris intermissionem aut remissionem sine ratione. Eodem modo contingit in tumoribus. Nam cum pus fit dolor fit & febris inaugescit quòd natiuus calor tumores immutet: Si à coctione reuocatur natura, aut ipsa propter imbecillitatem abstinet, nec laborant, nec febricitant nisi perparum[+]. Et si pus fit & expurgatur præcedente & febre & dolore, pars fit salua. Si suppuratio, si febris, si dolor abest, pars aliquando putrescit. Idem contingit febricitantibus cum sine ratione alleuantur, & febre vacant cum tamen præcesserint signa pessima. Tandem concludit Galenus: Quò commodiùs ægri habere videntur cum alioqui signa præcesserint perniciosa, hoc morbus multò deterior est existimandus. Et Galen. citat Histo. De quibusdam qui cum pessimè haberent cū morbus desæuisset, & fractus fuisset, Medicis & vulgo restituti putati sunt, immo iam ad munia obeunda redibant: paulò post redeunte morbo sublati sunt. In quo falli non oportet, nec ita securos nos de morbis esse oportet. Sic quando die 20. cessauit febris id pessimum fuit signum, quia natura debebat potius nouo excitato paroxysmo aggredi coctionem.

Idem Com. ad par. 17. sect. 2. lib. 1. prorrh.

Et notandum id maximè quod scripsit dum reddit rationem cur die 17. febris inualuerit acutáque fuerit, id accessit (ait) non ratione caloris natiui, sed propter putredinem accensis πυρετώδεσι, humoribus. Itaque vbi feruor discussus est, à febre homo vindicatus est die 20. sed sine lege ac ratione. Sic hoc suspectū fuit. At dices, quomodo sciam paroxysmum istum à natura vi caloris natiui intendi, non autem id totum à putredine sola esse, & quasi signum extincti caloris natiui (nam cum paucus est calor natiuus febres fortes non fiunt) id declarabit pulsus. Ideo quia Hipp. sphygmicam contemplationem omisit, nobis difficile est ex scriptis eius ad cognoscendum, quibus id signis percipi possit[7]. Tandem concludere oportet & 20. die & vndecimo

cimo iſtam alleuationem ſuſpectam omnino eſſe, cōmodiúſq; videri habere ægros cum tamen non ita ſit, ſed vulgus falsò decipiatur, quod extincto calore natiuo febris deſerat ægrum, & quod reaccendatur eadem, fiatque νεωτερισμὸς, quidam (vt loquitur) non vi naturæ, ſed motu ipſius humoris, vt id totum ſymptomaticum ſit; Ac credibile eſt pulſus frequentes eſſe, ſed admodum paruos & humiles. Contrà ſi natura valeret, & ipſa aggrederetur aliquid, pulſus alius foret. Item quòd malignus ſit ad finem morbi paroxyſmus, id ipſius naturæ poſtremum conatum indicat.

Eam ipſam rationem de aucta febre ob motum ipſius putredinis, & febris vacationem ob extinctionem caloris naturalis, Galen. explicat dum docet, cur Pythion, cum acuta febre laboraret βραχύπνυς, factus fuerit[b]: Quia, ait, primo die calor febrilis per putreſcentes humores accenſus ipſe quidem digeſtus eſt relicto natiuo ita infirmo, vt prius extingueretur, quam febrilis calor denuò accenderetur, velut ferueſactis qui putreſcebant ſuccis.

[b] Sect. 3. lib. 3. Epid.

Quid? vidimus aliquando febres quatuor aut 5. dierum vehementiſſimas ceſſauiſſe, ſine ſudore, aut manifeſta excretione, & tamen nil inde periculi ſecutum eſt. Fortè ſi repetiiſſet iſte tam grauis paroxyſmus, & nil commemorabile apparuiſſet, ægrum ſuſtuliſſet. Vel id contigit, quia calor natiuus non eſt affectus, & debilis eo modo qui dictus eſt ante; præterea non adſunt alia peſſima ſigna quæ aliis comitata mortem afferre ſolent.

Porrò ex ſuperioribus dictis patet bifariã magnos eſſe paroxyſmos, febrémque magnã, vel ſola humorum putredine & caloris febrilis auctione (id quod Galenus vocat humores accendi πυρετωδῶς) vel propter vim naturæ & caloris natiui copiam. Priore modo vires ſunt infirmæ, Poſteriore ſunt validæ & potentes. Priore modo aliquando febris exigua eſſe videtur, ſed id eſt potius ſignum fractæ naturæ & exhauſti caloris contra naturam. Vix enim febris eſt magna præſertim cum robuſto pulſu quin aut ſit naturæ lucta, aut caloris naturalis copia & vbertas: Et tamen incidit aliquando paroxyſmus & auctior febris cum id ſit potius motu morbi & humoris quàm naturæ. Et tunc poſt paroxyſmum iſtum natura ſuccumbit, & mors aduentat, decipiuntúrque Medici. Prius enim extinguitur calor naturalis

quàm denuo febris accendi possit[7]. Quęstio nunc est, Si magnus pulsus, si febris insignis, si symptomata vigent, si æger æstuat insigniter, si sitit, an Medicus aliquid tentabit euacuando, aut purgando? Fortè morbus tunc consistit, in vigore est, pus fit (id est in pepasmum incumbitur in toto genere venoso) oppugnatur qualitas materialis quę tam vehementem paroxysmum intulit, sinendum id naturæ, non reuocanda, solus etiam emanãs sudor plus proficiet quã quiduis quod agitare queas. Si tu reuocas naturã ab instituto, criseis interturbabis si interturbas, secretio non continget bona post coctionẽ. Vt mirũ non sit purgatione immodica & detractione sanguinis morbus imminui, ac hebescere videatur, sed postea nõ amplius eluceat vis naturæ & ipsius aggressio in sultúsve, vnde acutus morbus ἐκ μεταπτώσεως, longus fit. At satius esset breuiùs & acutiùs ægrotare. Cum enim natura morborum sit Medicus, plus efficiet coquendo & secernendo intra paucos dies per modum κρίσεως, quam nos vacuando, purgando, & humores innoxios agitando, & quasi camarinam mouendo pro crisi & pręcipiti iudicio inducere τὴν λύσιν. Immo (magno Medicorũ opprobrio) id obseruatur sæpè iis qui valida sunt natura, & quæ non facilè quatitur, affligitúrque, morbum febrémque eodem fere tenore progredi & perseuerare, licet omni remediorum ope aduersus morbum pugnatum sit) & fœliciter crisin in 7. aut 11. aut 14. diem incidisse. Quod si natura sit debilior, & minimè medicationibus assueta, frangitur quidem medicando vis morbi, sed protrahitur quia naturæ demptum detractúmque est calcar suum, detractus stimulus quo solicitata beatas ac fœlices crises miraculo quodam intentare solet. Sic non abs re Hippoc. toties celebrauit, initio quidem agitandum aliquid, quiescendum vero cũ omnia consistunt. Contra fit hoc tempore, nullo enim non tẽpore aliquid agitatur; etiam in vigore quidam phlebotomiam celebrant vehementia morbi adducti, minimè rati, augeri symptomata ad victoriam naturæ & aggressionem, non propter deteriorem statum morbi, & causæ morbificæ potentiam. Et initio morbi natura opprimitur tantũ à causis morbificis, in vigore à symptomatis. Symptomata enim sunt fortiora, dispositio morbi non est fortior, sed melior est quam in morbi initio pręsertim si morbus salutaris fuerit. Id est, cum natura coquat humorem, & sit lucta inter morbum, & naturã, non mirum si ve-

geant omnia, & augeanttur symptomata, conditio tamen morbi & causæ morbificæ est melior, quia natura est potentior & victrix futura est, & si tum ab opere naturam reuocas, quantum in commoda ægri pecces, ipse videris.

Nunc reuocemus ad hypothesin id quod dictum est, & quæramus de pleuritide an prout augetur & dolor & febris, consilium capiendum est detrahendi sanguinis. An non auctio & doloris & febris fit ob pepasmum? At quis dubitat quominus in pleuritide sit expectandus pepasmus, & ei studendum. Cum autem augetur & febris, & dolor, fortassis natura aggreditur coctionem. Et detractione sanguinis à penso reuocatur. Vt mirum non sit si plerique intereant in quibus potius supersedendum fuerat tam frequenti venæ sectione.

ANNOTATIONES.

1. *Cum in febribus Hypochondrium dextrum molliter tensum est, scias febrilis affectionis originem hîc existere, Galen. histo. de Hermocrate.*

2. *Vide num sit idem iudicium quod & de septimana, & nonana de quibus Hippocrates part. 7. sect. 3. lib. 1. Epid.*

3. *Vbi tertius & quartus dies paria habent symptomata, & signa in acuto morbo breui iudicium expectabis.*

4. *Hoc ex loco patet Medicos terreri non debere cum ægrum diuexari agitaríque viderint augeríque symptomata. Hoc enim naturæ aggressionem significat. Quod dum fit, maior quædam vis fit naturæ, & sinendum donec virus, aut partem materiæ superarit. Id quod in omnibus morbis fieri credendum est.*

5. *Inter cætera patet apertè ex Galeno ad part.* 10. *&* 12. *De Hermocrate, qua ratione vulgus decipiatur ratum* ἀπυρεξίαν *istam, bonum esse signum: Item docet cur febris quæ euanuisse videtur, reuertatur.*

6. *Inter cætera hic locus annotandus. Vnde hoc anno* 1587. *Multi interierunt ferè nulla febre præsente (quoad pulsum) quia calor febrilis digeritur, remanet naturalis ita infirmus, vt prius extinguatur, quàm febrilis calor denuo reaccendatur. Sed est falsa opinio* ἀπυρεξίας. *Remanet enim squalor nescio quis & siccitas linguæ. Et sensim ægri intereunt. Et Pellicarius Maclouius paulò post septimum visus est restitutus, deinde die vndecimo extinctus est.*

7. *Vidimus enim plerósque è medio sublatos quibus Medici spem pollicerentur salutis, falsò inducti febris lenitudine & paruitate. At parua*

erat febris inopia caloris naturalis, & natura imbecillitate, non causæ imminutione & caloris contra naturā victoria, in quo pulsus ad naturam rediisse videtur. Ideo fortasse doctrinam sphygmicam neglexit. Item caloris acris sensus non erat qui prius.

CONSILIVM XXXI.

De Causo.

ÆGri tres simili penè febre laborauerunt. Causus erat nō verus qualem descripsit Hippo. Aluus libera erat, sed nil proderat, aut parum ea excretio. Cruditas multa, tenuis & biliosi humoris aut seri potius vis interdum apparebat.

4. Acut.

Primum de foco: De siti, alui libertate in febribus continuis, vrinis aut tenuibus, aut crassis, de Phlebotomia & purgatione post phlebotomiam, & quod venæ sectio aliquando præferri debet, febrium ardentium focus est gibbum hepatis, ieiunū intestinum os ventriculi, venæ ventris, pulmo quoque & pulmonis venæ. Dubitant quidam an pulmo focus esse possit. Id expressit Galen. in Epid. Et idem Gal. docens quibus febribus continuis hæmorrhagia conuenit. Ita, ait, hæmorrhagia maximè iis febribus causodesi conuenit quarum sedes in pulmone est. Sed apertissimè alio loco explicat quibus notis distinguatur febris καυσώδης, cuius focus est in pulmone, ab ea cuius fomes est in hepate, aut ventre. Maximè verò ex difficultate spirandi distinguit. Et hic locus est diligenter notandus, vt cum ea de re dicendum fuerit, habeamus quod in præsens afferamus. Et Hippocrates ad talem crisin febrium ardentium quarum pulmo focus est, sputorum crassitudinem requirit. Quasi verò, dicat quispiam, si pulmo focus febris est, ea nō potius symptomatica dicatur quam essentialis. In vno loco ait ad καῦσον istum bilem in venis pulmonis efferuescere, in altero, simpliciter pulmonis meminit.

Ad part. 17. lib. 4. Acut. Lib. 2. Epid. meorū.

Focus febris ardentis pulmo.

Cur aluus liquida sit in Causo, præsertim si focus in ventre sit, nō autem si in pulmone, inquirendum. Id terret Medicos sæpè. Et adumbrauimus quodāmodo in libris nostris. Breuiter per-

ſtringemus Nunc, & locos tanquā notas indicabimus. Primum ita Galen. in febribus aluus liquida eſſe poteſt tum ob ventris phlegmonem, tum ob colliquantem febrem. Hinc patet ob phlegmonem aluum liquidam eſſe poſſe. Item alio loco: Quibus venter afficitur & focus febris eſt, his corrupto cibo deiectiones liquidæ ſunt. Quibus pulmo focus febris, contingit vt aſtringatur interdum aluus. Si iecur cauſi fomes eſt, aliquando aluus liquida, aliquādo ſpyrathodea excernit. Si ſolùm phlegmonem patitur, dura aluus eſt: ſi cum phlegmone eſt imbecillitas, liquida deiiciuntur, viſcere ad ſe alimentum nequeunte allicere. Sed eiuſmodi deiectiones ab iis quæ ventre affecto eueniunt, diſtinguntur τῷ κεχυλῶσθαι, quod verbum elegantiſſimum.

Ad part. 17. lib. 4. Acuto.

De ſiti præclarum eſt quod ſcripſit idem Galen. Nam cum vident Medici pleróſque febre ſatis inſigni laborantes parum ſitire, aut nullam probabilem rationem afferunt, aut diſtillationem à capite cauſantur. Melius Galenus: *Interdum Cauſus in vna parte, interdum in toto corpore gignitur. Si in toto corpore, ſitim omnino perit. Cum in vna parte, non neceſſario, niſi pars ipſa ſitim afferat. Omnium autem primum id facit os ventriculi, deinde ſtomachus, poſt pulmo, ſubinde ieiunum inteſtinum.* Id quod notandum eſt Obſeruauimus enim ante Galen. velle os ventriculi, hepar, pulmonem, & ieiunum inteſtinum febris ardentis ἑςίαν eſſe. Vult & totum corpus Quod notandum. Atque inde colligere poſſis attractionem ichorum in totum corpus, non tantùm in maiores venas cauſam eſſe Cauſi. Sic in habitu corporis accendentur ichores & febrem committent, & dolores ὀςεοκόπους parient, & ſudoribus ſoluentur. Et ab habitu maximè ſudor manat. Si ergo ventriculus, hepar, os ventriculi, ieiunum inteſtinum, ſtomachus, & ſitis & febris ſunt foci quidam, item & corpus totum plenum ichoribus, quid eſt cur ad generationem febris continuæ recurramus ad venas internas maiores?

Part. 1. lib. 4. Acut.

De purgatione & phlebotomia, vtrum præcedere debeat, ſæpè dubitari ſolet. Hippoc. abundè ea de re dixit. Sed duas eius ſententias cōmemorabiles hîc proponemus: ἢ φλεβοτομίη ἢ ἡγεμονικὸν ἔςι, vt loquitur Hippocr. vbi inflammatio eſt, aut πυςεφῇ. Deinde dixit, μετὰ τὴν φλεβοτομίην ἡ φαρμακείη δεῖ) μετ εἰότητος ἢ ἀσφαλείας: Id eſt, medicatio quæ poſt phlebotomiam adminiſtratur, omnis & mediocritatis moderationiſque & ſecuritatis ſeruantiſſima eſſe debet.

4. acut. part. 21. & 22.

Lib. de Indicantibus

De Loysonio id notandum. Ictericus factus est post septimum diem. Ac de eo verum fuit quod scripsit Hipp. in ardentibus febribus si Icterus post 7. diem appareat, signum est sublati sudoris. Morbus non solet exudare, nec abscessum facere, sed homo sanus fit. Biliosa enim alui egestione curatus est. Quod ad phlebotomiã pertinet quæ tutò in febribus synochis putribus celebratur, duo obseruãda sunt ex Galeni meth. med. Prius, quòd synochus non cadit nisi in corpus benè habitum & succulentum, & in virtutem imbecillam non cadit. Accedit quòd calentis ætatis esse oportet. Posterius est de sanguinis detractione. In febribus continuis synochis spectatur obstructio & putredo, multitudo, crassitudo & lentor humoris, retentio humoris & excrementi transpirabilis. Inter causas censetur multitudo, crassitudo, lentor; Retentio excrementi transpirabilis est causa & symptoma. Putredo est causa & affectus. Morbus erit febris & obstructio. At obstructio & putredo ipsa per se per detractionem sanguinis non possunt curari, alia enim remedia postulant. Si nutrimus febricitantes, augemus febrem, si non nutrimus, vires deiicimus. At satius est aliquid sanguinis, quod proprium est partium nutrimentum relinquere, vt paucas exhibeamus sorbitiones, quibus tanquam medicamentis potius quam tanquam alimentis vtimur. Quid enim magis ridiculum quam non relinquere naturæ sanguinem iam factũ & asseruatum, & necessitate cogi ad ægros nutriendos? Quod quotidie factitari solet. Nam postquam sanguinem abundè detraxerunt, tum expressum capi aut aliquid simile multi alimenti offerunt vt vires detracto sanguine imminutas instaurent.

Error Medicorum in secanda vena.

Datum medicamentum sub diem criticum hypercatharsin excitauit. Sic natura ab operè fortè reuocata est. Sed si natura die critico alui profluuium proritat, cur & eius minister Medicus idem non faciat?

Sæpè ex acuto morbo fit quodammodo Chronicus dum materiam in profundo corporis quietam tranquillámque, & quæ motu suo naturam non sit agitatura, mouemus. An non melius esset naturæ crisin sinere aut per sudorem, aut alio modo, quàm reuocando naturam ab instituto in morbi longitudinem ægrum coniicere? Id quod adumbrat quodammodo Hippoc. 4. acut. Queis initio vrinæ nebulosæ ac crassæ, hos, annuentibus cæteris purgare conuenit. Si vrinæ inter initia tenues fuerint, hos

non purgabis. Corpus quieti permittendum, vngendum, tenuiter nutriendum. Nam si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrísque citra sudorem ad iudicationem in longum tempus protrahetur. Galen. in Com. explicat quomodo exhibitio alimenti naturam à coctione humorum auocet, & medicamentum naturam conturbet, & propterea coctionem impediant. Sic febris non iudicatur vt iudicari debet, & in multos dies protrahitur.

Inquietudo erat maxima. Et quoniam de ea disputandi locus est amplissimus, ea re supersedendum est hoc loco. Egimus enim in lib. à nobis scripto de definitionibus Medicis. Et habeo multa eáque præclara annotata ad part. 19. lib. 1. τ̃ προγνωστικῶν, & in 2. Prorrheticon.

In vxore Pesmæi animaduertendus est quidam manuum tremor, aut potius subsultus quidam qui non tam erat ab infirmitate & exhausto, quàm à cacoëthia, aut humorum copia. Et cum recreatis viribus quæ initio valdè afflictæ videbantur, diligẽter corpus expurgatum fuisset, cessauit illud terrificum symptoma. Consimile fuit illud quod accidit Hortulano Domini de Roissy de quo ante.

Atque ex ea historia doceri debemus prognoseos vim & rationem esse valdè ancipitem, nec deserendos esse à nobis ægros cuiusdam infirmitatis ratione adductis. Sæpè enim humores crudi sunt, & tamen validis remediis naturam initio vexamus, & vires debilitamus, quas ad coctionem seruare oporteret, & naturam ab opere auertimus, & materiam crudam agitamus: quæ agitatio naturæ infesta est.

Porrò, quod ad curationem febrium pertinet, caput vnum attingere pertinens ad victus rationem non erit alienum ab instituto. Et incipiendum erit ab Aphorismo Hippoc. Naturâ calido refrigeratio, potus aqua, quiescere: Somnus in frigore vestibus contecto: Et ex Com. Galen. in hunc locum sensum istum elicuimus, inter dormiendum calor intus augetur, maximéque iis qui calore acri ac febrili abundant. Proptercáque in loco frigido dormire debent, & vestibus cooperiri. Dormire quidem in loco frigido, vt aërem frigidũ inspiratu attrahant: vestibus verò & stragulis cooperiri vt caliditas quæ se intro intulit, ad habitum reuocetur. Sic corpus inspiratu aëris frigidi, dum in loco frigido dormit, & recalefactione superficiei vesti-

15. part. sect. 4. lib. 6. Epid.

mentorum vi ad temperaturæ quandam mediocritatem redigetur. Sed id non omnibus naturis conuenit. Quæ enim frigidiora sunt temperamento, hac victus lege offenduntur. Mens quidem fuit Hippoc. illo loco de naturis calidis id audire, non autem de febricitantibus: sed meo iudicio bellè aptéque ad febricitantes accommodari potest.

CONSILIVM XXXII.

Ad dolores ab vtero.

CVM vterinis molestiis sese valdè agitaret, & vix loco cõquiesceret post vsum quorundam remediorum hac in re partes D. Magni diligentiámque desiderauimus.

Balneo vtendum ad leuationem dolorum. Aperiunda vena malleoli.

Vtendum suffitu ex tapso, dictamo, chamęm. meliloto, semine fœniculi, anisi coctis in aqua, addita vini albi parte.

Ex iisdem impletus sacculus qui continebitur circum ventrem.

Purgationi tunc incumbendum fuit. Lac asinæ propinandũ.

Notanda historia cuiusdam mulieris quæ cum vterinis molestata fuisset post succussationem ab equo, post dolores longos excreuit aliquid pici simillimum.

Lib. 2. Epidemiorum

Cum idem alteri mulieri contigisset, post diuturnos dolores, tandem eruptio carbunculi circa os sacrum sanitatis illius pars fuit.

CONSILIVM XXXIII.

De Hypochondriaca affectione, catarrho dorsali, & variis affectibus.

CVM intersit plurimum ad morbi cognitionem quæ ætas, quæ cœli constitutio præcesserit, quæ corporis constitu-

ctio, in hac symptomaton syndrome & concursu de prima morbi origine aliquid statuere difficile est.

In certam enim ætatem certi incidunt morbi, vt in pueros lithiasis, ab anno 14. ad 40. in constantem ætatem catarrhus dorsalis, & hæmorrhoïdon molestiæ, autoritate Hipp.

Sic ex relatu ægri omnino pendere oportet, donec aliter res innotescat.

At tanta est symptomaton diuersi generis complicatio vt quò referenda sint, vix oculatus Medicus perspiciat.

Inter hæc interioris cruris dolores sed fugaces, deinde pedum imbecillitas, gressúsque impotẽtia, stupor dextrarum partium, gargareonis laxatio, vacuitas doloris aliquando, alui proluuies, deinde longa astrictio. Vrinæ difficultas. Hæmorrhois purulenta, deinde vrinæ incontinẽtia; denique ganglij, aut thymi species, flatuum molesta seditio sursum deorsum, dolores vagabundi, & plena querimoniarum oratio cuiusmodi melancholicorum esse solet.

Ex his quędam Hypochondriacę affectionis certa sunt indicia, quędam distillationis & catarrhi dorsalis, qui aut Plinij Scelotyrben, aut paraplegiam tandem esset allaturus.

Nec enim nouum est paralyseos & paraplegiæ rudimenta ab interno corpore & visceribus repetere, non à capite, vt vulgo fit, & in calculosis stupor femoris sine vllo defluxu cõtingit, quanquam à capite frequentius hæc dependere solent.

Interea tamen periculo non vacat non intellecta mali origine remedia decernere. Nam si Hypochondriaca fouetur affectio, fortè tutus vsus non est decocti ligni indici: si catarrhus tantùm est, & à capite per spinalem medullam in subiectas partes defluxio, vtile futurum est tale decoctum.

Accedit quod humor qui fluxit pituita est, aut eius serum. Non acer, serosus aut nitrosus humor, alioqui dolor implacabilis fuisset. Pituita autem & eius serum stuporẽ potius & lentorem parti afferre solet quam dolorem ait Galenus.

Vt mirum non sit si effœminatio, neruosarum partium laxitas, & nonnulla resolutio sit secuta. Mucus enim iste laxat potius & resoluit, quam dolorem excitat.

Et si laxatio sphincteris ipsius vesicæ contigerit, vnde inuoluntariè vrina fluxerit, minùs mirum fuerit.

Porrò vix hęc secum consentiunt, ineunte Hyeme molestũ

esse toto corpore caloris & æstus sensum, cæterùm aliàs dimidia corporis parte, aliàs partibus inferioribus stuporem, grauitatem, imbecillitatem cum doloris quadam vacuitate contingere: Id quod diuersas symptomaton origines conuincit.

Nam molesta illa caloris sensio Hyeme præsertim, per suppressionem feri videtur euenire: Et id Hypochondriacam affectionem maximè significat. Flatuum enim istam copiam in Hypochondriacis ad phlogosin primarum mesenterij venarum Diocles referre videtur. Cui assentitur Galenus.

In quo ambigi potest de frequenti detractione sanguinis quam æger passus est. Si enim pituita aut humor similis in partes subiectas influens neruorum vim dissoluit, quorsum hęc frequens detractio sanguinis? Calor enim & spiritus est dissipatus, cuius magnæ sunt in his affectionibus elidendis vires. Vt mirum non sit si nullam mali alleuationem ista euacuatio attulerit.

Vt concludam, nil certum elici potest, cum quædam sunt Hypochondriacæ affectionis soboles, alia & defluxionis, & catarrhi dorsalis indicia. Quod certo tenendum est, ne frustra decernatur remedium vni parti pro altera.

Vt autem ex diagnosi ad prognosin via muniatur, id verum quod Hippoc. scripsit, torpores & sensus stupores propter morem contingentes siderationis signa sunt. Et idem Hippocr. Quibus senioribus torpores sunt vehementes, tum lumborum, tum crurum, quibus aluus non egerit nisi vi, his morbus diuturnus erit, prædicendúmque annum, vt minimum duraturum [3].

Et cum duplex origo à nobis fuerit explorata, bifariam quoque remedia erunt vsurpanda. Conciliandum robur partibus suscipientibus, & quarum tandem morbi longitudine sunt conuulsæ. Ventri prospiciundum & visceribus à quibus pendent tot dolores fugaces, & impetus facientes modò in hanc, modò in illam partem. Id quod Hypochondriacis familiare esse solet.

ANNOTATIONES.

1. *Pars eadem conuulsifico modo affici potest & paraplegico. Paraplegico quatenus neruosum genus magis afficitur, conuulsifico, quatenus neruosum genus magis afficitur, conuulsifico, quatenus genus musculosum.*

2. *Si dolores qui in superiores partes sæuiunt minuerent eos qui in partibus sunt inferioribus, metastaseos alicuius argumentum esset. Sed id fit per quandam ἐπιγένεσιν. Nulla autem ἐπιγένεσις, alleuationem affert in prima parte in qua dolor est. Sed vt est propagatio causæ morbificæ, ita & dolores. At in metastasi contra fit. Leuatur enim prima pars afflicta dolore.*

3. *Vetustissimi morbi & pessimi & qui reuoluuntur grauissimè obediunt, itemque hi qui sunt in vetustissimis corporibus.*

Hippoc. lib. 2. Prorrh.

CONSILIVM XXXIV.

De febre continua, cum dolore ad splenem.

MARG. DANIERES, febre continua laborauit circa mensem Augustum: Dolor ad splenem & latus sinistrum. Splenicum id esse credebatur, nec tamen febris redoluit naturam humoris in splene congeri soliti. Insignis febris erat, lassitudines, genarum rubor magnus. Sed ἐκ μεταπτώσεως hęc febris. In quartanam diu longam degenerauit. Circa morbum huius hæc philosophabamur.

Rubicundi vulgo hepatici creduntur, & tamen hæc ægra splenica maximè patiebatur. Et à splene & febris biliosa, & rubores isti esse possunt. De primo extat locus apud Hipp. Quædam ex villa Bulegaræ cepit ex splene laborare: (Qui verò dextrum præcordium habent non quidem sublime, verum intentum, hi etiã magis sunt rubicundi (rubicunda cum esset.) Quanquam ex eo loco vix colligas an rubor iste splenicum quid, an hepaticum significaret.

De febre biliosa ex splene ita apud Hippoc. Lycino Gram-

matico ex febre biliosa ex splene, capitis grauitas, &c. [1] Item alio loco: Post pleiadas biliosi, splenes magni, duri, dolorosi, sanguinis eruptiones (Græcè elegantissimè Αἱμοῤῥαγικοὶ σπλῆνες: aliis sanguis biliosus ob splenes, Quod notandum, ne cum febrem biliosam videas, & circuitus humoris biliosi, & motum, & sanguinis qualitatem malè accuses hepar, non autem splenem. Sic frustra medeberis.

Sanguis biliosus ex splene.

In ea muliere erat velut ζύμωσις σπληνὸς, quemadmodum apud Hippocratem ζύμωσις ἥπατος legitur.

Aderat lassitudo ὀστοκόπος, fit autem ob tenuium humiditatum acrimoniam, & quandam διάχυσιν. Calor enim febrilis fundit & mouet, sed non digerit, nisi critico tempore excernendi occasio affuerit.

4. Epid.

Lassitudo sanorum est symptoma ob vehementem exercitationem: sed quę sine exercitatione fit, morbosorum est.

Hæc detractionem sanguinis ferre non potuit Quam mox enim ab aperta vena animo defecit, donec consilio D. Magni haustu aquæ parum refrigeratus esset ventriculus, & spiritus incrassati, ac quodammodo repressi. Porrò à detractione sanguinis facilè animo linquũtur quidam vel quod natura imbecilliores, vel quòd timore magno percellãtur virés(que offundant omnes, vel quod os vẽtriculi amara bile perfundatur, aut quàm maximè acri sensu præditum ac infirmum sit. Vnum autem in operibus artis scire cõuenit, plerisque in detractione sanguinis deliquium contingit animæ, cum præsertim prima corporis regio non est purgata. Bile enim os ventriculi natat, quæ quia mouetur, & nõ promouetur, deliquium animi afferre solet. Itaque (nisi quod valdè impediat) cachecticis, cacochymis & biliosis ἄνω, vix sanguinis detractio conuenit, nisi prius aut vomitu bilis exclusa fuerit, aut eadem deorsum medicamento cholagogo exclusa fuerit.

ANNOTATIO.

I. *Diximus ex Hippocrate quasdam esse febres biliosas ex splene. Errant Medici qui ἀδιοείστως, ad Hypochond. sinistrum & regionem splenis olea calida, fotus calidos semper adhibent. Apud Hippocratem locus est de Polycrate cui fomenta ad splenem calfacientia oberant, refrigerantia proderant. Hic locus non est dissimilis priori iam allegato in*

5. Epid.

quo mentio fit de febribus biliosis ex ſplene. Et lib. de internis affectionibus meminit Hippoc. morbi cuiuſdam ſplenis à copia ſanguinis orti. In eo ſecat venam internam cubiti ſiniſtri, alioqui in eos incidit excretio ſanguinis fæculenti multi à qua intereunt, vt D. Buron contigit, & D. Pajot, & infinitis aliis.

CONSILIVM XXXV.

De Abortu, & fluore vterino.

NObilis mulier trimeſtrem vtero fœtum, aut paulo ſeniorē ferebat. Magnum quoddam confecit iter. Ac tunc magna affecta eſt moleſtia. Abortiit. Ac primum fœtulum excluſit, deinde falſum germen cum grumis ſanguinis, ac ſi iam nigrefactus foret. Ab eo aborſu dolores ad vmbilicum, & τὸ ἦτρον perſeuerarunt. Alba ab vtero proluuies, modo ſubrubra. Tandem alba continuo ſecedunt, & ſingulis menſibus menſtrua apparent.

Mancus hic libellus & narratio in eo explicata. Multa enim alia ſunt explicanda, alioqui fruſtranea erit omnis opera quę inſumetur.

Inter deliberandum dictum de eo Aphoriſmo, Quæ abſque cauſa manifeſta trimeſtres abortiunt, iis acetabula vteri muco plena ſunt. Et in hac fortè abortionis cauſa hinc repetunda.

Item, quòd mola aut falſum germen aliquod abortionem facit, dum id quod mortuum eſt excutit viuum fœtum.

De αἱμάλωπι, ſanguis eſt velut liuidus in vtero remanens tempore geſtationis quem fœtus non capit: & hic aliquando ῥοῦν committit.

Morboſi menſes cum bono ſemine, & bonum menſtruum cum illaudabili ſemine molam facit.

Hip. Cum acetabula plena ſunt pituita, menſes ſunt pauciores. Quod defluit mucoſum & viſcoſum eſt. Et in menſibus cum purgari deſierunt per duos aut tres dies muci ex vtero prodeunt, horror tenet, febris parua. Suffitus ad id vtiliſſimus.

Mulieres biliosæ æquè ῥῷ laborant ac mulieres albæ & quæ vulgò ῥοώδεις dicuntur.

Initio lib. 2. de morb. mulier.

Hippoc. ſenioribus fluxum album eſſe magis, iunioribus rubrum magis ex febribus & aborſu, & menſium interceptione. In quo parum diſtinctè inordinata menſtrua cum ῥῷ confundere videtur [1].

Compactæ mulieres non ita ῥῷ laborant, non ſunt bonæ nutrices, & quia ob ſoliditatem impeditur curſus lactis, & quia abſumunt alimentum in molem corporis. Contra mulieres albæ ſunt ῥώδεες & τῷ ῥῷ obnoxiæ [2].

Quoniam nil de peculiari ægræ natura ſcripto ſignificatum eſt, nil de ætate, victus ratione, & iis quæ præceſſerint, difficile eſt aliquid ſtatuere quod morbi cauſam proximè reſpiciat. Et tamen in re hac ancipiti decernendum eſt aliquid prudenter, ne ſi irrita medicatio fuerit, ſaltem nulla grauis iactura conſequatur.

Hæc fuerunt capita deliberationis.

Victus ratio ſiccans ex vſu eſt, niſi aliter ſuadeat peculiare corporis temperamentum & conſtitutio.

Si qua in venis cruditas fuerit, mitificanda eſt. Si à capite vel aliundè fluxio fit, repurgandum corpus. Reuulſione ſi opus fuerit vel ad cutim Hydroticorum vſu fiet, vel vomitione, vel ſputatione.

Clyſmata cathartica pituitam circa locos oberrantem aut fixam prolectantia inſtituentur, non omittendo ſenam, agaricum in nodulo.

Si caput author mali ſtatuetur, purgationes & remedia capiti conſulent.

Si ventriculus imbecillior, humidiore fuerit, ſolidioribus vtendum, à liquidiuſculis & humectantibus nimium abſtinendum erit.

Vt viſceribus & meſenterio conſulatur à quibus fortè fucus manare videtur, ſyrupus ſolennis ex rheo, agar. & ſena valebit. Item ſyrupum ex aq. melonariæ, cum agar. vterum mirum in modum confert.

Hiera clementiore cœlo dabitur ad eum finem.

Confirmato corporis habitu, vel hypocauſto ſi cœlum ferat, vel ſiccatione per hydrotica emplaſtris vtendum corroborantibus.

Puluis conferet ex puluere florum & foliorum rosæ transmarinæ, conserua rosarum siccarum, antheraspodio[3], puluere ossis sæpiæ, corallio vtróque cum tartaro vini, albi abluto in aqua rosarum, & multo saccharo.

Aquę agri spadi conferent tanquam summum remedium.

Nec omittenda phlebotomia si res postulauerit.

ANNOTATIONES.

1. *Corpora seruarum non sunt ita fluori muliebri obnoxia. Magna quoque vis est pathematon animi ad dissoluendam contentionem ipsius corporis, vnde ad ῥοῦν procliuitas. Laxantur enim carnes.*

2. *Cum disputatur περὶ ῥοῦ, disputari potest de consuetudine mulierum. Hæ non detegunt morbos, vnde aut sunt insanabiles per se, aut ex euentu: Item de earum morbis propriis, de natura, colore. Nam prout sunt albæ aut nigræ, ita sunt minus magisue opportunæ. Abortus etiam sunt sæpè causa talis ῥοῦ, ex euentu. Vis enim vtero quodammodo infertur.*

3. *Cornu cerui vstum & sæpè vsurpatum aut potu, aut alio modo confert plurimum. Semen hederæ albæ commendat plurimum Hippocrates & corticem pini. Hoc est vtrumque remedium parabile.*

CONSILIVM XXXVI.

De Raucedine.

IN summa raucedine cum loquendi difficultate ita à nobis cuidam monacho consultum est. Cassia delincta cum iure caulium rub.

Vsus cassiæ frequens, aliquando cum decocto foliculorum.

Bolus ex terebinthina cum conserua violacea[1].

Suffitus ex decocto vngulæ caballinæ. Decoctum caulium rubrorum, hydromeli, hyssopi coma adiecta. Puluis glycy. ex ouo sumptus butyrum recens in pastillos confictum, vel cum melle delingatur. Pineæ & pistaciæ cum aqua rosarum, aut vino albo elotæ.

Masticare & delingere glycy. ac præsertim succum eius.

Vinum album dulce, gallis *vin bourru.* Litus pectoris.

Extractio mucaginis ſeminis lini non veteris plurimùm valere dicitur.

Decoctum ficuum, paſſularum cum ſaccharo rubro, aut cando.

Item Pendaleones ex puluere elect. diaireos conſerua roſarum, aut vngulæ caballinæ cum ſacch. aut melle benè cocto. Oleum ſacchari. Succus amygdalorum amarorum.

CONSILIVM XXXVII.

De Cauſo. Pro D. de Torigny. Ad Dominum Dalibourg Medicum Senonenſem.

H. D. DE TORIGNY febris aſſidua. Calor interdiu paulum ſe frangebat. Exacerbationes nocturnæ, vigiliæ, dyſuria, vrinæ turbatæ, paucæ, ſedimentum velut conglobatum, ſed non verum habentes. Lingua nigricans, ſcabra. Sitis mediocris febri non ἀνάλογος. Septimo die omnia acerbiora. Iſchuria & ſuppreſſio abſoluta vndecimo eadem. Non tanta tamen meiendi difficultas. Circa 14. ſudor. Febris paulum deſæuiit, vrinæ perpetuò tales, ſed copia maior.

Cauſus erat qui hominem occupabat, de ſecunda ſpecie cauſi quam explicat Hipp. 4. Acut. Multa enim ex ſymptomatis quæ ſecundum hoc genus comitari ſolent, huic cauſo affuerunt. Prę cęteris vrinæ ſuppreſſio. Hęc autoritate Hippocratis adeſt aliquando in Cauſo, & tunc eſſe dicitur, vel cum parum meiitur, vel cum omnino vrina ſupprimitur, vt Gal. interpretatur.

Et in hoc ægro plurimũ terruit nos iſta pauca mictio, dixiſſes enim excerni mucaginem & capillamenta. Et quod Galen. in Aphor. ait accidiſſe nonnullis, vt quadam τριχιάσει, laborarent, quibus faba & orobus in vſu fuiſſent, id ægro noſtro accidit. Id quod excernebatur, mucorem ſeminis alicuius ſucculenti referebat. Et cubitum magnitudine ſuperabat. Velut ſuoptè pondere in fundum matulæ propendebat. Et iſtam mictionem μυξώδεα, appellare poſſumus, & ad τριχίασιν quandam accedere dicimus. Et vt Hippoc. obſeruat in mulieribus τὰ καταμήνια ὑμενώδεα,

Vt quibus multa pituita circa vteros restagnat, similis in ægro mictio fuit. Pituita enim aut cogitur aut ducitur. Si ducitur capillamenta facit, aut aliquid simile. Et suppressio vrinæ in principium morbi incidens, indicabat istam ἀπόληψιν, non esse à perturbatione critica. Hippoc. obseruat in Aphor. in febribus aliquādo paucas & grumosas esse vrinas, vnde aut suppressio, aut pauca mictio. Conniuent enim vasa ab oppressione & copia. In quo Medici errant ad diuretica statim properantes, & comminiscētes falsò, aut esse lapidem, aut calculum aut aliquid simile. At humoris crassities est quæ id præstat. Vnde in febribus ardentibus tales apparent aliquando vrinæ, & habent ὑπόστασιν ἀκριβῆ[2], de qua diximus Comm. in Aphor. 69. lib. 4. Nos aliam causam suspicabamur, vetus quoddā σάρκωμα, in vrethra, aut ad parastatas. Explorantis catheter subire non potuit. Sic veteris cicatricis opinio fuit. Quod cum contingit, id quod tenuius & liquidius, effluit in mictu ipso, quod crassius est, reses in vesica manet. Et tandem quia id quod simile est, facilè sese simili associat & adiungit, pituita illa in vesica reses nouo cumulato humore accrescit tandem capacitas vesicæ occupatur, & micturiendi desiderium adest. Id quod multis opinionem fecit calculi, sed longè errauerunt[3].

Aph. 69 lib. 4.

In hac cura nos gessimus eo modo quo in iis quibus pituita viscida & lenta est infarctus pulmo. Nam liquidiuscula ipsa per se effœminant sputū, & τὸ φλέγμα reddunt, ἐκτεθηλυσμένον, id est effœminatum, vt ea ratione non facilè procedat. Sed contra potius agendum est per ῥυπτικά. Reuocabamus materiam antecedentem ab vrinæ viis, ne illa sibi viam obstrueret.

Vt in posterum ita non afficiatur, si quid sit reliquum ex antiquo vlcere in vrethra illud per sanandum. Vesicæ & renibus consulendum. Syrupus Arnaldi Villonouaui ad capillamenta in vrinis conferet. Aquæ αὐτοφυεῖς. Aqua hordei cum melle, hydromeli, hyssopatum. Decoctum rad. enulæ campanæ. Lac asinæ[4]. Serum lactis. oxymeli. Cicera rubra. furfur. pariet. plantago. Puluis ossis sæpiæ cū electuario diaireos simpl. sacch. rosato puluere gly. ebore. Decoctum ficuum ex sententia Dioscoridis.

ANNOTATIONES.

1. *Est vrinæ suppreßio febris καυσώδεως, proprium quoddam symptoma, & quod medentis consilium & prouisionem ad sese trahit. Fit autem multis de causis initio talium febrium. Præcipua tamen est copia humorum & pituitæ præsertim, vias vrinarias occupantis. Vel confluxus humorum ad easdem vias. Et Medici grauiter errarent si ad diuretica sese converterent. Deriuandum enim potius per aluum. Iuuaret quoque elicere vomitum nisi re aliqua prohiberemur. Plerísque creatum est periculum, quibus præproperè diuretica sunt administrata hac sola ratione & consideratione quod vrina non redderetur.*

2. *Nota & vide quid sit sedimentum ἄκαιρον, & quod ante tempus est. Cui simile illud lib. 1. Aphor. cum disputat de vrinis grumosis & paucis, ait, maximè quibus ab initio sedimentum inest. Tale enim sedimentum est, καταῤῥηκτικῶς dictum.*

3. *Notandum quod quibus olim carnositas fuit in vrethra iis in vesicæ non raro tanta crudi succi copia succrescit vt vrinæ viam præpediat. Nec propterea coniectandum est calculum aut solidum aliquod corpus subesse. Et id nisi diligenter animaduerteris, ægrum valde offendes.*

4. *Lac asinæ Gal. Comm. in 4. Acut. Statuit inter ea quæ vim humectandi magnam habent.*

CONSILIVM XXXVIII.

De Hepatis Marasmo.

CVM diu laborauisset, & omnium iudicio hepar in causa esset, & morbi fomes, tandem circa regionem hepatis tumor apparuit, cuius in apertione spem nonnullam collocauerunt. Coëgerunt Medicos qui tandem putauerunt è re fore si ea parte pyroticum applicaretur. Non quod spes certa esset, sed quod certa desperatione incertum remedium multo satius foret. Aperta pars, sanies fluxit. Melius habere visus est. Tandem interiit. Hepar erat marasmo affectum & cancri modo affectum.

Nos in Consilium adhibiti ita ambiguè disputabamus. Quæ-

rebamus an esset inflammatio, an phlogosis. Si inflammatio, par erat pulsum diuriusculum serrantem & vibrantem esse. Nisi quis obiiciat id non esse necesse nisi membranæ, aut venæ, aut arteriæ afficiantur. Pulsus enim tunc talis est. Si inflammatur parenchyma idque leuiter, pulsus talis non est. Vt inflammato stomacho, aut vbi cruditas est, etiam præsente inflammatione durus pulsus & vibrans non est. Generaliter, omnes qui febre diuturna laborant, vt iam marcescant pulsum habent paruum, æqualem, frequentem, celerem, vt idiotis febrire non videantur, quod arteria pulpam digitorum non feriat. Et in hepatis suppurato non est pulsus idem qui in aliarum partium suppurato cernitur, quia hepar arteriis penè caret.

Scirrhosum fit hepar sæpissimè ex contumaci & inueterata partium obstructione, rarò vel nunquam ex inflammatione, quod in viscere calido & humido omnis inflammatio in perniciosum abscessum degeneret. Hac est in opinione Fernelius. Quæ an vera sit vide.

Singultiebat sępè. Quęrebatur an hic singultus à pressu esset, an à resudatione.

Causa apostematis hepatis per affectionem propriam est mala temperies ipsius hepatis quæ humores peiores reddit attrahítque, vt tamen non benè à natura partis regantur. Sic fit abscessus.

CONSILIVM XXXIX.

De purulentis vrinis.

VXor D. Du Bourlabé, ab annis multis excernit vna cum vrinis nescio quid quod cum meiitur toti vrinæ confunditur: vbi paulùm resedit lacteum quid est & referens albore, æqualitate & læuitate verum pus. Quęstio an pus sit. Nephritin passa non est, nisi semel tantum quod ab annis decem viderimus, idque nuper. Et cum afflicta fuisset, doloré sque cessauissent, quęsitum est an non in corpore ipsius renis lapis impactus foret, qui olim tales vrinas promouisset, nunc verò apertam nephritin attulisset.

Qui senior Medicus erat pus ex eo colligendum putauit quod fœtorem haberet, si quidem pus esset. Contra hanc partem insistitur. Primùm Celsus explicans illud Hippocrates pus quam minimè sit fœlidum, ita scripsit: Pus est melius quò minus, quò crassius, quò albidus. Item si læue est, si nil olet, si æquale est. (nisi locus hunc odorem excitet, addit Celsus cap. 26. lib. 5.) Credunt vix fieri posse vt non malè oleat, putruit enim materia. Putredo autem nullo signo cognosci potest quam odore. Sed cum exigua est putredo, & calor naturalis superior est, tum minimum olet. Sic particula illa ὡς ἥκιστα, non excludit omnem malũ odorem, sed vt quamminimũ oleat. Vix enim ab vlcere manat materia, præsertim à corpore interno, idque cum vrinis quin oleat malè. Quod autem grauis odor puris comes esse debeat, vt distinctio sit inter pus & succum crudum, qualem in vrinis cernimus, ita Galen. *Si quis vtatur pane athletarum, in eo abundabit succus crassius & frigidus, qui propriè crudus appellatur. Est & pituitæ succus crudus & frigidus, non tamen crassius, vt qui humiditatem multam & spiritum multum habeat. Crudus autem succus tale propriè quid est quale est id quod in vrinis subsidet quòd puri aliquando est simile. Sed pus graueolens est & lentum: Crudùs verò succus crassitie & colore duntaxat illi similis est, vt qui nec graueolens est, nec lentus.* Sic difficile est statuere ad pus constituendum an necessarius sit odor grauis. Contra locum adductum facit alius in Aphor. cum Galen. explicat Aph. istum. Si quis sanguinem aut pus meiat, aut squamulas & grauis odor adsit vesicæ exulceratio significatur, ita Galen. *Sanguinem & pus meiere omnium instrumentorum quæ vrinæ inseruiunt signa sunt communia. Odor grauis & maximè squamulæ propria sunt vesicæ.* Sic ex grauitate odoris colligit à vesica excretionem esse: quanquam obseruatum est excerni vrinas purulentas, & valdè fætentes vlceratis renibus.

1. Prognost.

Cap. 2. lib. 1. de alim.

Vnde Aph. 81. & 75. l. 4.

Circa morbi huius inquisitionem hæc raptim sparsimque colligebamus: Cum à venis vrina fluat, per renes per coletur, & in vesica excipiatur, necesse est vrinam affectionem horum trium indicare.

Vt ramentum vlceris signum est, sic arenula calculi, ait Galenus. Quanquam id minus verum est.

Notandum cum ait Hippoc. in Aphorismis, Si quis meiat grumos aut stillicidium vrinæ habeat, dolórq; ventrem imum

& pectinem occupet, circa vesicam labor est. Non dixit simpliciter, ait Galen. vesica laborat, quoniam communiter affectus pertinere potest ad vrinarios meatus, vesicam & renes, sed dixit Hippoc. Quæ circa vesicam sunt [2].

Fortè de ægra hac hoc dici potest, quemadmodum obseruatum est vlcus, & abscessum renum fluoris muliebris causam esse, ita quis dubitat quominus aut latens mesenterij abscessus, aut alia in parte, eiusmodi vrinarum lactearum causa sit, & quod si ea materia vteri viam appeteret, vasáque subiret, ῥῦν γυναικεῖον causaretur.

Apud Galen. Comm. in lib. 2. de Natur. human. Multa sunt de excretione purulenta, quoniam autor libri secundi de Natura humana, putat id pus esse quod in vrinis hominum otiosorũ subsidet: Galenus contra & succum crudum putat, & sputa cocta puri quodammodo similia credit. Immo certa circuitione talia excrementa pus falso referentia apparent. Nam succi crudi ac mucci maturitas pus quodammodo repræsentat. Erasistratus talẽ succum crudum pus reuera esse putabat, & ita Gal. Si quis pus in sputis, vel vrinis à succo crudo non distinguat, vel sciens per dogmatis consequentiã dolosè aget, vt Erasistratus volens ab inflammatione oriri febres, vel est sophista nequaquam in artis operibus, versatus. Pus aliud enim est à succo crudo & colore, & consistentia, & odore.

Quęstio hoc loco moueri potest plurimũ vtilitatis & voluptatis allatura, cur æqualitas in sedimento vrinarum tantopere commendatur, & in pure; eadem vero æqualitas in deiectionibus toto genere contra naturam est? Illud est enim Hippocr. *Mala est deiectio si fuerit parua, glutinosa, alba, subchlora ac læuis.* Læuitas esse potest in laudabilibus excremẽtis, læuitas item potest esse in illaudabilibus [3]. Cũ læuitas est laudabilis significatur materiæ æquabilitas quædam, quam cum calor naturalis æquabiliter subit æquabilem magis reddit: sed in rebus illaudabilibus æqualitas, & lęuitas in prauis ducuntur. Ita præclarè Gal. Læue redditur quicquid è corpore excernitur, aut quod habeat æqualem coctionem, vt nulla eius pars effugerit naturæ alterationem: aut propter vehementem colliquationẽ, vt nulla materiæ pars imperpessa supersit, vt quod salubre est, salubrius redditur cum æquale fuerit, ita id omne quod malũ est, euadit deterius si æquale existat [4]. Vtrumque enim per omnem mate-

2. Prog. part. 21.

Duplex lauor.

teriam apparet, quę aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinem prauitatis. De glutinosis porrò id adiiciendum, aut sunt paucę, aut multæ. Si paucæ colliquationem mediocrem significabunt. Si multæ, aut cum fœtore, aut sine. Si sine fœtore, ciborum naturam ostendunt quæ multum glutinosum humorem ac crudum aceruatum significant. Si multæ cum fœtore, vehementem ostendent colliquationem.

Hæc ęgrę nostrę instituta sunt.

Purgetur clysteribus malacticis.

Vtatur cassia, ex rhab. & elect. diatrag. frig. Aut cum conserua rosarum.

Vsus frequens esto conseruæ rosarũ & nenuph. Aqua amygdalar. dulcium, cum diatragacantho frigido.

℞. Electuarij diatragacanthi frigidi. ℥ 6. conseruæ violarum, & nenuph. an. ℥ ß. pinearum & amygdal. dulcium excorticatarum: deinde infusarum in aqua communi, & contusarum. an. ℥ ß. pulueris glycy. ℈ j. cum syrupo violato. fiat opiata. Cap. ℈ iiij. pro dosi, superbibat hydromeli bene coctum.

ANNOTATIONES.

1. *Aphrodis. problem. 19. lib. 2. docens analogiam inter pus & hypostasin: docet cur pus in abscessibus fœteat, & hypostasis non fœteat. Supponit autem falsum. Quia pus sæpè non fœtet.*

2. *In hac muliere duo sunt quæ metum afferunt, vicißitudo caloris & frigoris, & lenta febris quædam. Et præsertim nocte exacerbatio contingit. Galen. ad Comm. ad part. 60. lib. 2. Prognost. explicat cur Empyici febre lenta teneantur & hectica, & cur noctu incalescant: Accidit omnibus hectica febre laborantibus, vt noctu intentiorem calorem habeant, non quod nox augeat febrem ratione ipsius diatheseos morbosæ, sed ratione dati oblatíque cibi; incalescunt enim à sumpto cibo & maximè dum distribuitur. Quare de nocte potius? Nam & cibus interdiu datur? A Vega mihi videtur pueriliter hoc explicare, Quia (ait) tempore Hippocratis non prandebant, sed cœnabant: Galenus æquè malè. Nec enim omnino explicat illud Hippocratis:* Noctu vehementior. *Melius diceret, quoniam agitur de purulentis, in omnibus suppurationibus dolores ad noctem id quod non tantum audiendum dum pus fit, sed dum pus continetur aliqua parte fouens febrem lentam. Vel dicemus, cum hecticis partes solidæ ignitæ sint, non mirum si noctu calor in-*

crescat, tum quia nox humectat, tum quia reuocatur calor & spiritus intro. Sic calor crescit non ratione ipsius affectionis, sed ex euentu. Vel dicemus, nocte reuocatur calor naturalis ad cẽtrum qui calor quia igneus est, & non ἀτμώδης, dum reuocatur intro non nanciscitur aptum domicilium, & quo loco humectare debet, siccat & squalorem auget. Et tunc non fiunt accessiones febriles, sed quædam exacerbationes. Præclara est hæc quæstio, & videtur contrarium contineri Com. ad particulam illam Nocturna longa. *6. Epid.*

3. *Læuor est cum calor naturalis sese in omnes materiæ partes æquabiliter insinuauerit.*

4. *Sic pus non dicetur è genere earum esse rerum quæ contra naturam sunt.*

5. *Quoniam vulgò ab vsu caßiæ, & pilularum commun. statim sumitur cibus, id non placet Galeno cap. 31. lib. 2. de alimentorum facultatibus.*

CONSILIVM XL.

De Febre periodica, & tumore ventris. Pro D. Isabella Vestali.

DE duobus agebatur, tumore ventris cum duritie summa, & de febre aliàs periodica, sed incerta & erronea, aliàs periodica & certa redeunte periodo. Tumor est tanquam symptoma: febris tanquam morbus, fortè & tanquam symptoma. Vtrumque enim suppressionis mensium est consectarium. Si enim prolicianturm ẽses spes est vtrunque cessare posse [1]. Porrò in tumore isto & duritie hæc spectanda. E genere syptomatum est quæ ad tactum referuntur. Id enim quod molle, & λαπαρὸν debet esse, intensum & durum percipitur. Durum autem tribus efficitur modis, congelatione, repletione & siccitate. Videndum ad quod horum generum referri debeat. Tumor autem omnis aut est Hypochondriacus [2], aut Hypogastricus, aut Hystericus: & κατὰ συνεκδοχὴν, tam partes quæ continent, quam quæ continentur audiri debent: ea de re amplum examen ante. Porrò non idem durum & sic-

cum, vt nec humidum & molle. Siccitas ebibendo humorem, concretio inspissando & veluti congelando, repletio, renitendo duritiem ostentat & indurat. Sed duri causa præcipua est concretio & materiæ quędam congelatio. At repletio potius renitentiam affert. Et non quæcunque renixum afferunt ea dura sunt[3].

De febribus quę accidunt præsertim virginibus à suppresso menstruo Hipp. *Sunt*, inquit, *febres erroneæ*, περὶ παρθενίων: Et libro de superfœtatione sunt Epialæ, legendus vterque locus. Et hic successus esse solet, si acuta inflammatio, insanit virgo, si putredo, clamat: si caliginositas, timet, si malitia sanguinis, animi mœror.

Sanguis suppressus vel ad partes superiores refert se, vt cor & septum transuersum, vel ad inferiores. Si in has, facilè ad se redit, si in illas superiores ob ambages, & obliquitatem venarum non facilè redit ad se. Et cum ad septum transuersum rapitur, deliramēta excitat. Sed hæc ex interuallis cessant. Id quod nostræ virgini contigit.

Lib. de superfœtatione.

De menstruis suppressis ita Galen. Si menstrua fluunt plus iusto, morbi contingunt, si non fiunt ab vtero, & in vtero morbi contingunt. In vtero aut dispositio inflammationi similis, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denique compatitur totum corpus.

Clysteres parentur vterini cum carminatiuis & elicientibus sanguinem, hypericone, centaurio minore & hiera: frequentissimè subiiciantur[4]. Aperietur saphena pedis dextri, lotis prius pedibus, & fricatis. Exhibebitur medicamentum Hypochondriacum cum foliculis & confectione hamech. Repetitis iisdem clysmatis altera saphena aperiatur. Tabellæ concinnentur trium santalorum cum rhab. triplicato, & electuario diacubeb. & dialacca. Vtetur cum dosi vna apozem. incidentis, attenuantis ex rad. rubiæ maioris, fœnicul. petro. cum maiorana, agripal. artemisia & capillaribus.

Interea tamen fotus adhibeantur ventri ex malacticis, radice alth. liliorum cum chamæl. meliloto foliis maluarum violar. semin. lini altheæ omnibus incoctis in aqu. & pauco vino albo.

A fotu superponatur scutum ex bombace carpinato macerato in oleo keirino, chamæmelino, & liliorum.

Vtetur his pilulis.

℞. Castorei ℥ j. myrrh. ℈ j. pulueris hieræ recentis dupla aloë ℥ ij. massæ pilularum sine quibus ℈ iiij. cum syrup. de hyssopo: fiat massa, de qua cap. ℈ j. cum dosi apozematis instituti.

Fiant fotus ad vterum ex calidis, attenuantibus & aperientibus in aqua & vino coctis.

Fiat suffitus ex trochiscis de myrrha per infundibulum.

ANNOTATIONES.

1. *Cum omni ope adhibita tum admotis, tum assumptis, tandem magna copia menses effluxissent, omnino sibi restitui visa est, & tumor iste resilire ac minui putatus est.*
2. *Non est nouum Hypochondriacum eum esse tumorem, Hypochondriacum & situ, & natura rei. Immo plerisque Hypochondriacis venter tumet eo modo quo in Hydropicis. Immo pro Hydropicis curantur. Et cum instat tempus mortis, in ipso mortis articulo detumet omnino venter.*
3. *Si quando incidet occasio disputandi de siccitate, & duritie, & remediis eò pertinentibus legendus. Com. Rochonij cap. de scirrho.*
4. *Erat præcalidis satis visceribus: itaque non valdè conferebant ea calida remedia: Vtendum erat potius contemperantibus.*

CONSILIVM XLI.

Ad Melancholica pathemata.

DIctum est partim ægritudinē esse, partim ægrotationem. Hæc corpus attingit, illa animum. Quod animus afficiatur, declarant querelæ perpetuæ, metus, mœstitia quæ leuis perturbationis & deliramenti rationem habent: inquietudo, somni vacuitas, aut eius perturbatio.

Galenus duplicem statuit melancholiam, vnam cerebri, alteram totius corporis. Id est, aliquando cerebri venæ sanguine atro plenæ sunt, & tunc caput afficitur: aliquando totius corporis venæ eo turgent sanguine. Et tunc si cerebrum afficitur, per consensum afficitur.

Cap. 6. lib. 3. loco aff.

Quæstio, an melancholia morbus est causa generationis succi melancholici, an succus melancholicus eius melancholiæ

causa sit. Quidam dicunt melancholiam cum sit affectus animi qui ἐν τῇ αἱρέσει τῖνι consistat, talis succi parentem esse. At est vbi id fiat, est vbi non fiat. Mœror & tristitia signa sunt pathognomonica, præsertim cum sunt sine causa manifesta, melancholiæ. Hinc reuocatio sanguinis & spiritus ad interiora. Si ergo melancholia id faciat, ex euentu causa est adustionis humorum, facítque vt sanguis & spiritus amittāt suam viriditatem & lympiditatem. Nam sanguis cùm sit mobilis, suauis, & lucidus, hominem in spem erigit, lætitiam & comitatem inducit: Vnde sanguinei sunt venusti & hilares. At succus melancholicus colore atro timorem ac tristitiam affert: firmitate & crassitie, in opinione suscepta quantumuis ridicula, constantiam affert. Sic & morbus ipse immutare alium sanguinem potest, & sanguis etiam, vt cum est in toto corpore, à natura alienus melancholiam ex euentu inducit. Præclarum enim quod scripsit Galenus. *Constat autem quod totius corporis intemperaturas sequitur mentis læsio, quod non secus afficiatur cerebrum quam totum corpus* [1]. Quæstio hæc pluribus discuti posset.

[1] Ad part. 34. lib. 1. Prorrh.

Nunc dicamus vno verbo de metu & mœstitia, quæ sunt ipsius passionis significatiua cum sunt sine causa manifesta. Sed ita tamen decidi hoc potest. Metus & mœstitia sine causa manifesta sunt melācholiæ pathognomonica, & metus, timor & mœstitia ipsa per se possunt esse vt causa melancholiæ. Sed id diuersa ratione audiendum est.

Galen. abundè explicat quibus notis deprehendas aut in cerebro, aut in toto corpore redundare succum melancholicum illius affectionis autorem [2]: Item quinam sint obnoxij isti morbo & generationi talis sanguinis. Molles, candidi & obœsi, ait Galenus: Nequaquam habent humorem melancholicū, sed macri. Hirsuti, & quibus amplæ sunt venæ aptissimi sunt vt talis humor in his cumuletur. Eodem loco attingit curationis capita. Vbi vniuersum corpus succum sanguinémque melancholicum continet, à venæ sectione auspicanda curatio. Vbi verò solum cerebrum, infirmus (quod ad hanc dispositionem attinet) sanguinis detractione non eget, quamuis ob aliam caussam egere queat.

[2] Eodem loco cap. 7. lib. 3 de loc. aff.

Sic duo melancholiæ genera persecutus est Galenus, Tertiū addit, Hypochondriacum, est tertium melancholiæ genus, ait Galenus, morbi comitialis exemplo, cum à ventriculo or-

tum habuerit [4]. Et de eo morbo ſic Diocles. Eſt alius à ventriculo morbus, ſupple, melancholicus, ventriculi aliquando vehementes ſunt dolores, qui nonnullis ad dorſum vſque procedunt, concoctis cibis quieſcunt, mox aliis ingeſtis eadem accidentia reuertuntur. Eſt enim hoc maximè animaduertendum, quòd dolores dorſi eiuſmodi affectu laborantibus ſint familiares; & quòd modificato cibo quieſcant, nouóque rurſus ingeſto ingraueſcant. Hyparxin conſtituit Diocles etiam ex aliorum opinione in inflammatione primarum venarum quas lactes vocamus. Quanquam ipſi lactes propriè pro tenuibus & gracilibus inteſtinis capi ſoleant.

Et notandum eſt maximè, quòd Hypochondriacã melancholiam à ventriculo oriri dicat, & Epilepſiæ modo, eius præſertim quæ à ventriculo eſt. Quod poſſumus ſic explicare. Quemadmodum in Epilepſia per conſenſum ventriculi, & in pauoribus puerorum, qui emittũtur vapores cerebrum feriunt, vt ſit conſenſus inter ventriculum ob inſignem neruorum texturam & cerebrum; ita in melancholia Hypochondriaca quæ elucent ſymptomata, ea maximè ratione ventriculi elucent, vt propterea à ventriculo malum oriri dicatur, licet fortaſſis ventriculus ipſe non ſit in cauſa, nec author mali.

Melancholia cerebri eſt affectus animi ἐν τῇ αἱρέσει, conſiſtens [5]: firmitatem enim & conſtantiam habet etiam in rebus friuolis, & quæcumque agunt tales melancholici, etiamſi per ſe ſignificationem habẽt alicuius iudicij, ea valetudinis vitio morbóque fiunt.

In Hypochondriaca eſt inflammatio quædam συστροφική: & ad eius curam licet multa reclament, venæ ſectio in primis eſt neceſſaria. Nam ἐν ταῖς συστροφαῖς φλεβοτομίη ἡγεμονικόν ἐστι. Gallicè, *c'eſt le conducteur de l'œuure; il faut commencer par là.*

Melancholici patiuntur varia, varióque modo afficiuntur pro natura humoris, conditione animi, & moribus inſtitutis & inſitis. Quidam enim habent humores mites, non mores: alij mores, mites, ſed non humores. Ad melancholicos facilè pertinebit id quod ſcriptum eſt in lib. de humoribus, Ἑκάστῳ δὲ τὸ προσῆκον τοῦ σώματος τῇ πρήξει ἐν τουτέοισιν ἀπαντᾷ, id eſt, ſingulis animi affectionibus & cauſis quæ extrinſecus incidunt, quæ pars cuique corporis coctioni eſt conſecrata, & officiales, & miniſtrę partes, his morem gerunt, vt cerebrum cogitationi, cor animoſitati, hepar cupiditati.

Melancholici non eodem omnes modo affecti sunt. Sed vt varias animi partes vnusquisque exercuit dum integra valetudine frueretur, nempè τὸ θυμοειδὲς, τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, ita dum in melancholiam incidit, ideam pristinæ suæ consuetudinis retinere cernitur. Vnde quidam dum melancholia prehenduntur de rebus venereis loquuntur & cogitant, alij eas voluptates sequuntur quę cibo potúque capiuntur. Et tandem consuetudine naturam quandam faciunt, in aliquamque rem defixi manent.

Quæstio est, cur definiatur melancholia. Delirium febris expers? & quomodo id intelligendum sit. Si de essentia quam ὑπόστασιν vocant, id audiatur, reuera est vacuitas febris. Si verò generationem spectes, non semper est febris vacuitas. Nam cumulus & coaceruatio humoris melancholici naturalem œconomiam labefactat, putredinem aliquã generat quę sit alterius generis quam aliorum humorum putredo; denique hepar tandem infestat. Alio loco quæsiuimus, an Hypochondriacos febris comitaretur.

An febris Hypochondriacis.

Notandum quod scripsit Galenus, Molles, candidi, obœsi nequaquam habent humorem melancholicum. Macri verò, & nigri, & hirsuti, & quibus venæ latissimæ sunt, aptissimi sunt vt talis humor in his cumuletur. Et fit interdum vt prærubro colore homines affatim in melancholicam temperiem incidant.

Quomodo autem οἱ ἐξέρυθροι, fiant melancholici, & varia experiantur συμπτώματα: in fine sequentis paginæ dictum est.

Cæterùm in duobus errari videtur in cura melancholicorum; prius est dum inediam famémque tolerare iubebuntur, alterum dum medicamẽtis valdè calidis & siccantibus exercebuntur. Quod ad prius, abstinentia cibi humores in multis acriores redduntur. Hinc ferocitas maior. Vnde biliosis & quibus temperamentum calidius & siccius est, & sudor, & saliua acrior redditur. Immo venenatam vim quandam adipiscitur. Et morsus hominis biliosi ieiuni venenum suæ qualitatis ratione æquat. Cibus verò euchymus sua benignitate succos acres temperat.

Ad posterius, cum biliosi per διαφόρησιν, nigri, hirsuti, & prærubri, & melancholicam diathesin facilè subeant, & succi melancholici γένεσιν, facilè habeant, è re non videtur, si ad talia cor-

pora, & tales succos acriora medicamenta & calidiora adhibeamus. Immo omnia penè splenica, & succo melancholico dicata sunt eius generis. Et tamen τῆ ὑποχονδρίων φλόγωσις, ferè in illis esse solet. Et omnes practici decipiuntur nomine succi melancholici, qui suo ambitu sæpè continet eum succum qui χολὴ μέλαινα dicitur. Itaque hæc remedia ἀδιορίστως non sunt vsurpanda[6].

ANNOTATIONES.

1. *Cerebrum enim in ratiocinabilitate aliàs laborat, aliàs in animalitate: In animalitate, quatenus cerebrum vt pars organica laborat, in ratiocinabilitate, quatenus mens, id est, temperamentum cerebri laborat.*
2. *Qui sunt flaui, præsertim si vigiliis, curis, laboribus vsi fuerint & tenui victu educati fuerint, melancholicum succum generant.*
3. *Melancholia est quædam à vitio ventriculi, quemadmodum Epilepsia à ventriculo, Galen. cap. 7. lib. 3. loc. affect.*
4. *Hypochondriaca melancholia ortum à ventriculo habet. Notandus est totus ille locus, lib. 3. de locis affectis qui verè exprimit naturam morbi melancholici.*
5. *Ista* αἵρεσις, *cadit in eam partem animi quæ mentis & consilij est: id autem Hippocrates vocat* ῥέπειν εἰς τὴν γνώμην.
6. *Melancholici sæpè surdescunt, non quod vitium sit in instrumento quod* ἀκουστικὸν *dicitur: sed* ἐν τῇ ἀκοῇ, *id est, in ea parte à qua audiendi vis manat.*
7. *Hippocratis illud est, lumbis dolentibus stomachi dolores antecedentes signa eruptionis sanguinis puto. Galenus in Comm. docet eundem humorem causam esse doloris lumborum, & doloris ipsius ventri-triculi, sed diuersa ratione. Nam id quod crassius est, & suopte pondere vel restagnat circa lumbos, vel deorsum repit, idipsum graues reddit lumbos: id quod tenuius &* ὀῤῥὸς λεπτὸς *Græcis dicitur, ventriculi partes appetit, dolorémque ibi excitat, & nonnunquam* λειποθυμίας. *Est enim credibile sanguinem istum crassefactum inducere quandam naturam grumosi sanguinis. Porrò grumosus sanguis quot & qualia edat symptomata, non est necesse pluribus explicare. Vt non mirum sit eos quibus suppressæ sunt hæmorrhoïdes, aut quibus mulieribus restitant menses, sæpè animo defici ac linqui. Et præsertim quibus propter moram sanguis suo genuino ac naturali sero destituitur. Immo talibus post diuturnos dolores ἀρθριτικοὺς immanes oboriuntur.*

CONSILIVM XLII.

Ad facilem vteri gestationem. Ad D. Sayueium Melodunensem Medicum.

ACcepi non ita pridem à nobili viro Vallentio literas, remedia aliquot prophylactica complexas, quibus vestro cũ consilio charæ suæ coniugis grauiditatem securiorem alacriorémque redderet, & spe nonnulla probis suam solitudinem leuaret. Hæ periucundæ mihi fuerunt, & quòd à tam benigno & liberali homine venerunt, & quod tantum prolis desiderium honesto aliquo officio lenire sit gloriosum. Sed eò iucundiores, quando tu in earum extremo cum tacita quadam commendatione, nobis, de nomine incognitis, tam amicè edito tuo nomine salutem impertiueris. In hoc & beneuolentiæ, & candoris tui significatio maxima apparuit. Id quod partim innatæ tuæ virtutes, partim humaniores literæ quibus mirum in modũ reluces, tibi pepererunt. Ac mihi vehementer gratulor, quod ita contigerit, vt cum tali homine, id est fama & rebus in arte Medicinæ præclarè gestis eximio, mihi fuerit cõmunicandum. Si qua occasio nos Melodunum euocauerit, tunc abundè iucunda tui præsentia satis nobis fiet. Cæterùm istis literis D. Alibosij Medici clariss. consilium aperuisti. Tanti verò illud fecisti vt, quæ tua est humanitas, nephas esse duxeris, vel tantillum ab eo dissentire. Nec committam quin omnia à me probentur. Cum enim nostris nitantur legibus, plurimum opis sunt allatura. Vt ne tamen officio meo desim, ac prægnantis ipsius expectationi, nonnihil ad consilium vestrum adiiciam. Etsi vereor ne potius meo deesse videar officio, si hoc mihi arrogarim, vt nouo cogitando auxilio à vobis aliquid desiderem. Absit enim. Ac arrogans, (ne dicam dissolutus) essem, si hac in me indulgentia, inani veluti gloriolæ vento me rapi sinerem. Immo id facio vt vestri consilij momenta & indagasse, & approbasse videar. Itaque omnis vestri cõsilij ratio in hoc vertitur vt & fœtus & fœtæ incolumitati seruiatur. In idque studiosius incum-

bendum, quò luctuosius fuerit tam illustrem virum dulci sobole, id est, tanquam altero se; & superstite vitæ pignore priuari. Ternos, vt audio, liberos vnus annus sustulit. Hoc temperamentum à vobis est adhibitum, vt dum matris salus procuratur, fœtui ipsi consulatur. Alioqui paulò vehementiore auxilio eliderctur. Quod tam lubrica liberorum sit sanitas id fortassis ἢ πατρόθεν, ἢ μητρόθεν. Nec solum mater est accusanda. Vt res tamen nunc sunt, huius demum ratio est habenda. Creditum fuit blando solùm medicamento grauiditati auxiliũ ac securitatem quęri posse. Sed noua res noui consilij autor extitit. Pustulæ in lingua, serpigines, & exanthemata certum συλλήψεως signum præferebant. Narrat Hippoc. Cuidam grauidę exanthemata in tibia erupisse; deinde in manu dextra: Cuius rei causa varia esse potest. Vel enim fœtus imbecillitas significatur, alimentum satis non attrahentis: vel iecoris vitium notatur cuius soboles est tale exanthema. Aut quemadmodum pica, malacia, & id genus tædia imprægnationem comitãtur, ita & pustulæ suppressorum mensium comites esse possunt. Accedit temporis ratio. Nam Austrina tempestas quę pręcessit seri mali parẽs est, quàm excipit pustularum, pruriginis, & mille aliarum molestiarum fœtura. Vestrum est pro ratione causæ remedium pręscripsisse. De quo si fusius dicerem, magistros artis non sine leuitatis suspicione docere viderer. Tandem è re videtur esse si eius quod præcessit, & quod presens est, ratio habeatur. Nunc grauiditas est, in qua gerendi & nutriendi fœtus opportunitas quærenda est. Si humorum prauitati ipsius matris suum remedium decernitur, succo alimentóque legitimo fœtus fruetur. Hinc abortionis occasio tolletur. At hîc etiam videndum ne matris corpus agitetur, id quod fœtum sæpè excutit. Pręcessit peculiaris affectio ipsius grauidę. Ρευματισμὸς enim vteri est illi molestus. Is acetabula muco oblinit, facitque vt vtero præter rationem irriguo lubricus deciduúsque sit fœtus. At id nunc curare non licet. Satis est animaduertisse, vt maiore cum cautione singula administrentur. Hæc cum ita sint conferre videretur sacculus collo appensus ex καrabe, lapide magnetis & aquilę, additis foliis myrthi, Croco & nuce moschata. Grana Kermes ex oui luteo magno profectu ieiunæ exhiberentur, vel grana aliquot ambrę eodem modo assumpta. Tabellarum frequens vsus esto, vel puluis moderatè exiccans & corroborans

erit vtilis. Ita enim ista proluuies ſęminis cauſa effœminationem quandam & vtero, & rei in eo contentę afferens, prohibebitur. Iuſculorum & rerum liquidarum copioſior vſus interdicetur. Mallem in vſu rhei barbarici, & ſantalorum loco cinnamomi conſiſtere, quàm corrigendę cacochymiæ ſtudio paulo vehementioribus vti non ſine eliſionis fœtus metu. Phlebotomiam prudentia veſtra & αὐτοψία decernet. Hęc ego eò libentius ſcripſi, quò mihi dulcior eſt hæc cõmunicandi fortè oblata occaſio. Ac velim ſcias, Sayuæe doct. diu ſatis me ancipiti animo fuiſſe, num hoc commentariolo paululùm luderem, an verò ſine ampliore ſcriptione veſtro conſilio ſubſcriberem. Illud hominis eſt candorem tuũ qui me ad ſcribendum prouocauit, probantis, hoc inhumanum & illiberale foret. Tandem in animum venit viros probos & literatos boni omnia conſulere, ſi modo ab animo beneuolo & candido profecta videantur. Qui me norunt, ita iudicabunt. Etiam atque etiam vale. Et ſi qua ſeſe offeret occaſio ad nos ſcribe. Lutetię Pariſiorum decimo Cal. Aprilis anno 1581.

CONSILIVM XLIII.

De Polypo, Ad Carnutum Gerbautium Pontiſſar. Medicum.

SImilitudines bonis & eruditis Medicis ſæpè imponunt. Ne dum nobis qui nec vſu, nec doctrinę ad priſcos medendi Magiſtros accedimus. In explicando affectu qui extremas nares piæ & honeſtæ virginis occupat, non multùm es ſedulus & accuratus. Fortè enim polypus non eſt: nec tam diro hoſte naris obſidetur. Aliud eſt Polypus, aliud σάρκωμα, aliud ozæna. Aliud morum quod & intimas nares & palpebras ſæpè deturpat. Itaque ne eludat ſimilitudo, ſymptomata verè ſunt explicanda quibus tanquam ſignis affectus ab alio dignoſcatur. Alioquin opera luditur, & perperam remedia adminiſtrantur. Itaque hoc deſiderarem, quando in curam tam pertinacis, & obſtinati affectus incumbimus, vt quibus ſignis adductus de Po-

Polypo certior esses, ea nobis aperires. Decernere enim remedia morbo nondum patefacto, est scopum oculis clausis ferire velle. Subolfacio quidem aliquid malignum & latens: prætereaiam inductam diathesin in partem & mittentem & recipientem. Vertigo enim molesta quæ reuiuiscit, iam cerebrum, ἀλλὰ τὴν ἕξιν malè habere, id nobis insinuat. Et malum per singulas hyemes renascens, & fontis perennitatem, & partis imbecillitatem significat. Vnde noxa esset singularis conari omnino elidere & tollere illud malum quod in nares sæuire solet. Est enim exoneratio naturæ in eam partem. Vnde non rarò, aut suppressa nasi hæmorrhoïs, aut vlcus percuratum vertigines, dolores capitis, aut his deteriorem maniam intulit. Itaque est vbi malum alere tutum sit, est vbi omnino elidere oporteat. Cautio hic summa adhibenda est: Vidi mulierem cui serpigo fœda manum sinistram occupabat. Hæc concepit. A conceptu manui suus nitor, exulante ista serpigine, est restitutus. Translatus est ichor malignus antiquus mali fautor ad partes vterinas: fœtus aborsu quarto mense exclusus est velut tabo infectus ac sideratus. Narrat Hippocr. de quodam Atheniensi. Huic erat cutis psora scabrior & exarata: vsu aquarum naturalium eo affectu liberatus est, sed Hydropicus factus suum diem obiuit. Adeo cautos & meditatos esse oportet in externis affectibus curandis, quos tutius est sæpè alere quam omnino exterere ac euincere. Velim nobis significes an decocto aliquo sudorifico vsa fuerit. Excutias formulas remediorum, & à Medicis, & à Chirurgis institutorum, vt ne identidem cum fastidio eadem vsurpemus. Significa illi per hasce meas literas tanquam beneuolentiæ, & officij obsides, me aliquid meditari velle, quod in eius commodum cedat. Quanquam post tot doctorum consilium quid ego aliquantò inferior meditor? Sed fortè me audiuisse non erit omnino pœnitendum. Nil certi statuo, donec id quod desidero nobis per te fecerit magis apertum ac explicatum. Interea vale. Lutetiæ 25. Aprilis, Anno 1581.

CONSILIVM XLIV.

De febre continua, cum grauibus symptomatis.

PHILIPPVS CASTALIO febricitaer cœpit, sumpto medicamento auctior facta febris, lingua aspera, & rigida. Frequens mictio, sed pauca. Assiduitas febris. Ardor vrinæ. Credebatur natura velle omnia excrementa in vias vrinarias deponere. Immo & latens phlogosis in partibus ad vrinam pertinentibus, præsertim circum vesicam in suspicionem venerat. Per viginti dies penè exibat vrina innumeris vicibus, sed pauca quãtitate vna vice reddebatur. Diabetæ metus erat maximus. Siccissima lingua. Corpus foris quidem satis temperatũ percipiebatur, sed internum erat incendium. Ad renes sitibundos, & quandam διάχυσιν, illud effluuium vrinæ referebamus. Tamen vix constabat de sede & causa. Virium erat magna infirmitas, desperatio aliqua vitę & salutis.

Primo quoque tempore abundè sanguis detractus est, & penè eo modo iugulata est febris. Saltem ei sua vis & impetus detractus est vt quæ febris κρίσιν, fortè fuisset habitura, solutionem tantum habuerit.

Vsus cassiæ frequens fuit ob suum squalorem & corporis interni siccitatem. Catholicon cum foliculis profuit, frequentissimus vsus iusculorum ex carnibus vitulinis & pullis. Vsus cardiacorum, & frequens vsus rasuræ vnicornis.

Paratus sacculus ex rosa, rad. iridis florent. santal. ligno aloës, floribus nympheæ & cardiacis, exceptus aq. nenuphar. & rosarum.

Item extracta est pauca mucago ex semin. psyllij, & gummi tragacanth. in aq. rosar. & nenuph. addito pauco succo citrij.

Iniectio succi amygd. dulcium cum aq. parietariæ. Emulsiones loco apozematon. Hordeata. Litus frequens ex rosaceo Mesuæi. Ad pubem vsus oxyrrhodini.

CONSILIVM XLV.

Pro Angenosij Consulis filio tumorem in vtráque mamma habente.

IN Mamma, præsertim sinistra tumor est & durities, mox maior, mox minor, aliquãdo firmior: dolor digitorum appressu.

De hoc tumore, quid sit quæritur, vnde sit, an vitium cutaceum, an aliunde vt cutis tantum & mamma sit depositaria: vnde, an à liene, an à corde, an alio viscere, an ratione ætatis (id est) ob consensum partium genitalium & thoracis: Si aliunde est, & ratione ætatis euenit, cur non potius ἀνάῤῥοπιν, contingit ad nares, vt hæmorrhagicus fiat.

Primum tumor hic est morbus in solutione continui, & symptoma tactus dici potest, quia id quod tactui æquale apparere debet, tumens & inæquale percipitur.

Dolor aut à tensione, aut ab acrimonia contingit, & symptoma tactus est.

Tumor non ita perseuerans, sed sinistra mamma tumentior est, dextra minùs, & à sinistra parte videtur id accipere, vel mãmarum diadoche est, vel per apothesin, vel per metastasin id contingit. Si diadoche, vel dolore, vel externa causa, vel ratione communicationis aliarum partium, vt pote generalium. Est enim κοινωνία γονῆς, καὶ φωνῆς. Id quod testatur Galen. passim disputans περὶ τοῦ τράγιζειν, in maribus. τραγίζειν in testibus marium. Et quo tempore tument lasciuiúntque testes, vox grauior fit, mãmæ turgent: in virgunculis σφριγᾶν, sororiare dicuntur, in maribus κυαμίζειν, fratrare, seu fatriare: vnde obseruatum lac in mammis masculis, materia per venas mammarias translata. Aliquando per thoracicas, vnde circum alas materia quædam lactea in quibusdam est deprehensa.

6. Epid.

Si apothesis est aut apostasis, cur ita euenerit, videndum. lustrandæ sunt enim singulæ partes ex quibus id dependere poterit. Videndus quis color corporis, quis character faciei, quæ symptomata, qui dolores. At spiritus fœtor, dentium prauus

color, labiorum liuor quidam & defœdatio, corporis color ad icterum quendam nigellulum tendẽs, palpitationes cordis quæ sæpè sunt molestæ, aut lienis, aut mesenterij, aut vtriusque affectionem significant. Hæc in fœdis coloribus sunt solennia symptomata.

Itàque splenicus esse videtur. Splen autem etsi pars in corpore non est principalis, tamen magnum ad salutem momentum habet. Olim dictus est corporis fiscus, idque non inconcinnè. Et Hippoc. lib. de locis in homine: Quibus lien efflorescit, iis corpus attenuatur. Id quod tanquam signum, & tanquam causa malum est. Tanquam signum, quoniam significat prouentum succi melancholici. Tanquam causa bifariam, tum quia extenuat corpus, tum quia iste affluxus succi melancholici obstruendo vias lienares, febres lentas, & id genus symptomata inducit. Id abundè explicauimus in nostro libro de morbis mulierum.

Cæterùm: fiscus corporis lien dicitur, quod detrahit toti corpori, quod in sua commoda conferat.

Porrò dubitabatur an tumor iste mammarũ ad puberes annos referri deberet, vt pro hæmorrhagia quæ istis annis cõuenit, in mãma tumor sit tãquam succedaneus. Nec abs re dubitatũ est.

Item num vitium esset mammæ, aut ob ictum, aut ob aliquid simile. Item an ob pinguedinem in panniculo carnoso id fieret, vnde mares, γυναικόμαστοι dicuntur.

Si abscesſûs iste tumor rationem subit; Cur non deorsum fit, tum quia de natura est melancholica, tum quia ea est conditio abscessuum, vt tum meliores existant, cum ad partes fiunt inferiores. Si spectetur ætas, sursum abscessus fieri debet. Nam ad part. 21. lib. 1. Epid. Tumores ad aures contigerunt cum tamen materia esset frigidiuscula. Sed iuuenibus tantùm & athletis id contigit. Quoniam & ætas, & exercitatio tantùm potuit, vt humorem alioqui ignauum, & deorsum natum ferri sursum rapuerit.

De abscessibus locus hic valde commemorabilis: abscessus, aut per venas, aut ossa, aut neruos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni sunt qui infra morbum fiunt vt varices; lumborum grauitates ex supernis. Optimi potissimùm sunt inferni, & longissimè infra ventrem, & remotissimi à morbo: & qui per efflu-

Sect. 1. lib. 2. Epid.

xionem fiunt, Græcè κατ' ἔκρυν, vt ſanguis è naribus, pus ex aure, ſputum, vrina quæ κατ' ἔκρυν fiunt: Abſceſſus eſt, ſupra morbum eſſe videtur, ideo illaudabilis. Si impetus factus eſt naturalibus ipſis (vt verbo Pliniano vtar) ad mammas, quis conſenſus pectori cum naturalibus? Multis locis iſte conſenſus à Galeno explicatur. Et ita Hippocrates. Neque tuſſes diuturnæ, quoniam vbi teſtis intumuit ceſſant. Et teſtis tumor à tuſſi ceſſat & alleuatur. Quæ res commonefacit nos communionis pectorum, mammarum, geniture, vocis. Id quod Galen. ſuffurans hæc ipſa verba, declarauit lib. 6. Epidem.

Sect. 1. lib. 2. Epid.

Tandem cõcluſum fuit id quicquid eſt partim ab ipſis viſceribus, & forte etiam à motu iſto, & inclinatione naturali humorum à partibus genitalibus ad mammas & pectus.

Ad part. 41. ſect. 3. & ad part. 12. ſect. 1. lib. 1. Epid.

Adductum illud. Vbi fauces ægrotãt, &c. Nimirũ quoniam magni eſt momenti ſcire an vitium ſit cutaneum, an verò ſcaturigo ſit interna. Vnde extat hiſtor. apud Hippoc. de quodam qui cum impetigine laboraret hauſit aquas αὐτοφυέας. A morbo liberatus Hydropicus factus interiit: Sic mutauit ſpeciẽ morbi, ſed non vitauit periculum.

Quamobrem cum ex palpitatione qua is aliquando affligitur, colore corporis malo, labiorum quodam liuore (qui comes eſt & conſectaneus malè affecti ſplenis) conſtet id quicquid eſt mali à viſceribus eſſe (quanquam & naturalem iſtum motum & inclinationem à partibus genitalibus ad thoracicas non negamus) in curam iſtarum partium viſceralium, vt ſic loquar, incumbendum eſſe videtur. Itaque ſingulis ſeptimanis decoctum folicul. ex vſu eſſe videbitur cum floribus Calend. bugl. viol. & polypodio paratum. Addi poteſt, & ceterac. & ſcolopen. Syrup. Regis Saboris, cum foliculis cum granis kermes. In aqua, qua vtetur madebunt folia bugl. borag. aut bipinell. Fruſta pomi de curtipend. cortex tamaricis. Conſerua bugl. borag. florum aurentiorum in vſu erit. Decoctum Galli veteris, cum bugloſ. borag. meliſſa. Aniſum conditum, coriandrum conditum. Frictiones. Ouum cum ſeta in Kermes tincta.

Fotus ad lienem ex foliis lauri, abſinth. ſcolopend. roſ. ſpica nardi, ſantalis, cortice capparum, ſemine baſiliconis & lini. Item litus ex medulla ceruina deſcriptus in praxi Hollerij.

Parti tumenti hic fotus adhibitus:

℞. Radicis enul. camp. ℥j. rad. altheæ. ℥. ſ. foliorum calend. ſcabioſæ, fumar. abſinth. vulgaris, chamæpityos: an. p. j. florum geniſt. p. ſ. ſeminis lini. ℥j. ſeminis aniſi, fœnicul. altheæ. an. ℥ ſ. coque in oxymelite pro fotu cum ſpongia.

Demum ad oppugnationem externi mali, fons internus eſt exhauriendus, & viſceribus ipſis ſua prima vis & vigor reſtituendus.

Ad id facit optima vitæ lex. Nec tamen ſeuerioribus legibus ætas adoleſcens eſt addicunda, obliganda.

Vitæ lex in cibo, potu, corporis exercitatione, animi ſtudio, ac inſtituto vitę conſiderator.

In horum mediocritate, & morum & humorum ratio ac moderatio conſiſtito.

Medicæ leges ad cuſtodiam ſanitatis prandium liberalius, frugaliorem cœnam indicunt.

Simplicior & melior cibus, ſæpè non gratior, vſuuenito, & tantùm capiatur, quantum ſuſtentandis viribus, non obruendis videatur.

Vini & æquę æqualis mixtio. Album in vſu aliquando eſto: ſi grauitatem capiti afferat, interdicitor.

Aquæ vſus liberalior, vt obſtructionis & corruptionis viſcerum parens deuitator.

Nec delitiarum ſuarum patrocinium, tanquam ipſius neceſſitatis, afferre oportet.

Si moleſtior ſitis, non tam illius ſedandæ quam leniendæ, aut fallendæ cura eſto.

Corporis exercitatio, frictio deorſum, agitatio, curſus, lucta, ludus pilæ conferre creduntur.

Sed hæc ſtatim à cibo, aut pertinaciore ſtudio interdicuntor.

Qui crudus ludit aut exercetur, cruditati fomitem ſuggerere creditor.

Vt cruditas, ita & inedia vitanda. Illa obruit ſpiritus, hæc exhaurit, conſumit & impensè calfacit.

Ita ludere oportet, vt ludus nos non ludat.

Vt in cibo & potu moderatos eſſe oportet, ita in excolendo animo, & ſtudiis proſequendis moderatio adhibeatur.

Animi relaxatio & remiſſio non languor & exolutio conſuli putator. Illis inualeſcit ac roboratur, his emoritur, ac elangueſcit.

Dare se vitæ iocunditati pars sanitatis iudicator.

Omnia denique quoad licet, & fieri potest, mediocria adhibentor.

His modis, cum DEO, prima sanitas restituetur, morbus ipse elidetur, qui plus ipsa fronte præ se fert metus, quam in recessu, mali. Idibus Quintilibus anno 1581.

ANNOTATIONES.

1. *Aphrodisæus probl. 95. lib. 1. explicat de spadonibus, mulieribus & pueris cur acutam vocem edant.*
2. *Hæc vox, neque, pendet ex superioribus, vt non legas: Neque cessant. Contra enim rem habere sensus declarat.*
3. *Aetius (ait) si post vsum olerum quis aquam bibat capitis vlcuscula, scabies, lepræ, pustulæ, impetigines, & deteriora his erumpunt.*

CONSILIVM XLVI.

De Tumore inguinis. Pro D. Crozonio.

ABundè hoc libro, & aliis locis diximus de consensu partium thoracicarum cum genitalibus. Et extrema hac historia de tumore ad mammam orto disputantes. Quod dictum volumus ne ad nauseam vsque & fastidium hoc repetatur. Ille de quo in ipso titulo dictum est querebatur de tumore paulò infra inguen oborto, & ad natem propinquam. Dolorificus erat, diuturnus, digitis cedens quidem aliquatenus, sed eorum non manebant pressa vestigia vt in phymatis phlegmaticis. Aliis visum est esse in ipsa presertim nate meliceres, sed argumenta, & signa eius non relucebant.

Adducta sunt in deliberatione ea quæ & paulo supra de tumore. Præterea cum ille diutissima quadam tussi molestaretur, inde arrepta occasio fuit inquirendi in principium & fontem mali. Dictum enim est tussiculosos nonnunquam abscessu ad scrotum oborto capi ac detineri, id quod huic contigit. Et quæ materias & obsedit scrotum, & obsessum tenere potuit, maiore sui parte abscessit in inguem & propinquas contiguásque

partes. Et cum natura eſſet melancholicus, tumores iſti ad varicoſos potius accedebant, & nonnihil de natura lupiarum retinebant. Magna verò poſita eſt vis in diuturnitate iſta tuſſis, & natura temperamentóque ipſius ægri. Adductus eſt locus ex Epid. huc maximè pertinens: Nec repugnat rationi vt tuſſes diuturnæ ceſſent, quoniam teſtis intumuit: Et teſtis tumor à tuſſi ceſſat ac alleuatur. Quod mirùm eſſe debet. Et eodem loco; Indicationes fiunt ad teſtes quandoque ex tuſſi, & teſtes ipſi laborant à ſeipſis. Id quod lib. 1. meorum Epid. multis locis celebrius reddidi. Quemadmodum autem id fiat non eſt huius otij atque loci.

Sect. 1. lib. 2. Epid.

Poſita hac tumoris natura, nutriendum potius malum, leniendúſque potius dolor, quàm omnino elidendum ac euincendum.

Habendam rationem antiquæ tuſſis duximus: Corpori ſua euexia, & εὐσαρκία reſtituenda, ſi fieri poteſt.

℞. *Rad. enul. camp. & altheæ. an. ℥ j. rad. bryon. ℥ ſ. abſinth. vulg. major. mercur. violar. an. m. j. chamæd. chamæpyt. foliorum lauri; ſummitatum anethi. florum chamæm. an. m. j. truncorum caulium, & corticum fabar. an. p. j. ſemin. lini. ℥ i. ſ. ſeminis altheæ ℥ j. fiant duo ſaccul. bulliant in aq. & vino albo: additis ℥ ij. aceti opti. fiat fotus cum ſpongiis.*

℞. *Mucag. ſeminis lini, fœnig. rad. altheæ extract. in vino albo. an. ℥ j. ſucci caul. rubrorum, ʒ 6. axung. anſ. gallinæ. an. ʒ 6. gummi ammoniaci, bdellij in aq. vitæ ſoluti. an. ʒ ij. caſtor. ʒ ſ. pulu. ireos. ʒ ſ. fiat vnctio pro parte.*

℞. *Caricas n. 15. coque in ſapa, adde farinæ lini lolij, & lupinorum. an. ℥ ſ. terebinth. ʒ ij. fiat cataplaſma.*

Applicetur poſt vſum iſtorum remediorum lamina plumbi mercurio vncta.

Item Emplaſtrum de Ceruſſa, cum mercurio.

Et quoniam caloris ſenſus erat, & dolor non mediocris, ne vſu iſtorum maiuſculorum remediorum aggraueſceret morbus, ad hæc leuiora itum eſt.

Litus ex mucagine ſeminis pſyllij, & lini cum aq. ſolatri, & plantag. Sacculi ex contemperantibus. Vnguentum diapompholigos. Balneum. Lac aſinæ. Aliquando ad partem litus ex populeone. Fotus ex herbis coctis in oxycrato, aut oxymelite. Cataplaſma ex farina hordei coct. in iiſdem.

Tan-

Tandem cum dolores multos sustinuisset, & ad diætam à Chirurgis malè reuocatus esset, temporis successu tumor qui summam natem occupabat in suppuratum versus est. Pus in profundissimo delitebat. Excreta tanta copia, vt omnem fidem & opinionem superaret. Tandem extabuit. Mortuus est. Pulmo inuentus est putris è regione ipsius mali.

CONSILIVM XLVII.

Pro Anglo Arthritico.

DOlor qui nobilem virum Anglum afficit, à fluxione pendere censetur. Occupat hic articulum, paulò se magis diffundit pro humoris quantitate. Fluxio etsi ab humore est à partibus amandato, non tamen omnis dolorifica est. Quæ enim aut distendit partem materia, aut acrimoniam molestámve qualitatem habet, ea doloris in parte parens existit. Quanquam sine fluxione dolor excitari potest, vt cum pars imbecilla, aut malè affecta alimentum malè conficit, & à congestione dolendi nascitur occasio. Articuli porrò dolent iis qui faba & orobo vescuntur; in siccitatibus summis dolor ad articulos pertinet; in febribus laboriosis & lassitudine vlcerosa, non tamē id quicquid est arthritidis nomen demeretur. Quanquam & doloris par molestia, & æquè sæua symptomata ac in arthritide gliscūt & apparent. Sed cum erroneo & vagabundo modo modo hic, modò ille articulus infestatur, cum aliquando certis tēporibus, cum incertis, tum ea fluxio arthriticam naturam & ingenium resipit atque induit. Maximè enim vis eius in impetu ipso & instabilitate cernitur[1]. Porrò aliud est articulos verè lacessi, aliud impropriè ac leuiter tantùm. In arthritide enim verè ditur articulus occupari; articulíque nomine, non solū caput ossis quod inseritur, aut alteri⁹ ossis cotyle intelligitur, sed & ligamēta & tendines, & quidquid ad articuli firmitatē structurámq; pertinēt; ligamēta autē cum duorum sint generū, quæ à media ossis parte ducuntur, ea sensu vacant, quæ ab ipso periostio, exquisitè sentiunt. Hinc doloris immanitas & sæuitia. His ita se habentibus cum & motu, & periodo, & doloris specie, & inuasionis modo morbus hic ægrū opprimat, de fluxione arthritica

6. Epid.

ſtatuere non dubitandũ. Vnde verò malum? an gentilitium, an patrum, an vitio ipſius peculiari corporis contigerit, non ita facilè decernitur. Tamen quo ſtatu res ſunt cùm magna ſit in corpore ad morbum iſtum propenſio, tum propter partium recipientium imbecillitatem, tum ob peculiarem vernaculámq; ſeri maligni naturæ gratiam vix recipientis generationem, vt ne morbus inualeſcat, videndum.

Occurrendum porrò in paroxyſmis ipſis, qui acerbitate doloris ægrum domi morantur, occurrendum generationi iſtius humoris, excluſioni, partiúmque imbecillitati. Videndum quoque ne quid in cura ipſa peccetur. Nam morbi ſæuitia ſæpè ad varia & ancipitia remedia recurrere cogit. At quæ vel ſine methodo auxilia adhibentur, vel quæ paſſim ab arte Chymica (quæ impoſturæ plena nullius non morbi curationem profitetur) vel ab Empiricis repetuntur, ea ſæpè malum immedicabile reddiderunt, ſæpè multos è medio ſuſtulerunt. Hinc tophacea in articulis congeries, hinc eorum diſtortio, hinc marcor, hinc tabes, hinc denique cum dolorum iliade mors luctuoſa. At præſtat cum aliquo eóque leui dolore & tolerabili moleſtia, remedia ab arte & ratione inſtituta tutò vſurpare, quã vana ſpe carendi omni dolore, à caſu, à fortuna ignorantiáque profecta experiri, & in apertam vitæ perniciem incurrere.

In hoc præſertim morbo vitæ lex & ratio ſanciatur. Et illud præclarè dictum Galeni ob oculos obuerſari debet quod ſcriptum in Aphor. 2

Vini vſus aut nullus, aut exiguus eſto.

Ceruiſia ſimplex, aut decoctum glycyrrhizæ, locum vini habeto.

Vſus veneris præ cæteris moderatus eſto.

Inedia longáque cibi abſtinentia deuitator.

Potionum multo ſaccharo & cinnam. conditarum vſus rarus ſit.

Cruditas ex copia & varietate ciborum naſci ſolita vitator.

Somnus meridianus & ſtatim à cibo.

Labor vt immodicus corpus tabefacit, ignauia exoluit, ita moderatus labor articulos roborare creditor.

Elixis carnibus ſine multis iuſculis, item aſſis locus eſto. Non tamen planè iuſculorum vſu interdicimus.

Prandium liberalius, cœna parcior laudator.

Porrò ſemel aut bis anno vena brachij dextri aperiunda, prę-ſertim Vere & Autumno. Non tamen omnino id ſingulis annis vſurpandum niſi morbus ſæuiat & inualeſcat. Syrupus erit paratus, quo ſemel menſe vtetur. Tamen Hyeme pilulis locus erit, Æſtate caſſia vſurpabitur.

Placet decoctum ſarſeparilliæ, aut radicis chynæ, non ad magnam prouocationem ſudorum. A ligno ſancto abſtinendum.

Pyrotica ad muſculum deltoïdem brachiis applicabuntur. Formulæ remediorum ad articulos firmãdos repetentur ex ſuperioribus.

Maſticatoria & errhina aliquando conueniunt.

Vſus lactis aſinæ, aut caprarum.

Et quoniam in neruis mucoſus eſt humor, is eſt ſiccandus prudenter & digerendus.

ANNOTATIONES.

1. *Vnde illud Sereni.*

--- ſi articulos tabes inimica per omnes.

Hæſerit.

2. *Ita Celſus, Quibus articulorum dolor certis temporibus reuertitur, hos ante & curioſo victu cauere oportet, ne inutilis materia corpori superſit, & crebriore vomitu, &c. Cum ex morbo conualeſcit, leuiter manibus vnctis corpus permulcendum. Delectationis cauſa ambulandum, circunciſa omni negotioſa cogitatione. Paulatim verò debet omiſsis his legibus, eò tranſire, vt arbitrio ſuo viuat.*

CONSILIVM XLVIII.

De cerebri imbecillitate. Pro Conſule Tholoſano.

INter partes cæteras cerebrum mihi malè affectum videtur. Hoc afficitur vel per ſe, vel per conſenſum aliarum partium. Per ſe cum affectionis cauſam in ſe continet. Et tunc malum eſt contumacius & diuturnius.

Per conſenſum aliarum partium ſubiectarum, & cauſa fixa nec eſt, nec affectio ita firma.

Initio ſcire an per ſe pars laboret an non, hîc opus, hîc labor, ſucceſſu temporis facilè innoteſcit.

Sed euenit vt ſi viſcera intemperanter affecta ſint, ſi cerebrum imbecillius redditum ſiue ab externis cauſis, pręſertim à ſtudio pertinaciore, ſiue ab internis, ea ſit conſpiratio & conſenſus earum partium, vt vtręque accuſandæ ſint, nec minùs harum quàm illarum ratio habeatur.

Ac quod cerebrum vitium & imbecillitatem contraxerit, multis colligi poteſt argumentis: Item quòd intemperies viſcerum ſubſit, ſanguine potè acriuſculo genito: vt & internarum cauſarum & externarum vis apparuerit.

Quæcunque pars vel ab internis cauſis, vel ab externis, vel ab ipſis naturæ principiis tanquam ab incunabilis imbecillitatē contraxit, ea facilè à quacunque paulò vehementiore cauſa afficitur, aliarum excrementa promptè recipit, immo ipſa per ſe minùs belle ſuum facit officium, non benè coquit. Hinc cruditas, hinc excrementorum prouentus, hinc maligna qualitas ſurgit. Vnde dolor, & dolendi promptitudo, vnde partis ſępè quidam marcor.

Obſtinata & pertinacia ſtudia, lucubrationes, nocturnæque animi contentiones facilè læſerunt ac offenderunt. Nam ſpirituum diſſipatio, conſumptio & depaſtio conſequitur, partiúmque ſolidarum ægrè reparabile vitium & labes. Vt enim moderatus animi cultus & contentio modica cerebrum conſeruat, ita immodicus labor idem extenuat, debilitat & exoluit, ac ſi quandam ἐξεγκεφάλωσιν induceret.

Sanitatis hæc pars eſto vt & cerebri, & totius corporis ratio habeatur.

Cerebri vt laborantis, corporis vt malum fouentis. Quanquam & externas cauſas impendiò magis affeciſſe iam planè conſtat.

Itaque ne quid tale deinceps contingat, animi exercitia moderata ſunto, quæ licet iucunda & homini liberaliter educato & ingenuo neceſſaria, tamen ipſa dulcedine illectum animum lædunt & offendunt, & corpus ipſius animi inſtrumentum deterunt ac imminuunt. Hîc enim, vt & in cæteris rebus moderatio & temperamentum adhibendum eſt.

Cerebro aut ſua vis reſtituenda eſt, aut, quæ adeſt, conſeruanda. Qui prouentus excrementorum propria quadam infir-

mitate ſuccreſſit, impediendus, hauriendus. Hic minor erit, ſi cerebro ſua vis erit reſtituta.

Toti corpori conſuletur, reductis ad temperamentum aliquod humoribus & intemperie viſcerum aliqua ex parte emendata.

Corpus non videtur frequẽtibus & validis medicamentis fatigandum: nam & humorum obagitatio fiet, quorum quies, ſedatio & ſilentium pluris ſæpè eſt faciundum. Prẹterea exhauſtis à medicamento ſpiritibus, maior infirmitas conciliabitur.

Sanguis detrahendus non eſt, niſi aut eius redundantis ſigna affuerint, aut dolor aliquis vehemens, detrahendi neceſſitatem inducat.

Conſeruarum Cephalicarum non calidarum frequens vſus eſto.

Balnea aquarum dulcium conſuluntor.

Contineantur ore quæ ſaliuam benignè eliciant.

Errhinis maxima cum cautione eſt vtendum.

Fugienda omnia quæ grauem ſpirant odorem, immo quæ ſuauem, nam hinc capitis repletio, hinc grauitas.

Vinum non bibatur niſi aut multo cibo prẹſumpto, aut iuſculo præhauſto.

CONSILIVM XLIX.

De Symptomatis Hyſtericis, Hypochondriacis, & Catarrhoicis. Ad Dominum Burgenſem Xantonum Medicum.

NÆ egregiè candidus es, hócque temperamentum modeſtiæ tuæ indixiſti, vt cum multa noris, aliqua didiciſſe non pigeat. Leue ingenium cum nil habeat, nil ſibi detrahit. Egregium verò, ingens, & magnarum rerum habens fiduciam, præclaræ indolis edit argumentum, cum etiam in rebus perſpicuis aliorum iudicium requirit.

Non quin rem benè norit, ſed vt dubitando ſum ſtudium, &

plura discendi occultet desiderium, & occultando aperiat. Ea tamen res te eo fortè non adduxit. Nam partim rei difficultas, partim humanitas, & de ægra merendi desiderium te ad opem implorandam excitauit: humanitas quidē, quod nil sit prius in morbis obstinatis & melancholicis (quorum nomen omen quoddam sinistrum prætendit) quam ea quærere quæ morbi molestias eleuare; & querelas in iis morbis percrebras demulcere possint. Et licet malo ars victa fuerit, morbíque diuturnitas eam eluserit, tamen ab omni remedio temperare maligni & desperantis hominis est. Soláque desperatio pro omni superest solatio. Non artis vitium est si morbus incuratus manet, sed accusanda morbi pertinacia. Medicus se artis tuetur patrocinio: Et cum ad experimentum vsque proceditur, difficultas saltem morbi compescitur. Quanquam illud Aëtij commemorabile. Multi melancholici tum cum curarentur, partem præsidij ab arte perceperunt. Dimissa curatione sunt restituti: Naturâ ante curationem præualente contra morbos ex medicatione imbecillos redditos. Quæ natura cum curatione affligitur, in quiete resurgit, & superat morbos aliquantum imminutos.

Nunc ad institutum veniamus.

Non tam de morbo, quam de Symptomatis inquiritur. Symptomata sunt non ὁμοειδῆ, nec ὁμογενῆ, sed à diuersis oriunda fontibus. Et cum causa sit fixa, symptomaton perpetua fit propagatio. Contra euenit in iis quorū causa fugax leuitérque pressa.

Non tam in humorum quantitate quam molesta qualitate causa consistit quam diathesis quædam fouet. Hæc longarum obstinatarúmque affectionum & omnem Medicorum solertiā superantium autor est & alumna. Hæc cum adest, non tam de euincendis morbis, quam de nutriendis laboratur. Huius quidem vestigia nouimus & effectus, sed ea obtutum oculorum effugit, quin & vix ab animo comprehēdi potest. Hanc veteres adumbrarunt, hanc prosecuti sunt, sed non assecuti. De hac apud te plenius dicere, Magistrum artis docere velle est, & tandem quantum hic operis fiat, pœnitebit.

Symptomata partim sunt Hysterica, partim Hypochondriaca, partim Catarrhoica. Cum ex his quædam sunt propria, plura sunt communia, vt quò sunt referenda, ignoretur. Deliquia animi, vertigines, oppressiones, dolores pectoris pleuritim mentientes, milléque alia tædia, & hypochondriaca sunt, &

malè euntibus menſibus apparere poſſunt. Poſſunt & ſuppreſſi ſeminis eſſe ſoboles. Poſſunt & eam affectionem ſequi quæ ab Hippocrate atra bilis in vtero, dicitur. Cum ſcilicet in venis vteri reſes eſt ſanguis fæculentus, & tabum quoddam quod ab Hippocrate αἱμαλὼψ vocatur, nomine ab oculorum affectionibus ad collectionē in vtero aptè tranſlato; vnde obſeruatū eſt apud nos extitiſſe mulieres quarū in vtero ſanguis atrabilarius colligeretur, quæ perpetuis doloribus ſunt diuexatæ. Tandē tumor ἀνὲρμηνεύτως miraculò ad lumbos erumpens, vt cōquerēdi, ita dolendi finem attulit. Idem contigit ſæpè & Hypochondriacis.

[2] Ergo diligenter incumbendum in inueſtigationem primæ & dolorum cauſæ & foci. Similitudo ſæpè peritiſſimis imponit. Aliter prouidendum ſi ſit aliquid Hyſtericum, aliter ſi Hypochondriacum, aliter ſi promiſcuum. Nam & iſta deliquia (idem de cæteris ſit iudicium) à paucioribus menſibus eſſe poſſunt, & à neglecto fundi cultu; poſſunt & Hypochondriacæ affectionis eſſe conſectaria. Præclarum illud Galen. in illud Hippoc. Lumbis dolentibus cardialgiæ accedentes, ſigna eruptionis ſanguinis puto: Copia (ait Galen.) in venis aceruata tenue quoddam ſerum in ventrem confluens cardialgias parit in os ipſius aſcendens: portio autem abundantiæ ad inferiora deuergens, lumborum dolores excitat.

Cæterum licet Hypochondriaci de ipſo conquerantur ventriculo, id per ſympathiam fit viſcerum, & Hypochondriorum vicinorum. Et in his chylus non modo aduritur, ſed corrumpitur ab externo calore, & propria putredinis ſpecie terrifica ſymptomata edere conſueuit. Recurrere ad ſolam intemperiem more vulgi, id minus cum Hippocrate cohæret, qui in veteribus reprehendit, quòd in morborum cauſis aſſignandis, primis qualitatibus nimium tribuiſſent [3]. Nam ea intemperies facilè corrigeretur, immo ſenectus temperamentum adhibens, remedio foret, vt de hemicraniis à cauſa calida obortis cenſet Galen. quas ipſa ſenectute ſedari putauit.

Ergo abſtruſior cauſa eſt & diatheſis quæ in humores virulentam vim inducit.

Cur Hypochondriaci dorſum & pectus dolicans.

Catarrhoica ſymptomata teſtatur brachij affectio paralyſeos æmula, & deſtillatio in thoracem dolorem excitans, aut verè pleuriticum, aut pleuritim mentientem Quanquam quotidie obſeruamus harum partium dolores nō tam à diſtillatione pendere, quam à maligno melancholicóque flatu à viſceribus ſur-

gente: Testantur dolores omoplatarum Hypochondriacis familiares, & virginibus; quarum faciem fœdus deturpat color. & in his nõ tam laxare venam quam ventrem conuenit, & flatui exitum dare. Immo à flatibus ipsis melancholia flatuosa & nomen & omen inuenit. Hanc flatuum copiam & imbecillitas caloris natiui & succi melancholici ζύμωσις inducit: Præsente quadam ipsorum lactium & pylori phlogosi ex Dioclis sententia quam Galen. amplexatur.

Paralyseos rudumenta à capite repetenda. Quanquã plerisq; & Hypochõdriacis & Hystericis tormina diuturniora, in partiũ quarundam paralysin terminantur. Id quod Britonibus familiare, vt annotat Hollerius. Et est aliquid simile apud Hippoc.

Destillatio à capite in thoracem si ferina est, si tussiendi inane desiderium, prudenter se gerere oportet. Laudo Galen. præceptũ de distillationibus malignis. Non oportet, ait, tandiu in pulmone moram trahere donec crassescant: nec eas statim expelli necesse est. Nam in pulmone morantes non facilè coquuntur & eum lacerant. Si excernantur, citò molestias excitant tusses à quibus caput repletur.

Vt ad rem redeatur. Quoniam de Hyster. & Hypochondriacis facta est mentio, antequam de solenni remedio, nempe phlebotomia decernatur, vnum præmonere ab re non erit. Placet clarissimo Dureto in consilium vocato, spem salutis in frequenti phlebotomia partim è malleolo, partim è brachio consistere. Parum dissensimus. Ille suppressionis menstruæ, aut euacuationis paucioris rationem habet. Et maximè omnia ad vterũ refert. Nos dispositionem Hypochondriacam maximè consideramus. Quę sæpè aut in Hydropen siccum finitur per μαρασμὸν περιφρυγῆ, aut in Ascitem per caloris naturalis paupertatẽ, in qua si sępius sanguis detrahitur, Hydrops accersitur, aut tumor, corporis insufflatio vulgò nuncupata. Hoc ipse videris, & singula momenta consideraris.

De Hypocaustis & sudorificis parum plausibilis ratio esse videtur, cum constet calido & sicco temperamento esse. Cum sitis assidua, intestinorũ æstum significet, paulò alienior talium remediorũ vsus esse videatur. Nec obest quod obiicitur, pituitam abundare videri quod sępè tussiat, & os saliua proliciatur.

Nam ptyalismus non raro dispositionis Hypochondriacæ est παθογνωμονικόν. Et vt concedam nescio quem succum crudum re-

redundare, partes solidæ sunt siccę & sudorificis magis exuccæ redduntur. Itaque paulò frigidior hæc ratio videretur.

Ad hos Canones deliberationis momenta reciderunt.

Cibus mediæ naturæ esto, qualitate humidus, substantia solidus. [4]

Ab omnibus flatulentis abstineto.

Vinum lene, maturum multa aqua fractum, & parca manu bibito.

Ter mense purgationi operam dato ex opiata facta cum decoct. Hypochondr. foliis senæ, cassia, & passulis corinthiacis.

Detrahitor sanguis bis térue anno, tum incisâ venâ brachij tum malleolorum. Idque iis conditionibus quæ superiùs dictæ sunt.

Admoueantur hyrudines ano.

Illinitor regio lumborũ vnguento rosato Mesuæ frequẽter.

Balnea aquæ egelidæ fumo & odore carentis salubritati corporis accommodata iudicantor. Decoctum Cephalic. additis ℥ij. foliorum senæ, & agarico crudo, addendo quartam partem vini albi, ex vsu esto. Aptè id cum spongia fiet.

Ab Hypocaustis & sudorificis, nisi quæpiam res aliter suaserit, abstinetor.

Hæc fortè paulò fusiùs disputata sunt, quam deceat apud artis & peritum & medendi magistrum. Sed quoniam significasti te tantopere cupere vt nos vnà communicaremus, occasionem vrgere volui. Hanc non tam casus, quam ratio & consilium videtur attulisse. Puduit longa scriptione tuo otio abuti. Sed hoc laboris lubens suscepi in eo præsertim quod tibi voluptati, fore credidi, si qua vlla in re de te mereri possem, tuum desiderium nouo officio facilè lenirem. Vale. 24. Augusti Anno 1582.

ANNOTATIONES.

1. *Mirum est quod melancholici perpetuò conquerantur, & medicamenta sæpè appetant. Præclarus est locus cap. vltimo 7. Ethic.* οἱ μελαγχολικοὶ τὴν φύσιν, ἀεὶ δέονται ἰατρείας· καὶ γὰρ τὸ σῶμα δακνόμενον διατελεῖ διὰ τὴν κρᾶσιν. καὶ ἀεὶ ἐν ὀρέξει σφοδρᾷ εἰσίν. *Melancholici motus habent vehementes & frequentes. Ideo Arist. cap. vltimo lib. de Diuin. ex insomniis, melancholicos futura præsentire dicit: Melancholici, ait Aristoteles, ob*

animi impetum vehementiorem, vt eminus iaculãtes collimant, & quod facilè ac citò animum mutant, id quod est consequens cernunt. Tamen paulò ante dixerat homines plebeios futura prænoscere sæpius, quod eorum mens minus sit referta curis. Si hoc verum est, melancholici minus sunt idonei ad præsagiendum. Animum enim distractum & curis plenum habent. Cicero. 1. de Diuinatione locum Aristo. superiorem sugillat: Animi enim integri, ait, non vitiosi corporis est diuinatio. Ideo in animis hominum qui valetudinis vitio furiunt, nil diuinum, nil præsagiens esse ait. Cæterùm μελαγχολίαν furorem vocat.

2. *Et non item pridem cum vxor Comitis de Chaulne, diu brachium doluisset, nec dolor remediis remisisset, tandem obortus est tumor in summo humero anthracôdes, dolorificus maximè. Hic suppurauit. A suppurato magna leuatio. Dolores autem in melancholicis vagi sunt, nec quiescunt sæpè donec se ipsi collegerint, & συστροφὴν aliquam fecerint. Qui cum συστροφὴν fecerint, tum in suppuratum est incumbendum nisi aliqua alia ratio ratio dissuadeat.*

3. *Auicenn. scripsit caput de iis quibus dolor & angustia stomachi accidit cum comedunt, & cum distribuitur alimentum cessat.*

4. *Oportet melancholicos bene comedere vt si fieri poßit sibi εὐσαρκίαν concilient. Tum enim benè habent cum impinguantur. Et apud Hipp. Initio Æstatis plurimum comedendum est vt faciamus idem quod arbores quæ ad futuros æstus facilius ferendos sibi vmbram ex pampinis & foliis comparant. Idem homines sibi debent comparare. Locus est præclarus. lib. 2. aut 3. de Diæta.*

CONSILIVM XLIX.

De Elephantiasi.

ARuernus quidam à nonnullis elephanticus iudicabatur. Ideo de eo à societate humana segregando cogitabant. Credo odio quodam litium fomite & seminario id totum exarsisse. Et occulti odij priuatarumque inimicitiarum magna extiterunt argumenta. Ad forum res delata. Primum apud patrios iudices: deinde ad Senatum Parisiensem negotium est deuolutum. Statuit vt Medici & Chirurgi iudicarent. Illi initia quædam elephanti retulerunt. A venis sub lingua paulùm

tumentibus & supercilio rariore argumentum desumpserunt. Ad alios res relata. Illi aliter omnino iudicarunt, vacuum omnino & extra suspicionem retulerunt. Id paulò Senatui alienius visum est, præsertim cùm alij in alia & omnino contraria irent. Denuò decreuit vt omnes vna conuenirēt, & inspecto homine communicarent. Sic aut dissiderent, aut rem omnino componerent. Decreto obtemperatur. Sistit se homo, nudus exploratur. Nil percipitur quod vel tantillam fidē faciat tam diri morbi Prioris & durioris sententiæ viros pudebat retractare sententiam. Rebus diligenter subductis relatum est nulla signa existentis mali apparere, nílque esse omnino propter quod humana societate priuari debeat.

Rogat Senatus, vt selecti viri iudicent, num Socrates sit elephanticus. Est enim Artificis absolutè respondere, vel elephanticum esse, vel non esse. Ratio non est reddenda, nisi sit necesse, nec reddenda nisi apud peritos artis qui rerum momenta æstimare possunt. Sed hîc nec præcipitanter timidos esse oportet, nec temerè securos. Ex æquo quippe & bono res est æstimāda, vt ne nimia facilitate res extenuetur & eleuetur, vel præiudicata opinione aliter ac est iudicetur. Subolfacio enim accusatores obiicere patrē illius ante annos 40. elephāticū interiisse. Immo, eius sororem de morbo suspectam esse. De patre nil constat. Et cauendum ne sit hoc præiudicium. Si enim ita rem esse animo concipimus, eum iam fortè elephanticum iudicamus antequam ita sit: aut leuiuscula signa, pro magnis & ponderosis (vt sic loquar) pensitamus. At in iudicio ferendo videndum ne quid tale committatur. Quod pater dicatur fuisse elephanticus, id quidem ad cautionem maiorem valet, non ad certum præiudicium. Ad cautionem quidem maiorem, vt nil negligatur, immò ne leuissima quidem indicia & argumenta. Vel, vt seriò magis dicatur, nil curemus quid ante, nec quid post, sed omnino ad hanc hypothesin veniatur: An hic qui nobis sistitur Socrates, sit elephanticus, quoniā de eo segregando disceptatur. Hoc vno iudicio tota hominis fortuna disceptat.

Cęterùm fortè aliter se gerere oportet medicè agendo, aliter ex æquo & bono. Nam sunt signa Medica, & hæc altioris sunt contemplationis. Alia sunt signa vulgaria, vt quæ sub obtutum oculorum cadunt. Si Medicè, id est paulò seuerius aga-

tur, quoniam antequam ſigna foris edantur, intus confirmatum & perfectum malum à Medicis credatur, poteſt elephanticus ita iudicari nullis ſignis foràs eminentibus. Maximè verò ſemen mali fouetur ac ſerpit intus, ſi à patre elephantico quis oriatur. Morbi enim quidam iure hæreditatis ad poſteros deriuantur, maximè verò elephas, & qui morbi partes ſolidas, quarum vis natura eſſe dicitur, occupare ſolent. Semini enim neſcio quæ vis impreſſa eſt, quæ vt valet ad ſpeciem, ita latenter morboſam diatheſin deuehit & transfundit. Eáque vis inſita eſt tanquam tradux, vt ex macrocephalis macrocephali generentur. Et ita luſtrare oportet inteſtinas partes.

Contrà ſi ex æquo & bono res æſtimetur, relicto paulò exactiore internarum partium examine, ad ſigna externa tam vniuoca quam æquiuoca deueniendum, vt per hæc tanquam manifeſta ad rei notitiam delabamur. Quanquam id nequit fieri quin & internæ partes explorentur. Nam difficilis reſpiratio, fœdus & grauis anhelitus, ſitis, vrinæ confuſæ, pulſus tardior, excrementorum fœtor, multáque alia, internarum ſedium affectionem teſtantur. Cæterùm ſigna vniuoca & æquiuoca, & apud Cauliacum, & Hollerium cap. de elephanto, ediſſeruntur. Nec hîc omnia tractare conſilium eſt. Sed ad autores, ſi quando ſeriò de morbo laboratur, eſt recurrendum. Inter cæteros & eleganter, & plenè ex Aretæo Gorræus ediſſeruit. Nunc curſim tantùm & raptim, & ἀμεθόδως dicendum.

Elephas eſt extuberatio totius corporis inæqualis cum fœdo colore & characteris mutatione, non quòd ſtatim appareat. Nec enim prius intumeſcit, quam longius progreſſa ſit corruptio.

Extuberatio in tumore eſt, tumor in puſtula, puſtulæ materia ſuccus melancho. bilis torrida, acida & ſalſa pituita.

Color varius eſt pro temperamento. Aliquando eſt roſeus & phœniceus & rutilus qualis anagallidi alteri, & anemones flori, Vnde ab Hippocrate dicunt vocari φοινίκιον νοῦσον.

Videndum an ſit vitio nutritionis, an aſſimilationis, an in defectione conſiſtat. An ſit primæ coctionis, an vltimæ, an mediæ, & id breuiter.

Galen. ait, in tota animalis mole priuatio actionis in crudis ſuccis conſiſtit, functio tanquam deficiens in ſemicoctis, praua verò in vitioſis ſuccis. Ex vitioſis ſuccis eryſipelata, gangrenæ,

cancri nascuntur. In nutriẽdi actione priuatio actionis in atrophia est. Deficiens in gracilitate morbosa præsertim, vitiosa in leucis & elephantiasi cernitur. Tamen si leuci & elephantiasis sunt symptomata facultatis nequeuntis sibi familiare alimentũ conuertere, eatenus facultatis alteratricis deficientis esse videatur. Verum quia idoneam qualitatem non adipiscitur alimentum, idque propter malum partis habitum, leuce & elephas deprauatę facultatis symptomata credentur. Et si facultas deficit, ex euentu tantum deficit, vt patet ex 6. Epid. explicat Gal. cur qui abundent acri calore carnes habeant frigidas, licet venæ turgeant. Malunt enim partes suo genio & alimento fraudari, quam talem sanguinem & succum capessere. Quod postea explicabimus. Iam duæ aut tres quęstiones sunt explicatæ. Nunc an sit vitium tertiæ, an 2. coctionis. Si vitium in visceribus ipsis latuit, cuius ratione succus & sanguis prauę qualitatis est particeps, optimo iure ad secundam coctionem referetur. Et cum tertia coctio secundam non corrigat, nil perinde est si dicatur esse elephas, aut secundæ, aut tertiæ coctionis. Quanquã ipsius habitus morbus esse dicitur, & capillares venæ vitium contraxerunt. Quod verum est ad perfectionem elephantis. Id quod nos abundè diximus in margine capitis de elephanto apud Aëtium. Ibi enim repudiauimus opinionem eorum, qui tam frequenter sanguinem elephanticis demunt. Errant enim, vt illo loci Fusius est disputatum. Accedit quòd natura quam longissime potest amandat hoc virus. Ideo in capillares venas.

Quanquam foris in quibusdam tumores etiam aspectu horrendi apparent, quorum origo aut ab internis non est, si autem fuerit, contracta quadam mala diathesi in habitu ipso, talia in cute vitio vernaculo ipsius cutis erumpunt & efflorescunt. Ideo Hippocrates, vt multis locis annotauimus, ea quæ in cutem erumpunt, aliàs vt morbos considerat vitio cutis orientes, aliàs vt exanthemata, & τὰ τῶν ἐντέρων βλαστήματα. Et tunc ipsius tertiæ coctionis & habitus morbus esse perhibetur.

Sed hæc difficilioris sunt inquisitionis & contemplationis, magnúmque iudicium requiritur vt distinguere possis an à partibus internis repetendum malum, an verò totum id quicquid est ipsi habitui eiúsque labi acceptum sit ferendum.

Multa ſunt promiſſa, plura dici poſſunt. Tamen ſine recto ordine quædam inculcabimus. Primum illud tenendum,

Elephas eſt extuberatio totius corporis inæqualis cum fœdo colore, characteris mutatione, non quòd ſtatim appareat. Nec enim prius intumeſcit, quam longiùs elephas progreſſus fuerit & corruptio. Eſſentia huius extuberationis conſiſtit in tumore contra naturam. Tumor in puſtula. Puſtulæ cauſa materialis ſuccus melancholicus, bilis retorrida, pituita ſalſa. Cauſa vniuerſa eſt corruptio partium ſolidarum & aſſimilationis. Aſſimilatio corrumpitur Hippocr. cum quod ingeritur ſuperat, nouam formam inducit, deſtruit priorem. Quod ingeritur ſuperat, nõ ſuperatur, generatione, cõtagione & alterius morbi ſucceſſione. Et his modis fit elephas. Generatio autem aut eſt primigenia, aut non. Primigenia cum ſequitur naturam ſuſcipientis & efficientis cauſæ. His quidem ſuperioribus paulò verbis οὐσία καὶ ὕπαρξις τοῦ ἐλεφάντος conſiſtit, quæ ex lib. Hippocratis de alimento ducuntur, & quæ paulò amplius ſunt explicanda. Textus autem Hippocratis eſt eiuſmodi, cuius tanta eſt & elegantia, & vis & autoritas vt cæteris ſit præferendus:

Aſſimilat pro viribus natura, cum id quod ſuperingeritur ſuperat quidem, & illud quod prius ineſt præualet, id eſt, alimentum dum patitur agit quidem, ſed tandem ſuperatur ab eo quod prius erat, id eſt, à corpore & eius forma. Vt lactuca conſideratur & agens & patiens. Agens dum coquitur tantum & ipſa refrigerat: ſed cum iam cocta eſt proximè aſſimilanda & calorem naturalem auctura vinci dicitur, & reuerà vincitur.

At adulterinum eſt alimentũ tribus modis. Primo modo dum coquitur tantum alimentum, & ratione ſuarum qualitatum primarum afficit, vt lactuca, de quo priore modo paulò ante dictũ eſt. Aut cum prauum eſt ipſum alimentum prauíque ſucci, coquitur & nutrit, ſed poſtquam nutrierit, habitum ipſius corporis peruertit. Tertiò, cum occulta & maligna qualitate agit. Nam totius ſubſtantiæ proprietate nocet. Ita tamen conſiderandum eſt, vt & tempus, & quantitas ſpectetur. Tempus vt multo, vel pauco agat tempore. Quantitas, vt ea ſit ſufficiens ad euertendum; Quod pauca tandem ſuperetur, & à natura vincatur. Textus Græcus eſt is, ἀμαυροῖ δὲ ἑκατέρας, ſuppl. τροφὰς, ἐν χρόνῳ, καὶ μετὰ χρόνον ἡ τροφὴ ἔξωθεν συνεχὴς ἐπεισκριθεῖσα; καὶ ἐπὶ πολλὸν χρόνον στερεμνίων πᾶσι τοῖσι μέλεσι διαπλακεῖσα, καὶ τὴν μὲν ἰδίην ἰδέην ἐξεβλάστησε, τὴν δὲ προτέρην, ἔστιν ὅτε καὶ τὰς προτέρας δυν-

μάνρεσι, ita Latinè verti poteſt.

Euertit autem & deſtruit vtrumque alimentum (quanquam in Græco eſt ἀμαυρετικωτέρας, ſuppl. τροφάς, & non video, cur benè dicamus, tertia iſta ſpecies alimenti tota qualitate pugnans, euertit alias ſpecies alimenti, melius dicetur: (Obſcurat alias ſpecies) & in tempore, & poſt tempus, id alimentum quod continenter foris ſuperingeretur, firmitérque per multum tempus omnibus corporis partibus applicatum fuerit, & propriam quidem formam produxit, vel producere potuit, priorem autem, vel priores deſtruxit ac aboleuit. Hoc enim loco, poſtquam ſuperius diſputârat de incommodis ex alimento ob manifeſtam qualitatem, agit de eo alimento quod propter vim quandam occultam & vix explicabilem lædit, & ita in nos agit, vt nouam quandam formam inducat, priorem autem aboleat & perimat. Nec enim aliter ſuæ formæ proprietatem quæ antecedenti & priori formæ contraria eſt omnino, induceret, quam poſtquam aliam & meliorem & innatam corrupit ac peremit. Plura de iſta metamorphoſi, & viribus extranei & deleterij alimenti legas in Commentario ad iſtum locum breuiter & doctè ſcripto. Cæterùm, externum dicitur alimentum, ſiue foris adhibeatur, ſeu genitiuo & naturali quodam partium & viſcerum vitio & tabo in nobis generetur & accumuletur. In nobis enim gigni ſolet humor qui nonnumquam venenatorum animalium virus ſua malignitate æquat. Et iſte locus ex Hippocrate citatus adumbrat & delineat vitioſum illud alimentum cuius vi in elephanticis tam horrenda excitantur ſymptomata, & dira monſtroſáq; quędam forma inducitur, oppreſſa ac perempta priore forma.

Plura habebam in animo quę ſcriberem, ſed retuſus ſtylus meus tempeſtate bellorum quieuit. Tantum aduerſaria quædã hîc adſcribam ſuper eadem queſtione mota de probandis iis quos iudex temerario iudicio pro elephanticis iudicârat. Erant autem Aruerni.

Signa vniuoca 6.

1. Rotunditas oculorum & aurium. 2. Supercilij depilatio & extuberatio. 3 Narium foras extuberantia & contorſio, & interioris partis anguſtia. 4. Labiorum deformitas. 5. Vox rauca. 6. Fœtor halitus & corporis.

8. Alia ex aliorũ opin.

1. Ab Elephanticis natum eſſe. 2. Conſuetudo cum elephanticis. 3. Suppreſſio conſuetarum excretionum. 4. Vſus ciborum prauorum, vini præſertim. 5. Vita ærumnoſa in metu &

mœrore. 6. Extuberationes corporis, ſed prę ſertim faciei. 7. Aures acuminatæ. Naſus ſimus. Labia craſſa. Aſpectus horridus. 8. Color faciei ex rubore liuens, vox rauca, oculi rotundi.

1. Extuberatio in extremis partibus. 2. Color vt in morphæa vt tenebroſus. 3. Defluuium capillorũ & tenuiũ regeneratio. 4. Muſculorum quorundam extenuatio vt pollicis & trapezitæ vnde fiunt alati. 5. Stupor aut ſenſus amiſſio in extremis partibus ſiccatis & induratis. 6. Scabies, impetigo, gutta roſacea. 7. Extuberationes ſub lingua[8]: vnctuoſa cutis aquâ aſpersâ[9]. Cutis criſpitudo inſtar anſeris implumis. 10. Sanguis thromboſus. 11. Senſus punctionis in cute. 12. Rarò febricitant. Cauti ſunt. Alia petuntur à ſomno & vrinis. Agnoſcuntur autem inter cætera. Diſpoſitio, actus. Diſpoſitio ex cauſis antecedentibus. Actus triplex, initium, incrementum, vigor. Principium cum malum latet intus & ſigna minora foris extant. Crementum cum ſe in externis prodit. Vigor, cum partes vlcerantur. Declinatio, cum partes corruptę cadunt.

Æquiuoca ſigna 12.

At verò tanti ſunt ſigna huiuſmodi vt iis quaſi manibus ducamur ad latentes morbos. quæ cum ita ſe habeant, quæri meritò nunc poteſt. An vt in aliis morbis ſi cui conualeſcendum omnia bona ſigna adeſſe oportet, ſi moriundum, vnum malum ſufficit. Ita in iudicio elephanticorum vnum vniuocum ſatis ſit ad condemnandum, ad abſoluendum omnia vniuoca abeſſe conueniat. Nam iudicium facit Galenus, & per τὰ συμβεβηκότα, & per τὰ ἀσυμβεβηκότα, vt hæc non adſunt aut illa, ergo, nequaquam id faciundum, alioqui nō differt iudicium Medici & vulgi quod in alienis miſeriis procax eſt.

Hippoc. morbos diſtinguit ex ſexu, ex ætate. Ætate, ante 14. annum leuce, ſeu lepra alba & cancer non affligit, niſi ſit congenitus affectus, ac ſi dicat, ſe prodit non merito ætatis, ſed alia ratione, hic morbus ætate nil impediente ſe prodit: A 14. ad 42. omnes morbi ſe produnt, ait Hippoc. à 42. ad 63. (Annus autem 42. notat annum climactericum 2.) ſtrumæ non adſunt. At ſi quid elephanticum foret, & in matre & in filiis, ſe prodidiſſet cum mater agat annum 63.

Quod ad ſexum attinet Hipp. ait mulieres non laborare podgara. Seneca addit defluuium capillorũ quo mulieres non laborant. (id tamen apud Hippocratem non legitur) quo fit vt mi-

miremur in hac muliere naturalem φαλάκρωσιν καὶ μίλφωσιν. Tamen Ariſtol. ait mulieres non fieri vitiliginoſas, & ob menſtrua, & cutis denſitatem, tamen his omnibus morbis laborant mulieres non quòd mulierum natura mutata, ſed vita.

Filij huius mulieris ſunt depiles ab ipſo ortu; in quo duo notanda. Prius, quod iſta depilatio eſt morbus particularis, non abſceſſus, iuxta Hippoc. ſub finem 2. Prorrh. vt pityriaſis eſt aliquando vitium particulare capitis, intactis aliis partibus. Et id vitium transfuſum eſt in mares maximè, quia mares matrizant ratione Galen. Semen fœminæ initio vincitur à maſculo, ſed adſciſcit menſtruum vt fortius ſe reddat contra maſculinũ ſemen. An maior pars ſeminis à capite, vnde fabulæ de Minerua.

Inter filios ſuſceptos de elephante, tamen non damnatos vnus eſt vietus, deformis, & huic detractus erat teſticulus. Legatur locus, in Eunucho, de ipſo Enucho, ille vetus, veternoſus, vietus, ſenex. Et Donatus pulchrè in Commentario. Eidem filio teter anhelitus, ſed à malè conformato erat.

Quoniam autem fit maximè mentio de ſignis in facie, quæ ſigna ſunt prærogatiua in elephante, bella eſt quæſtio apud Gordonium de quodam elephantico, cui facies naturaliter erat affecta. Rationem reddit author cur ita contingere potuerit.

Familia eſt in qua pubes eſt depilis. Scytharum valet exemplum, quia ars naturam facit.

Quod attinet ad criſpitudinem & depilationem quod pro criſpo glabrum ſumitur (quia pili regeniti non ſunt pili veri, ſed anſerini) locus eſt apud Terentium de facie cadaueroſa, in Hecyra.

Fortè mater habuit à propagine aliquid elephanticum, ſed id in ea bonitate naturæ domitum aut extinctum eſt, & intemperies per traducem propagata, ſopita eſt.

Mirum quod omnes filij matrizantes ſunt depiles, vno excepto, & filij filiorum depilium, & filiæ ſunt piloſæ.

Fortè habitus ipſe fuit in muliere matre & filiis validus (qui natura tamen per Galen. eſt imbecillior partibus internis) & vicit malignitatem vt ſe non prodiderit. Vnde Auicennas facit morbos habitus. Cacochymia deſtruit εὐεξίαν, & καχεξία εὐχυμίαν.

Hæc aduerſaria ἀτάκτως ferè adſcribere non piguit, quòd ali-

quando ea vsui esse possint si fortè quæstio & examen moueatur de elephante. Sic erit hic liber vt bonus promus condus desiderio aliquando satisfacturus. Lutetiæ 21. August. 1596.

ANNOTATIONES.

1. *Ad Elephantiasin curandam quidam malo & inhumano exemplo balneum sanguinis humani præscripserunt. Sed hoc tam horrendum & impium inuentum cum ipsis inuentoribus extinctum est. Ita enim apud humanos homines (vt sic dicam,)* Miserum auxilium, tolerabile miseriùs malum fecit.

Lib. 7. cap. 19.

2. *Quoniam diximus obiter de anno Climacterico, vnum & addam. Climactericus à Plinio annus scansilis dicitur, ab aliis gradarius: Rara aiunt (ait Plinius) longiora esse tẽpora quia momentis horarum insignibus lunæ ac dierum septem atque nouem ingens turba nascatur, scansili annorum lege occidua quam climacterem vocant. Annus sexagesimus tertius periculosissimus, quoniam vtérque numerus septem & nouem, qui decretorij & malefici dicuntur, & ad succidendam vitam pollentes, in vnum quasi confluunt septies nouem, & nouies septem faciunt sexaginta tres: & gradarius scansilísque dicitur, quòd à septimo incipiens, vitam hominis quasi per gradus quosdam agat & dirigat. Vnde apud Hippoc. adumbratur ea vis & potentia dierum quadragenariorum: Ita Hippoc.* Mors etiam per fatum, μοῖραν Græcis, fortè designata, vt noscant omnes, quòd omnia existentia quæ naturam ex iisdem habent transmutationes per tempora venientia habeãt. Anno finiente, multi morbi, multæ sanitates, iuxta temporis rationem ad menses. Septenariis autem annorum cum multa alia insignia corporibus fiunt, tum dentes pueris excidunt & renascuntur.

Et alio libro, ex multis coniectare licet vitam hominis septem dierum esse. Id quod multis postea rationibus illustrauit.

Denique tota Hippocratis doctrina nil aliud sonat quam dies pares, impares, menses, annos, & vim Climacterici anni, vt paulò antè notauimus ex libro Coacarum animaduersionum.

CONSILIVM L.

De intestini vlcere & hæmorrhoïdibus. Pro Comite quodam Anglo.

Morbus qui non ita pridem illustrissimo Comiti molestus esse consueuit, & mali moris, & difficilis curatiouis nobis esse videtur. Ac mali moris, quoniam vlcus est quod altiùs egit, ac dysenterico modo depastum est, à margine intestini nō longè distās, & ab acri & salsuginoso humore succi melācho lici naturam æmulante, natum. Fouetur perennitate affluxus illius humoris qui exulcerando & exasperando ipsi parti quà transit, molestus esse solet. Testatur menstrua hæmorrhoïdon excretio, quæ & causâ mala est, & noua irrigatione nouam irritationem affert. Vel credibile est successisse suppuratæ hæmorrhoïdi. Huius rei fidem facit & fluxus, & dolor hæmorrhoïdon qui sæuo cum cruciatu illustriss. Dominum afflixit. Hic plenitudinem & cacochymiam autorem agnoscit, sed hanc potius. Difficilis curationis, non omnino desperatæ esse videtur, si dominus & vitæ legem seruarit, & consilio consulentium sanitati paruerit. At id facit diuturnitas mali quæ naturam partis fatigauit; eiusdem etiam pertinacia, & quòd eò processit, vt depascendi assiduitate iam & caro intestinorum abradatur, & tunica ipsa atteratur. Vt enim nascens malum facilè opprimi potuit, sic inueteratum magis inualescit ac roboratur. His artificialibus coniecturis, non certis omnino rationibus, rem licuit æstimare. Defuit enim Medici tanquam legitimi artificis narratio & descriptio, quæ certiorem de re fidem fecisset, & quasi digito demonstrasset. Omnino enim à narrantis ore dependendum fuit, & eius quem non ars rei gnarum & disceptatorem, sed assidua, duntaxat penes ægrum diligentia & obsequium narratorem reddiderit.

Hæc sunt instituta.

Corpus purgetur cassia sine saccharo, & cap. cum syrupo violato. Clysteres ex decocto nerualium herbarum cum capite ver-

uecino addita cassia. Aliàs anodyni ex decocto caricarum, seminis psyllij, plantag. cum vitellis ouorum. Abstineat vino. vtatur decocto radicis scynæ. Detrahatur sanguis singulis ferè mensibus. Lac asinæ in vsu esto. Hordeata & balnea. Et eo tempore intromittentur balani ex metallicis, exceptis mucore seminis psyllij cum pauco opio. Pyrotica vtrique brachio. Potiones vulnerariæ & diureticę. Iniectiones ex plantag. veronica, solatro, centaurio minore, consolida minore, hordeo & similibus quæ leuiter detergent & retundent succi melancholici malignitatem.

Illinantur turundæ lenes & molles ex linimento conflato & vnguento diapompholig. acto in mortario cum ol. nenuph. & violato addendo spodij, Karabes, vtriúsque corallij subtiliter puluerisati, & supra marmor ducti sufficientem quantitatem.

Addetur huic vnguento aliquid philonij romani prout necessitas requiret. Die 15. Iunij anno 1583.

CONSILIVM LI.

De Sanguinis sputo.

GODONIVS ad tabem propendebat, cruentum expectorabat, vt pessimo loco res eius constitutæ viderentur [1]. Quando autem salus promitti non poterat, dulcedo tamen aliqua vitæ calamitosæ nonnulla poterat. In eum finem hæc quæ sequuntur instituta sunt: Dandum dilutum rhu. cum decocto scabio. vng. caball. passul. & glycy. dissoluto syrupo de vngul. caball. & violato; In vsu sit conserua rosarum & de vngul. caball.

Operiatur thorax hapso imbuto ol. viol. & de Keiri.

℞. *Pulu. pulmo. vulp. præparati.* ℈ *iiij. diatrag. frig. & facch. penidiati an.* ℥ *iij. saccha. ros.* ℥. *iij. vtatur sæpe.*

Paretur syrupus ex succo vngul. caballinæ, bipin. buglos. plantag. portul. madeat in eo nodulus gummi tragacanthi cum ʒ ſ. seminis papau. albi. & cum infusione rosarum siccarum in aq. rosarum. Hora somni vtatur cremore hordei loco. cœnæ, cum semine papaueris albi.

Applicabuntur pyrotica vtrique brachio.

Balneum ex vsu foret, sed metu ruptionis subitæ vomicarum, in aliud tempus differendum.

ANNOTATIO.

1. *Pauca quædam annotare nobis consilium est. Ea enim de catarrho materia & fructuosa est, & cum alioqui vulgaris sit, oppido pauci in ea versati sunt. Mirabar quid esset cur fluxionibus opportuni, ita morbis incertas periodos habentibus impediantur. Vnde febres quintanæ & septimanæ, quarum Hippocrates meminit, tabescentium ferè sunt. Est enim materia longè à vasis semota quæ id febrium genus concitat. Si enim ea vasa occuparet quæ aliarum febrium materia, non his interuallis febres istæ reduces forent.*

Hippoc. part. 7. & 9. sect. 2. lib. 1. Epid.

Tria verò sunt quæ animaduertenda duximus. Primum est, quod Galenus annotauit in Epid. de filia Euryanactidis quæ fluxionibus acrio-

ribus in febre fuit opportuna. Huic destillationes acres, tenues, multæ, paruæ, tußis, & nil coctum excreuit. Febris videbatur remittere, & tamen vera & salutaris remißio non erat. Die decimo nono interiit. Galenus vnum notandum scripsit, & quod ad alios talibus fluxionibus obnoxios potest trans ferri: Nil est, *inquit*, cur in hac ægra de diebus decretoriis quæramus. Illi enim nullum ordinem habuerunt, quando quidem destillatio à capite mortem attulerit, & tabes innata. *Hippocrates enim in fine historiæ adiecit*, ἦν δὲ συγγενικὸν φθινῶδες. *Et 4. in Epid. in vxore Meandri Cæci, in qua dierum criticorum obseruatio facta non est. Quid tum? à capite fluxio fuit, Cur propterea dies non obseruat. Nam & Hippocrates in vlceribus tibiarum obseruat dies criticos.*

Quæstio hæc moueri potest, An propterea dierum criticorum confusio quædam fuerit & ordinis perturbatio, ἀταξίαν *poßis dicere, quod destillatio à capite ferina & coctionis incapax mortem intentarit? Præclarum hoc, nec sicco pede prætereundum.*

Secundum quod nota dignum nobis videtur est illud quod Galenus scripsit, Destillationes à capite in pulmonem malignas crede si tenues & corrodentes fuerint, has enim nec in pulmone tandiu morari conuenit donec crassescant, vt alias fluxiones par est, quæ sunt quidem tenues, sed non corrodentes; nec æquum est statim eas excerni. Intus enim morantes nec facilè concoquuntur, & viscus ipsum lacerare deprehenduntur. Si excernantur autem, tusses violentas commouent, ob quas caput repletur, ipsúmque rursus materias in pulmonem depellit, metúsque est ne ob tussim vehementem vas aliquod rumpatur. Quę tussis ijs accidit qui humores tenues & aqueæ substãtiæ difficulter ex pulmone reiiciunt. Ascendunt enim isti humores à spiritu per tussim emisso sublati. Quod si tenues & aquei sint, disperguntur, & contra ipsius spiritus motum prius delabuntur, quàm totam asperam arteriam egrediantur. *Et hic locus est notandus, & multi eum verißimum magno suo detrimento experiuntur.*

Com. ad part. 18. sect. 3. lib. 6. Epid. Vide part. 12. sect. 1. lib. 1. Epid.


Tertium est de febre & macie quæ tenues flxuiones consequitur. Id Galenus abundè explicauit dum extenuationem corporis sequi ait ex calidis destillationibus. Et tunc Medici non reformidant phlebotomiam. Mirum autem sit cur cum destillatio ferina & calida à capite labitur, febrem primo quoque tempore promoueat. Est enim calor quidam fundens & liquefaciens qui cum aliàs in aliis partibus sit, maximè in capite est. Non quod fortè non sit ea acris & calida distillatio quæ febrem ac-

[illegible], sed est febris non ita apparens, & sepulta quæ id faciat, id est, quæ distillationem moueat. Sed hanc totam quæstionem de fluxionibus in lib. 2. Epid. meorum diremimus.

Quæstioni huic vltimæ annectendum est & illud præclarum Hippocratis præceptum. Cum enim à fluxionibus extenuatum est corpus, prima cura esse debet vt corpus pinguescat. Pinguedo enim illa & εὐσαρκία, *declarat fractam esse vim fluxionum istarum acrium & calorem contra naturam superatum. Præceptum quidem Hippo. est de iis quibus aspera arteria exulcerata est, & valdè tussierunt:* Hos, *inquit,* quam maximè reficere oportet vt quam crassissimi fiant. *Et tamen Hæmoptoïci fiunt. Cum alioqui magna Medicorum pars hæmoptoïcis inediam præscribat. Sed horum duo sunt genera. Nam si præ copia sanguinis hæmoptoïcus fiat, de cibo demendum est; si ob sanguinis acrimoniam & malam qualitatem, multi benigni alimenti vsu acrimonia sanguinis temperabitur.*

FINIS.







INDEX RERUM MEMORABILIUM ALPHABETICO ordine digestus.

A

FINIS.

GVILLIELMI
BALLONII
MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,
CONSILIORVM MEDICINALIVM, LIBER III. ET POSTREMVS.

ITEM,

PARADIGMATA ET HISTORIÆ morborum ob raritatem obseruatione dignissimæ, quarum lectio non minùs rei ipsius grauitate & admiratione, quàm vtilitatis vbertare est ad medendum & præsentiendum profutura.

Omnia studio & operâ M. IACOBI THEVART *D. Medici Parisiensis digesta, & multis hinc illinc obseruationibus, ad obscuriorum locorum intelligentiam, illustrata.*

Ραθυμίας ἀπέχεσθαι, καὶ τὰ νοῦ ἀσκεῖν
Η μὲν γὰρ ἄσκησις πάντων ἐστι κρηπίς.



PARISIIS,
Apud IACOBVM QVESNEL, viâ Iacobæâ, sub signo Cochleæ, & Columbarum.

M. DC. XXXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

GVILIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORVM MEDICINALIVM, LIBER III. ET POSTREMVS.

ITEM

PARADIGMATA ET HISTORIÆ morborum ob raritatem obseruatione dignissimæ, quarum lectio non minùs rei ipsius grauitate & admiratione, quàm vtilitatis vbertate est ad medendum & præsentiendum profutura.

Omnia studio & opera M. IACOBI THEVART D. Medici Parisiensis digesta, & multis hinc illinc obseruationibus, ad obscuriorum locorum intelligentiam, illustrata.

[illegible]

[illegible]



PARISIIS,

Apud IACOBVM QVESNEL, via Iacobæa, sub signo Cochleæ, & Columbarum.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Illustrissimo ac sapientissimo viro D. D.

FRANCISCO VAVTIER,

olim Reg. MARIÆ MEDICEÆ Archiatro, nunc REGI LVDOVICO XIV. à sanctioribus Consilijs,

ET

ARCHIATRORVM COMITI,

IACOBVS THEVART D. Medicus Parisiensis. S. P. D.

QVÆ *hactenùs è musæi nostri latebris in apertam lucem prodiere Clarissimi Ballonij opera* (Illustrissime Valteri) *ea tam gratiosè ac comiter ab omnibus philiatris excepta sunt, certò vt credam peccaturum me in Remp. iatricam si reliqua, quæ adhuc latent, eiusdem authoris monumenta diutiùs apud me retineam. Sed longè profectò grauius crimen ipse incurrerem, si paterer ea ad aliorum manus ante peruenire, quàm auxiliares ac salutiferas tuas essent exosculata, ab eisque missionem*

accepiſſent. Ecce igitur, (Archiatrωn comes digniſſime) *vtróque eo reatu vnâ me exoluo, ac medicinalium conſiliorum, paradigmatumque centurias aliquot ab ipſo Ballonio iam ſeniore conſcriptas, mihique pronepoti concreditas Illuſtri tuo nomini dico ac conſecro. Id à me nec inuito exigebat dignitas illa tua, quam ſummam ſperare medicus poteſt, & ad quam tua te virtus, tua longo rerum vſu firmata polymathia, nec non in rebus medicis* εὐτυχία *incredibilis euexerunt, atque id tam felici rerum ſucceſſu, vt boni omnes Galli palam profiteantur ac prædicent ſuum ſe tibi debere Regem chariſsimum, quem nempe malignis ac peſtilentibus variolis periculoſiſsimè laborantem non cardiacis tantùm præſidijs (vt medicaſtrorum* αἱμοφόβων *vulgus ſolet) ſed & ipſâ, quam in eiuſmodi affectibus tantopere auerſantur ac damnant, ſanguinis miſsione ter, pro ſymptomatum vrgentium neceſsitate, repetitâ, ſaluum & incolumem reſtituiſti, innumeris interim in hac vrbe populoſiſsimâ pueris hac epidemicâ lue è medio ſublatis. Quod ob facinus tam egregium quæ non tibi laudes,* Vir præſtantiſſime, *quæ non ſoteria debentur? Si qui ciuem Romanum in prælio ſeruauerat, querceâ coronâ dignus habitus eſt, Tu certè, qui Regem Chriſtianiſsimum ab hoſte tam infenſo liberaſti, auream, qualis eſt ab Athenienſibus Hippocrati conceſſa, meruiſti. Nec dubito quin, ſi vixiſſes priſcis illis temporibus, quibus inter heroas referebantur quicunque inſigni aliquo facinore Rempublicam conſeruaſſent adiuuiſ-*

ſentue, quin, inquam, ipſe heroum auxiſſes numerum, honoreſque propè diuinos accepiſſes. Tu (quod de Hippocrate Pætus ad Artaxerxem ſcribens aiebat) ſanitatis pater es, tu ſeruator, tu mitigator dolorum, tu diuinæ ſcientiæ princeps. Plura ne dicam tua vetat modeſtia. Iubet verò ratio & æquitas vt nullam vnquam prætermittam occaſionem celebrandæ tuæ erga me propenſionis ac beneuolentiæ, quam ipſe ſemper ab annis fermè viginti quatuor ſingularem expertus ſum, quamque ſi nullo hactenùs officio, nullo vel leui munuſculo, ob fundi proprij tenuitatem, compenſare potui, velim ſaltem operum auunculi mei nuncupationem hanc perpetuum eſſe apud omnes memoris mei, gratique erga te animi monumentum. Vale. Lutetiæ XIX. Kalendas Ianuarii M. DC. XLIX.



INDEX CONSILIORVM MEDICINALIVM, IN TERTIO ET VLTIMO LIBRO Ballonij contentorum.

Numerus prior Consilium, Posterior paginæ faciem designat.

quater

FINIS.

MARCO MYRONI
ARCHIATRO REGIO
GVL. DE BAILLOV εὖ.

Hæc Epistola ex libro Epistolarum Medicinalium Ballonij nondum edito excerpta, præfigi debet libro de Conuulsionibus, Anno 1640. edito.



CVM circiter idus Octobris impetratæ ab Rege essent literæ, quibus ego in numerum medicorum Regiorum cooptarer, libellum de Conuulsionibus conscribebam. Ita enim quod otij superest à publico munere, in honestum otium confero. Magnam me herclè ex his literis regiæ munificentiæ obsidibus voluptatem cœpi. Sic enim & facta est mihi adeundi tui potestas, & ad maiora Regio munere stimulus est additus, cum honos ad egregia inuitamentum esse soleat. Nullus enim adeo humanitatem exuit vt non stimulo gloriæ instigetur. Quod fecit vt multi per se cogniti viri sua industria alijs clariore loco natis præluxerint, eorumque luminibus obstruxerint. Quamquã is non sum qui rumusculos inanes aucuper, cum id pertineat potius ad hominem malè feriatum, suæ leuitatis testimonium vndique colligentem. Et si is es qui te multis præstes affabilem, tamen ab aditu nescio quid me reuocauit. Humanitatis spes alliciebat, sed quædam grauitas quæ præsidem sanitatis Regiæ decet, retardabat. Cum te semel sum allocutus, sensi istam grauitatem ita conditam ac temperatam, vt quantùm grauitas detraxerit tantum humanitas conueniendi tui desiderium iniecerit. Ac mihi persuadeo hunc libellum ingenii mei tamquam fœtum, gratum tibi fore, quando te ita facilem mihi præbueris. Eóque libentiùs obtuli, quod is tunc scriberetur, cum gratiosi quidam homines apud Regem, de Regiæ liberalitatis fonte hunc riuulum in me deriuarunt. Tuum suffragium quærebatur, ne donum hoc homini incognito conferretur. Nomen meum edidisti, & fidem meo nomine datam liberasti. Næ vir ingenuus es & prudens. Nam æstimatis commodis & incommodis aulicæ vitæ generis, quod non est ita tranquillum vt nostrum, me regio

munere, tanquam aura benigniore excitatum repressisti, ita tamen vt de spe non deijceres. Hæc ita temperasti, ne spe inani illectus, maiora mihi opinionis errore affingeres. Feliciter cœpta res est, sed vt perficiatur, te etiam rogo. De libro id dicam. Non offero aliquid oculis tuis dignum tamen qui meus in te sit animus, ex hoc munusculo colliges. Quæstionem tractamus quæ multos exercuit. Si lima non est adhibita nec seruatus ordo, in causa est nostra scribendi diligentia intercisa ac interrupta, vt sæpè media pagina reuocatus hæserim Hîc tamen tibi multa in memoriam reuocabuntur quæ tempore exciderunt. Sic in picturis quædam rudi carbone delineata refricant memoriam eorum quæ in tabulis tersè ac artificiosè depicta sunt. Sic legendis nostris iucunda erit, tibi grauioribus occupato, olim & lectorum & obseruatorum recordatio. Habeo multa opuscula quæ in nonum annum premo, quæ cùm maturuerint in lucem succo prægnantia iucundo efferentur. Faxit Deus vt diutissimè Rex suo Myrone vtatur Medico & Consiliario. Vale. Lutetiæ Parisiorum die 16. Octob. 1582.



APPROBATIO.

EGo subsignatus Doctor Medicus & Decanus saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis, testor Consilia hæc Medica, & paradigmata à Magistro GVILLIELMO DE BAILLOV Doctore Medico Parisiensi & Decano celeberrimo, eruditâ oratione & summo iudicio conscripta, atque à M. IACOBO THEVART, Collega doctissimo digesta, & obseruationibus aucta digna esse quæ typis mandentur. Datum Parisijs Calendis Octobris. Anno post Christum natum millesimo sexcentesimo, quadragesimo octauo.

PERREAV DECANVS.

AD CANDIDVM LECTOREM.

Nil opus Autoris laudare volumina nostri,
Hoc opus autorem laudat, hic autor opus.

I. THEVART, D. M. P.


GVIL-



GVILLIELMI BALLONII MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI CONSILIORVM MEDICINALIVM, *LIBER TERTIVS.*

CONSILIVM PRIMVM.

De Capitis dolore, & Vertigine.



NGLVS annos natus 46. dolore capitis periodico iampridem laborabat, aliàs hemicrania est, aliàs cephalalgia, & hæc frequentior: Ita morbus diù afflixit, vt inueterauerit ac confirmatus sit: quærit à nobis vt dolorem malúmque leniamus, quandoquidem radicitùs euellere potis non est, nec quisquam vllo remedio sublatum iri credit, nisi fortè ætas ipsa remedium fuerit. Biliosus enim valdè est, & æstuantia habet viscera, vnde euenire potest vt successu temporis bilis defferuescat, & non ita acris generetur. Ita enim Hipp. morbos σωλρόφυς in senecta desituros credidit. Id quod Gal. de affectionibus calidis intellexit.

Gal. com. in part 6. sect. 5. lib. 6. Epid.

Antequam autem capita perstringamus quibus nos opitulari posse tam pertinaci & rebelli dolori credidimus, nonnihil de capitis affectionibus paulò generalius præfabimur. Duo autem, aut tria perstringemus, quorum vnum ab instituto paulò erit alienius, sed tamen quasi ex euentu tractandum occurrit.

Partiũ principum affectiones etiam leues non sunt negligendæ.

Primum est, quanti sit momenti affectio capitis etiam leuis, si spectetur pars laborans non causa doloris efficiens.

Secundum, an facultatis animalis consideratio sit in morbis necessaria, & quatenùs.

Pro tertio, quoniam Galenus in morborum acutorum vigore tanti facit facultatem animalem, id quod tamen nonnullis parum probabile videtur; videndum quatenus id verum esse possit: nam mentionem sumus facturi de quadam Galeni authoritate ex qua constare potest grauitatem affectionum æstimandam esse, aliàs ex dignitate & principatu partis, aliàs ex magnitudine causarum morbum efficientium. Vt si quod symptoma ἐπιγινόμενον contingat per augmentum causæ morbificæ, illud augmentum consideremus aliàs ex humorum vi & magnitudine, aliàs ex natura & conditione partis laborantis, vt quod magna aliqua causa in parte minùs præcipua facit, in principe parte minor causa par & idem committat, & eiusdem momenti. Totum autem hoc eruetur ex commento quodam in 1. prognosticon.

Locus hic diligenter legendus quoniam & ad diagnosin, & ad prognosin maximè pertinebit.

1

2

Postquam locutus est de iis qui in febribus falsis obiectis moti festucas colligunt, muscas venantur, gesticulantes manus ad os & oculos ferunt, vnum valdè commemorabile adstruit. Nam hæc aut in phrenitide, aut ardente febre, aut peripneumonia, aut capitis dolore contingere ait, sed alia atque alia horum ratio est. In phrenitide enim hæc sunt mala & essentialia & pathognomonica, & ideo sunt perniciosa, quia pars princeps laborat; in aliis autem affectibus sunt ἐπιγινόμενα & magnitudinem causæ morbificæ sequuntur. Nam symptoma superueniens non oritur nisi aucto malo, vt singultus non ex quauis inflammatione hepatis sequitur, sed ex ea magna & graui; & ita de cæteris. Sic in peripneumonia, dolore capitis, ardente febre non hæc eueniunt, nisi cùm affectionis causa increuerit. Id quod Gal. his verbis explicauit, meritò igitur affectiones talia committentes, id est inducentes errorem mentis & partis imaginantis, vt inde gesticulatio manuum, muscarum venatio, & festucarum collectio consequatur, censentur difficiles, græcè χαλεπαὶ quippe quæ febris acutæ, aut

In phrenitide delirium malum vt essentiale & pathogn. in aliis morbis vt ἐπιγινόμενον.

peripneumoniæ, aut doloris capitis sequantur magnitudinem, addit codex græcus τῶν χυμῶν ἐργαζομένων, id est humorum committentium eas. à phrenitide quidem, quia pars princeps est affecta, cuius vniuersum genus exitiale habetur, à febre verò dolore capitis & peripneumonia, ob magnitudinem (inquam) humorum committentium eas affectiones.

3.

Sic in phrenitide habet rationem τοῦ ἐπιδεκτικοῦ, in dolore capitis, peripneumonia, febre acuta τοῦ ποιητικοῦ, id est in phrenitide, vt & in morbis partium principum dignitatem & principatum partis obseruat, in aliis morbis vim ac potentiam humorum: quamquam in phrenitide obseruatio humorum non est differenda, nec negligenda, sed in alijs morbis quid materiale cernitur, in partium principum morbis, quæ pars: nam exigua causa magnos quosdam affectus producit in parte principe, vt de vulneribus capitis statuit Hipp. cùm nullũ etiamnũ leue capitis vulnus negligi debere suadebat. Vnde illud est Hippocratis memorabile: *Parua causa medelis exoluitur nisi quid circa locum principalem affectum fuerit.* Nam vbi vitium est in parte præcipua, sæpè non est tam laborandum in euacuando, quàm tollendo partis vitio. Id & in morbis longis & acutis obseruari debet: de acutis hîc dicitur, de longis dicam: Tanti momenti est pars & vitium partis dominatum in corpore habẽtis, vt longitudo morbi sit ei accepta ferenda. Sunt enim morbi diuturni tribus modis, vitio partis, culpâ ægri, coctionis difficultate. Difficultas coctionis ob humoris copiã, naturæ imbecillitatem, & meatuum angustiam. Galenus de apoplexia loquens, quæ dies septem non præterit, ait, partes principes non diù ferunt fortes simul ac diuturnas passiones, immò à paruis causis impendiò magis læduntur, nedum à grauibus, vnde non mirum est si vbi delirat quis & nimium cerebro perturbato afficitur, terreatur vulgus, Medici non ita terrentur, præsertim cùm perturbationis mentis causas, alias ab aliis secernant: quanquam dicat quis quid attinet si quis benè aut malè in febre ratiocinetur? nihil enim ad curationem attinet quanquam in vniuersum ab Hipp. est pronuntiatum: « In quouis morbo mente constare bonum, & benè se habere ad ea quæ offeruntur. »

Lib. de præcept. sub finem.

Morbi longi vitio partis, culpa ægri, & coctionis difficultate.

Comm. ad aphor. 51. lib. 6.

Nunc itaque alias quæstiones explicemus, quid & quatenus conferet facultatum animalium obseruatio in morbis. Apud Galenum locus est qui multos hactenus torsit, neque enim putant omnino verum esse morbo consistente nec purgationi, nec venæ

4.

ſectioni intendendum eſſe, quia tunc maximè concoctio fit. Circa
« initium melius eſt minuere materiam, quò natura cætera faciliùs
« euincat. Cùm morbus conſiſtit, nil opus eſt euacuare, dum natu-
« ra iam concoquit, tum ob alia, tum quia vis animalis maxima ex
« parte laborat, & fatigata eſt, græcè κεκμηκυίας τῆς δυνάμεως, li-
« cet naturalis & vitalis fortis perſiſtat.

At quorſum mentio fit de facultate animali? quorſum ſenſus? ratiocinatio memoria, phantaſia? motus? nam licet æger maneat immobilis, nil propterea deterius illi contingit. Eſt enim facultas naturalis morborum coctrix & maturatrix: at ratiocinetur quis vel non, moueatur necne, nil attinet, at reſpiratio & ſenſus neceſſitatis ſunt alicuius: reſpiratio vero ad vitalem facultatem quodammodo refertur, vt autem animal ſubſiſtat neceſſaria ſunt hæc tria, vita, nutricatus, reſpiratio. Ad vitam ipſam reſpiratio referri debet, nec enim voluntaria omnino actio eſt, vt nec pulſus. Fit enim καθ' ὁρμὴν non omnino κατὰ προαίρεσιν. Cæterum Galenus parui facere videtur facultatem animalem. *Cùm valemus, ait, cerebro opus eſt ad actiones voluntarias non ita cum ægrotamus. Ad vitam cor & cerebrum par momentum habent, ſed non idem in morbis.*

Vt animal ſubſiſtat tria neceßaria, vita, nutritio, & reſpiratio.

7. Meth.

Benè valentibus cerebro opus ad actiones volunt. non ita cùm ægrotamus.

Quò pertinet locus præclarus in prorrhetico. *Cùm virtus ſine manifeſta euacuatione imbecilla fuerit, duorum horum alterum eſſe oportet, vel enim grauans copia oſtenditur, vel vnius principiorum intemperies ac naturalis & vitalis virtutis imbecillitas eſt deterrima, & citò hominem tollit: vna enim cum his animalis exoluitur, ſed ſi quæ facultas in cerebro reſidet, afficitur, non protinus cor afficitur.* Quo ex loco demonſtratio & illuſtratio eorum quæ hîc dicuntur erui elicique poteſt.

Ad part. 5. lib. 2. prorrh.

Cæterum vt tandem luce quadam allata aliquid concludatur, his nos cancellis orationem noſtram coërcemus. In corpore noſtro eſt συντονία, & τόνος quidam vt animal ſubſiſtat nec ſua mole obrutum ruat, aut diſſolutum cadat ac prolabatur. Eſt enim harmonia quædam & contentio omnium virium, vt chordarum in lyra: hæc ſi diſſoluitur malè ſe res habet. In vigore morborum facultas naturalis coctioni dat operam, vitalis afficitur & laborat, & exſuſcitat, opitulaturque naturali laboranti: reſtat animalis, huic ſi vis aliqua inferatur, aliquid deterius continget: nam duabus prioribus laborantibus, ſaltem animalis aliqua ex parte integra incolumiſque maneat, licet autem quod pertinet ad ratiocinationem

Germana explicatio, locorum Gal.

& motum progressiuum, nõ ita necessaria sit animalis facultas, ad respirationem & sensum facit, & ad conseruationem istius συντονίας valet. Ideo Hipp. *In morbo mente constare bonum, ait*, licet nil sit necesse ratiocinari febricitãtem. Bonum autẽ signum est & causa, quia cùm respiratio ab ea facultate pendeat, cùm libera est illa respiratio voluntatis, & instrumentorum integritatem significet cum mediocritate vsus coniunctam, vt causa autem valet, quia vsui & necessitati satisfaciat: quanquam autem diximus respirationem cum vita coincidere, & ad nullam particularem actionem referri; sed ad vitam solam.

Hipp. in Aph. Mente constare in omni morbo bonũ.

Mentio quoque facta est de sensu. Hic in morbis est pernecessarius, nec enim sine irritatione quadam crisis fieri potest, si autem facultas sensifica laboret, natura non sentit punctiones & calcar ipsorum humorum, vnde frustrata crisi sæpè succumbit & opprimitur.

Facultatis sensificæ læsio efficit vt natura frustrata crisi sæpè succumbat.

Sunt qui ita conciliant locos istos contrarios, fatentur quidem verum illud esse Gal. in methodo medendi, ventriculi & iecoris, denique facultatis naturalis ita opus & munus esse necessarium vt, sine iis salutaris coctio esse nequeat sed in morbis thoracis vt in pleuritide, peripneumonia, & cęteris id genus, maiorem quandam esse necessitatem facultatis animalis quàm naturalis, hîc tamen distinctione opus est. Nam etiamnum in istis morbis est quædam prærogatiua & efficientia facultatis naturalis, humor enim coqui & præparari exclusioni debet, quod ab energia facultatis naturalis pendet. At vt foras coctus humor & quasi putrefactus excludatur, viribus & laterum firmitate opus est, id autem est ipsius facultatis animalis: sed talis functio cum ipsa respiratione coincidit vt semper sese eodem quæstionis solutio referat ac reuoluat: hæc autem paulò subtiliùs explicata sunt quàm vt Medicum deceant, qui in artis operibus potiùs quàm subtilibus disputationibus exactioréque actionum examine suam industriam ostentare debet.

Lib ij. Meth.

Hæc autem de facultate animali obiter tractauimus, vt plus tamen temporis & operæ insumpserimus quam nec crederemus: eò autem lubentiùs fecimus, partim vt nostrum quoddam quantulum est fallentes & lenientes otium, nobis ex aliqua parte faceremus satis, partim vt labore leuaremus eos quos hactenus ea quæstio exercuit de necessitate facultatis animalis in morbis. Nunc ad nostri ægri dolorem capitis demulcendum veniamus. mauult enim sibi simpliciter prouideri ac consuli, quàm rebus ad exactius

examen diſputando reuocatis, interea noſtram manum auxiliarem poſtulare.

5.
Deliberationis & curationis Capita.

Tria concurrere videntur quibus doloris tam frequenter redeuntis cauſa aſſignari poteſt, plethora particularis ipſius cerebri, cui, aſſiduitate dolẽdi iuncta eſt iam, ἠδιάθεσις κεφαλαλγική: viſcerum intemperies, acerrimæ bilis & calidorum exhalationum parens: Tertium acuties ipſius ſenſus, potiſſima tantorum dolorum (quod attinet ad naturam ſuſcipientis partis) occaſio.

Doloris aſſiduitas caput infirmius reddit minima occaſione lædi facile, immò quia pars ægra & dolens ſuam quodammodo naturalem œconomiam peiorem habet & immutatam, proprium alimentum eſt oneri. Vnde Galenus ait, eos qui capitis dolore frequenti ſunt obnoxij, capite infirmiſſimo eſſe, & eas partes alioqui imbecillas repletio quaqua verſum diſtendens dolorem concitat.

Com. ad part. 5. lib. de nat. hum.

Lib. de ſacr. morb. Vide aliam Hipp. ea dere demonſtrationem cum agit de 40. num. 1.

Hipp. hanc ſenſus acutiem, à prima origine repetit, *dum etiam in vtero natura partes defœcat atque repurgat, vel ſupra modum, vel infra, vel intra modum.* quo autem purius cerebrum & defæcatum magis, eò hominem ſapientiorem reddit, ſed tantum bonum compenſatur quodam malo. dùm hac ratione mutationes aëris facilè perſentiſcit. vnde illud Hippo. *Cerebrum plurimam vim habet in homine, hoc enim eorum quæ ab aëre fiunt interpres eſt ſi ſanum exiſtat.*

6.
In pueris & quid contingat ſub finem lib. de ſept. partu. ἀμβλόνονται ἐν ταῖς μύξαις αἱ δυνάμεις ad part. 11. lib. 1. prorrh. Gal. cap 11. lib. de ther. ad Piſ. idem narrat de quodam, ſodali, qui etiã in lecto aëris mutationes perſentiebat.

Et cùm cerebrum in homine inter cætera animantia inſignem magnitudinem habeat multas & varias neruorum propagines non ſæpè totum dolet, ſed aliàs antica, aliàs poſtica parte; aliàs ſiniſtra, aliàs dextra; prout peſtifera vis morbi ſeſe huc aut illuc inclinauerit.

Cæterum ad dolendi facilitatem facit aſſidua agitatio actioque animi, quæ humores rapit ſurſum, inflammat. Quandoquidem aſſidua cogitatio occæcat & corpus infirmum reddit, Celſo, vnde magna pars vrbanorum, & ſtudioſorum imbecillo eſt ventriculo. *Ij quippe*, aìt, *valetudinarij viuunt qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione, & aſſidua vigilia minuere cõſueuerunt.* Sequitur enim illud quod eleganti verbo vocatur ab Hippocrate cerebri ἀνάλωσις, id eſt conſumptio, quæ iis maximè contingere poteſt qui pertinaciùs res & cogitant & tractant.

7.

Vt conſulatur vtrique plethoræ, & particulari & vniuerſali, licet ſæpiùs ſanguis detractus, tamen circà ver & autumnum

poteſt detrahi, niſi fortè à detractione deteriùs habeat, vt cùm purior & bilioſior ſanguis erit, ſanguis enim bilem frænare ab Auicenna creditur.

Sanguis frænum bilis. Auic.

Poteſt & obſtinato magis malo arteriotomia decerni, & cum redit dolor, eſt velut acceſſio febrilis maximè exiſtente febre particulari & veluti capitali.

8.

Aluus ſit mollior: quibus enim eſt eiuſmodi, ij nec pleuritide, nec magnis aliis morbis capiuntur, ait Hip. Concinnanda opiata laxans vel caſſia deglutiatur ſuperbibito foliculorum decocto.

A validioribus eſt temperandum, quia corpus impendiò magis incaleſceret & agitaretur: at humorum tranquillitas & quies eorumdem perturbationi & ſeditioni eſt præferenda.

9.

Si hæmorrhagia, aut ſeta porcina aut myrefolio, aut alia arte irritari poſſet, id porrò optabile foret. Hirudines quoque ponè aures applicabuntur & frequentes cucurbitulæ.

Ad ſenſus acutiem veteres non reformidant Sopientia & foris admota & aſſumpta: Et foris conſerua nenuph. & viol. cum ſemine lactucæ, lintea in lacte tepente macerata, & fronti ſub inde admota; immò cataplaſma vulgare, & ex mica panis.

De prudenti vſu Narcoticorum Gal. multa.comm. ad part. 5. ſect. 6. lib. 6. Epid. Et Ballon. lib. 1. conſil. conſ. 65.

Dolor capitis incipiens emplaſtro aſtringente mitigabitur. Id docet frontale puerorum capiti applicatum, quod ſtrictiùs additum, dolorem repellendo compeſcit. Eſt enim frons pars maximè excipiens, occiput mittens. Vſurpato ad tempus emplaſtro aſtringente, digerente vtendum ex floribus viridibus chamæmeli, hederæ terreſtris; veſica ſuilla lacte, vel aqua ſemiplena, vel pullus per medium ſectus admouebitur. Nares illinendæ oleo de ſemine cucurbitæ, immo aliquid narcoticum in aurem immittendum dolore ſæuiente: intus ſyrupus nenuph. hordeata cum ſeminibus ſtupefacientibus: Quæ temperant & pinguefaciunt ſanguinem & craſſiorem reddunt, iuuant. Decoctum pedum & crurum vituli, piſces, lactucæ. denique omni arte humectandum, quia humiditas ſenſum ipſorum ſpirituum obtundit.

Inedia inutilis immo malefica eſt, ventriculus enim repletur per ieiunia ichoribus, qui ſuffuſiones & dolores capitis magnos excitare ſolent. Iuuabit interdum frigidam ſæpè ore continere, immo omnia quæ aſſumpta ſunt in paſtu frigida aqua includere, ait Celſus.

Gal. ad finẽ cap. 9. lib. 6. de ſanitate tuenda.

Vitare piperata, condita, odorata. Zithum, id autem maximè ad ſanitatem facit non bibere vinum, niſi hauſto inſculo,

Vinum ieiunos bibere nouitio in-

uento inutilissimum. Plin. cap. 1. lib. 23.

aut cibis satis abunde præsumptis.

Haurire serum lactis æstate.

Frequens vsus conseruat. nen uph. cichor, violarum ros. addito papauere albo.

Vinum aqua hordei frangendum dum domi viuet.

Errhina vitentur nisi velit mane aquam tepentem nare attrahere.

Frictio capitis est vbi iuuat, est vbi obest. Student omnes caput siccare in biliosis, & iis quibus caput biliosius & æstuantius est, nocet: non ex parte ipsius cerebri, sed ex parte membranarum eius & pericranij, frequenti enim frictione caput & siccius & minus perspirans redditur.

Vitet odorata.

De lotione capitis, de balneo, de pedum lotione iudicium porrò adhibendum.

Lotio capitis ab antiquis vsurpata, à nostris intermissa, immo omissa, quia facilè peccatur in lotionis vsu, si modò prudenter administretur, plurimum auxilij est allatura.

Lexiuium sit potius ex his quæ laxant & temperant.

Galeni locus notandus. 4. acut.

Hipp. 3. acut. inter balnei dotes ait grauitatem capitis balnei vsu tolli & iuuari ad part. 58. lib. 3. acuto.

Frequens balneorum vsus aquæ egelidæ odore & fumo carentis (quanquam ita Galenus canonem prudentiæ adhibet) capitis solius caliditatē quouis alio modo habentis balneum iuuat: cum vero spiritus flatulentus ob humorum prauitatem ad caput fertur, hos lauare non conuenit, ac si dicat, si localis est affectus in cerebro, iuuat lotio. si à toto corpore, disconuenit Pipionum applicatio in partes diuisorum vrgente dolore confert. Vide an hæc Galen. de balneo opinio vera sit. Sed quia æger quodammodo podagrisat, vt ita loquar, & imbecillitatem habet pedum, cautiùs agendum. de istis malis ita videbitur.

Ligatio tibiarum astrictior omnino vitetur.

Spongiæ imbutæ decocto parato ex vino, addita rosa: sumach, nuce cupressi applicentur pedibus.

Item sacculi sicci. Emplastrum palmeum. tritico calefacto pedes imponuntur.

An vomitus conferat experiundum, nam caput replet.

Veneris sit vsus moderatior, & quem languor non excipiat, nam venus maximè capiti & generi neruoso officit, corpus infirmius reddit, & ad resistendum morbis impotentius: ideo Hipp. à coitu hominem imbecillimum reddi credidit quod ab homine exeat

exeat fortissimum. semen autem est, deinde in coitu homo quasi ex homine exilit, ait Plin.

Pilularum communium frequens vsus esto.

Syrupus paratus ex succis oxalid. pomorum limonum malorum aureorum, bugloss, borag.

Vltimus hic sit conseruandæ tuendæque sanitatis canon quem Celsus eleganter descripsit.

Cum omnibus sit inutilis post cibum aut contentio, aut animi cogitatio, tum iis præcipuè qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueuerunt, vel quoslibet oris affectus; vitari etiam grauedines distillationesque possunt, si quam minimè eum qui his est opportunus, aërem, loca, aquasque vitet, si caput in sole protegit ne incendatur neue subitum ex repentino nubilo frigus id moueat, si post concoctionem ieiunus caput radit. si post cibum neque legit neque scribit.

ANNOTATIONES.

1. *Maxima pars anglorum rufo est capillo, vel quod artificio mangonioque id fiat, quod in naturam tandem mutatum est, fluxionibus calidis & biliosis in articulos obnoxia est, hæc autem calidioris temperamenti sunt argumenta: quod ad actiones attinet sunt prompti, agiles, acuti, superbi, elatique animo, & tamen regio illorum est valdè frigida, credo id esse à diæta, nam multa carne vtuntur zytho fortiori, generosis vinis & piperatis, aut cinamomo conditis; hæc omnia bilem generant immo affectiones cholericas, vnde apud Hipp. De Biante pugile vorace, experiebatur affectiones cholericas bile sursum ac deorsum exeunte ex carnis esu, (ait Hipp.) maximè vtebatur porcinis, crudis, vinis odoratis, dulciariis, polenta, ita viuunt Angli. Vnum autem notãdum de Britannis, idest Anglis Apud Cæsarem in comm. Ii succo Erythrodani faciem & pilum infucabant, vt in bello essent horribiliores: hinc forte ruforum capillorum hæreditas ex instituto ad naturam conuersa est, vt de Macrocephalis notat Hipp. & Arist. prob. 2. lib. 38. quærit cur piscatores qui mare incolunt, & septentrionales plagas, rutilo sint capillo. De iis autem idem dici potest quod de Scythis dixit Hipp. quorum aër est frigidus valdè, Scythæ fului sunt ob frigus ingens, non vehemens sol ad eos accedit, à frigore vero albedo exuritur & fit fulua.*

7. Epid.

Cap. x. de aer. loc. & aquis.

2 *Inter eos qui ita delirant vt festucas colligant & muscas arceant abigantque, quidam aliter atque aliter affecti sunt: Nam quatenus falsò sibi persuadent festucas & muscas adesse, quæ non adsunt, eatenus imaginatio læsa est, quatenus verò conantur aut colligere aut nociuas muscas abigere, vt quæ nocere poßint eatenus ratiocinationis vis nonnulla relucet, benè enim in eo ratiocinatur quod omne nociuum expelli debet.*

3. *Vnde in omni febre est videndum ac prouidendum ne vis febrilis cerebrum occupet, cum enim pars sit magni momenti vbi semel affecta est non nisi cum ægrotantium dispendio est affecta.*

4. *Bonum est in quouis morbo ratiocinari, non quod proinde æger conualescat: sed ait Gal. in comm. illius aphorismi & bonum & malum intelligi debet quantum in ipso est hoc aliquid. Nam quod ad vitam aut mortem attinet oportet omnium signorum vires perpendere.*

5. *Locus est admirabilis lib. de carnibus Hippocratis, vbi agit de cerebro, aitque pinguedinis parum habere multum glutinosi & ideò non facilè exuri posse id ad morbos cerebri plurimum valet.*

6. *Contra locum istum de sacro morbo alius est contrarius plane lib. 1. de diæta vbi ait corpus maximè sanum esse & mutationibus non obnoxium, aëris & temporum, si habet suum temperamentum ex rarissima parte ignis & ex tenuißima parte aquæ. Eos sanißimos ad quadraginta annos viuere aiunt, & iis morbis tolli qui circà talem annũ quadragesimum prehenderunt quomodo ex tenuißima parte aquæ & tenuißima ignis cum sit facilis effluxus, ita sanum corpus licet æstimare.*

7. *Verum quidẽ illud Galen. cap. trigesimo sept. lib. ad Trasyb. quod cogitatio & vigilia magis quam somnus intellectum perspicacem reddat, vnde illud, Crassus venter mentis acutiem non facit sed omnia sunto mediocria, nam notandum illud Hipp. ad finem 2. de diæta. acut. pertinax vigilia cibos crudos & ἀπέπτους reddit, Crudos qui coquantur quidem cum tempore, ἀπέπτους verò qui vix naturæ gratiam recipiant, & inter cætera animaduerti debet quod sedula oculorum in rem aliquam attentio necnon ipsius animi vertiginosos homines reddit, vt ex Theophrasto, ferè sub finem libelli de vertigine apparet.*

Vide comm. Ballonij in lib. Theophrasti de vertigine.

Sed si cui est animus inquies, & qui opere pascebatur & delectabatur, is non statim ab opere summoueri debet, sed amica consolatione leuandus est & aliquid sufficiendum quod in otio negotium solitum nullo ægredispendio, suppleat, animum enim sedulum & actuosum

cessare mors est.

De labore mentis Arist. in posit. duo sunt genera laborum. vnum violentum alterum naturale; naturale, visus labor, auditus, vocis, curarum. De visu ita anima in id quod videtur intenta mouetur & calefacit, calefacta humido euacuato siccatur per auditum allabente sono anima concutitur ac laborat laborans calefit & siccatur.

Sequitur post de cura locus perbellus 2. de diæta, vnde illud Plinij, cogitatio assidua occæcat, abducto intus visu: hic locus erit pro vertiginibus.

8. *Ad hunc scopum locus est Galen. obseruandus cap. 9. lib. 6. sanitatis tuendæ, sunt, ait, capita quædam quæ ob arteriarum temperamentum, in vertigines & capitis dolores incidunt. Nota, illud arteriarum temperamentum, his ait, arterias aperire conuenit: illo loco agit de inæquali intemperie; inæqualis enim intemperiei magna vis est ad morbos generandos & curandos: bifariam autem interpretari possit quis intemperiem inæqualem, vel quòd sit calidi & frigidi quædam inæqualitas, vt quædam partes sint iustò calidiores, aliæ frigidiores, nam fateor cerebri parenchyma esse frigidum arterias plenas sanguine arterioso & feruentiore, vnde cùm temperamentum cerebri cum arteriarum & sanguinis, in iis & venis cõtenti temperamento benè congruit, tunc omnia ritè in cerebro administrantur, si aliter nequaquam vt cùm ventriculus frigidiusculus est & hepar calidius, omnia malè geruntur tunc enim cum partes principes & officiales contrario modo, & temperie se se habent, œconomia malè administratur, vel inæqualem intemperiem interpretantur cùm inducitur intemperies sed nondum introducta est, & quasi hectica priorem interpretationem de inæquali intemperie fouet Galen. loco citato lib. de sanitate tuenda. Alio loco Galenus ob spiritus humidi craßique in cerebro agitationem fieri & apoplexiam sæpè præcedere. Sic hypochondriaci fiunt vertiginosi, & vapore flatuque ab intestinis surgente, & peculiari in cerebro generatione talis spiritus, maligni, & ad id maximè facit inæqualis intemperies cerebri flatuum maximè & malorum symptomatum author, hanc in epid. bellè Gal. expreßit cùm ait, Calidis vaporibus sursum elatis repleri & inæqualiter affici cerebrum. Inæqualiter autem, ait, afficitur cerebrum cùm quædam partes secundùm naturam sunt aliæ non refrigeratæ ipsis secundùm naturam habentibus proximæ sunt, hinc molesta fit distributio frigiditatis, à malè habentibus, ad rectè valentes. Sed inter cætera omnia quæ Gal. scripsit ad essentiam vertiginis pertinentia locus ille pertinet, in pul-*

Inæqualis intemperies 2. modis fit.

Commen. ad apho. 17. lib. 3

ad p. 5. sec. 6. lib. 6. Epid.

mone iste spiritus cum materia dyspnœam facit, in ventre melancholiam hypochondriacam, flatuosam, in corde palpitationem in cerebro Echo, tinnitus, vertigines: Et quia cerebrum pars est magni momenti ideò ab eadem causa eximium illud symptoma existit. Nam in cerebro flatus circumaguntur & arterias venasque perturbant, in ventre tormina mouent, motum peristalticum impediunt, ventrem astringunt, choleram siccam excitant, in cerebro motum impediunt & spiritus animales perturbant motusque suos ratos, & statos retinere impediunt.

9 *Illud Hippocratis est 2. Epid. Excãdescentia valet ad bonos succos generandos & bonum habitum comparandum vt Gal. comm. in part. 11. sect. 3. lib. 6. Epid. notat quod illud dicitur de obœsis, pituitosis, segnibus & ignauis, non de biliosis, quibus quies & tranquillitas potius confert, aliis verò stupidis cogitatio valet, vnde illud* τὸ τῆς ψυχῆς περίπατος φρόντις ἀνθρώποις. *Et quia elegaus locus ille Hipp. 2. Epid. sect. 4. audienda sunt verba Hippocratis. planè aurea.* δεῖ ἐμπαεῖν ὀξυθυμίην χρώματος ἀναλήψιος ἕνεκα καὶ ἐγχυμόσεως. *lib. 6. Epid. sect. 5. dum Gal. citat Hipp. aliis verbis vtitur* ὀξοθυμίη χρήσιμος εἰς εὐχυμίαν καὶ τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνάκλησιν. *Id quod Hipp. lib. de ossium naturæ docet dicens, colorum mutationes fiunt corde laxante, vnde florentes & pellucidi, aut constringente, vnde subuirides aut praui alius coloris, cæterum aliud est* ἐγχύμωσις *aliud* ἐκχύμωσις *Gorr. in voce.* ἔγχυμα καὶ ἐγχύμωμα.

Et Plin. cap. 1. lib. 23. Et Aph. 28. lib. 6.

10 *Quomodo vinum lædat afferens conuulsiones, deliria vbi inanito corpore sumitur, aut non præsumpto cibo Gal. explicat com. ad aph. 21. lib. 2. & ad aph. 36. lib. 7. qui loci sunt commemorabiles, tamen idem Galenus comment. ad apho. quintum sectio 6. lib. 6. Epid. in doloribus capitis & hemicraniis præbet, quo modo merum autem vinum iuuerit somno conciliato Gal. eo loco explicat; id quod est notandum, quoniam id communi omnium opinioni repugnat, etsi ad affectus neruorum & cerebri remedia calfacientia & siccantia conferunt cur vinum calfaciens & siccans nou valet? An quia fundit vinum magis? an quia vt alimentum subit magis, & si quid nocere potest magis nocet? fundit enim & non discutit, quod autem vinum ieiuno non bibendum sit Plin. lib. 28. cap. 1. iam citato de medicis qui commendabant se nouitate placitorum & cibis præsumi præbibique voluerunt.*

11. *Nota cur dicat arteriæ dolores, at id est consentaneum Galeno qui capite nono lib. 6. de sanitate tuenda, ait quosdam ob peculiare arteriarum temperamentum obnoxios esse vertiginibus, & doloribus ca-*

pitis, quibus arteriotomia competere solet, quod notandum, nam illo loco agit de inæquali intemperie, de qua abundè agit & comm. ad part. 5. sect. 6. lib. 6. Epid. 1.

CONSILIVM II.

Pro septenni puero molesta Raucedine laborante.

IN morbis nec præcipitanter timidos, nec temerè securos esse oportet, hinc enim & illinc non nisi, aut præ timore morborum derelictio, aut præ confidentiæ securitate temeraria remediorum vsurpatio, & prognosis parum tuta. Ideo rem attollere malum, peiùs vero extenuare, si quid est quod sit alicuius momenti Rem attollere, vel quo plus profecisse videaris, vel quò ignaris & idiotis excellentior medicus existimeris non vacat, vel suspicione inanis gloriolæ, vel fortassis ignorantiæ aut auaritiæ. 1

Nunc de raucedine est, vbi raucedo floccipendi debet, & non attolli, est vbi magni fieri debet, vnde Galeno quæ distillationes hominibus primò tussim concitant, deinde raucedinem neque consistunt, alteram tabis differentiam afferunt. sed alio loco facit plurimi ipsum vocis vitium cum multas ob causas tabes consequatur tum maximè ob distillationem fit, eam præcipue quam vitium vocis consequi solet. Adeo magni momenti est vocem vitiari.

Gal in 1. Epid. circa initium. Est autem comm. ad par. 17. sect. 1. lib 1. Epid. ad part. 32. sect. 3 lib. 3. epid.

Raucedo symptoma est laborantium faucium, vel ob pulmonis asperæque arteriæ humidiorem intemperiem, vel ob humorem superfluum à capite stillantem in fauces & vocis instrumenta plus æquo humectantem, vel non solum ob humorem à capite labentem sed ab aliis partibus vel inferioribus ad pulmonem missis vel attractis.

Ita enim Galenus tabem aduenire, ait, aut ob distillationes à capite aut ob vitium ipsius pulmonis, aut affecto pulmone non ob distillationem à capite, sed ob affluxum ab aliis partibus: vnde videre licet quam malè vulgus credat semper caput accusan- 2

ad part. 17. sect. 1. lib. 1. epid.

dum esse vt authorem distillationum & affluxus ad pulmonem; attamen.

Galenus hîc contrà putat sæpè affluere humores ad corpus pulmonis aliunde quàm à capite.

Ergo humectatio instrumentorum voci deuotorum raucedinem parit, sicca enim magis corpora magis sonora sunt, quanquam moderata temperies facit vt clara & sonora sit vox.

Si id verum, corpora ergo calida & sicca sonoram magis rem aut sonum ederent, de siccis verum non de calidis, nam vehementi calefactione exasperatur magis arteria.

3. Ideo formidabilis est raucedo præsertim perseuerans & maximè quæ ab infantibus accidit & incipit. Iam enim non amplius symptoma est, sed morbus.

Hæc autem raucedo fit vel peculiari vitio Epiglottidis quæ est primum vocis instrumentum, ex Auicenna, vel ipsius arteriæ, idque ab externa vel interna causa, vel ipsius pulmonis vitio item quibus gargareon seu ligula exesa est, iis vox vitiatur & tabidi fiunt, ait, Aphrodiseus.

Omino tamẽ siccitas laudabilior est in instrumentis vocis modo ne excedat vide paulo post.

Maxime autem vitiat vocem vehementior pulmonis calor, aut 4. humiditas aut refrigeratio, cum à calore est, maior & grauior est vox cum frigiditas acutior, siccitas exasperat & vocem gruum voci similem mouet. Nimia humiditas veram raucedinem facit quanquam in quibusdam raucescit vox ingratiorque est non ob simplicem illam humiditatem; nam aliquando humor elueretur, sed ob vitium vel natiuum ipsius arteriæ & bronchiorum, vel ob vitium adscititium: cæterum tremula fit vox cum nimium humectatur vox, rauca cum pauca est humiditas, aliquando dilatatio maior raucitatem facit, & tunc quædam est lassitudo & loquendi difficultas. At quidam ex veteribus notauit, 5. à calore multo ipsius pulmonis & arteriæ vocem vitiari, id quod sanguineis & iunioribus à sanguinis repletione contingit, cogitur enim animans ob attractionem frequentiorem aëris fuliginosi excrementi expulsionem quodammodo irraucescere.

In hoc puero tribus nitendum est coniecturis, vel enim raucescit quia thoracem & præcordia calidiora habet, Et cum sit natus vtroque parente calidioribus partibus donato, non mirum si pulmo calidior plurimum frigidi attrahit, & aërem foris, vnde raucedinis maior occasio. Immo æque facilè æstate irraucescit, ac hyeme præsertim, vesperi & in loco frigidiore, & idem pulmo

attrahit vndique ſanguinem & ſpiritum, vnde plethoricis ſymptomatis facilè grauatur, id quod neceſſitatem ſpirandi auget. Immo & puer hic nocte hiante ore dormit, & interdum illi ferè perpetuo os apertum eſt, quare? quia credo illi incumbit neceſſitas frequentioris inſpirationis & expirationis, vnde raucedinis occaſio. Id quod ſæpè febrientibus accidit ob frequentiorem aeris frigidi attractionem cuius cauſa eſt febris, maximè vero ſi focus in pulmone conſiſtit, & hæc prima coniectura noſtra eſt.

Ariſt prob. 22. lib. 11. calori nimio febrientes raucescere autumat.

Secunda eſt, quòd ſit μεγαλόφωνος præter ætatem.

Tertia, quòd natus ſit ille μητρόθεν ſtirpe tabida.

De eo quod diximus præter rationem ætatis eum μεγαλόφωνον eſſe id contemni non debet. nam μεγαλοφωνία καὶ βαρυφωνία caloris indicium eſt, calor autem cor auget, auget & pulmonem, accedit & ipſius arteriæ inæqualitas, nam id ipſi puero accidit quia eſt προθυμότερος vt verbo Hippocratico vtar, quod & iam grandioribus cum incipiunt hircire, Græcè τραγίζειν id eſt hircorum more vocem reddere aſperiorem : vocem enim grauiorem habet quam ætatulam deceat. Et in iſta præmaturæ vocis grauitate dilatatio inæqualis ipſius arteriæ contingit, id quod ad inducendũ raucedinem quandam facit. ſi itaque à calore grauior eſt vox & arteria vt tenerior, vim quandam patitur & inæqualior fit, vnde raucitatis occaſio, iſta autem raucitas minus formidabilis eſt. Eſt enim potius vt ſignum bonum, quandoquidem virilitatis & vis cuiuſdam maſculæ eſt argumentum, puer enim iſte quia πρόθυμος eſt, ideóque abundat calore & pluri alimento fouendus eſt corpulentiâ, virilitate, viuiditate, vt ſic dicam & quadam ἀγχινοίᾳ ætatem ſuperauit.

In pueris caloris & inæqualitatis arteriæ ſignũ μεγαλοφωνία.

Cæterum ipſa dilatatio ante ætatem nocere poteſt, ex ſententia enim veterum dilatatio iſta raucitatis vocis cauſis adnumeratur.

De dilatat. vocis legatur id quod Gal. ſcipſit lib. de voce.

Ex dilatatione enim iſta quædam laſſitudo accedit, & difficultas in loquendo. Id quod ab hoc puero alienum non eſt, nam dum loquitur niſu quodam & contentione quadam vtitur & vaſa iugularia, præſertim venæ dilatantur & intumeſcunt, id quod duarum cauſarum alteram agnoſcit vel iſtam arteriæ dilatationem vel pulmonis repletionem, & reuera ipſe puer narrat ſibi inter loquendum & reſpirandum aliquid acidum in arteriam deerrare, acidum autem maximè voci afficit, & ſi quid incidit in fauces acidiuſculum, non mirum ſi irrauceſcat : nunc ad cætera pergamus.

Vnde huius demonſtratio peti poteſt.

Tertia coniectura erat, quòd ille μητρόθεν stirpe pulmonica satus esset, nam à stirpe generis morbi in posteros deriuantur, & vt bonorum hæreditates ita morborum successiones ad posteritatem perueniunt. auus enim anno ætatis vigesimo octauo tabidus ex pulmone interiit; matrem pueri sustulit pulmo & thorax purulentus. Copia autem puris erat insignis, & omni superior fide. Antequam ita purulenta diem suum obiisset per annum vnum & dimidium antè querebatur de siccitate linguæ, siti, & calore incredibili Thoracis, omnia sicca erant, Nil expectorabat, ne tussiebat quidem. Cum postea per dies viginti continuos de dolore sinistri lateris questa fuisset, & nouies φλεβοτομηθεῖσα cum frequenti spiritu & inquietudine incredibili fato concessit.

Vt bonorum hæreditates, ita & morborum successiones ad posteros perueniunt.

Cum itaque puer tam parum sano vtroque parente à stirpe materna satus sit, præsertim vero pulmonis propria ac gentilitia affectione quæ cæteros ferè attingit, non mirum si quicquid partibus thoracicis acciderit quamuis τῇ φαντασίῃ exiguum negligi non debeat.

Morbi congeniti seu parentales Pl.n. metuendi.

Ego concursum, συνδρομήν, Græci vocant causarum in hoc puero animaduertimus, caloris dominatum in pulmone & corde (est enim biliosiore patre & matre genitus) vnde pulmo cogitur sæpiùs alas suas explicare, vt cordi refrigerium afferatur. Testatur μεγαλοφωνία καὶ βαρυφωνία. Hoc enim testimonio est, multum caloris adesse & cum in corde sint focus, & lares caloris innati, cor calidius, & maius magnum amplumque thoracem requirit. Animaduertimus etiam irrigationem faucium etiam ab acidiuscula pituita: humectatio autem arteriæ raucam vocem maximè facit, siccitas autem si paulò sit immoderatior vocis vitium affert: tamen humectationi siccatio præferenda, vt enim sonora corpora, claraque fiunt, quæ sicca, ita præ humiditate flaccescunt sonumque edunt obscurum; ideo natura vocalia organa, sicciora effecit maximè asperam arteriam atque Epiglottida, quo clarior vox efficeretur, sed siccitas modum excedens vocem quoque vitiabit.

Gal. ad part. 24. sect. 4. lib. 6. Epid.

His ita positis antequam ad remedia accedamus quorumdam animaduersio est ob oculos ponenda.

Primum quod distillationibus obnoxij sunt & pulmonum morbis immo & tabi & præsertim quæ à pulmone est illi qui calidiore sunt temperamen o, qui sanguinem calidiorem feruidioremque siue natura siue vitæ instituto habent. Et tamen quia tale

Qui calidiore temper. & pulmone ij tabi & destillationibus obnoxij.

hominum

hominum, genus os pituita saliuáque plenum habet, putat se frigidius & caput & cerebrum, & pulmones habere, contra fit, vt experientiâ deprehenditur.

Est enim quidam qualitate acri præditus calor, qui liquat, fundit & διάχυσιν καὶ ἔκτηξιν facit, & in hoc multi falsa opinione catarrhi labuntur & decipiuntur. Plura in eam rem doceremus nisi id totum ampliùs fusiúsque edisseruissemus in nostris commentariis.

Ballonius de his in 1. & 2. l. Epid. & consil. lib 1. & in opusc. de Gibbis & asthmate.

Secundum est, Galenus audacter iis sanguinem mitti iubet, quibus pars aliqua malè conformata, maximè verò ait, si Thorax: à maiori valet argumentum, ergò multò magis iis detrahendus, quibus corpus pulmonis calidius est, amplius, plenius, vitium enim thoracis aliquando est ab infirmiore natura, vt alatis contingit.

Liberaliter sanguis detrah in Thoracis mala conformatione. Gal. de sang. miss. adu. Eras.

De ea re est etiam tractatio nostra copiosa in eo tractatu, quem de gibbositate scripsimus.

At εὐεξία καὶ τὸ πρόθυμον. in hoc puero in laudabilibus duci debent, id enim bonum, & vt signum, & vt causa: vt signum, quoniam declarat legitimas esse naturæ ipsius functiones in hoc corpusculo nutriendo: vt causa, quoniam declarat calori etiam paulò maiori pabulum non deesse.

Et hîc sese contrariæ indicationes offerunt, si, vt facilior sit respiratio, & pulmo non ita augescat, vel ob pleniorem ventriculum ipsum diaphragma opprimentem, non stranguletur vrgeatúrque, ipsius pueri genius defraudetur, dum de demenso cibóque detrahetur, prohibebitur corpus incremento, pueri enim non facilè ieiunium ferunt, ij maximè, qui inter eos sunt vegetiores, seu προθυμότεροι. Et etiam si plenius alatur plus sanguinis generabitur, & occasio erit maior ipsi pulmoni sui implendi, & oppressionis occasio maior erit, tum ex multitudine sanguinis, tum ex ventriculi tumore, ventriculus enim ingesto alimento, vt pars membranea facilè dilatatur, & assiduitate capiendi multi alimenti dilatatur magis; vnde siue plenus, siue vacuus, vt amplificari solitus, ipsi diaphragmati liberæ respirationis instrumento oneri est, diaphragma pressum thoracem angustum reddit parte interiore, hinc pulmo angustia thoracis corde æstuante, maius refrigerium requirit & attrahit sanguinem, cùm non sufficiat inspiratio expirationi, immo & cor dilatatur, id quod in multis obseruatum est. Cor enim calidius effectum, aut op-

Hipp. 13. Aph. lib. 1.

pressum multi aëris indigens, vehementer mouetur, & infernè aërem nequiens attrahere, sanguinem validè attrahit, sanguis vi attractus, & copiosior quàm par sit imò quodāmodo cumulatus, & conculcatus opprimit & vasa distendit. hanc affectionem veteres medēdi magistri barbaro, sed apposito nomine sanguisugum vocauerunt; partes enim hirudinum modo alliciunt & attrahunt. Deinde cor vehementius & celeriùs mouetur maioris refrigerij ergò: & penè animans suffocari videtur & veluti, καρδιωγμοὶ adsunt attracto multo sanguine, & corde perspiratum non habente, quæ causa, ni fallor, impulit quosdam veteres vt velocem & crebrum cordis motum palpitationi similem καρδιωγμοῦ nomine donauerint, idque ex consecutione quadam, quia homines viderent in isto crebro, & veloci motu, & palpitatorio καρδιώσσειν, maximo enim incendio vis vitalis laborat,, ait Gal. Ergo quod ad Therapiam spectat; Bona victus seruanda lex est, in cibo, potu, aëre, quiete & corporis exercitatione.

Comm. ad aph. 63. lib. 4.

Exerceat vocem ieiunus, nam qui pleni loquuntur multum rauci fiunt, ait Aristoteles: sed maximè maior vitanda repletio, diæta potius refrigerans esse debet quàm calefaciens, veteres in affectibus thoracis nimij fuerunt in calefaciendo. Moderata potiùs in vsu sunto.

Melicratum in vsu esto aliquando, emollit pulmonem, videatur autem ne quid errati in calidiusculo hoc puero contingat, partes enim vsu rerum mellitarum & saccharatarum intumescunt, vnde apud Hippocratem οἶνος γλυκὺς μεγαλόσπλαγχνός ἐστι, melicratum promouet expectoratum, quanquam glutinosius aliquando sputum reddit, non ex se, sed ex euentu, id quod ex Hippocrate & Galeno notandum est.

3. de diæt. acut. vinum dulce μεγαλόσπλαγχνον. 3. de diet. acut.

Lenientia & temperantia valent. Tabellæ bechicæ, glycyrrhizæ succus cum melle Narbonensi, aut melicrato, Amygdala, ficus, passulæ.

Cassia in linctu frequens, addita conserua violarum, aliàs in iusculo dissoluta: cassia condita nuper allata.

Intingere glycyrrhizam in ptissana, & lingere.

Sectio venæ cùm sit argumentum calidioris pulmonis & repletionis.

7.

De balneo videatur num conferat, quanquam est vbi balneum conferre potest, est vbi non potest, Galenus & Hipp. in affectionibus pulmonum balneum laudant. At dicet quis, si inflamma-

Fernel. lib. 2. meth. ad fin.

tio in pulmone est, oberit: si copia humorum liquando & funden-do suffocationis periculũ afferet. Reuera Hipp. vult cocto morbo balneum conferre, peripneumonicis, & pleuriticis (addit enim Galenus pleuriticos) balneum magis confert quàm febri ardenti. Deinde verò etiam confert iis quibus nares siccæ, id est, quæ nihil reddunt, cerebro nimium resiccato : confert & iis quibus æstuant præcordia, id quod Galenus expresẟè docuit.

Ad part. 58. lib. 3 acut.

Actiones & motus sint moderati, vt ne agitato corpore nimium pulmones incalescant.

Est & commodum vt aliquis eius voci præsit vt nimio clamore arteriæ & pulmoni non vis aliqua inferatur.

8.

Lingere mel erit optimum, caules rubri valent, item syrupus de glycyrrhiza, cum capillis veneris, hyssopo, melle, saccharo, & sapa, in parua quantitate.

Amygdalatum conferet, lac asinæ, & alia arteriaca moderata, formulæ & hypoglottides exceptæ gummi tragacanthæ.

ANNOTATIONES.

1. *De voce & eius differentiis multi multa. Cicero has differentias ponit, canorum, fuscum, acutum, graue, flexibile, durum, & hæc in voce. Clodius Nero fuscam vocem habebat, cuius corrigendæ ergo Musicam amauit, Suetonius Terpno musico canenti Nero post cœnam in multam noctem assidebat, paulatim ipse meditari & exerceri cœpit, nil eorum omisit quæ musici vel conseruandæ vocis causa, vel augendæ factitarent, sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinebat, clystere vomitúque purgabatur, abstinebat pomis & cæteris officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis & fuscæ) prodire in scenam concupiuit subinde inter familiares græcum iactans prouerbium. Occultæ musicæ nullum esse respectum: Æneas Syluius qui postea Papa fuit, in magno hominum conuentu de voce & Musica cum aliis contendere solitus erat, & quum id quidam obiicerent vt aliquid audax nimis & temerarium, respondit, solus homo leuissimus est cantor.*

Sed obseruatione est quoque dignum Elephanticos vitiosam habere vocem. Idem de hypochondriacis dicẽdum; in quibusdam non caput, non pulmo accusandus, sed lustranda sunt hypochondria & he-

par ipsum maximè.

2. *Elephantici vocis vitium habent, quidam etiam à natura, & reuerà aut occulta est causa istius vitij vocalis, aut si percipitur ægrè id fit.*

Ex voce præsertim, mala ducimur ad cognitionem eorum quæ intus latent Hippo. lib. de arte. Ex voce & vrinis ait, nos doceri, per interpretationes peregrinas, ἀλλοτρίας ἑρμενείας,

4. *Si humiditas nimia raucos facit, siccandum, contra fit. Huc pertinet locus Aristotelis paulò ante citatus, quod vehementiore calefactione maximè exasperatur aspera arteria, prob. 12. lib. xi. problematum.*

5. *Dicunt Aggrippam annotasse solos Gallos musicos. Hispani ob siccitatem pulmonis vocem submissiorem habent: vasa enim & thorax non dilatantur, at Germani vocem grauem quasi boantem & fuscam habent, quia amplus thorax, calor multus, & excrementum fuliginosum multum, quod fuscam & minùs canoram vocem facit.*

6. *Hipp. inter eos quibus purgationem interdicit, raucos memorat, quasi raucedo catharsi non egeat. Ita Galenus ad part. 115 lib. 4. acut. raucos non purgari vult Hipp. horum enim frigiditatem & humiditatem sanare consuluit capite & reliquis membris quæ affecta sunt, exsiccatis topicorum vsu.*

7. *De balneo vnum est notandum, quòd antè cibum alias dotes habeat quàm post cibum. Nam ante cibum extenuat corpus, macrúmque reddit: post cibum pinguefacit. Ideo Galenus docens qua ratione quibus præcisum est membrum dysenteria cruenta non laborent, suadet vt de cibo detrahant, balneo vtantur ante cibum, non post cibum comm. ad part. 40 sect. 4. de art. deinde vero balneum ijs aduersum est qui graui morbo tenentur & quibus nobilioris visceris imbecillitas inest & quibus præcordiorum durus ac renitens tumor.*

8. *Sequendum illud quod est apud Sueton. in Nerone, tantum abfuit à remittendo laxandóque studio, vt vocis conseruandæ gratia, milites non nisi alio pronuntiante appellaret. Nil seriò iocóue egerit nisi adstante phonasco & monente vt parceret arteriis & sudarium ad os applicaret, & de Augusto pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono, dabatque assiduam phonasco operam. Is vocem intorquere, remittere, lenire, exasperare docebat.*



DE FEBRE NOCTVRNA.

CONSILIVM III.

In quo quæritur cur Empyici nocturnas potiùs quàm diurnas habeant exacerbationes.



XOR præsidis Carmelij annos nata viginti nouem, nata patre pulmonico qui tabidus interiit, eo ferè anno extincta est, quo & pater, adeo magna est vis morborum congenitorum. Id quod Hippocrates passim, & Aphrodisæus, qui morbos hæreditarios statuit, docens caluitium iis non contingere qui humore abundant, qui capillo sunt promisso & simplici, nisi fortè vitio stirpis, caluities contingat, vt contra humorum conditionem & vim, vis congenita sese ostentet & proferat. Fuit tempus cum suppressi fuissent menses ob causam manifestam (nam ægrè mariti morbum ferebat) cœperunt fluere. Bellè satis habebat. Tandem questa est de linguæ rubore, & siccitate iuncta siti insigni. Pulmonum ardor erat & ἐρυσιπελατῶδες aliquid. concepit. peperit. A partu substiterunt lochia. febris. Dolores lateris sinistri. Circa vesperum febris recrudescebat, iactabunda, ægrè spirans, frequens spiritus. Animam actura videbatur. Febris mane (vt in morbis ferè omnibus accidit, fauente quodammodo Aurora) remittebatur. Inæqualitas erat caloris & frigoris. Iste status dies penè triginta perstitit. Nullo iuuabatur remedio, licet decies aperta vena fuerit. Tandem mors. Aperto cadauere omnia sana occurrerunt præter pulmonem. Pars sinistra pulmonis ferè magna sui parte tabuerat & tabo infecta erat, sanâ reliquâ substantiâ. Purulenta materia continebatur illa thoracis parte æquans sua quantitate tantum, quantum duæ pintæ Parisienses

Imo ex Hipp. morbi congeniti & parẽtales vix curantur.

Prob. 1. lib. 1.

complecti & comprehendere possent. Tamen fœtor non erat. Non erat grauis spiritus. Non multum tussiebat, & nihil istius materiæ sputo excernebatur.

Ad finem 2. acutorum.

Facies eius ferè index erat affectionis pulmonicæ. Nam tota penè facies sæpè erat velut subalbida, & iis quos Hipp. ἐψημένους vocat, latinè excoctos dices, non dissimilis. Galli vocant, *il a vn visage de conin parboullu.* Et hæc facies aliquando turgidula est & familiaris iis qui sunt aut suppurati, aut quibus pituita putri scatent pulmones. Sed & genarum aliàs erat rubor fugax: & sæpissimè ignes sacri in faciem inuolabant. Ex doctrina autem Hippocr. & maculas, & πόμφους, & ignes sacros iis oriri quibus pulmonum corpus intemperie laborat, didicimus. Id quod notandum erat.

Hæc capita fuerunt deliberationis antequam in grauissimum morbum incidisset. Laborandum fuit in corrigenda intemperie connata & genitiua. In febre tollenda nocturna (hæc autem febris iam illam affligebat sex aut quinque mensibus antequam inciderit in morbum in quo ipsa periit) in fœtu confirmando (grauida enim erat) cum suppar studium esse debeat conseruandæ & fœtæ & fœtus.

Et cum olim igni syluatico (qui herpes dicitur) partes faciei occupante laborarit, nunc velut febre non putri & erysipelatode laborat. Vt enim tumores contra naturam differunt, ita & febres: quarum quædam sunt sanguineæ, vt synochi imputres, aliæ biliosæ, in quibus potius alterationi, quàm vacuationi locus esse debet.

Nec mirum si tantopere laboret, tenetur enim dominatu caloris acris, mordacis, caliginosi. Eos autem qui eo sunt temperamento, pinguescere sanitatis terminus est; Biliosa est, itaque nocentissima inedia, Phlogosis est in pulmone. Non tamen ita oportet accuratos in Phlogosi pulmonum, vt in hepatis Phlogosi. Hepar enim officina est sanguinis. Et quod dedit negotium, fuit cognitio & ratio exacerbationum nocturnarum.

Et cum hæc mulier (vt ante diximus) faciem aliter atque aliter haberet affectam, mox genis colore rubro & calore suffusis facie reliqua colore albicante qualem quoque descripsimus: Omissum est aliud quoque symptoma de quo grauiter querebatur. Hoc autem fuit ἀμβλυωπία seu hebetudo visus. Ideóque illa sibi sanguinem detrahi ægrè ferebat. Hac enim ratione fore pu-

tauit visum imbecilliorē. Et tamen si cui vnquā mulieri salutaris fuit Phlebotomia, huic vni fuit. Hæc enim visus hebetudo nō ab obstructione, aut paupertate spirituum animaliū, aut ab imbecillitate, aut denique à vitio instrumenti fuit, sed à sanguine feruidiore & copiosiore qui in illa infernè ferebatur sursum. Id illi contigerat quod & iis quibus è nare hæmorrhagia futura est. Obscuriùs enim vident donec largo sanguinis fluxu venæ depleantur. Atque huius rei causa solis medicis, quibus ipsa ratio suffragatur, cognita esse solet. Pulmonica erat à pulmonum feruore, huic menses non satis legitimè responderunt. Lacrymari erat facilis, quòd ὀξύθυμος, & imo pectore angens sese animi, iram coquebat, & præ pudore foras exerere non audebat, huic lacrymæ pro omni refugio & solatio. Interea ad caput & pulmones calidiusculos raptus humorum fiebat.

Ac quod oculorum seu visus hebetudo ab ea quam diximus causa, dependeat, vel authoritate summi Hippocratis innotescet. Ita Hipp. Quibus nec febricitantibus, nec decoloribus caput & vertex dolet, &c. his hæmorrhagia futura est. Quibus sanguis fluit, hi sani videntur. His autem vel splen eleuatur, vel caput dolet, vel quippiam ob oculos obuersatur, (Græcè μαρμαρυγῶδές τι) sic visus obtenebratio ista hæmorrhagia soluitur, ergo nec imbecillitatis, nec obstructionis index est.

2. Prorrh. " " "

Et idem Hipp. loquens de specie quadam morbi podagrici & ischiadici in iis quibus magna sunt viscera, & olim sanguis è naribus fluxit, ait, interroga num fluxerit copiosè olim sanguis è naribus, item num hebetudine visus (Græcè ἀμβλυωγμὸν vocat) laborauerit. Sic hæc hebetudo à sanguine & feruentiore & vberiore est. Vide & de nyctalopia apud eundem Hipp. quæ pueros, adolescentes & iuuenes tenet, & certis temporibus curatur per se. Huícque non sunt virgines & mulieres, si vtrisque menses proueniāt, obnoxiæ. Vnde hæc nyctalopia ? non aliunde quàm à sanguine & copioso & feruente. Notandum id, vt ne cunctanter, venam aperiamus in visus obscuritate, id quod vulgus falsò reformidat, persuasus ab imbecillitate esse id quidquid mali est.

Ibidem.

2. Prorrh.

Nyctalopiæ nomine auditur cum ægri noctē vident. Contra alij nomē hoc accipiūt.

Sed quæstio oriri potest cur, cum tanta copia materiæ purulentæ in thoracis capacitate contineretur, non multum tussiebat, & nihil materiæ istius πυωειδοῦς excreatione educebatur. Galenus tres omnino causas assignat propter quas pus in thorace conten-

Part. 6o. lib. 2. progn.

tum non excernitur, puris lentorem & crassitudinem, membranæ pulmonem ambientis densitatem, facultatis in ægrotante infirmitatem. Addendũ vnum puto. Pars pulmonis sinistri exesa & corrupta erat, quare istud pus tanta collectum copia non solicitabat facultatem ad excretionem sui. Facultas enim valida erat, membranæ densitas non impediebat (nulla enim ea in parte erat vt pote consumpta) pus non erat adeo spissum crassúmque. Dicam meas conjecturas. Pulmo non sentit, habet enim corpus ἀναίσθητον, si aliquis sensus inest, ob membranam inest, at hæc tabuerat, ideo non poterat esse sensus instrumentum. Ideo vellicatio & punctio non sentiebatur, nisi in membrana costis subtenta & succincta, vnde dolor percipiebatur acutus, sed pulmoni non erat reciprocus. Pars enim pulmonis effœta pus in latere sinistro contentum non exugebat, ideo non expectorabatur, nec tussis erat quæ irritamenti & calcaris instar esse posset.

1.

Alia conjectura, crassior pars istius puris, aut putris pituitæ, (de hoc autem paulo post ex Hippocrate) obducta erat parietibus & thoracis & pulmonis reliqui; & sic impediebat quominus materia collecta in capacitate thoracis pungeret & irritaret, vt inde tussis moueretur. Quomodo vidimus plerosque cum tussi (quæ est calcaris instar ad repurgandum corpus pulmonis, quantitatem aut puris, aut pituitæ πυωειδοῦς, quantitatem (inquam) omni maiorem fide excreuisse, & postea sani satis vixerunt, & cum tabuissent penè, bonum corporis habitum & εὐσαρκίαν recuperauerunt.

1. de morb.

Dicet quis cur toties dictum est puris, aut pituitæ putris & πυώδους? Quid illud est pus, aut pituita πυωειδής? An idem sunt, an longè distinguuntur? Dico ego pituitam putrem recoctam & præsertim admixto sero putri ac bilioso vt id quod excernitur virulentum quodammodo sit & subuiride) idem facere ferè quod & pus.

Sed hoc differunt, quod pus est malum vt signum & vt causa. Vt signum quoniam abscessum & inflammationem systrophicam processisse declarat, vnde consumptio partis pulmonis secuta est. Vt causa, quia nisi exeat febrem lentam fouet, rigores inæquales affert, & corrumpit partem & in qua manet, & contagio vicinam. Ista verò pituita putris & æqualitatem nacta & læuorem, mala est vt causa, quoniam afficit pulmonem ipsum

morâ

morà nisi exitum habeat. Quomodo videmus quosdam mungere viride & æruginosum & πυώδες ferè (vnde vulgus non ineptè dicit, *il mouche comme de la boüe de bosse*. Et in tussibus cum pituita excernitur & sputum album est semiputre, & ὅμοιον τοῖς πυώδεσιν, sic loquitur Hippo.lib.7. epid. circa medium. Os charite, ἀπὸ χρέμψιος ὁμοίη πυώδεσιν, cum cocta fuisset, & hæc materia initio bona erat, pituita enim & proprium erat capitis excrementum) sed per moram & putredinem quandam, & virorem acquisiuit dum cumulata, in parte non haberet suam εὔπνοιαν, contra erat quædam καλάπνιξις, vt loquitur Theophrastus, quæ putredinis & grauis odoris est causa.

Theoph. libro de sud.r.bus.

Ac præter moram istam & καλάπνιξιν, & difflationis carentiam obseruari debet quoque, esse quosdam quibus ob proprietatem quandam pituita omnis ferè quæ in eorũ corpore gignitur, habet aliquid κακόηθες, vnde quancumque in partem incurrit, sæuitiam suam manifestat. Dentes rodit & è suis alueolis radicibus erosis, disturbat Chæradicos tumores mouet. Denique mille tædia milleque mala concitat. Eadem pituita si in pulmones irruit, exulcerat, afficit, denique in putredinem eosdem pulmones resoluit. Excreta è pulmone eadem materia aliquid habet insuaue, & aspectu horrendum. Vulgus putat esse pus, saltem penè eosdem habet effectus, quos & pus ipsum.

Dentes ignibus indomiti cauantur tabe putris pituitæ. Plin.

In ista ægra tanta materia, quæ aperto cadauere inuenta est, pus non erat, meo iudicio, sed pituita πυωειδὴς, quæ speciem abscessus præseferebat. Si enim pus verum fuisset, vnde tanta copia, cum argumenta apostematis non præcessissent. Sed vno ferè anno antequam excessisset erat illi ingens sitis, lingua sicca, febris nocturna, calor acer & mordax, in appetentia, facies colore subalbido (vulgo *de couleur comme vne pomme cuittè*) nisi quod malæ fugaci quodam rubore suffunderentur, ni faciè crebro ignes sacri & volatiles. Quæ omnia malè affectorum pulmonum signa erant. Sic à longo tempore fouebat illud malum & collectionem malignæ pituitæ, quam si tussi irritante, excreuisset, ab eo periculo fuisset asserta. At tussis non erat: causas autem veri-similes paulò ante recitauimus.

Sub finem huius commentarij explicabitur ex Hippo. aliud esse τὸ πύον, aliud, τὸ πυῶδες.

Et ne cui mirum videatur hoc de ista putri pituita commentum, adducendus est Hippocrates tanquam pro nobis fide-iussurus. Fiunt suppurati nonnulli si pituita de capite delapsa ad latus " agglutinata fuerit & putruerit. Tunc enim latus vt plurimum in- "

li.1.de morb.

" flammatur,& patitur eadem quæ & ex pleuritide suppuratus. Id
" quod si aliàs alicui ægro accommodari potest, huic nostræ ægtæ aptandum est. Licet enim suppressa fuissent lochia, & dolor lateris secutus fuisset, non tamen credo per ἀναδρομὴν sanguinem id tanti mali peperisse. Sed data occasione & ob partum, & ob suppressum sanguinem, malum quod ante signa aliquot sui ediderat, nunc sæuit & sæuiendo seipso fit deterius. De his aliorum esto iudicium, nec enim mearum opinionum ita sum amans & assertor, vt non, si quis melius aliquid afferat, facilè acquiescam.

Vnum restat explicandum de exacerbatione nocturna in purulentis. Et quanquam de periodis morborum & humorum, disputare velle, opus est arduum & difficile. Tamen quoniam de exacerbatione nocturna mentio aliqua facta est, sicco pede id præterire est alienum. Audiatur Hippocrates: his signis purulentos dignoscas. Si febris non dimittit, interdiu mitior, noctu ve-

Part. 60. lib. 2. prog.

" hementior. Si copia sudoris elicitur, ac tussiendi cupiditas est, nec
" quicquam tamen dignum commentatione expuunt. Si oculi
" caui redduntur, maxillæ verò ruborem trahunt, & vngues manuum curuantur, digiti verò potissimum summi calescunt, atque in pedibus tumores consistunt, neque cibum appetunt, ac pustulę circà corpus erumpunt.

Galenus probabilem rationem afferre visus est, interpres verò

6

A-vega frigidior paulò videtur in eius rei reddēda ratione. Acci-
" dit omnibus hectica febre laborantibus vt noctu febris augea-
" tur; non quod ratione febris nox augeat febrem, sed per accidens
" quod quidem tale existit, per febres hecticas, partes enim solidæ
" ignitiores euadunt. Ob id sui similis in se manet eódemque habi-
" tu febris caliditatem obtinens, vt calx, debilem contingentibus.
" Si edunt bibúntque accidit idem quod & calci aqua perfusæ: quò
" fit vt contingentes exteriùs ægrum multò calidiorem sentiant.
" Sic ob alimentum id contingit, non ratione τῆς διαθέσεως. Nam
" cum alimento calor est febriculosior. Statim adhibito augetur
cibo qui vehementissimus percipitur tempore τῆς ἀναδόσεως.

Ἀναδόσεως tempus.

Hæc quidem verisimilia sunt quæ adducit Galenus, vt reddat rationem cur exhibito alimento calor hecticus augeatur: sed si serò non exhibetur alimentum an increscet noctu? hoc non dicit. Item non explicat, quòd pus habeat maximè suos paroxysmos nocturnos. Audiendum autem illud Hippocratis pronuntiatum in Epid. cum de multis locutus fuisset qui aut tetano, aut opistho-

tono correpti fuissent. Nam sanies quædam & ichor horum symptomatum terrificorum author erat. Tandem Hippocr. pronuntiat κατὰ τὸ ἐπιφώνημά τι (quanquam non video vnde id dependeat, nec enim periodus de suppurationibus & doloribus ad noctem repetentibus, iis quæ priùs dicta sunt, consentit & adhærescit.) Ita Hipp. ἤρχετο ἐν πᾶσι ἐμπυήμασι, καὶ τοῖσι περὶ ὀφθαλμῶν, μάλιστα ἐς νύκτα οἱ πόνοι. Id est, ac certè in suppurationibus & iis quæ ad oculum pertinent, dolores in noctem incidunt: ergo & febres. Sic Hipp. docet cur suppuratis febris noctu augeatur, quia dolores & labores in suppuratione noctu irritãtur. Sed tamẽ nondum ex Hippocrate constat cur proprium sit τῷ ἐμπυήματι, vt de nocte suam habeat ἐπισημασίαν. Sic Galenus mancè explicat causam paroxysmi febrilis, & tantum ad generales hecticas febres recurrit: nec tamen adhuc ratione ipsius affectionis noctu febrem irritari ait, sed ex euentu, nempè dati alimenti. Quid si æger hecticus aut empyicus sumat cibum tantùm circa meridiem? Av-ega ait tempore Hippo. solitos homines semel cibum capere, & id vesperi. Ita fiebat vt cum hectici forent circa tempus ἀναδόσεως τῆς τροφῆς; febris augeretur. Sed pace & Galeni & alterius interpretis Hispani dicã, hæ rationes sunt paulò frigidiores. Explicandum erat cur empyici quatenus tales, magis noctu febricitent. Quod commodè fecissent si operam dedissent in explicanda sententia Hippo. ex quinto Epid. adducta de nocturno paroxysmo τοῦ ἐμπυήματος.

Epid. 5.

Morbi oculorum habent suas exacerbationes ad noctem.

Locus est apud Hippocratem de distinctione febris nocturnæ & diurnæ, qui aliqua ratione contrarius videtur esse huic loco, qui est de nocturno paroxysmo in suppuratis, ita Hippocrates, febris nocturna non admodum lethalis, longa tamen est: diurna longior. Sunt quibus ῥέπει πρὸς τὸ φθινῶδες, ad tabem vergit. Ideò nocturna non admodum lethalis est, quòd coctionis sit capax, & quod interdiu excutitur quod nocte coctum fuerat, id quod in laudabili ducendum est. Dies enim & vigiliæ magis digerunt. Diurna longior dicitur, quia de nocte nil exudat, nec ex facili ægri somnum capiunt ob curationes. Nox enim in curationem impenditur. Ideo ex Hippocrate, Galenus colligit diurnæ conditionem esse deteriorem, quòd ad tabem ducat. Nam cum paroxysmus diurnus est, difflandæ materiei tempus in noctem incidit, at nocturnum tempus difflationi non est accommodatum, vt diurnum: ideo diurna est longior & ad tabem adducit, & ob cura-

Particul. 61 sect. 3. lib. 1. epid.

Gal. in com. *Difflatio in febrem incidens maximè est commendabilis, quòd paroxysmum aut leuet aut finiat.*

tionem. Nam nox quieti eſt propria & accommodata: at noctu & cibus datur, & medicamenta capiuntur, ſic tabeſcunt diuturnitate temporis; quia ſi cubent interdiu, ſomni defectu marcent, ſi non cubent, dum nec noctu nec diu dormiunt, veſpertilionis & non hominis vitam agunt, hæc Galenus. Miror ego cum ſuppuratorum febres ſint hecticæ, cum eorum conditio ſit peſſima, cur non diurnos potius habent paroxyſmos, quàm nocturnos, ſi quidem deterior eſt nocturna febre, ipſa febris diurna? Motus autem puris & purulentæ materiei in noctem potius incidit, ex ſententia Hippocratis. De his aliorum eſto iudicium.

Hæc Hipp. 2 epidemiorum docet & tota antiquitas idem cenſuit.

De motu quidem humorum inter omnes conſtat, quòd ſanguis manè, bilis circa meridiem, ſuccus melancholicus veſperi, & pituita noctu moueatur, vnde eſt analogia inter tempora vniuerſalia & vnius diei particularis. vtrumque tempus enim vna ſolis circuitione finitur: dies quidē circuitione totius cæli, annus verò propria ipſius ſolis. Sic morbi qui alioqui in aliqua anni parte fiūt, ea diei parte quæ illi reſpondet exacerbantur, vt æſtiui in meridie, autumnales veſperi, quod veſperum reſpondet autumno. Quæſtio autem orietur. Nunquid vernales morbi mane irritabuntur, vt hyemales noctu? Tamen vere tot morbi pullulant: in aurora pauci admodum. Immo tempus matutinum morbis & ægris amicum videtur: raró in auroram morbi incidunt. Et cum videmus in auroram morbos incidere, de iis malè ominamur. Vt in peſtilenti ſtatu, quidam qui ſomno indulſerant noctu, ſi in aurora rigere cœperunt, opinionem fecerunt latentis veneni. Adeo aurora fauet ægris. Nam licet ægrotent febre aut nocturna, aut continua, tamen circa crepuſculum omnia ad naturalem ſtatum creduntur venire. Itaque nulli morbo ferè contingit exacerbari mane in aurora. Reſpondent quidam de matutino tempore id quod de vere ſaluberrimo reſponderi ſolet, ver per ſe ſalubre eſt, nec morbos parit quoad τὴν γένεσιν pertinet, ſed quod ad τὸν παροξυσμόν. Aliud enim eſt τὸ γίνεσθαι καὶ τὸ παροξύνεσθαι. Autumno autem, ratione ipſius, & quatenus talis eſt, morbi fiunt & magis quàm aliis temporibus, omnes autem fiunt deteriores illo in tempore, quia tempus eſt inſalubre. Et veſperi ob horæ malignitatem exacerbantur morbi. Et quidam peculiari reſpectu & ratione, quia ſunt autumnales. Sic & γίγνονται & παροξύνονται. At in aurora poſſunt ratione præſentiū humorum morbi παροξύνεσθαι, ſed vix fiunt ratione ipſius temporis. Immo ſi qua in morbo tran-

Tempus matutinum benignum eſt fauetque naturæ, & morbos manſuefacit.

Hanc de vere quæſtionem mouit & explicauit, non ſatis amplè tamen Fran. Valleſius in com. ad 2. epid. ſect. 1.

7.

Celſus etiam de vulneribus loquens ait, vulnera & nimius calor & fri-

quillitas obseruetur, maximè in aurora id fiet. Vnde etiam deterrimi morbi, cuiusmodi sunt pestilentes circa diluculum mitescunt suamque sæuitiam deponunt, immò videntur ægri restituti cum alioqui eodem ipso die peste iugulentur. Et tranquillitas morbi, symptomatum mitificatio, pulsus æqualitas mane apparens suspecta esse debet. Id quod multos sæpè fefellit.

gus insestant, maximè horũ varietas: ideo est autumnus perniciosus. Etiam morbi deterrimi mane mitescunt, ideo in malis ducendum cũ morbi circà aurorã inualescunt.

Antequam scribendi finem faciam, dicam vnum de differentia puris & purulenti, Græcè τὸ πύον καὶ πυώδες. Diximus enim ante tantam copiam materiei albidæ & puriformis, detractam esse ex sinistra thoracis parte; quã nesciebamus an ea referri deberet ad pus, an ad aliquid puri simile. Abscessus enim effatu dignus non præcesserat, vt tanta purulentę materiei copia congereretur. At Hippocrates summus doctor eam distinctionem assignat. πύον τὸ ἐκ σαρκός πυώδες τὸ ἐξ αἵματος καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης. Id est, pus ex carne: purulentum & puri simile ex sanguine & alio ex humido. Quasi verò omne pus non sit ex sanguine cum πύον dicatur τὸ αἷμα σεσηπός. Ex carne autem pus fieri ait quòd suppuratio non videatur fieri, sine erosione partium carnosarum capacitatis in qua pus fit: vnde ex carne erosa pus fit. vnde in contusione est procuranda suppuratio, quia nulla noua caro generari possit antequam contusa caro in pus vertatur. Et Celsus ait pus exire ex vulnere sanescente, quod corruptæ carnis in pus conuersionem sequatur nouæ carnis generatio. Nisi quis ex loco Celsi inferat non propterea ex carne pus fieri, sed ex sanguine: vbi enim sedata est inflammatio, tunc sanguis non corrumpitur, & ita laudabilis agglutinatur, vnde σάρκωσις. Argumento est quod ex vulnere sanescente (quod tunc vlcus est) etiam sanguis fluit, ait Celsus: Et eodem autore nondum soluta inflammatione plus puris effluere debet: quare? Quoniam sanguis est illaudabilis & corruptus. Idemque autor est concretum in vulnere sanguinem inflammationis causam esse, vulnus glutinari prohibere, & in pus conuerti. Contra Hippocratem stare Galenus videtur ex sanguine pus fieri ratus, quòd in phlegmone in abscessum abeunte, sanguis extra vasa effusus in pus vertatur. At Hippo. ex carne pus verum ait fieri, materiam verò puriformem, ex sanguine & alia quadam humiditate ait fieri. Et vix in phlegmone suppuratio fit sine carnis erosione, id sinus indicat post puris euacuationem. Et sanguis extra vasa fusus & calfactus, humidam & calidã carnem quam attingit, corrumpit, ex qua carne si natura robusta fuerit verum pus

Lib. de alimento.

Cur non referat hypostases in morbis & excretiones semiputres ex pulmone ad τὸ πυώδες.

Hipp. lib. de vlceribus.

Pus ex carne, purulentum & puri simile ex sanguine & alia humiditate.

Cap. 26. lib. 5

Par.22.lib.3. epid sect. 3.

nascitur: cui non raro admiscetur aliquid πυώδες ex humoribus & sanguine extra vasa effuso. Vnde apud Hippocratem, abscessus in » suppurationes multis conuertuntur, multum carnis ossiumque » decidit.

Part.24.sect. 3 lib.3.epid.

Humores maligni in pus non vertuntur.

Notandum autem est etiam ex Hippocrate humores sæpè κακοήθεις esse, vt in pus non vertantur: vnde Hippocrates dicebat, fluxio non erat puri similis, sed alia putredo: id est, non verum pus fiebat nec ab humoribus, nec liquatis carnibus, nam corrumpebantur, ossa neruique decidebant. Et Gal. ait in comm. ob humiditatem & aëris tranquillitatem humores putrebant, sed pus non generabant, partes enim solidæ computrescebant διὰ τῶν χυμῶν ὑγρῶν μοχθηρῶν. Nota additionem vocum harum quæ videntur πλεονασμὸν redolere, χυμῶν ὑγρῶν. Atque vt Hippocratis opinionem de vero pure & eo quod πυῶδες dicitur, vt vnum ex liquata carne veri puris nomine donetur, alterum verò non, concludamus, non alienum fuerit afferre breuem distinctionem inter pus verum & ichores, seu alias quasdam humiditates quæ ex vlceribus effluunt: Quam distinctionem Celsus breuiter explicat, Sanies est sanguine crassior, variè crassa, glutinosa, & colorata. Pus crassissimũ albissimumque, glutinosius & sanie & sanguine. Sanguis exit ex vulnere aut recenti, aut sanescenti, sanies est inter vtrumque tempus: pus est ex vlcere iam ad sanitatem spectante. Vnde in eodem capite paulò post, peius est pus multum, tenue, dilutum, magisque si ab initio tale est. At (ante vt dictum est) pus non manat ab vlcere initio. Notatque Celsus, ex vlcere maiore plus puris exire debet, quàm ex minore: item plus puris exire debet nondum solutis inflammationibus: at sanescente vlcere inflammationes minuuntur, & tamen sanescente vlcere pus manare debet, ergo sedata inflammatione. Sed hæc ex comparatione sunt audienda.

Cap.26.li.5. 8.

Ergo Hippocratis distinctio, περὶ πύου καὶ πυώδεος, de pure & purulento statui debet. Nos autem distinctionem à duobus fontibus deriuari docuimus. A priore quidem ex sententia Hippocr. qui pus à carne esse putat, purulentum seu, ἴκελον πύῳ idest πυῶδες & puri simile à sanguine & alia humiditate. A posteriore fonte, ex parte humorum. Nam quidam sunt qui facilè suppurant & à natura reguntur, alij non suppurant, sed aut in corruptũ quid, aut ichorem, tabum & saniem conuertuntur. Nam cùm sanguis laudabilis ad partem affluit tumoremque facit, suppura-

tum laudabile procuratur. Si humor malignus & κακοήθης gratiam naturæ non admittit: ſed vt humor eſt ἑτερογενὴς, ita pus quoddam ἑτερογενὲς & ὁμωνύμως dictum, gignit. vnde variolæ, exanthemata, carbones, ecthymata, herpetes à maligno ſunt humore. Vnde in iis pus verum gigni non poteſt. Qui enim humores toto genere contrà naturam ſunt, ſunt coctionis incapaces. Corruptio enim in parte fit. Id quod Celſus elegantiſſimè ſcripſit: Genera tenenda ſunt in quibus noxa corpori eſt. Ea quinque ſunt. Cum quid extrinſecus lædit, vt in vulneribus. Cum quid intra ſe corruptum eſt, vt in cancro. Cum quid innatum eſt, vt in veſica calculus. Cum quid increuit, vt vena quæ intumeſcens in varicem conuertitur. Cum quid deeſt, vt cum curta pars eſt.

Ea diſtinctio pendet ex Gal. loco ſupra adducto com in part. 24. ſect 3. li. 3. epid.

Locus penè aureus. Cap. 26. lib. 5.

9\. Vt ad ægram reditus fiat: iſta eluuies & copia purulentæ materiei, pus non erat, nec erat conſumptio (ſaltem magna & æqualis copiæ humoris) corporis ipſius pulmonis, nam ſi pus fuiſſet verum, & præceſſiſſet vlcus pulmonis, oportuiſſet præceſſiſſe magnum vlcus, magnamque abſumptionem corporis ipſius pulmonis. Ergo à ſanguine erat ϗ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης, vt Hippocrates loquitur. Vnde videmus aliquando ex thorace vulnerato, aut non vulnerato (idque poſt cadaueris ſectionem) ingentem copiam aliàs pituitæ purulentæ, aliàs ſaniei cruentæ, in conſpectum venire, quæ materia propterea non eſt pus verum. Aliquando excernuntur quædam σαρκοπυώδεα, & id fit dum diſcerpitur & eliquatur caro ipſius pulmonis.

Hipp. 4. epid. de vxore Meandri Caci.

Sed tandem finiamus quæſtionem de nocturna exacerbatione in purulentis, ſiue pus fuerit legitimum, ſiue ſanies, ſiue πυώδες τι. Nos enim in ægra noſtra vidimus, & in Lucio equite (vterque enim conſimili morbo conſumptus eſt, & cum iiſdem ſymptomatis) exacerbationes maximè nocturnas, dyſpnoean, ſpiritum difficilem, metum præſentis ſuffocationis, denique deſperationem: vt in ſingulis acceſſionibus nocturnis de funere & exequiis potius cogitaretur, quàm de exequendis medicorum præceptis. Et tamen ſingulo quoque mane vbi materia deferbuerat, & calor remiſſus erat, penè vterque reſtitutus videbatur. Cauſa autem veriſimilis iſtius perturbationis & exacerbationis nocturnæ eſſe videtur. In omnibus ſuppurationibus (agitur enim de empyicis) dolores ad noctem incidunt: id quod non tantùm audiendum dum pus fit, ſed dum pus continetur aliqua parte fouens febrem lentam. Cum autem empyicis, & propterea hectica

febre implicitis partes solidæ ignitæ sint, non mirum si noctu calor increscat (non ob alimentum, vt vult Gal.) ratione ipsius διαθέσεως, quod tamen non vult Galenus, & quia nox humectat (ideo calor hecticus calce non dissimilis se prodit) reuocatur calor & spiritus intro: sic calor increscit non solùm qualitate, sed & quantitate. Et ita dum reuocatur calor ad centrum, difflatióque prohibetur ob noctis dominatum, calor iste maleficus est, malignus, squallidus, non ἀτμώδης, nec nanciscitur ἑστίαν, id est, focum, locum, domicilium aptum & conueniens, & calor fixus non accipit fluentem istum calorem febrilem tanquam amicum, & ἐπικρατοῦντα, contemperantem moderantémque, sic non benè conuenit isti calori fluenti cum fixo: licet vterque in ægrum conspiret. Sic cum recurrit calor maleficus & nanciscitur æquè malum & perniciosum, dum augetur calor & dolor non fiunt accessiones nouæ febriles, sed αὔξησις caloris & exacerbationes quædam, non ob noui humoris motum, sed ob ignitam naturam solidarum partium seipsa factam πυρελωδεστέραν, id est, ignitiorem. Quomodo Galenus docet dictàtque somnum aliquando obesse, vt cum humores, calor & spiritus reuocantur intro & augentur inflammationes & dolores: ita in empyicis fieri solet.

Calor noctu increscit ob ignitam partium solidarum substantiam.

Calor naturalis verum solis heliotropium est.

Com. in apho. 1. lib. 1.

Quærat autem quis an pus suos motus habeat nocturnos potiùs quàm diurnos. Nam & in inflammationibus internis paroxysmus est nocturnus. Et id non est proprium nec hecticis, nec empyicis vt nocturnas molestias potiùs experiantur, quàm qui aliis morbis implicantur. Vnde

Mirati sumus cur antiquitas, peculiari quodam priuilegio & prærogatiua exacerbationem nocturnam puri & purulentis assignauerit. Nec enim id nouum est. Nam & venerea lue affecti, præsertim vbi solidas partes inuasit & conspurcauit, nocte dolent magis, & arthritici, & ὀδονταλγέες, & κεφαλαλγικοὶ & καταῤῥώδεες, denique multò maxima pars ægrotantium. Præter rationes à nobis adductas sunt & hæ probabiles. Primò quia omnes fermè morbi sub tempus noctis ingrauescunt. Multis id quidem de causis. Partim quia ob adueniens tempus nocturnum fit admirabilis quidam motus & reuocatio intro, motus quidem planè contrarius motui ipsarum vigiliarum. Deinde, coctio fit noctu. Coctio quidem non solum humorum naturalium, sed & contrariorum & febrilium. At dum pus fit, febris augetur, & dolor. Quæ ratio & analogia de pure in abscessibus, in aliis morbis & febribus audiri

potest.

potest. Maximè autem id apparet in empyicis. Dolent enim partes solidæ, & augetur calor febrilis qui interdiu in partes omnes expansus erat. Accedat ad eas rationes, quod inter vigilandum animus occupatur & vigiliarum motus sequitur. Et mens ipsa sese noctu recolligens tota in morbi & doloris cogitationem incumbit. Admirabilis enim motus est intro inter dormiendum. Declarant dormientium phantasmata. Mirum enim est quod qui dormit, præsertim si paulùm laborat, animo penè turbatur, somniisque exercetur permolestis. Vbi primum aperit oculos, omnia euolant, omnia fiunt composita & pacata & serena. Si rursum claudit oculos, eædem falsæ imagines sese menti offerunt ac obuersantur. Secundò si oculi aperiantur, ista effugiunt & præteruolant. Interdiu sensus ab innumeris obiectis pelliciuntur: & ista irritamenta & illecebræ retinent animum. Præterea amici sua præsentia interdiu dolores quodammodo deliniunt & demulcent, dum amica consolatione & alloquiis ægros prosequuntur. Et hæ rationes sunt fortassis cur in morborum futuris crisibus nox quæ præcedit molestior sit, quia somno interrupto, clarior fiat grauitas & molestia, quàm interdiu. Atque ex Galeno colligere possis noctem ipsam non esse causam cur potius malum ingrauescat tunc quàm interdiu, sed quod cum aliàs, tum magis de nocte appareat. Has rationes nostro marte & ingenio parauerамus, ita enim quisque suo sensu valet & abundat. Et tamen inter legendum occurrit locus Aphrodisæj in quo quæstio generaliùs disceptatur, cur dolores magis noctu augeantur. Et Aphrodisæus vir acutus & eruditus, commentus est rationes nostris non dissimiles, vt quis credat nos è penu illius eas desumpsisse, & illam palmam (si qua debetur inuentori) præripere voluisse. At nos non tantùm arrogamus, vt non profiteamur per quem profecimus, quando plagij crimen planè vitandum putamus.

com. Apho. 13 li. 2 Aphoris.

Locus ille Alex. Aphrodisæi est probl. 116. lib 1. problem.

Hæc sunt quæ contractis orationis velis à me discussa sunt, amplioribus verbis excutienda. est autem opus oratione quæ commendetur lepôre & vtilitate. Lepôre grata futura est legentibus. Vtilitate quia ægris, disputatio erit salutaris.

Eandem quæstionem de dolorum circa noctem irritatione discussit Langius 42. epist. lib. 1 epistol.

ANNOTATIONES.

1. *Galenus enim comm. in particul. 62. lib. 2. prognost. ait dolorem tussim & ptyalismum in suppurato accidere cum corpus seu membrana, quæ pus obuoluit, eroditur: & quia tenuior sanies penetrat obuoluens corpus, fit tussis & ptyalismus.*

2. *Pus ipsum vt glutinosum aliquando impedit quominus & venæ & arteriæ hiantes, sanguinem effundant. Id quod Gal. explicat ad aphoris. 27. lib. 6.*

3. *Pus enim bifariam in thorace reperitur, aut ob inflammationem præcedentem: aut τῷ ῥαγῆναι, quia ruptio facta est, & à parte in aliam pus deductum est com. ad par. 60. lib. 2. prog.*

4. *Gal. accommodatè ad locum præsertim quærit an fieri possit vt quis pus excernat nulla febre præcedente? Author enim li. 2. de natura humana loquens de iis qui intermittunt labores pristinos, Quibus, ait, sine febre multum puris expuunt. Et quicumque in lotiis multum habent quod subsideat puris dolore absente, Et quicumque deiiciunt atque in dysenteriis cruenta, ij quidem omnes annum agentes 35. & adhuc grandiores sponte morbis occupantur, verùm quibuscumque influit in pectus, ij purulenti euadunt, quippe cùm purgatio sit accliuis ac diutius in pectore moram trahat, putret & fit affectus purulentus, quibuscumque autem in vesicam cruentatur id album à loci calore euadit excerniturque. Gal. com. in part. 10. lib. 2. de nat. humana.*

5. *Quid enim illud est quod in pleuritide cum inflammatio sit, excernitur pituita quædam putris, & ea soluit pleuritidem? quid illud est? An non sanguis biliosus pleuritidis author? Cur non aut pus, aut sanguis excernitur si materia coniuncta est malo? An quia membrana inflammatur, ideo sanguis quodammodo pituitescit, vt fit in inflammationibus partium neruosarum? fit enim excretio aut seu tenuis, aut mucosæ pituitosæque materiæ. Ad hunc locum pertinebit illud Hippocratis in Coacis, Quidam anginosi cum euaserint fiunt purulenti si non sit expurgatio sursum pituitosa. An hæc pituita materia est synanches? videtur esse, quia quo excreto malum cessat, id videtur esse causa mali. Quæstio quæ hic proponitur scitu digna est.*

6. *Si reuocatio spiritus & sanguinis intro febres & dolores in partibus externis lue laborantibus. At contra fit, nam Pangius ait, inter*

diu dolores venereos sedari quia suo tepore, & calore sanguis & spiritus fouent, & recreant partes quæ nocte desertæ ab iis doluerant.

7. *Matutinum tempus veri est simillimum. Quod ver si corpus omnino sanum excipiat, in eo statu conseruat nil de natura innouãs. Non sic æstas, autumnus, hyems, licet enim corpus omni carens repræhensione excipiant, tamen quia peculiarem vnumquodque horum temporum humorem generat, non ita, vt ver in eo bono statu corpus seruant. Hæc Gal. com. ad apho. 20. lib. 3. Hanc de matutino tempore ægris fauente opinionem, & de sæuitia morborum in tempus matutinum orientium iudicium, leges apud Fernel. cap. 8. lib. meth. med. in febribus. Et fortè ea ratione ab aduerbio ant quo manum pro manè deductum a dictum num manus a, um, priore syllaba longa, id est bonus, a, um, quod matutinum tempus sit auspicatius & fauorabilius, & hæc coniectura nostra est. Celsus cap. 5. lib. 3. apertißimè explicat hanc quæstionem de matutino tempore, ait que matutinum tempus sua natura melius esse sed morbi vitio, aliquando non est melius. Textus est, illo loco sicco pede non transeundum.*

8. *Vnde in hydropicis, & in cacochymis sanguis est saniosus medius inter sanguinem & pus verum. Imo puris nomen habere potest, cum ex opinione Donati in Terent. pus dicatur omnis succus & humor corpori onerosus. Et forte illud est Hippocratis quod in corpore ægro capacitates corporis sunt plenæ ichoris: iste ichor est* πυώδης τι *Vnde paulò ante diximus in tußi materiam tandem pituitosam albam craßamque reddi, & dum coquitur,* ἀπὸ χρεμψιος ὁμοίη ἐστὶ τοῖς πυώδεσι. *Hipp. 7 epid. de Charite.*

9. *Pus aliquando generaliter sumitur pro humore albicante, vt cum Hipp. libro de aliment. ait venam à pure nutriri: aliquando pro corrupto humore à sanguine erat* καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης, *vt cum Hipp. 4. de morbis vermes in pueris contentis in vtero gigni ait, cùm ex sanguine & lacte putrente, quod dulce est, pus fit feruidum animalis materia. Sed puris nomen, vt hic generaliter vsurpetur patet ex Hipp. Et Donat. in Ter. pus omnis humor dicitur corpori onerosus, vnde expuere omnem molestiam.*

CONSILIVM IV.

De sanguinis missione in melancholicis & data occasione explicatur illud Hipp. cur sanguis faciat ad sapientiam.

EX Galeni & omnium Medicorum sententia, melancholici alij sunt à fæce & limo sanguinis, & maxima eorum pars lienosa est. Hos iuuat etiam febris, vt quæ coquat digeratque eum succum frigidiusculum qui est limus & superfluitas sanguinis. Et quartana febris tuta esse dicitur, & à magno morbo, id est, à comitiali, vindicare, quòd successu temporis, humor crudus mitificetur. Vt mirum non sit, si quartana à tali nata humore fœculento, è genere morborum chronicorum censeatur. Ideóque Macrobius conferens iecur cum splene, ait illud caloris, hunc frigoris sedem esse & domicilium: & ideo sinistras partes debiliores dextris, quòd dextras calor suus regat, idest, ab iecore calido manans (de quo dubitari potest cum cor fons caloris vocetur) at sinistræ contagione frigoris eas obtinentis, hebetes redduntur. De quo abundè diximus in eo opusculo quod de causis conuulsionis conscriptum est. Alij sunt melancholici per assationem humoris biliosi, aut sanguinis ipsius. Vndè corpora biliosa quæ carent perspiratu fiunt melancholica. In his assario, suppressióque spectatur. Galenus vtrumque breuiter est complexus. Nam & quæstionem tractauit de mittendo sanguine ipsis melancholicis, & explicauit qui nam sint melancholici, siue natura, siue vitæ instituto, siue ex euentu, vt suppressionis ratione, siue propter cibos potusque id contingat. Hippocrates ab effectis melancholicos collegit in epidemiis. Ac primùm videamus qui nam ex Gal. melancholici dicantur; Ex corporis habitu æstimandi sunt melancholici molles, „ candidi & obœsi nequaquam sunt melancholici macri, nigri, „ hirsuti, & quibus latæ venæ, aptissimi sunt vt in iis humor melan„ cholicus cumuletur. Et fit nonumquam vt homines præ rubro co„ lore. (ἐξερύθρους Græci vocant) affatim in melancholicam tempe„ riem decidant: secundo loco flaui, idque maximè, si vigiliis, labo-

Melancholici alij à limo, alij ab assatione sanguinis.

Cap. 7. lib. 3. de affect. loc.

2. epid.

ribus, & tenui victu vsi fuerint. Item Celsus; Tenuioribus plus sanguinis, plenioribus magis caro abundat. Melancholici sæpè sunt macri & tamen amplas & plenas habent venas. Deinde exponit Gal. qui cibi humori tali generando sint idonei. Quo loco verè exponit quinam sint ij in quibus humor melancholicus facilè generetur & cumuletur. paulò post ex sententia Dioclis docet sanguinem crassiorem generari in melancholicis hypochondriacis, in iis præsertim venis quæ alimentum à ventriculo excipiunt. Id autem euenit ratione caloris exuperantis. Hippocrates aliter (vt antè dictum est) melancholicos obseruauit. Morbos fortiter atrabilarios habent balbus, caluus, aut gracili voce præditus, aut hirsutus. Et paulò post, Balbi, celere lingua præditi, atræ bilis humori obnoxij sunt (Græcè μελαγχολικοί εισι.) Et ante, vocis gracilitatem varix soluit. Ac locus iste Hippocratis de balbis, de caluis, quod sint melancholici, admodum obscurus est. Nec enim rationem reddit Hippocrates suo impeditus laconismo. Aliqui enim interpretari possint & balbos, & gracili voce præditos melancholicos esse, quoniam frigidiore sunt temperamento, ideóque pituita multa crassa frigidáque abundant. At pituita consistentiæ ratione humori melancholico qui sanguinis limus est, assimilis esse solet. Quo modo Galenus interpretatur: melancholicus humor quartani circuitus causa est, & incontinentiæ linguę, & stuporis partium, quia ob humoris crassitudinem tales affectiones consequuntur, quales ex crassa & lenta pituita eueniunt. *Sic incontinentia linguæ & stupor*; aliquid non est absolutè Melancholicum, nec absolutè pituitosum, sed mixtum & aliquid. Nam timor, tristitiáque absque causa manifesta, elephas, cancer, scabies, lepra, & vitiligo nigra melancholici sunt affectus absolutè. Sic aliud est dicere balbos, linguáque hæsitantes ἰσχνοφώνους melancholicos, aliud nigros & hirsutos. Nam priores melancholici dicuntur sumpta impropriè pituita pro humore melancholico: nigri & hirsuti propriè melancholici dicuntur, sumptóque in propria significatione melancholici nomine. Sic conciliandi loci videntur. Dum hîc finem impono occurrit alius Galeni locus verè confirmans ea quæ antè diximus. Ita enim Hippocrat. in morbis melancholicis ad hæc (id est ad ver & autumnum) periculosi decubitus stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant. Apoplexiæ, conuulsiones & cæcitates (ait Gal.) ob humorem pituitosum fiunt, fiunt & ob melancholicum,

Sect. 5. lib. 2. epid.

Com. ad apho. 40. li.

Apho. 56. l. 6.

quoniam vtrisque est crassitudo. Sic hoc loco stupor corporis aut partis melancholici humoris soboles videtur, quod tamen alio loco negat Galenus. At his omissis quæ subtiliter comminiscitur Galenus, multò subtilius Arculanus explicat qua ratione blæsi, balbique melancholici dicantur: hæc eius verba sunt, minus elegantia quidem, sed rem verè exprimentia, Corpora habentia cor calidum, cerebrum autem humidum, sunt dispositioni melancholicæ opportuna, nam caliditas cordis est cholera nigræ in corde generatrix, cerebri autem humiditas causa est cur facilè impressio eius suscipiatur quod in corde gignitur: ideò, balbi & lingua vacillantes, ad melancholiam parati sunt, maximè si linguas lenes habuerint, & oculos mobiles, & cætera. sic pilositas, rubor faciei calorem cordis significant, blæsitas, mollitiesque linguæ cerebri humiditatem. Arculanus autem solutionem quæstionis de melancholicis & balbis eruisse videtur ex Hippocrate. Nam ille 2. epid. sub finem, Quorum pectora bilem generant balbi sunt, furiosi & calui sunt: in quo explicatur ista cordis intemperies calida, author incõditorum animi motuum: nomine autem pectoris cor ipsum per synecdochen audiendum est. An verò rationes Arculani ipsæ per se nitantur, an facilè euertantur, ipse videris. Nam Hippocrates absolutè blæsos, & gracili voce præditos melancholicos affectus pati docet, Arculanus non absolutè blæsos, sed quorum cor est præcalidum & fuliginosi excrementi parens, cerebro ipso humidiore existente vt ex balbutie linguæque hæsitantia apparet.

Ad apho. 40. lib. 7.

I. Quibus cerebrum humidius, cor autem calidius, ÿ melancholiæ sunt opportuni.

Arculanus cap de melanchol.

Nisi fortè coniungamus hos duos, blæsos & hirsutos, quos disjunxit Hippocrates, coniungit verò Arculanus.

Nota de coniunctione & disiunctione blæsi & hirsuti.

Nisi dicamus non verè balbos esse melancholicos, vt quibus humidius frigidiusque cerebrum existat, sed impropriè balbos, vt quibus præ calore partim aduentitio, partim cerebro innato, multæ pituitæ fit διάχυσις, fusio colliquatióque, vnde ptyalismus & oris totius perpetuus mador, hinc balbuties mollitiesque ipsius linguæ. Hæc nostra est coniectura. Quæ licet dignitate & veritate cum prioribus non contendat, habet tamen suum quoddam patrocinium quo aliquatenus tuta esse posset.

Pituitæ διάχυσις à calore balbutiei causa.

Paulò longiùs digressi sumus quàm opinati fuerimus: sed ea digressio est ad id quod instituimus valdè opportuna. Sciendum enim fuit qui nam sint verè melancholici, vt de sanguine mittendo in melancholicis pleniùs constet. Nunc itaque ad rem in-

ſtitutam redeamus. Primùm verò audiendus eſt Galenus qui de inſtituto hãc de phlebotomia quæſtionem ex hypotheſi examinat. Audito enim Galeno, eiuſque rationibus ad trutinam reductis, veritas faciliùs innoteſcet: Ita Galenus, Vbi vniuerſum corpus ſanguinem melancholicum continet, curatio à phlebotomia incipiet: vbi ſolum cerebrum, infirmius (quod ad diſpoſitionem attinet) ſanguinis detractione non eget, licet alia de cauſa ſanguis mitti poſſit. An verò cerebrum ſolum, an totum corpus ſanguine melancholico abundet, diſcernendum. Corporis enim habitus eſt conſiderandus. De hoc paulò ante dictum. Itaque vbi cerebrũ aut intemperatum eſt, aut ſanguine melancholico plenum, non neceſſariò cæterùm corpus ita affectum eſt: at contra. Si totum corpus ita affectum eſt, vix immune eſt ab ea affectione cerebrum. Ita enim Gal. Conſtat autem ad totius corporis intemperaturas mentis læſionem conſequi, affecto nimirum cerebro, non ſecus ac totum corpus affectum eſt. Quæſtio tamen eſſe poſſit an ſi ſolum cerebrum ſanguinem multum melancholicum contineat, à ſanguinis detractione ſit abſtinendum. Hanc eandem diſtinctionem doctè obſeruat Galenus de malo cerebri topico, de que malo per conſenſum nato, cum agitur de vertigine: Capitis ſolius caliditatem; quouis alio modo habentis, balneum iuuat: Cum verò flatulentus ſpiritus ob humorum prauitatem ad caput fertur, hos lauare non conuenit. Qui locus diligenter aduertendus eſt, quoniam grauis in eo lapſus eſſe ſolet. Nunc ad ſanguinis detractionem in melancholicis redeamus: vena media ſecanda eſt: & ſi melancholicus ſanguis non videatur, ſupprimendus eſt: ſin talis appareat, vacuandus pro virium modulo. Vt autem finem commentandi faciam, quoniam nos hîc prolixos eſſe non oportet, concludemus totam hanc commentationem. Concluſio autem fiet in præclara Hippocratis ſententia, hæc autem eſt eiuſmodi: Credo inter ea quæ ſunt in corpore, nil magis ad prudentiam conferre quàm ſanguinem. Hic enim cum in conſtanti habitu conſiſtit, conſiſtit & prudentia: ſanguine verò permutato, concidit & prudentia. Græca litera eſt ἐνεργητικώτερα. εἰ μὲν τὸ αἷμα ἐν τῷ καθεστηκότι σχήματι μένῃ, μένει καὶ ἡ φρόνησις. ἐξαλλάσσοντες τοῦ αἵματος μεταπίπτει καὶ τὸ φρόνημα. Hoc autem Hippocrates familiari & apud nos nato exemplo docet: Cum corpus inuaſerit ſomnus; ſanguis frigeſit: id dum fit languidiores fiunt corporis meatus Græce διέξοδοι. id patet nam aggrauata corpora re-

Cap. 7 lib. 5. de locis aff.

Ad part. 34. sect. 1. lib. 1. prorrhet.

Com. in 4. acut.

Permutatio ſanguinis efficit vt concidat prudẽtia. In ſanguine magna pars vitalitatis reſidet ait Plinius.

clinantur: & oculi ardent & prudentia permutatur, Græcè ἀλλοιοῦ-ται, opinionesque peregrinæ mentem exercent, quæ insomnia vocantur. Ad hanc tandē sententiā pertinet quoque locus Hipp. lib. 3. de diæta, cum loquitur de immodica repletione quam somni turbulenti sequuntur, Qualia patitur corpus, talia videt anima visu iam concluso. Et in temulentis aucto repente sanguine με-ταπίπτουσι αἱ ψυχαὶ καὶ ἐν ψυχαῖς φρονήματα: Sic sanguinis ἐξαλλαγὴ τὴν φρόνησιν ἐξαλλάσσει. Nam si omnino conturbatur sanguis, omnino ἡ φρόνησις ἀπόλλυται. Deinde subdit Hippocrates, τὰ γὰρ παθήματα καὶ τὰ ἀναγνωρίσματα ἐστίν. ὅταν διὰ τοῦ εἰωθότος ἔθεος μεταςαίνωμεν, ἀναίρεται ἡμῖν ἡ φρόνησις. Hic locus est valdè obscurus, & vix intelligibilis: Ita interpres, affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt, id est, à consuetudine proficiscuntur: cum autem à consuetudine recesserimus, tollitur nobis prudentia, idest, habitus ratione comparatus ad administrandas vel res priuatas, vel publicas.

Augmentum sanguinis, affert μετάπτωσιν τῆς ψυχῆς

Publius Syrus.

Porro vt dicebat Preta, grauissimum est imperium consuetudinis: per eam enim & animi morbi & artes comparantur: nec non per eandem conseruantur. De artibus id constat facilè. Animi verò pathemata non nisi consuetudine in bonum malumue habitum transeunt. Nam quæ boni maliue specie obiiciuntur, si aut ratione persequimur, aut vitamus, in eo appetitio cernitur, eaque cum ratione coniuncta. Cùm reluctamur rationi, plusque potest delectatio quàm ratio, tum contra mentis præscriptionem allicitur appetitio eàque ratione vacat. Si tranquilla ratio motu turbido cietur, perturbationes fiunt, quæ cum inueterauerint, morbi existunt. Si contra rationi obediunt auscultantque, virtutes morales inde exurgunt & expullulant. Hîc artes, virtutes vitiaque à consuetudine ducuntur, à qua cùm receditur perit prudentia, quæ virtutibus morum perpetuo cohæret opinione Aristotelis. Hanc sententiam quorundam auspicatu & ingenio sic sumus interpretati, plæraque in eam rem statui scribique possent, nisi vereremur ne instituta hæc breuis explicatio mentis Hippocraticæ, in commentarium redundaret. Nunc alios quosdam locos lustremus in quibus Hippocrates eandem penè celebrat sententiam, quòd sanguis maximè ad prudentiam faciat.

Hip. 1. de diæta.

De animæ sapientia insipientiaque sic statuendum: quod humidissimum est in igne & siccissimum in aqua si in corpore
» temperamentum acceperit, homines fiunt sapientissimi, quia
» ignis habet humiditatem ab aqua, aqua autem siccitatem ab

igne

ignem, vterque autem sufficit. Et conuenienter iis quæ dicta sunt Hippocrates de phrenitide loquens ita scripsit : Sanguis qui est in homine maximam partem ad prudentiam confert. Quidam dicunt totum. Cùm verò bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consueta compage ac motione dimouet & seorsum facit, homo desipit & non sibi constat (quia calefactus sanguis totum corpus calfacit) præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente. Græca verba vt apposítè dicta inculcanda sunt : bilis commota διακινεῖ καὶ διουρεῖ τὸ αἷμα ἐκ τῆς συστάσιος εἰωθυίας καὶ κινήσεως, καὶ διαθερμαίνει. Homo verò non sibi constat præ copia febris calefacto toto corpore, καὶ ὑπὸ τῆς τοῦ αἵματος διουρήσεως καὶ κινήσεως οὐ τῆς εἰωθυίης. Et postea de melancholicis loquens, nam ab atrabile delirant homines, ὅταν φθαρῇ τὸ αἷμα ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος. Nam tales, vt vocat, μελαγχώδεες habent παράνοιαν, alij verò μαίνονται. Sic ingressus bilis aut pituitæ in sanguinem motum naturalem impediens & sanguinem serosum, proinde morbosum reddens, prudentiam adimit, & delirandi porrigit occasionem. Item facit aër opinione Hipp. Qui aër ad venas peruenit, confert ad ventriculorũ ingressum & ad cerebrũ, sic enim sapientiam & motum membris exhibet. Id dum non fit, sed pituita in aquęductus irrumpit, tum cõuellendi occasio est, vt paulò antè demonstrauerat. Vt omnia ad ἀνακεφαλαίωσιν reducantur, vis est in verbis Hippo. ponenda. Primùm hoc statuit Hipp. sanguinem ad sapientiam facere, nam qualis sanguis, talis spiritus; qualis spiritus, talis animus. Hîc autem medicè nos locutos intelligas. Sanguinem autem benè temperatum esse oportet, & suam consistentiam & motum naturalem habere. Propterea Asiaticos cæteris prudentiores Hippocrates dicebat ob cœli clementiam & bonitatem temperamenti. Quibus ergo sanguis est optimè temperatus, blando, benigno, & halituoso spiritu perfusus, non alteratus, non mixtione alius humoris alienatus suique dissimilis, denique in qualitate, quantitate, motu, consistentia laudabilis, ij prudentia & benignitate morum sunt commendabiles. Quorum sanguis aliter habet, eorum mens facilè vacillat & ægrotat. Sensus denique bonitas temperamenti perfectione & spirituum puritate censetur. Expendamus verba Hippocratis cùm morbum ægrotationemque & defectionem sanguinis depingit, quæ causa est cur homo imprudens insipiensque reddatur. Primùm conside-

Ad finem l. 1. de morb.

κίνησις τῆς χολῆς. *Ingressus bilis in sanguinem.*

2.

Istud sanguinis vitium vocat Hipp. in Coacis αἵματος φθορὰν καὶ ἔκλυσιν. *Hic locus est obscurus, sed paulò post aperietur.*

Apud Gal. cõ. ad part. 13 1. prorrh. ait tandiu morbum crudum dici, quandiu bilis cum sanguine sursum fertur.

Lib. de sacro morbo.

In lib. de locis & aeribus.

Sanguis in quantitate, qualitate, motu & consistentia laudabilis, ad prudentiam facit.

rat τὸ χῆμα καθεϛηκός: vertunt, conſtantem habitum. Hic vbi perſiſtit, prudentia in homine relucet. Opponit τῷ χήματι καθεϛηκότι τὴν ἐξαλλαγὴν: id eſt digreſſum defectionemque ex iſto habitu. Et tunc prudentiæ fit iactura. Iſtam autem ἐξαλλαγὴν conſiderat in qualitate, & in quantitate ſanguinis. In qualitate, vt cùm refrigeſcit ſanguis, id quod in ſomno fit, vnde inſomnia & peregrinæ opiniones; aut cùm incaleſcit, vt dum bilis ſanguinem ſubit, quod contingit in phrenitide, vt poſtea aperiemus. In quantitate, vt in ebrietate, aucto enim ſanguine ἡ φρόνησις, καὶ σύνεσις vim patitur & alteratur. Deinde addit, ſi conturbatus omnino fuerit ſanguis, ſequitur τῆς φρονήσεως ἀπόλεσις caſus, ruina, deperditio. Aliud enim eſt ſimplex ἐξαλλαγὴ, aliud omnimoda ταραχή. Hæc ſunt quæ libro de flatibus. Libro verò de morbis aliis vocibus eſt vſus. Nam in ſanguine naturaliter conſtituto conſiderat τὴν σύϛασιν quam Ariſtoteles πῆξιν vocat, & κίνησιν naturalem: his opponit, nempe τῇ συϛάσει τὴν ὄυρησιν, τῇ δὲ κινήσει διακίνησιν ἐκ τῆς εἰωθυίης κινήσεως. Id autem fit maximè cùm in ſanguinem bilis ſubit, & fiunt ἐπίῤῥοαι, vt libro de acutis loquitur Hippocrates. Itaque ſiue ſanguis διουρεῖ (id quod Ariſtoteles vocat τὸ αἷμα ὑγραίνεσθαι, ideſt ſeroſum humidioremque fieri, propterea que morboſi ſanguinis rationem ſubit) ſiue dimouetur ex proprio & naturali motu & curſu, tunc mens aberrat, magnarumque in corpore mutationum naſcitur occaſio. Fortè eſt illud quod in libro de flatibus dixit, ſanguinem habere ſuum χῆμα καθεϛικός: Cæterùm duo ſunt notanda, prius, quòd bilis ſanguinem ſubiens, ſeroſumque reddens, aut emouens, ſanguinem calefacit, calfactus cæterum corpus recalfacit, hinc erroris mentis occaſio: itaque ſemper hîc conſideratur intemperies perturbationis mentis cauſa: alterum, dum loquitur de atrabile ſanguinem ſubeunte, vnde aut παράνοια aut μανία, vocat τὸ αἷμα φθαρῆναι ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, vnde antè dixit prudentiã aboleri ἀπὸ τοῦ πάμπαν ταραχθῆναι τὸ αἷμα. Notanda vis verbis φθαρῆναι. Nec enim contentus fuit Hippocrates περὶ τὴν μανίαν verbis διακινεῖν καὶ διουρεῖν vt ante. Cæterùm vnum addam animi gratia, quod fortè delicatius exquiſitiuſque à me dictum putauerit aliquis: nempe nomen ἐθίσματα non tam conſuetudines, illas ſignificare quæ ad virtutes morales comparandum valent, quàm conſuetam illam conſtitutionem, motionemque & ſtatum ſanguinis, quæ conſtitutio natiuaque motio bonarum & quietarum animi functionum cauſa

Ante ex Hipp. locum adduximus de decoloribus in quibus eſt τοῦ αἵματος καὶ ἔκλυσις καὶ φθάρσ.

existit. Quid enim illud est quod scripsit Hippocrates, τὰ παθήματα καὶ ἀναγνωρίσματα ἐθίσματα ἐστίν: affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt: meliùs referemus τὰ ἐθίσματα ad τὴν στάσιν καὶ κίνησιν ἐωθυῖαν de qua ante diximus, quam στάσιν καὶ κίνησιν εἰωθυῖαν vbi sanguis deseruit, ab eaque est depulsus ac dejectus, tunc mens labat aberratque. Si enim sanguinis quies, aut natiua quædam suique generis motio & consistentia ad prudentiam facit, quæ iis sunt contraria, menten emouent & de rationis gradu deiiciunt. Sic τὸ ἔθισμα, idest consueta sanguinis motio agitatioque naturalis, temperies & consistentia & affectiones animi & cognitiones has illæsue parit. Sed hoc longiùs quidem repetitum videtur, ex interioribus tamen Hippocratis arcanis: Item vnus locus alterius est interpres & enarrator. Sed suus cuique abundat sensus. De sanguine seroso eodemque morboso nil amplius dicam cùm plerisque in locis operum nostrorum abundè dixerimus, & aliàs, cùm maius quoddam suppeditabit otium, aliquando dicturi sumus. Duo breuiter annotabo de sero & ichore: vnum est Hippocratis, Galeni alterum: ita Hipp. Quæcunque carnem in orbem circumsitam habent, ea omnia ventriculum habent. Omne enim inconcretum & quod non coaluit, siue pellicula, siue carne contegatur, cauum est. Impletur autem dum ægrum est sanie, Græcè ἰχὼρ, dum sanum est flatu Græcè πνεῦμα, meliùs spiritum quàm flatum vertas. Alter locus Galeni est quo apparet tantam esse vim immutationis ipsius sanguinis, siue per se, siue ob mixtionem rei alienæ, vt inde mouendæ mentis nascatur occasio: Ita verò Gal. Crudo in morbo bona crisis fieri non potest: crudus autem est in quo bilis vnà cum sanguine sursum fertur, quocunque tempore id fiat: magisque tale aliquid euenit, cum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immoderatio fuerit: Græcè θερμασίαν ἠθροισμένην in capite dicit, vt focus in capite existat.

Lib. de arti.

Aliud est abundare flatu qui πνεῦμα dicitur, aliud flatu qui φῦσα.

3.

Ad part. 13. sect. 1. lib. 1. prorrh.

Quandiu bilis cum sanguine miscetur sursumque fertur, tandiu morbus crudus dicitur Gal.

At verò hæc propositio, quòd sanguis ad sapientiam vel plurimùm, vel omnino faciat, non modo à nobis leniter tractata & degustata est summo labro, sed satis accuratè explicata est. Eò autem libentius eam explicandam suscepimus, quòd sæpiùs ab Hippocrate repetita est. Vbi enim generationem phrenitidis explicat, in qua delirij summa sunt omnia, ait id effici tum quia sanguis habeat motum quendam non solitum, tum quod admistione bilis aut similis humoris alieni, suam σύστασιν amittat, & vt alio

Quid sit sanguinem amittere suã consistentiam.

Lib. de flatibus.

loco loquitur, τὸ σχῆμα καθεστηκὸς, idest, habitum naturalem constantem, alio loco ad hæc duo addit φθορὰν, corruptionem. Sed ex bilis mixtione ἡ φθορὰ sequitur, & ex motu solito commotio, & consistentiæ natiuæ permutatio. Et in Coacis Hipp. loquens de decoloribus ait, in his esse τοῦ αἵματος φθορὰν καὶ ἔκλυσιν: nomine τῆς ἐκλύσεως sanguinis consistentiæ dissolutionem significat. Denique fit τοῦ αἵματος ἐξαλλαγὴ, hinc sanguinis fit διαστροφὴ, & hanc sanguinis διαστροφὴν sequitur corporis ipsius διαστροφὴ quædam, vt loquitur Hippocrates. Maximè autem de Epilepsia à flatu nata.

διαστροφὴ αἵματος.

Lib. de flat.

Quòd autem sanguinis mutatio siue in motu, siue in consistentia, seu in quanto, seu in quali, & facilè fiat, & maximi sit momenti, ipse Hippocrates demonstrat exemplo familiari & sub sensum plebeiorum cadenti. Illud autem à somno ducitur. In hoc enim ob blandum vaporem à cibo crudo recèns ingesto & nondum modificato excitatum, sanguis aliquantulum alteratus, & paulò frigidior redditus, hominem consopit, dissoluit & effœminat, vt semimortuus appareat. Idem in temulentis apparet, cùm copia vaporis extranei peregrinas opiniones affert, & corpus aut languidum, aut furibundum & ferocienti bestiæ assimile reddit. Si tantula hæc commutatio in sanguine, & eiusdem simplex alteratio, tanti momenti est, istasque affert turbas, quid fiet, vel cùm vitiosus ipse per se erit, vel admistione humoris alieni genitus est?

Tamen obiiciat quis, non est necesse sanguinem alterari, nec vapores subire venas, sed per inanes vias & spatia dum feruntur sursū implent suo vapore intacto sanguine.

Abundè quidem ea de re dixeramus, tum in paginis prædictis initio huius commentarij, tum in 2. libro Consiliorum meorum explicans locum libri 4. acutorum, vbi docet humorum ἐπιρροίας καὶ στάσεις vnde sequuntur τῶν πνευμάτων ἀπολήψιες. Tamen quoniam nuper legenti occurrit locus integer ex Platone à Galeno ad finem libri in alium locum translatus, & qui miro quodammodo humorum vim explicat, eum pede sicco transeundum non putaui. Quæ verò ratio eò me maximè adduxit, ea est, quod illo loci Plato videtur explicare Hippocratis sententiam de motu bilis in sanguinem, & sanguinis in serum mutatione, vnde perturbationes mentis consequuntur. Et id quod nunc à nobis dicetur, erit instar commentarij ad locum illum Platonis: explicabitque vicissim alium locum libri acutorum, in quo author libri vtitur vocibus nō vsitatis, vnde obscuritas gigni solet. Nunc autem audiamus Platonem loquentem, vt textum textui opponendo veritas tandem eluceat atque appareat.

in Timæo.

TEXTVS PLATONIS.

Cùm quatuor sint ex quibus corpus constet, ignis, aër, aqua & terra, horum excessus, defectus & propriæ sedis mutatio (Græcè μετάστασις) & si horum vnumquodque non suscipiat id quod conuenit, στάσεις καὶ νόσους παρέχει. melius, στάσεις. idest perturbationes & morbos afferunt. Cùm enim à natura recedit & commutatur vnumquodque (μετάστασις dicitur) quæ frigida erant calfiunt, quæ grauia leuia fiunt, & multas mutationes (μεταβολὰς) suscipiunt. Hoc de elementis, nunc de humoribus: Pituita alba intus detenta nocet & molesta est ob spiritum bullarum, διὰ τὸ πομφολίγων πνεῦμα: Si verò foras expiret (ἔξω τὰς ἀναπνοὰς ἴσχειν.) mitior quidem illa, sed tamen corpus variegat (καταποικίλλει) vnde leucas, alphos, & congeneres affectus parit. Sed vide quì noceat pituita non nocet nisi in bullas vertatur & Gal. com. ad aphor. 51. lib. 7. ait pituitam, per se non molestam esse nec sternutamentum prouocare nisi aut in flatum vertatur, aut acrimoniam acquirat. Id quod ex Platone desumptum videtur.

Nomen τῶν στάσεων à Platone vsurpatum.

Pituita alba intus.

Pituita alba foras.

COMMENTARIVS.

Antequam vltra progrediamur, dicatur aliquid de pituita alba, dulci eaque innocenti, quòd dolores non pariat. Hæc aut intus manet, aut foras exit. Intus nihil molestiarum infert, nisi dicatur id facere ob flatum bullarum. Id quod obscurius dictum est. Nisi fortè cùm referuet, aut pars eius præ cruditate in flatum; aut agitatione in spumam quandam vertatur & tunc doloris nonnihil afferat. Flatus enim leui de causa excitatur, & cruciatum infert. Et dum natura eam coquit, excitare potest flatus & πομφόλυγας. Si extra mouetur materia phlegmatica alba, & si habet ἀναπνοὴν, leucas, & alphos in cute parit. Notandum id περὶ ἀναπνοῆς, idest si perspirat & exhalat ista materia, vitiligine alba cutim inficit. Habere τὴν ἀναπνοὴν foras humores dicuntur, cùm natura foras emittit. Plato id ab Hipp. mutuatus est. Nam ad finem 4. de morbis, dum explicat cur pedes in hydrope tumeant aut non, ait aliàs aquam habere suam πνοὴν, ἀναπνοὴν, διαπνοὴν, vtitur enim his tribus, aut non habere. Et provt id fit, aut tumet pars, aut detumet. Ad eandem sententiam Aristoteles quærit cur pueris & mulieribus minùs freque ns sit vitiligo quam viris, & mulieribus si acci-

Vnde apud Gal 2 ad Glauco. iungũtur hæc ἄπεπτον καὶ φυσῶδες. In materia enim cruda facilè ἡ φύσα excitatur.

Probl. 4. l. 10.

dat, iam annosis accidit. Quia, ait. vitiligo exitus spiritus est, at corpora puerorum & mulierum minus perspirant, quàm virorum. Quæ autem corpora consenuerunt, perspirantiora fiunt more ędificiorum veterum, quorum structura partium iam laxior esse incipit. Hippocrates vocat ἀεραίωσιν in senibus. Sic cum ait Arist. vitiligo exitus spiritus est, attingit eam platonicam ἀναπνοὴν. Minùs quidem medicè Aristoteles de vitiligine. Ergo, apparet vt pituita alba dolorem non exhibet, saltem commemoratione dignum. Id quod Gal. quoque docet explicans eodem ex Platone vires seri humorũ. Pituitæ sero torpor & frigus inest, non mordacitas nec malignitas, nisi fortè aut salsa aut acida euaserit. At Plato postea cum pituita alba iungit succum aut bilem nigram, & tunc affectiones sequuntur maximè terrificæ: cuiusmodi est morbus sacer. Fit autem cum pituita atræ bili mista diuinas περιόδους quæ sunt in capite inuaserit ac infestauerit: Et quod notandum maximè ita ait, Vt in somno mitior est, sic eadem pituita atro iuncta succo cùm vigilantes inuaserit, diutius vrget. Videmus enim vulgò euenire vt vigilantes paroxysmo epileptico pręhendantur potiùs quàm dormientes. Quod non abs re à Platone dictum est. Et si plenum commentarium scribere nobis animus foret, plenioribus velis solueremus, & diligentius in eius rei quęstionem incumberemus. De pituita satis. Nunc ad alia.

Lib. de aëre & locis.

Com. ad part. 38. sect. 2. lib. 6. Epid.

Pituita atræ bili mista Epilepsiam parit.

Pituita aliàs in somno, aliàs extra somnum aliter agit.

Plato multũ tribuit æqualitati aut inæqualitati, libertati aut impedimento meatuum. Id Plin. admonuerat c. 24. l. 22.

TEXTVS PLATONIS.

Pituita verò salsa acidaque fons est omnium affectionum & morborum quicumque καταῤῥοικοὶ dicuntur, id est, quorum essentia in defluxione consistit, & varia sortiuntur nomina provt in has aut illas partes humor defluxerit.

COMMENTARIVS.

Diligenter animaduertere debet an affectiones ῥευματικαὶ agnoscant solam sui causam pituitam acidam ac salsam. Galenus loco prius adducto ex sexto Epid. dolorem & malignitatem his maximè duobus humoribus & eorum sero attribuit. Sed hæc inquirere alius sunt loci atque temporis: Itaque ex inquisitione supersedendum puto. Nunc de bile flaua.

Hipp. 4. acut. part. 27. τὰς ἐπιῤῥύσιας censet τῆς μελαίνης χολῆς καὶ δριμέων ῥευμάτων.

TEXTVS PLATONIS.

Quæcunque in corpore inflammantur ardentque, à bile flaua id habent. Cum enim foras exhalat, Græcè αἰ ἀπνοίω ἔξω ἔχουσα, referuens omnis generis tumores, φυσήματα emittit. Inclusa gignit morbos exurentes plurimos. Maximúmque cùm puro sanguini admixta fibrarum genus ex proprio ordine depulerit, quæ fibræ eò sanguini datæ sunt, vt nec minus tenuis nec crassus foret, nec præ caliditate (cùm humor sit) è corpore effluat, & ne præ densitate motioni sit ineptus, & vix in venis sese conuertat. Et cætera. Addit, in mortuo sanguine si quis fibras colligat, is diffluit. Alioqui cum ambiente frigore relictæ coguntur.

De viribus bilis quæ corpus contineat, sensus acutiem faciat meatus corporis apertos retineat, coctioni prosit vide fragment. Galeni ex Stobæo in præfatione librorum de dogmatis Hipp. & Platonis.

COMMENTARIVS.

Non est dubium quin bilis cum accensa fuerit & foris & intus excitato summo ardore & deflagratione, molestias non inferat. Quod ante de pituita alba dictum est quæ haberet suam quandam foras ἀναπνοιω', idem & de bile dici potest. Vnde cùm Hippocrates bonum esse ait erysipelas foras exire, id non fit nisi per istam exhalationem & translationem intus foras. Mirum autem cur dicat bilem in habitum corporis φυσήματα gignere, intus verò πυρίκαυστα νοσήματα. φύσημα enim flatum significat, & aliquid spirituosum, aut inflationem. Et idem facit foris bilis, quod pituita intus. Hæc enim molesta est (vt dictum est ante) ob flatum τῶν πομφολίγων: quid aliud est quàm dicere καὶ τὰ φυσήματα. Nam πνεῦμα, φύσημα, καὶ πομφόλιξ habent aliquid συγγενές. Dicendum est bilem vbi feruet in habitu corporis non tam tuberculum aut verè tumorem excitare, quàm tumorem improprie & potius pustulas. Et τὰ φυσώδεα καὶ φυσήματα ad pituitam potiùs quàm ad bilem flauam referenda sunt. Tamen quoniam vbi bilis cum sanguine feruet, bullæ & tenues vesiculæ excitantur, ideo parum medicè fortasse ea omnia nomine τῶν φυσημάτων comprehendit. τὸ γὰρ φύσημα in bullante humore dicitur. Et ebullientis sanguinis eruptio φύσημα ab Euripide nominatur. Quam significationem Plato est secutus.

Per feruorem enim φλυσταίνια & pustulæ excitantur

Sed quæritur hîc maximè cur bilis cum sanguine mixta fibras è proprio ordine dimouet. Quomodo id fit? Primùm quid est fibrarum genus ἐκ τῆς τάξεως deturbare? an febras elidit, destruit,

x. de morb. ad finem.

vt sanguis expers fibrarum dicatur? Id videtur Plato hoc loco, & Hippocrates (ex cuius doctrina Plato desumpsisse videtur) primus id statuisse. Ita Hippocr. Sanguis ad sapientiam maximè facit: Cùm bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consueta consistentia ac motu emouet, serosum facit & calfacit. Calfacto hoc, corpus concalescit, & homo desipit sanguine in serum transmutato, motu non solito contingente, & præ febre.

Ita ad verbum Hipp. & paulò post de maniacis, Cùm sanguis à bile & pituita corruptus fuerit, morbum habent & dementes fiũt. Vide quî loquatur per verbum φθαρῆναι. Corrumpitur enim sanguis per rei alienæ admistionem; verbum διουρεῖν per resolui in serum vertimus. Et apud Hippo. ἡ γονὴ διουρηθεῖσα, semen morbosum & serosum & generationi ineptum significat. Sanguis, ait Hippo. qui à corpore morbosus descendit genituram serosam facit (διουρεῖ) & ad compingendum difficilem. Serosa autem facta genitura, tempore aut pauco, aut multo cum ichore & sanie egreditur.

lib. de steril.

Cùm itaque Plato ait à bile cum sanguine puro mixta fibrarum genus elidi & perturbari, id videtur esse quod scribit Hippo. A bile sanguinem subeunte, ipsum sanguinem tripliciter affici. Primùm suam consistentiam amittit, attenuatur enim, id quod non fit nisi fibrarum vitio. Item ex proprio motu dimouetur, & alium quendam cursum inflectit. Tertiò calescit. vnde hæc? per bilis subeuntis vim & potestatem. Plato tamen paulò obscurius loquitur quàm Hippocrates. Nam ait genus fibrarum à proprio quodam ordine deturbari ob ipsam bilem. Non dicit fibras corrumpi, non sanguinem attenuari & in ichorem resolui. vnde quæstio est, an tanti sit ista deturbatio fibrarum ex ordine quodam suo, vt sanguis propterea suam quandam σύστασιν, καὶ κίνησιν, καὶ συμμετρίαν amittat? Sequuntur & alia verba Platonis ita obscura: vt nec eam rem aperiant, nec quorsum dicantur, facilè constet.

Affi. itur sanguis à bile tripliciter. 1. 2. 3.

TEXTVS PLATONIS.

Cùm hanc in sanguine vim habeant fibræ, bilis natura facta vetus sanguis, Græcè χολὴ γεγονυῖα παλαιὸν αἷμα, cum rursus ex carne in ipsum sanguinem illiquefacta mittitur calida humidaque sensum primò inuecta ob fibrarum vim gelascens coit; gelatoque ac restincto illius

illius violenter feruore, tempestatem intus tremoremque excitat. At si maiore se vi inferat, euictis à caliditate propria fibris, confusoque earum ordine efferuescēs victrix euadit. Et si ad extremum perdurare validior potest, ad medullas penetrans perurensque animæ ibidem quædam dissoluit retinacula, hancque ipsam liberat. Cùm minor copia est, corpusque liquescens & reluctatur, deuicta aut per corpus vniuersum excidit, aut in superum infernumque ventrem per venas expulsa, deque corpore, velut ex discordi ciuitate eiecta, intestinorum læuitatem difficultatemque affert, & cætera id genus mala. *Textus Græcus sonat, bilis caliditate sua superans, fibras efferuescens in confusionem διέσωσε ad verbum, conseruat. Si destruit fibras, & propriè sanguinem quomodo dicetur διασώζειν? Nam vox illa διέσωσε si præualere significat, frustra dixit κραἰήσασα χολή. Id est, vincens ac superans; hic interpres dixit, διέσωσε, victrix euasit, & tamen τὰς ἶνας non refert ad participium κραἰήσασα sed ad verbum διέσωσε. Quia participium ζέσασα accusatiuum non regit, sed est verbum absolutum. Et pleonasmus est dum dicitur κραἰήσασα διέσωσε, superans, superauit.*

COMMENTARIVS.

Instar commentarij in hunc Platonis locum, vtilis erit explicatio sententiæ Hippocraticæ, quam Galenus summo studio industriaque conscripsit. Docet Hippocrates qui fiant apoplectici quidam repentè & absque causa manifesta, quibus corpus aut plenum est omnino, aut cacochymum, aut vtrumque. In aliis dolor est & tristis sensus in parte quadam, in aliis stupor est & immobilitas. Vbi est summa plenitudo, bonorum fiunt interceptiones, & spirituum. Vbi notabis Hippocratem alibi meminisse ἀπολήψεων τῶν φλεβῶν, alibi vocat τῶν πνευμάτων ἀπολήψεις ἀνὰ τὰς φλέβας. In priore venæ propriè intelliguntur, in posteriore cum ait ἀνὰ τὰς φλέβας, arteriæ vnde per ἀπόληψιν spirituum per venas, audies vel pulsus intermissionem, vel ipsam etiam ἀσφυξίαν. fit autem id cum humores aut in venis aut extra venas sunt ita coacti & compressi præ multitudine, vt calor naturalis opprimatur ac velut stranguletur, id quod vocat πῆξιν καὶ σφήνωσιν τῶν χυμῶν καὶ στάσιν: barbari humorum conculcationem ac incuneationem vocant.

Legatur lib. Theoph. de vertig.

Part. 27. lib. 4. acut.

ad part. 23. 4. ac.

Ac non mirum si vbi hæc eueniunt aut sanguis qui non erat

vitiosus, corrumpitur, vt qui non habeat suam ἀναπνοὴν, aut iam corruptus erat. Vnde Gal. com. in lib. de acut. ait, exeuntibus & flabellatis succis qui sunt fluxionum auctores incorruptus & naturaliter fusus liquidúsque fit sanguis. Cùm manent iidem succi, Græcè στάντων δὲ χυμῶν, natiuumque calorem extingunt καὶ ἀποβάλλουσι (id quod obscurius dictum, ni velis interpretari disiicere & dissipare τὸ ἔμφυτον θερμὸν) sanguis tanquam in mortuo corpore πήγνυται. concrescit ac cogitur, eadem & ferè Platonis verba in eo textu quem illustrandum suscepimus, Cùm bilis facta vetus sanguis (id est ac si dicat id quod in comm. Gal. ait, vbi corpus κακοχυμώτερον ᾖ) ex carne illiquefacta in sanguinem immissa fuerit, ob fibrarum vim gelascens coit. Et eo loco idem Plato ait quod Hippo. in illo libro 4. acutorum & Gal. in com. Cum dolores accesserunt (nam diximus aliàs initio morbi vehementis corpus attonitum immotumque reddi, aliàs mobile, sed dolens) bilis atræ, acriumque fluxionum fiunt eruptiones & incursus, Græcè ἐπιρρύσιες. Hoc quid aliud est, quam humores biliosos velut liquefactos in sanguinem influere & cum eo misceri, & veluti naturalem compagem sanguinis, Græcè σύστασιν violare, aut extra vasa in partes quasdam peculiares hepar, cor inferri, & sic magnas in corpore turbas excitare. Plato fibras violari perturbarique philosophatur; Galenus in eo comm. sanguinem per influxum, & plenitudinem suffocari conculcarique, qui iam aut vitium contraxerat, aut difflatione prohibitus corrumpitur. Subdit Hippocrates, Do„ lent morsæ partes, intenduntur &c. Itaque corrupto sanguine, „ spiritibus naturales vias nequeuntibus transire fiunt perfrigera„ tiones & dolores, grauitates capitis, tenebricosæ obuersationes, „ aphoniæ, &c. ὑπὸ τῆς στάσεως, ob stationem, si iam ad cor & hepar fluxiones repant. Vbi notabis tria, διαφθορὰν αἵματος: spirituum ἀπόληψιν, καὶ humorum aut sanguinis aut vtrorumque τὴν στάσιν. Vnde sanguinis διαφθορὰ, an iam talis erat sanguis? Nam Galenus ait fluxiones acrium humorum contingere τοῦ σώματος ὄντος κακοχυμωτέρου. An per admistionem acrium humorum? an per plenitudinem & πῆξιν καὶ στάσιν καὶ σφήνωσιν? id quod Galenus videtur insinuare. Nam vbi sanguis κακοχυμώτερος naturam stimulat ad excretionem: si id fit intus, & non foras, malo est in particula fortè succus & sanguis laudabilis esse poterat, sed per affluxum acrium humorum calore oppresso, sanguis partis corrumpitur. Sanguis (ait) διαφθείρεται, repleta à fluxionibus particula quæ affi-

ad part. 27. lib. 4.

citur. Plato vult per ingressum istius bilis elidi fibras, & attenuari sanguinem. Et etiam verisimile est cum acres & biliosæ sint effluxiones, & tenues, cum sanguinem subeunt ipsum attenuari. Nisi fortè congelatur & πήγνυται per suffocationem, suffocationem quidem per repletionem.

Si attenuatur quî fit facilè πῆξις καὶ στάσις.

Quod attinet ad ἀπόληψιν spirituum & venarum (nam duo hæc antè adscripsimus,) obseruatur & impedimentum motus in spiritibus, & in humoribus & in sanguine. Dictum quoque ex innumeris Hippocratis locis in sanguine considerari κίνησιν, σίασιν, καὶ συμμετρίαν, καὶ φθοράν. Sic motus in ipso sanguine peruertitur, hinc prudentia hominis alteratur.

De statu quem στάσιν vocat & Galenus & Hippo. Plato, vt ante dictũ est, nomine τῆ στάσεων tumultus, discessio, & seditio intelligitur, itẽ factio. Et cum humores dicuntur ob contrarias qualitates & à natura discessiones, turbare & commouere corpus, ἡ στάσις humorũ dicitur. Et tamen in aliis locis ἡ στάσις significat cessationem à motu, statum, stationẽ & quietẽ. Sic dico contraria nomine τῆς στάσεως comprœhendi vidẽtur. στάσις per se stationem significat, & ex euentu discessum, ἀπόστασιν, seditionẽ. Quia in factione primũ qui facit factionem ab vna discedit parte eamque deserit, ad aliã sese adiungit atque cõfert, ab ea stat parte sic præeunt motu ac separatione in parte alia priori contraria statur, considitur, consistitur. Hinc statio Græcis στάσις. Et quod prius dixit Plato quatuor humores efficere τὰς στάσεις non βάσεις, vt malè legitur, idẽ paulò post de bile loquens ait χειμῶνας efficere, idest, tumultum ac tempestatem. Et in libris de acutis explicans signa plenitudinis sanguineæ ait τῆ ὀμμάτων στάσιας, constantiam & immobilitatem oculorum neruorum principio immobili atque veluti congelato. Et manuum addit διαστάσεις quæ opponuntur ταῖς στάσεσι, porrectionem enim & mobilitatem manuum αἱ διαστάσεις significant.

Com. ad par 26.4 acut.

Ergo τῦ αἵματος φθοράν καὶ διαφθοράν (nil interest) Hipp. considerat, cum nimirum sanguis suam σίασιν amittit aut per rei alienæ mistionẽ (vt de bile dictum est) aut per propriam in se alterationẽ & corruptionẽ ob qualitatũ aut dissidium aut exuperantiã. Pręter hanc φθοράν spectatur motus impeditus spirituũ. Alibi motum impeditum in sanguine respicit: sed id eodem refertur: vnde aliàs dicitur τῆ φλεβῶν ἀπόληψις (de sanguine audiendum) aliàs τῆ πνευμάτων ἀπόληψις. vide opinionem Galeni. Hæc autem maximè fiunt in corpore cacochymo. Dolor irritat fluxionem. fluxio fit

Com. ad par 25 & 27. 4. acut.

& augetur dolor. Auctis doloribus contrarij effectus contingunt. Ideò ait Hippocratem interpretans Galenus. Idque ipsum alterius causa redditur contraria. Atque ista corruptio sanguinis & spirituum, fit ob plethoram partium quam facit humorum influxus, influxum autem dolor & morsus partium. Celerior fit corruptio si corpus cacochymum, & augetur cum suffocatur sanguis ob plethoram. Et impeditur aditus humoribus & spiritibus. Et fit στάσις sanguinis causa perfrigerationis. In textu Gal. legitur ὅταν δὲ ὀξὺ τὸ αἷμα. legendum ὅταν δὲ ἑστῇ τὸ αἷμα, cum steterit sanguis. Ante enim legitur στάντων δὲ χυμῶν. Et insignis est hic in textu error. Ex his omnibus apparet quantùm συμμετρία sanguinis in quanto & quali ad sapientiam actionesque temperatas conferat.

Com. in par. 27 lib. 4. acu.

Paulò longius orationem commentationemque nostram produximus quam institutum fuerat. Sed æstus quidam interpretandi & locos explicandi nos abripuit.

Nunc ad rem institutam aggrediamur; locorum enim obscuritas & difficultas effecit, vt aliquid operæ impenderimus in iis explicandis quæ obiter in classicis auctoribus animaduerterimus. Quanquam aliqua ex iis præter rem, in re tamen & è re esse possint. Diximus quos tumultus, quas turbas & seditiones afferat sanguinis mutatio seu in quanto, seu in quali, seu in consistentia, & aliis id genus. Ergo quicunque naturæ sunt ita comparatæ vt sanguis cæterique humores varias mutationes subeant, eæ sunt variæ, inconstantes, & tamen in aliqua constantia inconstantiam habent. Huiusmodi est melancholicorum natura. Ideò diximus ex Aristotele melancholicos perpetuò medicinam appetere, & ob suam temperiem vehementes appetitiones motionesque habere, nec non corpus eis perpetuo dolere. Vnde & lamentis medicos afficiunt, & querelis subinde repetitis obruunt & obtundunt. Is locus ad institutum apprimè facit. Tales μελαγχολικοὺς interpres vertit, qui atra bile laborant. De iisdem locus est alius apud eundem Aristotelem dum disputat de voluptatibus; impotentiaque aliam ex imbecillitate ortam, aliam ex temeritate considerat. Acutorum hominum & atrabilariorum maximè est temeraria impotentia, quoniam acuti propter celeritatem, atrabilarij autem ob vehementiam; rationem suam & iudicium non retinent, hoc ipso quòd visionem aliquam obiectamque speciem animo facilè sequantur: & alio loco, faciliùs impotentia sanari

Fundamentũ disputationis.

De ea constantia aut inconstantia post dicemus ex eodem Arist.

4. Cap. 7. lib. 7. ethic.

potest eorum qui atra bile tenentur, quàm eorum qui statuunt, nec stant in eo quod sit iudicatum. Quibus ex locis apparet & impetus animi in iis quos atra bilis tenet, vehementes esse, & varios esse ancipitesque melancholicos. Vnde videmus præclaros primariósque homines, ingenio valere, & melancholicos esse, & tamen multa facere quæ hominem constantem decent. Immò ad quandam ἔκστασιν facilè & ad ἐνθουσιασμὸν facilè deueniunt. Et Plato asseuerat ingeniosos plurimùm concitatos & furiosos esse solere. Democritoque placuit nullum virum ingenio magnum, esse posse nisi qui furore quodam percitus fuerit ac concitatus. Et de Poetis Platonis illud, fores poëticæ frustra absque furore pulsantur. Vnde verò in melancholicis varietas ista, ista σφοδρὰ ὄρεξις καὶ ὁρμή? Nec enim in isto furore & ecstasi diu manere possunt. Vnde & illud quod dolendi finem non faciant? an humor in iis efferus? venenatus? non potens regi gubernarique à natura? Id quod placuit Aristoteli. Et similem affectionem melancholicam explicat Hippocrates quam sua lingua φροντίδα vocat, curam vertunt interpretes. Animi quædam affectio est in qua ita ad rem aliquam attentus est, vt ab ea non facilè recedat. Et quod in ventriculo est ἀλύκη, idest in animo φροντίς. ἀλύειν enim Gal. interpretatur, nullo modo quiescere, sed ab vno negotio ad aliud facilè transire. Et tunc ad animum quodammodo τὸ ἀλύειν referendum est. Hæc autem τῆς φροντίδος signa sunt ex Hippo. anxietas, lucis ac hominum fuga, tenebrarum amor, timor, septi transversi tumor, in visceribus ipsis velut spina esse videtur & punctiones: hoc vltimum annotandum est. Etenim conueniens esse videtur iis quæ ab Arist. dicuntur, nempè quod dolor sit quidam assiduus. Nos id experientia docet. Nam videas melancholicos tales querimoniis modum finemque non imponere. Dolet modò pars hæc, modo illa. Et reuera aut fuliginosum excrementum causa est, aut flatus quidam malignus, virulento quoque sero comitatus in membranas καὶ τὰ περιόστια sese insinuat dolorum eam iliadem concitans. Immò placidè non dormiunt, sed turbulentis insomniis mens eorum agitatur. Id explicat Arist. melancholici ideò crebrò in somnis excitantur, quia calore largiore vrgente animus moueri æquo amplius cogatur. Et cum motus vehementior sit, meritò dormire nequeunt. Putat autem Aristoteles placidissimum esse somnum cum motus plurimus est: motus autem est plurimus cum larga caloris copia in partem interiorem retra-

Arist. pro. r. lib. 30.

Melancholici ingeniosi.

In Phædro.

ad finem 2. de morb.

Com ad aph. 56. lib. 7.

Prob. 13. lib. 30.

hitur: id autem fit vbi cibus ingestus est, tunc enim & calor plurimus, & vapor plurimus, & motus plurimu, sic insõnium aut nullum aut paucum. Et isto motu desistente, animus quiescit & prudentior fit. Vbi enim plurima vehementissimaque est agitatio, nullum oboritur insomnium, ait Arist. Nec animus tunc quiescit & per se est cum somnium nullum est, contra qui in motu plurimo est, nec paulisper quiescit, hic nequit intelligere. At cum grauis somnus est, motus est plurimus, agitatur animus, ideo non intelligit, intelligendo somniat. Id facit pro melancholicis, nam si in eorum animis est perturbatio, si motus plurimus, ergo somnus grauis & placidus esse potest, & insomniorum vacuitas est. Contrà euenit, nam & insomniis exercentur, & crebro dormientes excitantur. Sic contrariæ rationes videntur. Ita nodus soluendus. Vt concedant placidum & interruptum esse somnum cum præ caloris copia & vaporum motus plurimus est, tamen si motus iste æquo maior sit, implacidus interruptusque est somnus, vt in ægrotantibus contingit. Ideo apposite dixit pleniùs antè Arist. de melancholicis loquens, calore maiore vrgente, animus moueri æquo ampliùs cogitur. Id autem fit in melancholicis. Hæc de insomniis & motu turbulento in somnis. Quæ fortassis in partem contrariam agitari possent.

Sed istæ mutationes frequentes in melancholicis quæ & ad corpus, & ad animum referuntur, an ratione caloris, an frigoris, an aliarum similium qualitatum fiant? Aristoteles enim id asserere videtur. In quibus, ait, multa & frigida bilis est atra, hi stolidi „ sunt & ignaui. In quibus multa & calida, ij perciti, ingeniosi, ama- „ sij, propensi ad omnem excandescentiam; nonnulli etiam loquaciores. Et quia in multis ille calor sedi mentis vicinus est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, inde „ Sibyllæ & omnes qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum id „ non morbo sed naturali intemperie accidit. Quibus idem calor in „ aliquam mediocritatem remittitur, ij quidem melancholici sunt, „ sed prudentiores. Habitus autem melancholicus vt varios mor- „ bos creat, etiam ipse inæquabilis est. aliàs enim frigidus, vt aqua, „ aliàs calidus. Et si quid formidandum nuntiatur, si habitus iusto „ frigidior, timidum reddet: Si ampliùs caleat, metus inuectus ad „ mediocritatem reducet. Fit sæpè vt angamur succumbamusque „ animo, sed cur, ratio non potest reddi: contrà, securitate animi gestimus, nec rationem reddere valemus. Quod bifariam expli-

Probl. primo lib. 10.

care possumus. Vel quia huius rei causa non redditur facilè, cùm hunc angorem simpliciter humor melancholicus non inferat, vel quod ægri ipsi cur ita sint affecti, vix explicatur. Vnde illud Hipp. timor & mœstitia absque causa manifesta melancholica sunt pathemata. Et reuera timor & tristitia sine causa manifesta melancholiam significant tanquam posteriora: & tanquam priora inducunt. Præ timore enim & ægritudine fiunt homines melancholici. Tamen Aristoteles hîc calori frigorique totum tribuit. Quibus calore natiuo marcescente oritur ægritudo, ij sibi potius laqueum petunt: Et iuuenes potiùs quàm senes se laqueo interimunt. Senibus per ætatem calor marcescit, iuuenibus, per vim ipsius affectus. Quibus calor subitò extinctus est, vti repentè se interficiunt, cum nullum antè indicium præcesserit. Et tandem ita concludit: Cùm atrabilis friget, varias animi molestias anxietatesque gignit, calidior autem, securitatem lætitiamque præstat: hinc pueri lætiores, senes tristiores. Et ait eos qui à coitu tristiores existunt, tales ideo fieri quia excreto semine abundè refrigerantur: contra qui copiam quandam excrementi cum semine emiserunt, leuati sarcina hilariores fiunt. Denique ita concludit Aristoteles. Homines melancholici varij inæqualesque existunt, quia vis atræ bilis varia & inæqualis est. Nam vehementer & calida & frigida reddi potest; & quoniam vim obtinet morum instituendorum (nam cal. & frigidum inter ea quæ in corpore nostro sunt mores condit) ideo nos morum qualitate afficit, vt vinum. Et vinum & atra bilis flatuosa est. Ad finem, post verba quædam inuoluta & obscura, aut melancholicos omnes non per morbum, sed per naturam esse ingenio singulari.

Calid. & frigidum morũ opifex.

Ego verò vereor ne Aristoteles. vt physicus plus æquo tribuerit primis istis qualitatibus, calido & frigido. Et videtur incidere in errorem eorum qui calid. frig. humidum & siccum omnium morborum causas & principia posuerunt. Hippocrates eos suggillat. Nec more vulgi, aut physicorum in iis qualitatibus consistit, sed altiùs sese effert; & aliarum qualitatum, humorumque vim potentiamque considerat. Quod si aliàs, in melancholicis maximè locum habere debet. Nec enim melancholicorum inæqualitates, varietas morum, impetus, milleque animi pathemata affectus sunt simpliciter caloris aut frigoris, sed aliquid aliud præterea est spectandum. Aristoteles quidem iis qualitatibus multùm tribuit vt naturalis scriptor, quod magnam efficientiam habeant.

Lib. de vetere medicina.

Hippocrates contra de iis qualitatibus statuit. Calidum & frigidum omnium qualitatum minimè potentes esse iudico: sed secundis qualitatibus id quicquid est quod in corpore nostro geritur & fit, tribuendum est. Calidum enim & frigidum facilè sese mutuò elidunt & infringunt. Superiùs docuimus quæ sit vis sanguinis acris, salsi & acidi, vt pote quo natura vti recusat. Et ex eo loco eruenda demonstratio eorum quæ hîc dicuntur. Vt autumno humores & serum virulentam qualitatem habent, & malignos morbos concitant, an quia calidi? an quia frigidi? Galenus cum Hippocrate ad temporis inæqualitatem recurrit: ea de re dubito. Sed & adustio, & suppressio fuliginis, & inæqualitas, & intempestiuus victus qui æstate præcessit, & fructuum natura corruptibilis, accedente quadam naturæ & caloris naturalis imbecillitate, hæc (inquam) omnia hæc concurrentia pariunt malignam aliquam qualitatem morborum sui generis fautricem & matrem. Porrò schola medica considerat bilem adustam quatuor modis. Aut enim succus melancholicus naturalis aduritur, aut sanguinis pars purior, aut bilis flaua; aut salsa pituita. Quæ adustione nascitur iudicio & sapientiæ obesse creditur, ad furorem concitationemque animi alioqui plurimùm valens. Si extinguitur, partibus subtilioribus resolutis, remanente tetra fuligine, hinc stoliditas, metus & stupor. Sola naturalis ad sapientiam facere dicitur. Volunt quidem accendi, non vri, vt spiritus tenues, scintillantes excitentur qui propter suam λεπτομερείαν homines agiles & alacres reddant. Sic tamen non est considerandus calor simpliciter, aut frigus, sed humores & quædam aliæ qualitates efficaciores. Et ita terminauisse videmur in eam primam sententiam Hippocratis, quòd sanguis ad sapientiam faciat. Quanquam prima scribendi occasio fuit quæstio de mittendo sanguine in melancholicis, Diorismos ex Galeno attulimus. Et reuera non est vulgaris ea quæstio. Nam si sanguis melancholicorum virus quoddam in se continet, si acer, si salsuginosus aut simili qualitate donatus, ea ne qualitas per phlebotomiam tolletur, aut corrigetur? Dicam vnum à nobis sæpiùs obseruatum. Hypochondriacorum & melancholicorum verè dictorum sanguis non ita facilè corrumpitur & serescit, vt sanguineorum & calidorum humidorumque corporum sanguis. Ratio est. Sanguis eorum si acer, si salsus, si mordax si acidus, ea qualitate se munit & tuetur aduersus communem putredinem.

Arist. primis qualitatibus Hipp. contra secundis multum tribuit.

Cur Autumnus morborũ ferax.

4 modis bilis adusta consideratur.

De viribus sanguinis & succi acidi, salsi, acris (quia quod nutrit dulce esse debet) Hippo. ad finẽ libri de vetere Med.

Sanguis melancholicorũ non ita facile putret ob qualitatem acrem, salsã, acidam mordacem &c.

putredinem. Malignus quidem & doloris parens est eorum sanguis ob inclusam qualitatem nescio quam, quæ naturã stimulat & angit, sed notas non habet facilè vulgares putredinis. Vbi enim semel talis sanguis nitrosus, acer, salsúsque putruit, dij boni, quantos dolores excitat, quam erroneos & vagabundos, & qui cruces ægrotantium medicorumque dicuntur? In maxima hypochondriacorum parte agnosco calorem nescio quem aridum, squallentem, mordacem, adurentem & zymosin fermentationemque in humores facilè inducentem, an ratione istius caloris sanguis demendus, an hac ratione calori natiuo, visceribusque ipsis refrigeratio afferri debet? Qui rerum nouarum accensi desiderio sine distinctione (id quod artis pars maxima est) sanguinem detrahunt, audacter in eo habitu & temperamento id facient, partim caloris acrimonia inducti, partim sanguinis maligna qualitate persuasi: phlebotomia enim minuendo calorem, tandem temperabit reliquum, & partem maligni sanguinis amoliendo, locum generationi melioris præparabit. Item: si tum demum benè habent melancholici cum pinguescunt, temperato & madefacto eo calore sicco qui in iis marcorem maciemque accersit, cur non conferet venæ sectio? Nam & vulgò pinguefacere dicitur. Tollit enim & prauum sanguinem maciei causam, & refrigerium affert isti calori intemperato. Sic ex euentu sanguinis detractio quandam εὐεξίαν inducit. Fidem facit experientia quotidiana, facit & historia extenuatę illius mulieris apud Gal. quæ euacuato impendiò magis sanguine pici simillimo, priorem habitum nitoremque recuperauit. At dices, visceribus ipsis inusta est & impressa sicca & squallens intemperies? quid proficias licet massam sanguinis exhauseris? vnde sanguis πρὸς τὴν φαντασίαν & aspectu apparet laudabilis: Et tamen magna pars melancholicorum, presertim hypochondriacorum aut febre marasmode interit, aut tympanite, nonnunquam ob caloris naturalis ad bonos succos generandos aptis paupertatem; & caloris contra naturam ad κακοπραγίαν facientis, diro hydrope, idest aqua intercute. de hoc viderint qui audentiùs sanguinem detrahere voluerint. At alia etiam ratio est quæ ad liberaliorem sanguinis detractionem adhortabitur, nempe & frequentia doloris & sæuitia. Si enim constat & ex Aristotele & experientia ipsa, eos qui atro succo abundant, vt dolendi, ita conquerendi finem non facere, quod doloris præsentius erit remedium ipsa sanguinis detractione? At dolor non ob calorem, non ob frigus

Phlebot. melancholicis confert, quia caloris acrimoniam minuit, pinguefacit, & dolorum sæuitiam compescit.

adest, sed ob ineffabilem inexplicabilemque qualitatem ipsius sanguinis, quam à nescio qua viscerum affectione & diathesi acquirit. Et natura eum succum vt non mitem & benignum refugit, relegatque & quoad potest, suis facultatis expellentis præsidiis vsa, repellit ac reiicit. Hoc dum fit, dolores in partibus neruosis, quia humor cietur, excitantur. Et vnum notandum est de iis, quòd calcis modo eorum calor fuliginem prauam excitat etiam benignitate alimenti irrigatus: & à sumpto cibo deteriùs multò habent. Immo quasi febricitare videntur. Nec est quod dolor in iis frequens ad sanguinem demendum prouocet. Si autem quoties de dolore conqueruntur, toties sanguis detrahatur, vt conquerendi, vt dolendi, ita euacuandi sanguinis finis non fiet. Hoc tamen relinquendum erit medentium prudentiæ, vt cui, quando, & quantum, & cur sanguis mitti debeat, intelligant. Vt enim in iure omnis definitio periculosa, ita generales propositiones in arte medica sunt periculosæ. Nam distinctione & diorismo indigent, qui est velut anima earum propositionum generalium. Alioquin in magnos errores promptus est lapsus. Hæc est doctrina Hippocratis, qui expendens has propositiones, omnis caseus bonus, omnis malus, omne vinum meracum bonum malumue, docet quantis subiaceant erroribus qui ne definitè eas pronuntiant. Idem de sanguinis detractione in melancholicis, an facienda, an non, crebrius-ne an rarius. Tandem vt commentandi finem faciam, melancholicis præsertim si localis in cerebro fuerit melancholia, aut si hypochondriaca, benè consultum volo consideratis iis quæ in cursu orationis à nobis sunt demonstrata. Nam in melancholicis hæc maximè considerantur: viscerum ipsorum calida siccaque intemperies: prouentus humorum adustorum, vnde scabies, lepra, morphæa, terminthi, claui, varices, hæmorrhoides, maculæ, exanthemata πυελκαυσα vt vocat Hippocrates, cancri, carcinomata, denique formidolosus ipse elephas. Præterea cutis obstructio, fuliginosi excrementi suppressio (quod excrementum quia inutile planè, eo natura non vtitur vt sero, sed quantum potest excludere nititur) quæ suppressio grauium symptomatun causa existit: dolorum frequentium generatio & prouocatio modò in his, modò in illis partibus: vt numquam reperias melancholicum sine dolore, siue quod ita sit, siue quod opinione & τῇ φαντασίᾳ maius quiddam sit. Et nisi libri nostri certam fidem facerent de generatione causæ istorum dolorum, nos crederemus omnes ementitos

Vnde videmus tumores melancholicos vt cancros, carcinomata plumbo, cerussa, solano, plantagine aeizoo iuuari. Quia adustio ipsa tabesque humori impressa eo remediorum vsu iuuatur.

Generales in iure definitiones & in medicina propositiones periculosæ.

lib. de vetere medicina.

5.

Biliosi cum sint πλατύφλεβοι tamen tenues sunt, quia natura non fruitur isto sanguine. Ideo Celsus ait, Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat.

eos dolores & fictitios. At aliter res habet. Quanquam non negamus τὴν φαντασίαν plurimùm posse in melancholicis. Hæc cùm ita sint, cùm sit viscerum δυσκρασία, obstructio, suppressio, prouentus humorum acidorum, acrium, salsorum nitrosorumque (addo etiam virulentiam & κακοήθειαν & peculiarem putredinem) non tam fortè cogitandum est de frequenti aut luculenta sanguinis detractione, quàm viscerum & humorum correctione, quam ἐπανόρθωσιν vocant. Sic frequens vsus balneorum lactis asinini, iusculorum (nisi forte borborismi & fluctuationes & flatuum origo prouentusque impediat) ex carnibus vitulinis paratorum, tranquillitas animi conducit: Denique id quicquid tollens colorem eum plumbeum & citrinum melancholicorum, εὐχροιαν, καὶ εὐσαρκίαν, καὶ εὐεξίαν conciliat. Tunc enim benè habere creduntur. Vt idem in melancholicis fiat quod in hęmoptoicis consulit Hippocrates, vt sanguis velut pinguis & benignus reddatur. At vulgus credit sanguinis frequentem detractionem pinguefacere, quia minuitur calor acer, febrilis & mordax qui maciei causa est. Pituitosum enim fit corpus. Pituita autem alendo est idonea, non pus, non ichor, non bilis vtraque, ait Gal. ad part. 44. lib. 2. acut. De vsu medicamentorum dubitatur. Nam alij vehementer purgantia calidaque pręscribunt. Vnde hierarum & confectionum, vt hamech, logodij, Rufi, Archigenis, operosa concinnatio ad melancholicos definita & destinata. Pręclarius Mesuęus, qui quodammodo temperat illud aduerbium Hippocratis ἁδροτέρως, vt non adhibeatur ea vehementia quæ Hippocrati placuisse visa est. Nam vult melancholicos non semel, non bis, sed frequentius purgandos, non validè, vt natura euacuationem regat & moderetur, non naturam regat euacuatio. Præclariùs Aëtius de emolumento hierę Archigenis qua melancholici & epileptici iuuantur, non quod bilem excernant nigram, sed quia (ait) dispositio impressa partibus solidis sensim aboletur & exteritur sine commemorabili excretione humoris. Etiam minima quantitate, sed frequentiùs, sumebatur confectio hæc, vt sensim fieret delendo diathesin, quod non nisi cum periculo si ἀθρόως id fieret, contingere potuisset: contra faciunt quidam Medici celebres purgatores, qui non cessant purgare, donec totum corpus exhauriatur & macrescat. At iste humor non tam est irritãdus quam fouẽdus, alendus, mansuefaciendus. Et malo fundamento vtuntur tales Medici, cùm melancholici morbi non tam consistant in humore, quàm in partium

6.

7.

Tanti facienda est εὐδιαφόρησις in omni morbo, vt non sit ferè alia ratio recuperandæ valetudinis.

Arist proble. 54. lib. 1.

ſolidarum (in quibus ἡ φύσις conſiſtit) vitio & diatheſi. Id quod cum Archigene animaduertit Aëtius. Vt ſenſim ſentiam me labi in recentiorum opinionẽ qui morbos quoſdã τῆς ὅλης οὐσίας nouo exemplo & inuento, conſtituerunt. At vereor ne diutius exactiuſque de melancholicis comminiſcens melancholicus fiam. Circa enim ſtudium, vigilia, vehemens & pertinax exercitatio, commentatio, animique contentio ad eam diatheſin inducendam valet. Sed malo commentandi finem facere, vt ne ego mihi pro ſubiecto & materia fiam. Ego autem miſertus dolenſque vicem melancholicorum, hanc ad ſcribendum materiam præſumpſi. Maximè verò impulerunt tria, medicorum non ſatis conſiderata in morbis melancholicis curandis ratio, eorumdem pudor, & calamitoſorum ægrorum tædium. De Medicis hoc dicam. Omnes in melancholicorum cura ſemper accuſant lienem, & cum ſplen viſcus ſit frigidius, foris & intus calfaciunt impenſè: omnes enim herbæ ſplenicæ ferè ſunt calidæ & ῥυπτικαί. Sic lædunt: & vt concedam ſpleni cõſulere, reliquo corpori officiunt. Cæterùm in his morbis medicos & pudet tantę diuturnitatis & querelarum, & ægros tędet. Sic vt tędio & pudori conſulatur, videndum eſt. Aliqui & pro remedio ęgris deſperatio, & arti infamia pro laude continget.

ANNOTATIONES.

1. *Hanc quæſtionem agitat Ariſt. prob. 38. lib. 11. Cur lingua hæſitantes ſint melancholico habitu? an quia properè ſequi imaginationem non niſi melancholicum eſt? hæſitantes autem tales ſunt. Nam impetus dicendi præruit & antecedit facultatem eorum cum animus viſa ſequatur. Balbos conſtat habere inſtrumenta vocalia tardiora: & tales vinolenti redduntur, cum ſuam imaginationem non rationem ſequantur. Tamen credibilius eſt balbos, gracili voce præditos & lingua hæſitantes verè melancholicos eſſe, non pituitoſos, nam idem Hippocr. 1. epid. vocis gracilitatem & hæſitationem oborta varice elidi ſoluique ſcribit. Id quod inquiſitione dignum eſt.*

2. *Omnis enim ſanguis vitioſus ſe ipſo integro tenuior fit, in ſerum enim ferè degenerat. Hippo. hoc loco id videtur ſignificare. Sed hæc ſententia de ſanguine vitioſo qui attenuatur eſt Ariſto. prob. 2. lib. 10. Sed ſi ſanguis putrens per putredinem fit ſeipſo tenuior, qui ſtabit illud Hipp. lib. de carnibus, quòd aqua putrefacta ſeipſa fit craſ-*

ſior, vt & cætera omnia. An illud verum? Mirum quod hoc tempore tantum ſit ſeri in ſanguine: Sexentis(ait Galenus) quotidie venam ſecamus, pauciſsimam aquam ſupernatare reperimus, ſanguine concreto, quamquam omnibus quibus vena ſecanda eſt, corpus malè eſt affectum, & læſa omnium naturalis adminiſtratio, tum ne his quidem aqua ſupernatat, niſi pauca naturaliter habente corpore, renes ſerum perpurgant cap. 6. lib. 5. De vſu partium. Et quæſtio, id quod abſceſſus eſt in partibus extra vaſa, id ipſum eſt fibris in venis, vnde quod pus eſt in abſceſſu, id eſt hypoſtaſis in venis, in morbis venarum per putredinem tenditur ad attenuationem, nam ſanguis ſeroſior fit & tenuior(id quod in febribus quartanis fit) in abſceſſibus tenditur ad craſſo factionem. Sanguis aqua multa dilutus non probatur vulgo à Medicis. Tamen ex Hipp. 4. de morb. non videtur ea aqua inutilis. Nam febri aqua eſt inimiciſſima. Bilis & humor bilioſus nutrimentum eſt febris. Ex eo loco probares ſudores eſſe inutiles, quia exhalat aqua quæ bilem & calorem temperaret remanetque humoris pars craſſior & velut ſtrigmentum.

3. *Cæterùm animaduertere oportet ſanum dici bifariam, abſolutè, & latè. Melancholici qui perpetuò parte aliqua laborant, etiam ſani dicuntur, ſed late: & tamen dolent, dolor autem contra naturam eſt. Illi non abundant maxima ex parte ichore, ſed flatu. Ichore non ita abundant nec febriculoſi ſunt: flatu non abundant qui* πνεῦμα *quoddam amicum eſt, ſed qui* φύσα, *de quo Hipp. lib. ſcripſit. Sic ſurditates quæ in febribus contingunt, item & parotides, vtræque cum per raptum mixtionemque bilis eueniunt, cruditatem etiamnum morbi indicant Et inter locos Galeni commemorabilis eſt iſte, cum dicit, crudum tandiu morbum dici, cum bilis cum ſanguine permiſcetur.*

4. *Melancholici nec ſano ſunt corpore, nec animo, licet magnorum ſint facinorum autores. Strenuè & vehementer agunt & habent inſipientiæ & ſapientiæ interualla. Idem iis contingit, quod & amantibus Comici contingere dicunt; horum diſputationes ſana conſilia habent aliquando, ſe ſtatim reſurgentis amoris vi ac ſæuitia deuincuntur.*

5. *Didicimus ex Gal.* ἐξερύθρους *& ſanguineos melancholicos fieri: & Gal. ad part. 70. lib. 3. epid. ſect. 3. Quibus multus ſanguis & calidus generatur, ij promptè in melancholicorum humorum vitium deueniunt. Bilioſi qui venas amplas habent & ſanguinem feruidiorem facile fiunt melancholici. Nam calor magnus & materia multa,*

multam exustione fuliginem excitat, ait Hipp. part. 1. sect. 6. lib. 6. epid. Nescio cur Plinius cap. 38. lib. 11. dicat biliosos abundare sanguine & eo pingui. Nescio cur dicat sanguinem pinguem. Nam soli obœsi & qui sanguinem pinguem habent, non fiunt melancholici.

6. Faciei pallor est in maxima melancholicorum parte. Vnde ait Celsus, quibus diu color (sine ictero) malus est, ij vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. Deinde paulo post agit de pallida & tumida facie cap. 7. lib. 2.

7. Passim diximus in melancholicis (maximè per adustionem & suppressionem) fuliginosum esse excrementum, quod est multorum malorum causa. Ideo reseratio cutis & temperatio prodest. Nam cum biliosi & calidi sanguinis æstum in præcordiis habeant, multam excitant fuliginem. Ita ait Hipp. 6. epid. Calidior venula (id est arteria) sanguinis copia exustum gignit.

8. Herbæ splenicæ & quæ dantur melancholicis si non vincant calore, tamen tenuitatem partium habent & siccant. Sic in earum vsu erratur, vnde Auicenna in quodam capite loquens de cura dolorum capitis. De humoribus istis melancholicis locutus ait, Si doloris causa sit succus melancholicus & is naturalis & phlegmaticus, administrentur calfacientia cum humectantibus: Si adustus succus melancholicus, remoue omne exiccans, & calfaciens, & sis contentus humectantibus. Id quod notandum est, nam ἀδιορίστως videmus tenuantia, calfacientia & siccantia melancholicis præscribi: Et tum maxima pars melancholicorum fit ab adusto humore. Quorsum enim audito melancholici nomine statim ad Capparis corticem aut decoctum myricæ seu tamaricis confugitur? Cortex capparis abstergit, incidit, excalfacit, digerit, contrahit, densat &c. Quid opus his viribus in plurima melancholicorum parte, cum ea visceribus calidis & siccis esse videatur. Immo Dioclis opinione in iis lactium venæ ardeant & inflammentur. Tamaricis etiam cortex digerit & siccat, quorsum ad melancholicos qui sicci & squallidi apparent?

CONSILIVM V.

De Causo.

DE febre quæ Græcis Καῦσος, latinis ardens febris, barbaris Causon dicitur pauca commentari mihi consilium est. De eius causa, signis assidētibus & pathognomonicis: De sede humoris: De crisibus; & de Causo proprio loqui animus est, prætermisso & relato in aliud tempus Causo illegitimo. De vtroque author libri 4. acutorum abundè sed confuse scripsit. Causa autem quæ nos maximè impulit vt hoc negotij susciperetur, est varietas opinionum. De pathognomonico signo veri Causi. video enim Galenum quodammodo varium, maximè dum loquitur de siti, quæ ἀχώριστον, & signum pathognomonicum febris ardentis esse perhibetur. Et tamen aliis in locis non necessario adesse sitim apparet, cùm tamen facultas naturalis integra satis videatur. Et tamen cùm medici hominem causo correptum sitis expertem vident, extinctam facultatem esse autumant: Ita enim Hippo. In Causo sitis ἀλόγως malignum: Quod si necessariò sitis adesse non debet, id in malis non est ponendum. Itaque ea de re videndum est, vt constet de siti vbi adesse aut abesse debeat.

1.

2.

Primùm audiamus Galenum de distinctione febris tertianæ veræ & ardentis, quoniam vtraque habet aliquid ὁμογενές. Ardens & tertiana febris materiâ conueniunt, loco ipsius materiæ non conueniunt. vt fiat febris ardens, in venis præcipuè iecoris & ventris vbi maximè bilis abūdat, Tertiana fit cum totius corporis carnes nimis affluunt bile. Si carnes bile affluunt, non est necesse rigorem in tertiana excitari à vasis in habitum corporis per propositionem, omnis rigor, aut ab vlcere, aut à vase. Ideo si cutis stringatur biliosorum, & quantùm bilis in carnoso congestum genere antè expurgabatur, quia in statu ab Hippocrate descripto, non purgabatur, ideo febres tertianæ natæ fuerunt. Hinc patet in venis ventris & iecoris bile putrefacta & accensâ Causon gigni: Tertianam bile in vniuerso corporis genere carnoso congesta & accensa.

Com. ad part. 20. sect. 1. lib. 1. epid. & cap. 3. lib. 2. de crisibus: in tertiana enim per totum corporis habitum bilem ferri ait.

3.

Ex eo Galeni loco magna Italorum medicorum pars in febre tertiana corpus vniuersū superficiariis scarificationibus euacuat

Nunc est differentia de loco. Sed est locus alius qui prædicto quodammodo aduersatur. Eo loci inquirit Gal. de sede ardentis febris & de pathognomonicis signis, præsertim de siti, quæ aliàs pathognomonicum ardentis febris putatur, Galenus ita scripsit, In vna corporis parte, quæcunque illa sit, interdum causus gignitur, interdum in toto corpore. Si in toto fit corpore, sitis adest necessariò, cùm verò in vna parte, non de necessitate sitim infert, nisi pars ipsa sitim pariat. Omnium primum id facit os ventriculi, deinde ventriculus, post stomachus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum.

4. Sitis quãdo est. Tamen in ep. l 1. Quod sitiant causo capti, hoc proprium est febris καυσώδεως.

Ex hoc Galeni loco duo commemoratione digna venari oportet. Prius est quod non videatur stare differentia inter Causon & tertianam simplicem. Prius enim dixit tertianam gigni cùm totius corporis carnes bile abundant: hic causi sedem vnam statuit totum corpus, alteram, partem vnam. Hic & causi & tertianæ febris focum statuit in totius corporis carnibus. Quæ ergo differentia est? Et paulò antè in eodem commento apertius explicat quid vniuersi corporis nomine intelligat, Si in sola parte materia redundet, aut ab ea attrahatur, erysipelas existet, verùm si venæ totius corporis exsiccatæ carnosis è partibus humiditates attraxerint, in toto corpore affectio excitabitur, quæ causon referet. Id quod maiorem quandam solertiam requirit vt intelligatur. Ægrè enim intelligi potest quî & causus, & tertiana febris in toto corpore excitetur & foueatur. vnde mouens eam quæstionem Galenus dubitando ait, An solùm causus fit cùm venæ arefactæ biliosos ichores allexerint? An non & carne patiente Causus erit, seu in parte vna, seu in toto corpore pati eam contigerit?

Gal. com. ad apho. 37. l. 4. Acuta febris fit humoribus putrentibus. Putrescunt vel sæpè toto corpore, sæpiùs in vasis solis.

Com. in part. 33. sect. 3. lib. 3. epid. ardentẽ febrem & phrenitici affectiones esse ἐρυσιπελατώδεας declarat

Posterius quod ex contextu Galeni colligitur, est, quod sitis non est Causi pathognomonicum. Inseparabile enim foret, cùm de essentia ipsius febris ardentis dicatur. Ait enim Galenus aliàs in Causo sitim adesse, aliàs non. Adesse, si in toto corpore focus sit febris, aut si pars quædam focus sit quæ necessariò sitim accersat. Non adesse, si pars aliqua laboret & focus sit qui sitim necessariò non afferat. Sic in Causo omnino & necessario sitim adesse non oportet. Ideo medicus de Causo præsagiens, si quempiam Causo implicitum viderit & expertem sitis (quæ alioqui magna esse debet) non statim malè ominari debet, & vacuitatem absentiamque sitis facultatis naturalis intermortuæ signum esse existimare.

An sitis signũ causi pathognomonicum.

Id quod ad honorem dignitatemque Medici apprimè pertinebit.

Sed est apud Galenum, locus alius aliud quàm ante edocens: æstuare, vt & perpetuò sitire, est ardenti febri peculiare. Nullum aliud est insigne argumentum. Est enim sitis assidua & exurens calor, quæ duo perpetua sunt. Hippocrates (ait Gal.) ardentem febrem assiduitate sitis cognoscit & caloris exurentis, vt phrenitin delirio assiduo. Sit alia febris quæ corpus fundat & liquefaciat, non priùs tamen vocabitur ardens quàm adiunctam habeat perpetuo sitim immensam, & ardentem & fastidiosum calorem. Et tamen Hippo. narrat de febribus ardentibus in quibus ægri erant soporosi & non multùm sitiebant : nec enim febris valdè acuta erat. Sed hoc raro contingit vt non sit vehemens sitis, præsertim si febris non ita sit acuta, licet ardens existat.

Com. ad part 34. sect. 3. l. 3. epid.

part. 34. eiusd. sect.

Et alio in loco narrat Hippocrates in quadam constitutione ardentes febres & phrenitides vagatas fuisse, deinde subdit: Et alij sitibundi erant, alij non. Ita Gal. Potuissent aliqui non sitire vel ob facultatis potum appetentis offensam, vel quia maligna humiditas illis ad ventrem non confluxerat. Omnibus enim putrida quædam humiditas fuisse collecta, sed non pari portione, nec æquè praua.

ad particul. 14. sect. 3. lib. 3. epid.

Hic locus maximè facit ad dignoscendũ cur quidã in febre ardente non sitiant, & sint cibi in appetentes.

Alij sitibundi erant, quia confluxerat humor vitiosus in mentem. Nam cum bilis, vel pituita salsa ventriculi tunicas imbibit, sitis inexplebilis excitatur. Tum quia os ventriculi nondum ab humore ita læsum erat, vt facultas corrupta foret. Tamen omnino, saltẽ vt plurimùm, sitis intolerabilis est comes ardentis febris. Ideo authorem libri quarti acutorum redarguit, quod non tanquam pathognomonicum sitim annumerarit describens Καῦσον, sed tantum inter συνεδρεύοντα, idest, assidentia retulerit. At signa συνεδρεύοντα possunt & adesse & abesse.

com. ad part. 4. lib. 4. acut.

Vt tandem de siti aliquid constet, vt ne decipiamur frustraque & imprudenter de ægris aliquid non pronuntiemus. In febre ardente sitis adesse debet, vt absolutè dicatur aliquid, & è genere τῶν παθογνωμονικῶν est, non autem è genere τῶν συνεδρευόντων: nam si è genere assidentium foret, abesse posset satis sæpè. Tamen, vt antè declaratum est, est causus in quo non sit necesse adesse sitim, præsertim si focus Causi sit particularis, & in ea parte quæ inflammata & erysipelatis modo affecta sitim non prouocet. Quæ Galeni sententia est, vt doceat existere Causon quendam, cuius patho-

ἀνακεφαλαίωσις de siti.

gnomonicum non sit sitis. Et tamen semper audire oportet verum Causon. Nec enim mirum si in Causo non exquisito non ita inexplebilis sitis adsit Quanquam Hippocrates etiam loquens de secunda specie Causi quem pituita salsa generat inter signa, magnam sitim recenset.

4.acut.par.13

In causo si quæ sitis adesse debet, non adsit his de causis id fieri potest, vel quia, vt dictum est, focus non est in parte quæ sitim afferat: vel quia mens læsa est, vt affectionis sensus non sit, & nil repræsentetur animo ipsi quia mens (in qua est τὸ κριτήριον) labat & ægrotat: vel quia facultas naturalis potionis appetens in ventriculo residens extincta est. Omitto communem illam vulgaremque causam, nempè descensum & distillationem pituitæ dulcis qua tonsillæ, & fauces irrigantur. Si impedita sit tantùm ad tempus aut languidior, sed non extincta & emortua facultas, potest sitis ad tempus non sentiri, deinde percipitur: Notandum porrò est facultate naturali ventriculi emortua, sitim non adesse, quia impressionem causæ sitiferæ huc referre autumant. Mente quoque labante & læsa, non putat se sitire æger, quia mens speciem istius affectionis non recipit. Id obscurum est, sed si quis intelligat qua ratione is doloris sensum non habeat cuius mens ægrotat, distinctionem istam haud dubiò est percepturus.

Quibus de causis sitis quæ adesse debet in causo non adsit.

Cæterùm cùm sitis absentia in Causo abolitæ facultatis index est, alia signa lethalia recenset Hippocrates.

Item ante ex Hippocrate & Galeno diximus non adesse sitim in Causo, vt cùm putrens humiditas in ventrem non influxit. Est & ex recentioribus quidam, qui vnum non negligendum adnotauit, nempe cur sitis sit aliquando maior quàm febris, & cur sit minor quàm febris. Sitis maior est quàm febris, vt cùm in inflammatione iuxta os ventriculi, arescit magis os ventriculi quàm cor exuratur: Et contra, cùm facultas languet, aut venter multa natat humiditate sitis febri non est analoga, est enim minor quàm febris. Ego verò etiam ea de re meum interponam iudicium: Vidi plerosque febrientes ardente febre, aut non valdè dissimili, & tamen cum calor esset acerrimus, lingua exusta; signaque forent ardentis febris, tamen non aderat sitis, aut ea mediocris. Ratio verò non referenda videbatur ad aliquam causarum suprapositarum, sed ad instrumenti propriam affectionem. Lingua cùm sit aut pellucida, aut nigra exustaque, & totus stomachus cui illa continua est, eo penè modo affectus sit, arentibus iis

Com. ad part. 14. sect. 3. lib. 3. epid.

Cur sitis maior aut minor sit quam febris.

6.

Instrumenti propria affectio causa est vacuitatis & absentiæ sitis.

partibus & supra modum siccatis non percipitur sensus indigentiæ, quia neruus subiectus linguæ non est eo modo affectus & dispositus esse quo debet. Itaque vacuitas absentiaque sitis non est signum emorientis facultatis, sed indicat abesse sitim, non causam quidem eius, sed sensum necessitatis & indigentiæ sitiferæ deesse ob partes malè affectas, vt pote superficie exusta & torrefacta, in quibus causæ sitiferæ prima impressio & sensio esse debet. Hæc nostra est coniectura, quæ si cui probabilis videatur, excipiatur, sin minùs, verisimiliore probabilioreque adducta, explodatur.

Itaque non quoties in Causo sitis abest, quæ tamen παθογνωμονικὸν esse creditur, toties malè ominari de Causi euentu oportet, nec statim de ruina & casu facultatis naturalis in ventriculo & hepate residentis, iudicare, cùm certis aliis de causis abesse sitis possit. Ad sententiam Hippocratis accessit Fernel. cap. de febrium symptomatis, Interdum, ait, corpus febri exardescit sine siti: non quod frigida distillatio aluum proluat, sed quod ardoris causa longiùs sit à ventriculo. Quæ Hippocratis opinio est.

Antequam finis extremaque manus huic πραγματείῃ imponatur, duo breuiter attingam quæ ad hoc de causo institutum pertinebunt: Prius est, cur in causo extimæ partes inalgeant: Posterius de causis ipsius Καύσου ex Hippocratis mente, maximè verò de procatarcticis quas videtur Hippocrates in Causi generatione plurimi fecisse.

De priori parte dicemus, incipiendo ab iis quæ dicuntur ab Hippocrate de secunda Causi specie, in qua dicit, lingua salsa, extrema frigida: cur potiùs meminit extremorum frigidorum in secunda Causi specie quàm in prima. Primam speciem excitat attractio ichorum biliosorum à venulis arentibus: secundam pituita potius salsa. Galenus tacitè redarguit autorem libri quarti acutorum quod indistinctè dixerit in Causo secundo & notho frigere extremas partes. Nec enim frigent extrema nisi cum malignus est. (malignum autem morbum dicimus eum qui communem sortem aliorum morborum superat, & ægrè curationem admittit) Si enim non est malignus Causus in extimas partes calor expanditur. Si salsus humor vel in pulmone, vel ventre, vel in hepate putruerit, fumosa est caliditatis substantia. Si malignus morbus, refrigerantur extrema ob virtutem imbecillam, & ob magnitudinem phlegmones sanguinem vniuersum ad se attrahentis. Duabus enim de causis morbus lethalis dicitur. Nota imbecilli-

part. 16. l. 14. acut.

7.

8.

Inflammatio & maligna humorum putredo causæ sunt ob quas continua febris fit.

tatem & phlegmonen duas esse causas. Galenus in apho. duas causas memorat ob quas febris continua existit, nec tendit περὶ τ̃ ἀπορεξίαν, inflammationem & malignam humorum putredinem. Inflammatio præsertim ἀξιόλογος retrahit intro calorem: & maligna humorum putredo & κακοήθεια humorum vires imbecillas affert. Galenus in prorrhetico explicans quę causa sit cur vires ad summũ veniant imbecillitatis nulla præeunte vacuatione, duarum causarum alterutram assignat, vel copiam grauantem, vel vnius principiorum δυσκρασίαν. Inflammatio verò partium internarum an morbum facit malignum? Id Galenus videtur loco suprascripto, item & Hippocrates, ita enim, Febres ex hypochondriorum doloribus, malignæ. Quæ sententia indistinctè pronuntiata: febres ait Galenus, non omnes febres malignæ sunt quæ sequuntur affectionem partium in ventre contentarũ; sed si ob septum transuersum affectum, aut hepar, aut ventriculum contingant. Deinde ait, Quinetiam licet ventriculus inflammetur, aut septum, aut hepar, non statim febris maligna est dicenda, acuta fortè dicenda, quanquam ne hoc quidem verum est, nedum maligna ob phlegmonem harum partium dicenda videatur. Vnde idem Gal. non semper æstuans febris sequitur ad vteri inflammationem. Id quod non omninò verum videtur. Nisi fortè dicamus eos Gal. locos audiendos de inflammatione aut parua aut magna. Et dum Hippocrates meminit dolorũ hypochondrij tacitè inflammationem insinuat cuius comes est dolor. Quanquam vt ingenuè fatear, indistinctè pronuntiatum est illud, Febres ex hyponchondriorum doloribus, malignæ. Id quod Gal. repræhendit. Melius enim veriusque diceret, febres ex cerebro, vel membranis affectis, vel à corde affecto, vel ventriculo affecto, malignæ. Ergò non abs re quæsiui an febris ex eo maligna dici posset quod phlegmonem etiam satis insignem partium internarum sequeretur. In vtramque partem rationes nituntur.

Com. ad part 5. l. 2 prorrh.

9.

ad part. 21. sect. 2. prorrh. Gal. in com. præcedentis particulæ.

In Causo frigent extrema, id quod malignitatis signum esse superius est dictum, id quod falsum esse ex eo loco hic ex Galeno citato patet. ad part. 14. sect. l. 6. epid.

Gal. com. ad præfat. sect. 2. l. 3. epid. vbi ex professo expendit hunc aphorismum, an febres ex hypochōdriis malignæ.

Persequamur institutum nostrum περὶ κακοήθους, & de causis perfrigerationis partium extimarum tum cùm omnia intus ardent & conflagrant. Id quod in continuis febribus conuenit, in intermittentibus numquam obseruauit Galenus. Solis ardentibus malignis & lipyriis attribuit idem author. Causa hæc esse putatur, cum fortis phlegmone vel erysipelas interno profundóque euenerit in corpore; totus sanguis ad locum patientem reuoca-

10.

Com. ad aph. 48. lib. 4. ibidem.

tur, vruntur profunda, cutis refrigeratur, vt fit in principiis accessionum. Sed an ista phlegmone vel erysipelas malignæ febris quatenus talis est, essentiam constituit? Quod enim antediximus ex Galeno meliùs dici febres malignas ex affecto cerebro, vel iecore, non hoc absolutè dicit Galenus, sed quasi disputando & oppugnando sententiam authoris prorrh. de febribus ex hypochondriis, probabilius esse ait pronuntiare febres ex affecto cerebro esse malignas, non autem febres ex hypochondriorum dolore, quod tamen author prorrhetici explicauit.

Vt terminetur disputatio de perfrigeratione partium extimarum in Causo, maximè verò in eo quem pituita salsa putrens parit, ita Galenus audiendus: Extrema frigere in causo & febre quæ ἀσώδης dicitur, ob magnam viscerum inflammationem contingit, quæ phlegmone ex crassis fit succis. Qui prima Causi specie tenentur quem parit ichor & tenuior bilis, liberantur faciliùs, quòd tenuis & feruens humor sit. Posteriorem Causon pituita potius salsa gignit quæ tantam febrem, quantam bilis, non affert, nec tantam sitim, nec ita in spiritum vertitur & euanescit. Immo sæpe adest alui profluuium non iuuans, quia non ita facilè coquitur & obsequitur ista pituita putris.

ad part. 47. lib. 4. acut.

In textu Gal. ait, nec febrē auget.

II.

Declarant quoque & ipsę crises. Nam cùm tenuis est materia crisis fit per abscessum καθ' ἔκρουν: cùm crassior & pituitosior per ἀπόθεσιν. vnde Causus secundus per parotiden aut hæmorrhagiam soluitur, cùm focus in pulmone est: si in ieiuno intestino vel hepate, coxarum dolor, pudendi liuor, testis ipsius contentio vel quia in eo ipso teste inflammatio concipitur, vel quia attrahitur ab aliqua parte superiore inflammata, hæc, inquam omnia, iudicatoria existunt. Antequam finio vnum addam, an acutarum febrium materia, licet pituita sit, frigida esse possit vt ratione istius frigoris materiei & extimæ partes algeant, & frigidi sudores emanent. Galenus vult acutas febres gigni vel in solis vasis putrentibus humoribus, vel in toto corpore. Et quod frigidus sudor sit in acuta febre hanc causam recensuit, Cum putreant humores in vasis, eoque ex putredine magna caliditas sit, & tamen quæ excernuntur frigida sentiuntur, exitiale idest, docet enim in animalis corpore humorum multitudinem superbundare tantam frigiditatem habentium, vt nec à calore natiuo, nec à febrili calescant. Sic acuta febris mala vt signum & vt causa. Causa quidem, quia promptè dissoluit corpora: signum autem quoniam humorum

ad part. 17. l. 4. acut.

An acutarum febrium materia frigida.

Quis sit focus febrium acutarum.

Com. ad aph. 37. lib. 4.

multitudinem esse frigidissimam ostendit, vt quæ neque à calore febrili transmutetur.

Ex hoc loco duo venari & colligere possumus, vnum est, acutarum febrium etiam causam frigidissimam esse, posterius si ita sit, & si ex Galeno pituita salsa causi causa sit, cur ita sanguis audacter demitur in Causo: cùm ita sit materia frigida vt neuter calor & natiuus & febrilis calfacere queat? Deinde Galenus sibi non constat, quorsum enim frigidi sudoris causam ad materiam ita frigidam refert? Idem enim esse iudicium videtur de frigidis sudoribus & de partium extimarum perfrigeratione. Causa enim cur in Causo algeant partes extimæ, interioribus ita ardentibus, est phlegmone interna visceris alicuius, & imbecillitas. Phlegmone & incendium internum attrahit foris intrò more cucurbitularum, ipsum calorem naturalem. Idem verò de externarum partium frigore & frigidi sudoris causa, videtur esse iudicium, sicque Gal. sibi dissentit: nam frigiditatis partium externarum causam ad phlegmonem internam reuocat, sudorum frigidorum causam ad materiæ frigiditatem.

Quomodo in Causo non conferat venæ sectio. Et ad hunc scopum Arist. pro. 6. l. 1. & prob. 29. eiusdem libri quærit cur hyeme febres ardentes sæpè graßentur.

Non est ergo recurrendum ad copiam materiei frigidæ tanquam acutarum febrium causam. Galenus enim scribit morbos longos à crassis & frigidis humoribus nasci; acutorum morborum, præsertim qui vel sunt continuæ febres, vel febres comites habent, causa est humor calidus & tenuis qui vel æqualiter in omnibus corporis partibus aptus est generari, vel loco aliquo est inclusus. Ideo in acutis morbis subitæ fiunt mutationes ob natutam humorum morbum committentium. Nisi fortè recurramus ad id quod scripsit Gal. ad histo. de Sileno & Philini vxore, pessimos & grauissimos esse morbos in quibus pituita & bilis magna copia (& ferè æqualiter) colligitur. Sic bilis adurentem calorem mouet, pituita & succus crudus calfieri nequit, vnde sudorum frigidorum prouentus. Nec reuera admittere possum istam Galeni rationem qua dici febrem acutam pessimam esse vt signum quod significet multitudinem materiei frigidissimæ. Melius in eodem commentario dixerat succis ex putrentibus in vasis, vehementem caliditatem sequi posse, naturam verò solidas partes regentem, idest calorem natiuum, ex eodem Hippocrate, aut extingui aut proximam esse interitui, dum in febre acuta in qua omnia & foris & intus ardere debent, sudor frigidus apparet, & partes extimæ inalgent. Idem Gal. exponit in epid. quomodo respiratio ini-

12. com. ad aph. 19. lib. 2.

ad aph 37. l. 4

tio morbotum acutorum ſit frequens, deinde rara, & corpus refrigeſcat, quia humores putres æqualiter accenſi ſunt, & diſcuſſo calore febrili tam paucus reſtat calor natiuus, vt proximè occumbat.

Vltimam partem rerum inſtitutarum expediamus de cauſis procatarcticis quatenus ad Cauſon pertinebit. Nam cùm ichores acres à venulis arefactis attrahuntur, & febris καυσώδης excitatur, id in cauſis antecedentibus numeratur. Sed labor, vigilia, hauſtus vini meraci poſt inſolatum externarum cauſarum in cenſu eſſe creditur. Breuiter id attingemus. Sunt ex medicis qui cauſas procatarcticas negligũt, ſunt qui pluris faciunt. Nã cum extra corpus poſitæ ſint, videntur negligendæ: tamen καὶ πρὸς τὴν διάγνωσιν καὶ τὴν θεραπείαν non parum habent momenti. vulgus ferè totus eſt in cauſis externis, & fruſtra eas cauſas tanti facit. Nec enim videndum quid morbum faciat, ſed quid tollat, ait Celſus. Externæ cauſæ internas & antecedentes quaſi irritãt & prouocant. Ab externa enim cauſa ferè fit initium motus, id quod eleganter indicat verbum προκατάρχειν. Huc pertinet quod Gal. ſcripſit, Cauſæ externæ diarias febres excitant ſi corpus morbo non ſit opportunum: Et ita laboraſſet Silenus, ſed quia iam ad aliquid deterius aptum & comparatum erat corpus, ideo graui morbo eſt implicatus. vnde ſtatim morbi initio grauia diraque ſymptomata apparuerunt. Et cauſæ procatarcticæ tam lethalem morbum non produxiſſent, ſed internas cauſas prouocantes & laceſſentes, mutuas quaſi operas in perniciem Sileni dederunt. Sed vt omnis ea de re tollatur ambiguitas, adduci debet autoritas Galeni qui quodam loco de iſtis cauſis precatarcticis ampliſſimè dixit omnemque dubitationem leuauit. Et quoniam ille textus paulò prolixior eſt, piget tranſcribere. Tamen propter vtilitatem huc transferam: Hipp. non purgat eos qui ob intempeſtiuos labores capite dolent. At corpore noſtro ad morboſam diſpoſitionem parato, vt propè completa ſit, aliquid externum accidens eam affectionem patefecit, febrem accendens, vel capitis dolorem, vel catarrhum. Deinde ex eo continenter ad morboſæ affectionis diſpoſitionem non ſine periculo languent: & tamen non curſus morbum excitauit, aut motio, aut intemperantia. Nil enim horum ſua natura vehementem languorem excitare poteſt. Si febris ex his cauſis fit, Diaria eſt. Si enim nulla ſubſit diſpoſitio, nullum morbi genus inde conſequetur.

Cauſarum procatarcticarum obſeruatio non negligenda in medicina facienda.

ad hiſt. de Sileno. 1. epid.

Interhomines qui a cauſis procatarcticis mouentur & excitãtur, hîc in ſolã diariam incidet, hic non ægrotabit, ille in morbũ grauem labetur. Quare? quia ita ad morbum erat diſpoſitus.

cõ ad part. 115 ſect. 4. acut.

"Cauſæ procatarcticæ ad morbos graues inducendos ſunt inefficaces, niſi corpus ſuſcipiens ita ſit diſpoſitum.

13. Et tamen, vt aliquid nostro ingenio comparatum afferamus, potentissimam vim passionum animi esse affirmamus. Causa hæc

14. προφασις nec ne dicatur, tamen vbi quis ex ægritudine tanquam causa procatarctica in morbum incidit, grauissimè omnium laborat. Ipsa enim ægritudo imprimit nescio quid animo, deinde corpori, animi instrumento, vnde functionum omnium & omnis œconomiæ ratio, &, vt ita dicam, cardines concuti ac conuelli videntur. Et nisi ipsa ægritudo resederit, ægrè autem leuatur ac residit, vix ac ne vix quidem corpus suum primum robur ac vigorẽ recuperat ac resumit. Declarat hecticarum prompta ob ægritudinem animique pathemata & mœrorem generatio. Quod enim vix longo interuallo facit febris etiam satis magna, idest, contactis partibus & solidis partibus ipsius cordis hecticam non generat, id breuissimo spatio facit mœror animique ægritudo. Immo nostrã ipsi experientiam iudiciumque interponemus. Nos nos (inquã) in ipsis operibus Artis experientia didicimus eos omnes quos mœror ægritudoque animi in morbum, tanquam primaria ac externa causa coniecerit, aut lethaliter aut grauissimè periculosissimeque ægrotare. vix enim ægri, si liberari debent, etiam rebus omnibus ritè factis, liberãtur. Tanta est vis ipsius ægritudinis pathematumque animi. Nam cùm omnis ægritudo miseria est, tum etiam est carnificina. habet ardorem libido, leuitatem lætitia gestiens, humilitatem motus: Sed ægritudo maiora quædam affert, tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem: lacerat ipsa, exest animum planeque conficit.

De viribus ipsarũ ægritudinum authoris sententia.

Hæc ex Marco Tullio in Tusculanis.

15. Itaque cum ægritudo tale sit monstrum & quod renascentis hydræ instar, repullulet ac reuiuiscat, qua possumus ratione, & animo penè hercule oppugnemus, vincamus, elidamus, conteramus. Denique eam animi præsentiam infractionemque adhibeamus quæ masculam virilemque virtutem in nobis inesse declaret ac testatur.

ANNOTATIONES.

1. *Hippo. Causon fieri autumat cùm venulæ arefactæ acres & biliosos ichores ad se traxerint. In Græco nomen plurale* τὰ φλέβια *legitur. Et aiunt quidam ex Hippocratis doctrina, Causon propriè gigni cùm venulæ attraxerunt, vt* ἐν τοῖς φλεβίοις *Causus consistat, sed aliæ febres continuæ* ἐν ταῖς φλεψί. *id est in maioribus venis.*

2. In

2\. *In causo aluus sæpe fluit per inflammationem ieiuni intestini & lactium vnde & impeditur ἀνάδοσις, & fit bilis & ichoris generatio, vnde alui irritatio vnde quando post Causon succedit hydrops, is habet ferè coniunctum fluorem alui. Quod notandum est. vnde in tali casu & balneum potest conferre vt diximus alibi: Et phlebotomia ratione inflammationis potest conferre, (id quod multis non placet) etiam aluo fluente. Et reuera in causo vero & illegitimo fluit soluta aluus nullo profectu, ob lactium & ieiuni inflammationem & propter immodicum potum, & corruptionem alimenti quod in corpore & ventre bilioso & æstuante bilescit, vnde excernendi calcar. Vnde cum in febribus aqua summo sit remedio ad sitim, quæri solet an confertim & raro an parum & sæpè propinanda rationes vtrimque concurrunt. Vid. Arist. probl. 57. lib. 1. probl.*

3\. *Quæ ob solam flauam bilem febris accenditur, sine aliquo visceris affectu, & si maneat adhuc intra vasa bilis, ardens febris vocatur. cap. 6. lib. 2. de crisibus.*

4\. *Febres acutæ fiunt putrentibus humoribus. Putrent autem sæpius toto corpore, sæpius in vasis solis. Com. ad aph. 37. lib. 4. Com. ad part. 33. sect. 3. lib. 3. epid. Quibus in iecoris & ventris regionem, maximè in eius os κακοχυμία irrepserit, hos ardentes febres solicitant.*

5\. *Inter cæteros locos ex quibus colligas Causi sedem esse in habitu corporis, vnus est com. ad histo. 10. sectio. 2. lib. 3. ep. vbi ait febrem ardentem à biliosis esse humoribus, ideo necesse esse in ea muliere coaceruatum humorem biliosum κατὰ ὅλον τὸν ὄγκον τοῦ σώματος. Per totam corporis molem. At in primis venis & simo iecoris cruditates fuisse, vnde alui profluuium & vrinæ tenues. Sic causa coniuncta τοῦ καύσου erat in habitu corporis, non in ore ventriculi, primis venis & cauo iecoris, quod tamen fieri aliis locis autumauit. Quidam vt distinctionem assignent aiunt καῦσον ἐν τοῖς φλεβίοις consistere, siue toto corpore sparsæ sint venulæ, siue in vna parte, At aliæ febres vt synochi & συνεχεῖς ἐν ταῖς φλεψὶ, id est in maioribus venis quæ inter alas & inguina interiacent. Id Hippocratis doctrinæ quadrare autumant: Quod an sit verum, quæstionis est.*

6\. *Gal. com. in particul. 59. sect. 3. lib. 3. epid. cur in Causo quidam sitiant, alij non crassitudo humorum & tenuitas aquosa aceruata erat (supple circa os ventris quod est sitis sedes) vtraque frigida est sua sponte: vel acquirit calorem à putredine. In quibus calor putredinosus acquirit in iis sitis, in quibus non, non adest.*

7\. *Quoniam autem pituita sæpè multa est, & copiosior quàm vt*

queat & à calore febrili & naturali calfieri & transmutari, ideo in imo corpore manet calor, in extimis non elucet. Gal. com. ad aph. 37. lib. 4.

8. *Cacoethia in febribus, Cacoethia in vlceribus. non omnis humor vitiosus κακοήθειαν inducit, nec omnis putris, sed quem κακοχεξία corrupit atque deprauauit. Et tamen Galenus apho. 57. lib. 5. ait in Cachexia sanguinem suam symmetriam seruare. Si seruatur symmetria, cur cachexia auget putredinem humorum?*

9. *Quid est necesse partium extimarum refrigerationem signum esse malignitatis? Nam quia sanguis in media corporis parte colligitur (ait Galenus) in Causo, ideo eò reuocatio fit caloris & spiritus; id quod ipse Galenus docet com. in part. 21. sect. 2. prorrh. vti partium internarum inflammationes magni quidem facit, sed ideo malignas esse non dicit.*

10. *Si reuocatio caloris & spiritus ob internam phlegmonem causa est algoris partium extimarum, physica est hæc ratio, & non ideo causari oportet malignitatem aliquam. Tamen Gal. dum in secunda specie causi pro symptomate frigus partium extimarum recenset, ait, non perpetuò Causus talis est, idest, comitatus frigore partium extimarum, sed cùm malignus fuerit. Sic cacoethia hoc symptoma causatur. vide ad par. 16. lib. 4. acut.*

11. *Causus qui habet sedem in pulmone, hæmorrhagia liberatur, ait Galenus in 4. acut. Tamen per eundem peripneumonia non amat hæmorrhagiam: ferè par esse ratio videtur Causi focum in pulmone habentis & peripneumoniã. vide de peripneumonia cap. 3. lib. 3. de crisibus. Pleuritis amat hæmorrhagiam, partim non amat, & inter causon & peripneumoniam ambigit. Minus enim quàm Causus amat, & magis quàm peripneumonia Gal. ibidem. Gal. in epid. generaliter, non habita ratione ipsius foci in pulmone pronuntiat hæmorrhagiam omni causo familiarissimam.*

12. *Morbi longi sunt trifariam, vitio partis, culpa ægri & ignorantia medici, nec non pepasmi difficultate. Hæc in tribus consistit, in copia materiæ, naturæ imbecillitate & meatuum angustia.*

13. *Hic damno animi pathemata. Est tamen vbi prosunt in ægris, est vbi obsunt. Docuimus aliàs quomodo ὀξυθυμία prosit. Qui locus est notandus. Et Gal. com. ad part. 9. sect. 5. l. 6. epi. docet quibus de industria ira excitari debeat, & quibus non; quibus cor & caput calidiora sunt, & affectu calido laborant, sed contra. Et Gal. ait Hippocratem consuluisse in defectibus animi irritationem quandam*

animi, vt conatus fortitudine, defectus imbecillitate sanetur. Vide Gal.cap.11. lib. de ther. ad Pisonem. vnde notatur ex Hippo. illud, Colorum mutationes fiunt aut corde laxante (vnde pulchri & pellucidi,) aut constringente, vnde subuirides. Tristitia & mœror στενοχωρίαν affert. Et hist. 11. sect.3. lib.3. epid. vide quos effectus habuerit mœror, cùm tamen esset morbus tantum à plenitudine (id quod minimè est periculosum, & facit vt etiam dies sextus benè indicet vt de virgine Parissæa patet) nam conuulsiones & terrifica fuere symptomata.

14. *Melancholici & quibus animus in miseria est, habent quædam interualla, sed amatorum more, licet eorum disputationes sana quædam consilia, ea statim amoris resurgentis sæuitia ac impetu deuincuntur: sic melancholicis contingit. Sed notandum quî mœror, & ἀπανθρωπία, idest fuga hominum testentur πάθος μελαγχολικόν apud Hipp. in Coac. Hollerij. vbi animaduertit interpres ab eodẽ humore contraria extrema pendere, heroicam virtutem & ἀγριότητα, cum homo quasi hominem exuens fit μισάνθρωπος. legatur locus iste.*

15. *Quòd in ægris & viris prudentibus mœrorem damnemus hilaritatem præsentiamque animi desideremus, id temperandum est. aliud est gaudium, aliud hilaritas. Hæc profusum sæpè risum inuictum habet cum expiratione sonora & intercisa. Gaudium à rebus seriis & animo pacato & conscientia rerum cum virtute iunctarum, ducitur, hoc boni viri citra tamen risum fruuntur.*

CONSILIVM VI.

De Impotentia coeundi.

INutilis sæpè est Medicorum opera, qui opiatas excitandæ, explicandæque veneri proprias architectantur & concinnant, quò ægri & corpore & animo dominabus sint gratiores: Nam hîc iudicio opus est, vndeque frigidiores ineptique, & insulsi ingrati sunt salacissimo mulierum generi. Et obiter vnum notandum, quòd is tardus dicatur, qui corpore, & membris ineptus est, & imbecillus ad venerem, & ideo minus amabilis apud dominas. Tar-

Donatus in Eunuch.

dus facilè venerem non explicat, id quod est meretricibus odiosum: insulsus qui caret sale, non est salax, & cupidus coitus.

Aliquãdo non arrigit verpus, alias arrigit sed moliusculus est. Sic non subit, nec semen eiaculatur. Id fit aut vitio peculiari instrumenti, aut totius corporis morbo, aut seminis defectu, aut eius inefficacia, vt minùs turgeat, & penuria spirituum laboret, & minùs intentus maneat verpus.

Videndum de ætate, si ætas congrua, an olim minùs aut magis aptus fuerit, an procliuior ad libidinem, vt vetere vbertate quasi arefactus languerit, naturáque infirmior manus quasi dederit.

Videndum quoque an naturalia illi non laboratint, an mercurij litum aut cinabrij suffitum passa fuerint, an vitio diætæ vt si vinis albis & tenuioribus vsus fuerit rebus liquidioribus, quæ quasi laxant, & effœminant carnes & semen. Assa enim carnem solidiorem reddunt scire oportet an parciùs ederit, vt sufficiat ad esse, non autem ad robur.

Item canones alij sunt obseruandi vt loco & tempore congrediatur, non crudus; alioqui ineptus erit: præcedente titillatione, vt sit ad venerem incentiuum & calcar. Id fit retenta vrina, & meiendi desiderio.

Minus bona habitudo ineptitudinem istam conciliat vel quia totum alimentum ab sumit, & non sinit semen esse reliquum, vt succulentæ & εὐσαρκοι nutrices, minùs sunt aptæ, fiunt enim vasa angustiora, & in viris & in mulieribus, præ mole & pinguitudine. Rationes apud Aëtium exponuntur à nobis.

Denique videndum ne, quæ ad fertur, infœcunditas, aut impotentia vt iusta repudij causa, sit imaginaria & falsæ & mendacis amicitiæ testis. Sunt enim corpora quædam quæ simul iuncta quamdam habent antipathiam ad iustam fœcunditatem & lętam de qua sic Plinius loquitur. Est quædam priuatim dissociatio corporum, & inter steriles, vbi cum aliis iunxere gignunt Acetosa, & olera fugienda: Commendant Asparagos ad excitandam venerem, facilis est vsus: Absit ieiunium: vitetur nimia repletio: tum ne cruditas oriatur aut ne reuocatus calor, & spiritus ad ventriculum pleniorem deserat testes & partes semini mitificando, & cogendo destinatas.

Nimia cura obest, soliciti arrigunt, sed fugax est erectio.

Quidam hoc commendant quod sequitur.

℞. Amygd. pistaciarum, pinearum, & dactylorum an. ℥ i. conseruæ satyrij, anthos, myrobolanorum condit. an. ℥ i. cortic. citrij conditi. ℥. i. ſ. zinzib. conditi ʒ ſ. ſcincorum vino albo lautorum. ʒ vj. carnis caponis, & perdicis an. ℥ iij. cinnamomi caryophill. nucis moſch. an. ʒ ij. macropip. ʒ j. galliæ moſchatæ. ʒ j. ſeminis aniſi, fœniculi an. ʒ ſ. ſacchari ℥ xij. fiet opiata, vtatur ſingulis matutinis, vel hac ſequenti.

℞. Satyrionis conditi ℥ ſ. Radicis & ſeminis aſcalonij an. ʒ i. ſ. ſeminis erucæ, fraxini & paſtinacæ an. ʒ j. renum ſcincorum ℈ iiij. conſeruæ eryngij ℥ ſ. zinziberis conditi ʒ ſ. confectionis alkermes ʒ j. ſ. cum ſyrupo conſeruationis ſatyrij fiat opiata, de qua cap. dormiturus ad quantitatem nucis moſchatæ adde conſeruam anthos.

℞. Aq. vitæ ℥ iiij. ſeminis ſtaphidos agriæ ʒ iij. macerari ſinas per horas duodecim ad verpi totum, & perinæi.

Ex maiore parte iſtorum ſimplicium concinnatur à Fernelio opiata nomine Diaſatyrion; huic ineſt mira vis calfaciendi: ſed & in multis, vt antè diximus, bona victus ratio ſanguinis boni, & ſpirituum proba generatio, vnde fœcundum & multum ſemen conficitur, & ſuperfluit ex reliquiis alimenti, ſic cibus & potus primas tenent, bellariorum & multorum ciborum infarctus (vnde æſtus & turbatio contingit) nocent plurimum ſanitati, & minus fœcundos, & ad palæſtram veneream idoneos reddunt. Notandum illud Hipp. cibaria, & potus & obſonia (excepto pane & maza quæ fit ex farina hordei toſti liquore aliquo ſubacta) exceptis & carnibus, & piſcibus, & aqua reliqua omnia tenues & debiles vtilitates habent ad augmentum, ad robur & ad ſanitatem. Ad ſanitatem (ait alio loco) optima ſunt quæ modicè ingeſta ſufficiunt, vt & famis. & ſitis ſint medela.

[Margin: 1. — *Lib. de affectionibus.*]

Quod ſi ob cauſam aliquam impotentius reddatur corpus, eſt opiata Analeptica apud eundem Fernelium cuius vſus eſſe poteſt in eo affectu.

ANNOTATIO.

1. *Non perperam hoc adieci de reficiundis & conſulendis viribus ſed quod primum animaduerti debet, eſt quòd non ſemper more medicorum practicorum ad excitandam venerem impensè calidis vtendum eſt. Nam calidiora extingunt ſemen, vt ſabina & agnus caſtus.*

Item quidam temperamento ſunt calidiore, & æſtuantiora habent viſcera, & hi minus ſæpè ob δυσκρασίαν iſtam minùs apti ſunt ad explicandum venerem: deinde verò quæ ſunt calidiora flatus diſſipant, quorum vſus aliquis ad arrectionem: itaque hìc iudicio opus eſt, nilque temerè agendum.

CONSILIVM VII.

De Fœdis coloribus.

Difficile iudicatur in quo febris hæc virginalis conſiſtat, ſi eſt obſtructio cur aliæ febres ab obſtructione non habent eadem ſymptomata, greſſum difficilem, & alia? cur non color oliualis in aliis febribus? ſi allegatur ætas virginum (nam & anno ſeptimo, & ſequ. morbus oritur) cur mares iuniores quibus debet eſſe hæmorrhagia iis virginalibus ſymptomatis non præhenduntur? aliquæ quidem experiuntur mala, ſed quæ cum fœdorum colorum, (ſic enim morbus iſte latens à ſymptomate nomen ſortitur) incommodis grauitate, & vehementia non auſint contendere. An quia inſtat tempus menſtruum, & natura quia vellet intendere excretionem iſtam, nec poteſt, inteſtinum quoddam & cœcum quoddam fit bellum, omnium malorum author? An quia marium, & mulierum morbi longo interuallo differunt? Non videtur iſte motus menſium cauſa, nam & ſeptennes virgines decolores fiunt, celeriùs virgines quàm mares ęgrotant iſto morbo, vt extra vterum facilius creſcunt, & adoleſcunt vt ſanguis non requiratur ad incrementum cùm iam ſatis idoneum habeant. Quidam morbi ſunt neruorum, venarum alij, muſculorum alij, carnium alij, alij arteriarum: ſic morbus, id eſt ea febris virginalis fœdo colore comitata in arteriis ſedem potius habet, & iis quę ad ſplenem pertinent, vnde lienoſum cor habere dicuntur, & ſaliens & καρδιογμὸν, id eſt celerē motum cordis, & palpitationi ſimilem, „ ſæpe ob ſanguinis φθορὰν, λύσιν καὶ ἔκστασιν; ſic Hip. in Coacis, ait de„ colorem faciem cum greſſu difficili, ſpirandique difficultate, & de„ ſiderio rerum alienarum, ſignificare ſanguinis corruptionem & „ exolutionem ſeu φθορὰν καὶ λύσιν, Theophraſtus in ſeminibus vo-

cat φθορὰν ᾗ ἔκςασιν. id est è natura egressionem ea corruptione prægressa.

Ratio victus in primis seruanda.

A glutinosis & obstructiones parientibus abstinendum, maximè de potu prouidendum; sitis enim est insatiabilis: aqua cum quarta parte vini, talleolis, citrij & sacchаro pauco valet, vino diluto vtatur aut decocto graminis, & ceterach cum cinnamomo & chalybe. Non bibat dormitura.

Curatio.

1.

Non constringat corpus vt iuncea appareat.

Clysteres frequentes ex maluis, capill. veneris agrimonio, chamæp. anetho, mercur. cuscuta cum hiera, diaphæn, lenit. catholic. melle mercuriali, sacchаro rubro.

Purgetur corpus, aut medicamento familiari, aut syrupo solenni; vitetur vsus rerum multùm aperientium metu paralyseos. Non vtatur multis iusculis vt fere fit, sanguis fit serosior, & putris amittens natiuam consistentiam, & alendo inutilis est.

2.

Rond. de splenis affect.

Assis vtatur moderatè assis, vt caro sit solidior, & firmior; ideo in pastu probo decoctum rad. scynæ, immo per dies aliquot vtatur sudori blande eliciendo.

Hipp. 2. de diæt.

Si febris adsit, venę sectio: breui etiam tundenda saphena, sedata febre balneum aquæ tepentis, item pedum lotio.

Confert litus ex oxyrrhodino ad sæuitiam doloris capitis familiaris.

Vtatur sæpè semine fœniculi florentini, aut tabellis diarrh. abbatis.

Pilulæ ex puluere hierę tartaro pauco, croco martis agar. rheo, senn. cinnam. terebinth. gummi ammon. spica nardi, electi triaſ. trochisc. de myrrha, syrupo, de hyssopo: si respuat pilulas, sit in vsu medicamentum paratum ex decoct. rad. enul camp. torment. sanam. eryng. rubiæ maioris, fol. eupat. polytr. bipin, scab. beton, flor. veton. altilis bugloss. & genistæ, coquitur senna infund. rheum, cum ligno aloes & cinnam. syrup. rosa. pall. dissoluetur, ex iis parari poterit syrup. magist. aucta dosi omnium.

Purgato corpore vtetur sequentibus tabellis.

℞. pul. scynæ & sassafras añ. ℨ. j. limaturæ chalyb. præp. ℥ j. lumbr. terræ præp. ℨ ij. raſ. ebor. cor. cerui, diamarg. frig. añ. ℨ ſ. pul. rubiæ maior. cort. citrii cond. conf. rosar. bugloss. añ ℨ ſ. ligni aloes & cinnam. añ. ℨ ſ. cum sacchаro in aqua bugloss. & roſ. soluto. fiant 24. tabellæ, pondus sit singul. ℥ ſ. capiat. per dies 24.

Hæc non sunt vsurpanda si hysterica sit mulier.

Crocus martis hoc in affectu primas tenet, ideo minori cum apparatu parari poterunt hæ pilulæ.

♃. Croci martis ℥ ſ. ſauh. ʒ. iiij. cinn. & granor. Ker. añ. ʒ j. fiat Elect. per tabellas, vel opiata ſeq. erit in vſu.

℞. Conſ. bugloſſ. viola. borrag. añ. ʒ vj. conſ. campanæ & conſol. añ ʒ I. corticis citrij ʒ ij. nuces conditas duas puluer. lætif. & diatr. añ. ℈ j. confect. de hyacintho ℈ ſ. ſennæ pul. ℥. j. croci martis ʒ iij. cum ſyrupo de pomis fiet opiata de qua cap. ad magnitudinem nucis.

Hipp. 2. de diæt.

Decoctum ſcynæ parabitur. habita ratione ætatis, corporis, & temporis, addita radice cichorij.

Laudatur vſus aquarum naturalium, ob aciditatem ratione æſtus.

ANNOTATIONES.

1. *Vnde remedia quæ crocum martis recipiunt, peculiarem vim habent ad fœdos colores & viſcerum infarctus contumaces. Quidam infundunt certam huius quantitatem in vino albo cum ſemen. coriand. aut ligno Aloes, & de eo propinant 3. aut 4 vncias ſingulis matutinis.*

2. *De vſu iuſculorum crebro quæſtio eſſe poteſt, cum ſanguis ſit ſeroſus. nam cùm tumeat caro & leucophlegmatriam minetur, frequens iuſcul. vſus videtur abſurdus. ſic eſt quædam eo in caſu* ἀντένδειξις *nam æſtus internus eſt: item dubitant an ſanguis ille ſeroſus & ſubuiridis ſit ante febrem, an poſt, & ſingulis diebus febre rebellante magis corrumpatur.*

3. *Aſſæ carnes ſolidiorem carnẽ præbent Hipp. ſed febris, incendiũ interius, ſitis, aliter ſuadent: hic iudicio opus tales virgines auriginoſum corpus habentes vt & ij qui prauis ſcatent humoribus famem & ſitim ferunt, quod maligno humore abundent qui eis inſtar pabuli eſt: ſic vene nata animalia nec fame nec ſiti pereunt, quia in ijs nec calor, nec ſanguis, nec ſudor.*

Plin.

Æger

CONSILIVM VIII.

De Scelotyrbe.

AEger nobilis affectu laborat iam annuo qui scelotyrbe dicitur, & est species quædam paralyseos partium interiorum ab osse sacro, & spinæ superiore parte cum genuum infirmitate, initio data medicamenta valida per os sumenda: decoctum hermodactylorum, cùm tamen à mitioribus esset inchoandum, in eo bis peccatum est, & quòd data medicamenta purgantia per os cùm inferiores partes malum occuparet. Illud enim est axioma Galeni: Quæ per ventrem inferiorem fiunt purgationes, fluxiones in partes vicinas conciunt: Alterum peccatum quod initio data valida medicamenta, cùm mitius agendum foret ita; enim princeps, dum loquitur de curatione paralyseos initio; ne properes initio in vsu fortium rerum, imo tarda vsque ad quartum & septimum, lenit initio, clysteribus vtitur, & reuera consilium illud principis est sani iudicij, & qui omittunt grauiter in medendo peccant.

1.

L. κατὰ τόπους.

lib. 3. fen. 2. cap. 4.

Nocent valida medica. initio. in paralys.

Cùm à spina dorsi malum sit, consuluimus vsum cauteriorum summa parte media & ad os sacrum.

Vsus clysterum conuenit addita Terebinthina, item terebinthinæ per os sumendæ.

Litus ex axungiis addita terebinthina, castoreo aut oleo chymico.

In pastu potio Guaiacina diluta, aut sarcæparillæ decoctum.

Opiata ex puluere scynæ, senna, rheobarbaro & puluere laxatiuo, addito melle.

Fotus ex calfacientibus herbis.

In lecto eliciatur sudor instar stupharum siccarum, confert balneum adstringens cum alumine aut magma ex vinaceis.

ANNOTATIO.

1. Plin. lib. 25 cap. 3. notat in Germani Cæsaris exercitu citra rhenũ ex vitiosi & medicati fontis aquæ potu, vi malefica cõspurcatæ

duos nouos exilÿſſe morbos ? quorum primus neruos crurum adeo oblædebat vt compages in genibus diſſoluerẽtur & crura vacillarent quem ob id σκελοτύρβην appellarẽt. Alter putridum erat oris male olentis vitium quod στομακάκην rectè appellabant quo intrà biennium omnes dentes decidebant. Reperta autem auxilio eſt herba quæ vocatur britannica, non neruis modo, & oris malis ſalutaris ſed contra anginas quoque & ſerpentes.

CONSILIVM IX.

De Elephante-pedum.

VXor filij, ſan-germani magni inæquali erat temperamento, internorum bellum & calor, externarum partium, frigiditas, humiditas, & manuum quidam mador, Tumor erat crurum & pedum ſiniſtrorum, cacochymia ſuſpecta erat, licet faciei color niteſceret.

1. Vnde illud faciei εὔχροια & mœſtitia multa malum Hipp.

Iuſſa eſt à multis iuſculis abſtinere metũ leucophlegmatiæ. Interea non negligenda, interna intemperies, purgationes inſtitutæ, phlebotomia, vſus vini aqua temperati, ſemen coriandri & fœniculi à paſtu, moderatè tamen quia ſitibunda eſt, Redacta ad aquas Niuernenſes, plumbares pro balneo.

Si malum rediuiuum, fotus ex lexiuio ſarmentorum additis lupinis, & alumine, & vino ſtyptico, furfur contunditur aſpergitur aceto mulſo & applicatur.

Item ordinatum hoc cataplaſma.

℞. Farinæ hordei, fabarum añ. ℥.iij. farinæ lini, orobi & lupinorum. añ. ℥.ij. coque in oxymelite parato cum camæpyti & betonica, ſcabioſa, chamæmelo. Adde radicis ſigilli beatæ mariæ crudæ ℥ j.ſ. pulueris roſ. chamęmeli añ. ʒ j.ſ. Ireos ʒ.j. cum oleo chamęmeli, fiet cataplaſma. Aliquando addetur ſapa & terebinthina. Aliquando parabitur cum vino.

Item fiet cataplaſma ex furfure frumenti impoſito ſartagini addito vino albo, & aqu. decoct. camæm. Hirudines valent.

Si malum arte ſuperius fuerit, vtatur ad dies aliquot ſarſæparillæ decoct. vel rod. ſaſſafraſ. Valet radix mechoacan.

ANNOTATIO.

1. *Elephas seu Elephantiasis; Leontiasis aut Satyriasis & lepra arabum à nonnullis dicitur, Tumor est secundum modum qui accidit in venis varicum qui in vnaquaque parte organica potest contingere in cruribus, pedibus, virga, lingua, toto corpore, vt Nicomacho apud Gal. Accidit autem potissimum iis quibus intemperata sunt viscera, maximè iecur & lien, vnde perennis fit humoris melancholici adusti aut pituitosi prouentus qui quidem humores dum ad partes inferiores transmittuntur, eos in tumorem attollunt. Signa sunt, caliditas loci asperitas, color niger aut fuscus, eruptio sanguinis nigri ex partibus affectis, vrina crassa, excrementa Alui melancholica, vsus rerum sanguinem, & humores adurentium.*

CONSILIVM X.

De Puella trienni nauseam patiente à natiuitate.

PVella triennis ex quo nata est nauseam ἀνέμετον patitur, causam mali referimus ad intemperiem hepatis, bilis multæ genitricem, & facit biliosam parte superiore vel quod τῇ φύσει & ἕξει à natura ductum habet à folliculo fellis in fundum ventriculi.

Biliosi sunt φύσει vel ἕξει

1.

Clysteribus vtendum putamus, cùm aluus libera est, ægra à molestia hac libera quoque est.

2.

Victus humectans, refrigerans, perperam alij medici malum à capite repetiuerunt & siccantibus vsi sunt.

3.

Abstineat à multo butyro, pinguibus iusculis cum omphacio, vel succò limonum conuenient, vtatur malis granatis, & malis aureis.

A pastu sumat cydoniatum Aurelianum, vel simile non crassum Abstineat ab iis quæ obstruunt.

Vtatur vino dilutissimo addita aqua, radicis graminis, aut cichorij; & quia vix admittit medicamenta in declinatione lunæ

vtatur aqua Rhei, vel ſyrupo, de cichorio, vel caſſia in bolo, vel clarificata, vel Rheo, colato per manicam Hipp. cum cinnamomo & ſaccharo cando, vel pauco Iulep. roſato.

Syrupus roſarum valet cum decocto graminis vel decocto prunorum & paſſularum, ſyrupus oxyſacch. & de limonibus.

Conſerua roſarum pallid. vel tabellæ, triaſant. addito pauco puluere Elect. de ſucco roſarum.

Litus ad hepar & ventriculum ex roſaceo. fotus blandus ex ſantalis & roſa addito aceto.

Si febris pręhenderit phlebotomia.

Balnea in tempore opportuno conferent, in aceto roſaceo intingat carnem pulli aut alia.

ANNOTATIONES.

1. *Bilioſorum duo ſunt genera, alij bilioſi ſunt* τῇ φύσει, *alij ex euentu, Natura bilioſi vel tales ſunt temperamento vt qui ſunt hepate præferuido, vnde bilioſi humoris prouentus ſoboleſcit; habitu dicuntur bilioſi, id eſt conformatione, quorum ita conformata eſt veſicula fellis, vt ad ventriculum aut ieiunum inteſtinum excurrat canaliculus felleus, & hi vocantur* πικρόχολοι ἄνω. *Talis erat Paulus Rhetor apud Gal. 2. de Acut. qui cum temper. pituitoſus eſſet, tamen crebris vomitionibus torquebatur illique perpetuò erat adſtricta aluus, Alij ſunt ex euentu qui piperatis, ſalſis acribus edulits veſcuntur, & curis vigiliis, irarum æſtu, & mœroribus corpus extenuant & conficiunt.*

2. *Scitum illud Hipp. ſect. 3. 6. epid. ventris ſegnities omnium confuſio vaſorumque.*

3. Τὰ λιπαρὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα οὐ ξυμφέρει. οὐδὲ πρὸς τὰ ἀκάθαρτα, οὐδὲ πρὸς τὰ σηπόμενα ἀλλὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα ξυμφέρει τὰ ψυχρά. *Hipp. de affect.*

CONSILIVM XI.

De falsa specie Ischiadis.

NObilis vir falsa quadam Ischiadis specie laborabat, corpus erat olim valde biliosum, & à longo tempore sentiebat imbecillitatem cruris sinistri. Ratio victus instituta, vsus moderatus vini, & veneris, frequentes clysteres addita betonica yua moschata, radice sanamondæ, consolida hiera, diapruno, Terebinthina interdum.

Apozema laxatiuum addito syrupo de pomis.

Clyst. præferuntur medicamentis in Ischiade.

A medicamentis validis, & pilulis abstinendum validioribus putauimus. Quia in Ischiade clysteres præferuntur medicamentis per os sumendis, item natura corporis ægri consideranda; detractiones sanguinis è brachio, & malleolis conferent.

Prouocandæ hæmorrhoides & anus fouendus.

Frequens vsus blandarum pilularum: A calidioribus oleis abstinendum: solis chalasticis locus esto.

Fotus blandus antè ex rosa, capillaribus chamæpitis, beton. ebulo, saluia, chamæ. meliloto, cortice ligni sancti, enula campana, semine lini, fœniculi. A calidioribus abstinendum.

Prouocetur sudor partis admoto latere imbrice.

Litus ex axungiis gallinæ, taxi, medulla cerui, lautis in vino albo, addito oleo amygd. dulcium rosato, terebinthina pauca, Emplast. ex empl. ad fract. ossium, desiccatiuo rubro, terebinthina, addito puluere Ireos, gummi Taca-macha si haberi potest.

Cauterium externæ Tibiæ.

Verno tempore aquæ spucenses, & Borboniac.

Decoctum blandum scynæ, imo & balneum aquæ tepentis consulitur.

CONSILIVM XII.

Ad Serpiginem in facie psoræ prænuntiam.

OPiata laxatiua instituta est ex decocto conueniente herbis splenicis senna, Tamarindis, Cassia, puluere sennæ, additis pomis redolentibus, in decoct. conserua violarum pulpa passularum, cortice citrij, confectione hamech.

Sectio venæ valet, victus refrigerans & humectans: panis addito hordeo, Panis pistus in lacte, hordeum in iusculis carnium, hordeata frequentia, pomorum & prunorum vsus & esus, epithemata iecori tempore calido: vinum fractum aqua, serum lactis cum bipinella vel fumaria, mala aurea, citria; ruptorium brachio; cassia frequens loco opiatæ, cum puluere sennæ, lotio capitis pustulis pleni, faciei remedia adhibeantur.

Lotio capitis ex lexiuio sarmentorum caulium rubr. addita scabiosa in decocto pariet. agrimo. lapatho, radice campanæ, lupinis, furfure & vino albo, lauetur caput hydromelite ex melle rosato vel mercuriali.

Pro facie vnguentum citrinum, pomata cum pauco sublimato dulcificato.

Item ℞. vnguentor. rosati, Mesuæi citrini añ. ℥. 1. sulphuris puluerisati & aqua rosarum excepti. ʒ. j. ſ. terebinthinæ ʒ ij. cum succo citrij, fiat vnguentum. vel

℞. aquar. plantag. rosſ. nenuph. añ. ℥ iiij. sublimati gran. xv. feruefiant simul.

℞. Amygdal. dulcium ex corticat. & in aqua rosarij macer. ℥ ij. ſ. micæ panis secalini ℥ iij. mellis ℥ ij. ſ. rad. ireos flor. ʒ ij. farinæ hordei & lupin. añ. ℥ j. cum mucore gummi tragacanth. extracti in aqua damascena, fiat pasta pro toto corpore.

1. Lotio ex decocto hordei integri additis amygdalis, vel sero lactis.

7. Therap. 2. Aqua seu lac virginale vulgo dictum; vnguentum album ad scabiem, pruritum, & id genus affectus mire conducit.

ANNOTATIONES.

1. *Sic parari solet lac virginale à recentioribus, ℞. litharg. auri ℥ ij. cerusæ, salis commu. añ. ℥ ſ. aceti, aquæ plantag. rosar. añ. ℥ ij. caphuræ ʒ ſ. fiat collyrium, traiiciatur per manicam.*

2. *Fernel parat vng. album cum ℥. iiij. cerusæ lytharg. ʒ ij. laut. diu in aqua rosarum quà eiectà mortario excipiuntur sensim que oleum rosarum affunditur quantum combibere poßint continentera gitando, additur sub finem aceti albi pauxillum & caphuræ ʒ j. ſ.*

CONSILIVM XIII.

De Oculorum morbis maximè de macula ex morbillis reliqua.

MOrbi oculorum difficiles ob varietatem partium ex quibus constant, & spirituum quibus tanquam soles duo splendẽt & sunt illustres, pars spirituosa est & remedia vulgo refrigerantia eos spiritus obtundunt & repercutiunt, ratione membranarum, & humorum frigore læduntur.

Difficiliores sunt curatu quia sunt in actione perpetua, quia lumini obiiciuntur, quod lumen oculo sano amicum, ægro inimicum est, quia incognato genere excedit, pes laborans nec sessionem, nec ambulationem requirit, sed quietem: cur non & oculus. testis catarrhactæ operatio, motus, & actio calfacit; difficillimi, si dolor capitis vt in hac ægra fit, & id minatur, cęcitatem: item si morbus oculi sit consectarius exanthematum; virus enim indomitum est.

Circumcidenda omnis negotiosa cogitatio, & oculus mentem sequatur non mens: oculos assidua cogitatio occæcat. *Plin.*

Summa consilij est vt sedetur dolor capitis in morbis oculorum ob multas rationes. A calidioribus temperandum. Cataplasmata ex mica panis farina hordei cum rosato Mesuæi, Oxyrrhodinum medicamenta temperata. Opiata laxatiua additis Tamarindis & conseruis. Apophlegmatismi. Errhina nocent, licet Hipp. 1.

in prorrh.2. suadeat, notandum non imitandum sine magna cautione. Cauterium in confinio suturarum anterioris capitis. Curanda vt laborans fœdis coloribus. Macula oculi lambenda; digerenda, discutienda sine validiore medicamento. Decoctum sarsæparillæ blandum ad absumendum putre serum in vsu sit quotidiano, idque dilutissimum. Valebit aqua ex herbis conuenientibus addito saccharo cando. Seto tandem est adhibitus.

ANNOTATIONES.

1. *Commendat Mathiolus vinum ex Euphrasia & similibus herbis ad visum quasi deperditum. Verum euphrasia & similes herbæ magno & cæco errore in oculorum morbis sæpius vsurpantur. Nam vbi in oculis est siccitas, squallor, & ob mœrores, vigilias aut inedias spirituum consumptio, quis dubitat quin vinum ex dictis herbis sit nociturum.*

2. *In oculis, in omni animali est quoddam pingue quod intelligi debet de quodam glutinoso quod necessarium est ob actionem oculi continuam. Ideo cauendum sæpè ne nimium siccemus oculos & squallorem inducamus. Senibus enim frequens hebetudo accedit ob squallorem & siccitatem oculorum.*

CONSILIVM XIV.

De Tumore Epigastrij.

Filius D. Sangermani conqueritur de Tumore & leni dolore Epigastrij, qui in Mesenterij glandulis collectus videtur non ab similis chæradum tumori. Affectus hic & ætate & temperamento congener est, illi perpetuum quasi alui profluuium non vera fit ἀνάδοσις nec venæ mesaraicæ exugunt chylum vt ad hepar perueniat & fiat hæmatosis.

1.

Bona victus lex imperata.

Fotus ex malacticis, litus ex oxyrrhodino.

Balnea.

Medicamentum additis herbis vulnerariis.

Pilulæ

Pilulæ addito croco martis, vel tabellæ, vel conserua eadem croco addito.

Emplastrum ex mucore rad. althææ coctæ in oxycrato emplast. de mucag. & diachylo, addito cerato santalino aquæ Spadendes cum infusione foliorum orientalium.

ANNOTATIO.

1. Notat Gal. comm. in aph. 7. lib. 6. dolorem & tumores ventris sublimes leniores esse: non sublimes periculosiores quod in profundo iecore, intestinis, ventriculo &c. partibus principatum habentibus inhæreſcant. Et iis non facilè remedia admoueantur vt aliis suprà peritonæum, quibus autem ob ingluuiem magnus fit vtriusque bilis & pituitæ prouentus. Natura valens & robusta plerumque superuacua in pancreas & mesenterium ignobiles partes deponit, quæ totius corporis velut sentina sunt. In eas autem ex vicinis partibus illabuntur humores aut his locis & glandulis tempore exaggerantur qui tumores primum molles, dein tractu temporis renitentes ingenerant. quod notauit Hipp. 1. de morb. mul. Lien. (ait) eleuatus & repletus distribuit per venas corpori. & maximè in epiploon & partes ventrem ambientes & crura.

CONSILIVM XV.

De dolore cruris post ictum ex Globo missili ex Catapulta.

CRuris dolor fuit infirmitas, extenuatio quædam ob ictum ex Globulo missili ex catapulta acceptum. Dictum est, licet extenuatio quædam adsit, non desinit tamen pars continere in se serum quoddam quod gignitur in parte vitio materiæ partis, quia omnis pars imbecilla alimentum non probè conficit, ideo euacuandum illud serum & pars roboranda.

Purgatio aliqua, Phlebotomia, fotus ex rosa in vino rubro addito cypero & chamæpiti, betonica, oleum de catellis, aditus aquæ Spadensis: stuphæ in lecto cum imbricato latere, Balsamum

extemporaneum aut Arregon, vnguentum ceroneum ex emplastro ad fracturas cum emplastro diuino. Tibiæ non ſtringantur ligaturis, vſus balnei in muſto.

CONSILIVM XVI.

De varicoſa hernia & hæmorrhoidibus.

AD herniam varicoſam & hæmorrhoidum ſpeciem in hypochondriaco, hæc præſcripta fuerunt.

Purgatio ex caſſia, ſenna addita & pauco cinnamomo, medicamentum aliud ex foliculis cum bipinell. meliſſæ eupatorij decocto, additis ſyrupis de pomis & de cichoreo: phlebotomia vtriuſque brachij.

Non irritentur hæmorrhoides, oblatæ per ſe, & ſi caput fecerint, aut blandè, prouocatæ, aut potiùs allectæ aperiantur.

Ad ſcortum fotus blandus roborans ex vtraque roſa, a lumine, pauco polygono vtroque, & herba Roberti. Litus ex oxyrrhodino.

Ad inguen vt intercipiatur humor, emplaſtrum valde adſtringens. Supra partem emplaſtrum, ex palmeo deſiccatiuo rubro, vnguento comitiſſæ, puluere roſarum, & rad. ireos.

Malleolorum ſectio ſi opus ſit.

Lac aſinæ. Aquæ naturales Forgenſes.

Subligaculum conſeruans.

CONSILIVM XVII.

De ſuppreßione vrinæ.

INquiſitum in cauſas illius ſuppreſſionis quæ fit aut vacuâ aut plenâ veſicâ.

Putauit æger more vulgi à ſola pituita id malum oriri, ideo cauimus, ne diureticis vteretur, donec de cauſa morbi conſtaret.

Olim laborauit sarcosi ad parastatas & partes vicinas, fortè renouatur malum: censuimus purgandum corpus, minutâ venâ temperandum, clysmis refrigerandum: Emulsionibus, pilulis vtendum ex aloë lota, iniectionibus in vesicam, deinde cathetere explorandum num lapis subsit an non.

Opiata laxatiua instituta, materialia fuerunt eadem quæ in syrupum de Althæa assumuntur.

Litus ad Perinæum ex rosato Mesuæi, balnea, abstinendum diureticis. Locus non fuit aquis naturalibus donec de morbi causis constaret. Dilutum cassiæ præscriptum.

CONSILIVM XVIII.

De Catarrho & sputo sanguinis.

QVoniam ludo palmario impendio magis sese exercebat nobilis Thesaurarius bilioso temperamento, statura longa corporis destillationibus obnoxius, sputationi sanguinis & ἀπο-χρέμψει non expectorato, quæ sequuntur præscribuntur. Vitę lex primò necessaria est. 1.

Syrupi lenientes, horâ somni syrupus de succis iuiub. cum diacodio.

Gargarismus cum decort. hordei. rad. cynogloss. symphyti addito iuleb. rosato.

Hordeata, cassia cum Thamarindis pulpa passul, fœniculo dulci & rhabarbaro. 2.

℞. Sacchari candi ℥ vj. Elect. diatriagac. frigid. ℥ ij. bol. arm. ℈ j. conseruæ. ros. ℥ j. ſ. consetuæ symphyti & corticis citrij añ. ℥ ij. diamarg. frig. ℈ ſ. carab. rasuræ eboris pulueris glycy. añ. ℥ ſ. cum sacch. in aqua ros. soluto fiant tabellæ.

Quod sequitur valet in excretione sanguinis.

℞. Mumiæ ℥ j. ſ. terræ sigill. boli arm. añ. ℥ ſ. antheræ ℈ ſ. conseruæ rosar. siccæ. ℈ iiij tragacanthi ℥ j. ſ. sacchari penidiati & rosati añ. ℥ ij. cum pauca quant. sacchari & gummi tracaganthi in aqua. ros. soluto, fiat pasta ex qua fiant trochis vsuales.

Vtatur sæpè conserua rosarum.

ANNOTATIONES.

2. Epid.

1. *Hic rufus est biliosus, mites habet tamen humores, licet aliter Hipp. Quorum pectora bilem generant balbi, furiosi, & calui fiunt verùm tabi obnoxij, iuxta illud Celsi, destillatio in corpore tenui & longo tabem minatur.*

2. *Sputum sanguinis est de apicibus artis Plin. cap. 38. lib. 11. notat de duobus Consulibus qui habuere sanguinis excretiones per os non periculosas; Est & epistola de hæmoptoico apud Plin. epistola 19. lib. 5. Ante annos aliquot, ait, dum intentè instanterque pronuntiat sanguinem reiecit atque ob hoc in Ægyptum missus à me, post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus rursus sanguinem reddidit; qua ex causa destinaui eum mittere in prædia tua quæ Foro iulij possides: audiui enim te sæpè referentem esse ibi & aëra salubrem & lac huiusmodi curationibus acommodatissimum.*

CONSILIVM XIX.

De Aure suppurata & manante sanie.

Dolor in angusto. Senec.

Aeger hic hypochondriacũ quid habet.

Com. ad aph. 24. lib. 1.

NOn abs re incumbendum in curam grauis affectus auris qui grauior futurus est ni prouideatur, dignitas partis, sensus exquisitus, angustia loci, vicinitas cerebri id suadent. Neruus à quinta coniugatione in aurem inseritur exquisiti sensus, item eò dolor maior est, quò in angustiore loco, item morbi oculorum intra oculos nocent, morbi aurium, non solum intra aures nocent, sed ad cerebrum progrediuntur, hinc deliria phrenitides.

Hic & dolor ex interuallis repetens, & saniosa excretio notanda. Quod eò periculosius, quia cùm (ait Gal.) aures non sunt destinatæ expurgando cerebro & aliena est à natura excretio per aures. In pueris natura ad tempus abutitur auribus, adductus aphorismus lib. 6. Quibus natura nares humidiores, & genitura humidior, minùs sani viuunt.

Sic ægro, & aures sunt humidiores quæ reddunt saniosum quid

& tabem quandam, id quod pessimum est vt signum, nec mirum si minus integra fruatur sanitate. Ideo ex Hipp. Corpora volucrium quæ vesicam non habent, nec meiunt, nec saliuant, nec spuunt, sunt saniora.

Adductus locus ex Hipp. 4. de morbis Quibus per os nares, vesicam aluum fit excretio, sani sunt, quòd per eas partes videatur fieri excretio omnis humoris peccantis. Et cùm humor affligens per eas partes euacuatur, nullus morbus præhendit. Si hoc verum est, quorsum phlebotomia? non meminit Hipp. nec aurium, nec venarum, quarum apertio liberat à morbis.

Lib. 2. de dieta.

Quæstio an iuuanda excretio, an minuenda, an supprimenda, an quid agendum forte idem fiet quod in hæmorrhoidibus, omnino supprimere funebre est. Laudat vinum mellitum Aëtius ad aures manantes, & cum iudicio siccantibus vtendum dicit.

Tetrabibli. 2. serm. 2 c. 81.

Rondeletius quoque cataplasmata instituit vtilia dolori demulcendo. ex rad. lilior. mal. fol. solani, hyosc. flor. rof. nymph. chamœm. melil. farin. hordei lentium additis oleis rof. viol. nymph. & pingued. anseris.

Probat quoque lac recens mulsum, vt & albumen oui fortiter agitatum.

Nam hic dolor & excretio consideranda veniunt: dolori debetur eaque satis frequens phlebotomia, ni ægrum hæmorrhagia ei ætati propria leuauerit.

Purgatio decreta ex pilulis communibus, & imperatoriis, aliquando ex fortioribus: hypochondriis prouisum per hypochondriaca, frictiones; errhina quoque commendantur.

In dolore & inflammatione oleum rosatum cum tantillo aceti, quod remedium Galeni est vt ne cui mirum videatur mel rosatum indatur, aut syrupus de siccis, aut de absinthio, cur non & in inflammatione, iulep. rosatum conueniat.

In tinnitu aurium Manardus decoctum ligni Indici commendat, fortè non alienum erit ab hoc loco, cùm de purulenta aure agatur.

Epis. 2. l. 19.

Succus porri, ad sonitum aurium commendatur à Fuchsio, & allij Ascalonij.

CONSILIVM XX.

De congressus impotentia.

QVidam annos natus viginti sex ad venerem ineptus erat explendam; non talis natura, sed quia primis annis pubertatis œstro libidinis excitatus sese exhauserat & confecerat; sic & instrumentorum erat quædam imbecillitas intempestiuo labore contracta, & aut minus aut inefficacius semen, insulsus non erat, quia satis ad libidinem titillabatur, sed tardus, quia venerem explicare non poterat, euiratus erat, quærit à nobis vt vir fiat.

In hoc affectu considerandum an defectus sit materiæ seminalis, an eius vitium, an instrumentorum & vasorum spermaticorum, an eiaculantium.

Magna hîc prudentia adhibenda, nam nec nimis calfaciendus (vt fit in aliis, quod frigidis conuenit) quia ætas & temperamentum reclamat, & febris facilè moueretur: nec ad vulgaria remedia adigendus; nam vsu calidiorum flatus dissiparentur, quorum aliquis vsus est in exercenda venere, frigidiora nocerent semen extinguendo, & nimium refrigerando.

1. Iuscula moderata conueniunt, vinum temperandum, & cibo præbito bibendum. Abstinendum per tempus ab actu venereo; aliquando verpus patitur resolutionem aliquam ob maiorem extensionem manufactam, id quod meretrices conari narrat Rondeletius, balneum non confert metu effœminationis partium: ni in eo coquantur adstringentia ad robur partium, aut immergatur corporis media pars in magmate racemorum.

Clysteres cum herbis mediocriter siccantibus: medicamenta roborantia, casia, & quæ emolliunt laxando non proderunt.

2. Tabellæ roborantes & conseruæ.

Pro decoct. medicamenti rad. tormentillæ, sanamundæ & consolidæ vtriusque, veronica, fragaria, belis, prunella, pilosella, herba Roberti, stellaria, grana Kermes, flores vetonicæ altilis, semen card. portul. ocymi: folia sennæ infund. & Rheum, syrup. de cich. compos. dissol.

℞. Pulueris elect.triasant.ʒ j.Aromatici rosati,diambræ,pulueris scynæ,corallij & succini añ. ℈ j. conseruæ rosarum & symphyti Rhab. ℈ ij. conseruæ ros. ʒ ij. radicis torment. dictamni & ligni aloes, añ. ℈ j. fiant tabellæ cum sacch. in aqua ros. soluto & vino hippocratico pauco.

Fiat massa panis qualis descripta apud Fernelium.

Hæc opiata sit in vsu. ℞. Conseruæ rosarum, corticis citrij, myrobal. añ. ʒ vj. pulueris scynæ ʒ ij.ſ. conseruæ consolidæ ʒ iij. pinearum, pistac añ. ʒ j.ſ. diasatyrion ʒ ij. diamarg.frig.& diarrhod.añ. ʒ ſ. terræ sigill. ʒ ſ. cum saccharo rosato fiat conditum cum saccharo vel opiata cum syrupo. horâ somni præsertim.

Confectio diasatyrion erit instar omnium descripta apud Fernelium.

Fotus blandi ad perinæum & partes vicinas, ex rosis commun. & transmar. santalis, radicibus consolidæ, bistortæ & tormentillæ vtriusque, foliis myrti, & plantag. coctis in aqua & vino.

℞. Emplast. contra rupt. ℥ j. vnguent. comitiss. & desiccatiui rubr. añ. ʒ vj. trochisci de spodio, & terra sigillata añ. ʒ j. pulueris santal. & mastich. añ. ℈ iiij. cum cera lota in aqua ros. & aceto pauco, addita pauca terebinth. fiat magdaleon pro inguinibus & partibus vicinis.

℞. Emplast. ad fract. ossium. ℥ ij. cerati santali. ℥ j. pro lumbis.

Iniectiones fiant in penem roborantes ex rosarum heptaphylli, pentaphylli & scabiosæ decocto.

Fortè & blandum scynæ decoctum valebit, additis santalis.

ANNOTATIONES.

1. *De excitantibus ad venerem, aut venerem sopientibus extinguentibusque abundè cap.10.lib. 26. Pli. vbi ex Theophrasto citat esse herbam quandam veneris concitatricem quæ post coitum sexagesimum etiam venerem non sinit elanguere, notandus locus, item de satyrio quod si quis id manu tangat ad venerem stimulatur ibidem. Sed hæc fidem superant.*

2. *Plinio cap.23 lib. 21. commendatur herba dicta scolymos in vino sumpta. Fuchsius ex Plinio citat locum lepidum, exemplo Cicadarum, & ad venerem mentham satiuam commendat.*

Cicer. (res vulgaris) ad venerem stimulat, semen auget, ideò eius

gratia admissariis equis datur: est autem cicer rubrum, quod ideo venereum vocatur, ocymum etiam valet.

CONSILIVM XXI.

Pro quodam iuuene ad venerem inutili.

1. IVnior ad venerem auidior, promptior & ardentior fuit, hinc & seminis minor vis & vitalitas, & instrumentorum mollities, parùm arrigit, & arrectio fugax, effluit etiam sponte sine libidinis pruritu quippiam spermaticum, sed falsum & adulterinum: temperamento est calidiore. Equitationibus magnis & frequentibus vsus. A calidioribus abstinendum putauimus: item venerem exercendam, sed ex longis interuallis & pręgressis incentiuis, & pruritibus libidinis hęc capita sunt deliberationis.

Putamus purgandum corpus cassia, rheo, addito cinnamomo.

Clysteres non vulgares, ex emollientibus, sed qui sint vice iniectionis ex rosis communibus plantag. foliis rubi, radicibus tormentillæ, trifolio, consolidis, lapatho, agrimonio, dissolue mel rosatum, sacch. rubrum & rosatum, syrup. rosſ. pallidar. cum diapruno pauco sine oleis.

Opiata sit in vsu ex conseru. buglosſ. borrag. anthos, cortice citrij, florum saluiæ, beton. addendo parum seminis erucæ & pastinacæ, renum scincorum, pinearum, pistaciarum cum tantillo confectionis alkermes vel de hyacintho: vtatur satyrio condîto & præsertim eius radice succulentiore; nam duplex radix est, vna tenuior, & inutilis, alia succulentior.

Satyrium quod valet est trifoliũ satyriacum ita vocatum.

Frequens sit vsus pinearum, pistaciarum & amygdalarum. Item bulborum, paratorum vt decet, & parùm conditorum.

Cerebellis passerum & columbarum quidam vtuntur ad excitandam venerem.

Imus venter & perinæum foueantur sequenti decocto aut muria.

℞. Saluiæ minutioris, puleg. torismar. añ. m. j. seminis erucę, pastinacæ añ. ʒ ſ. rosſ. rub. florum chamæmm. elilot. añ. m. ſ. cyperi ℥ j. ſ.

excipe

excipe sacculo, qui bulliat in aqua & vino rubro styptico pro fotu perinæi & pectinis.

Parte detersa fiat litus ex mastichino additis ouis formicarum & pauco castorio, non alienum erit admouere emplastra vt ante dictum est.

ANNOTATIONES.

1, *Hoc in loco dicimus iuuenem quasi euiratum, & quòd iunior in palæstra venerea se exercuerit & quòd magnis laboribus se confecerit Plinius notat de equis, hircis & arietibus ad coitum segnioribus, ob aßiduos labores, & ea ad coitum impotentia vocatur prosedamum. eamque ob imbecillitatem quæ immodica venere contrahitur, Democritus damnauit venerem vt in qua homo ex homine exiliret, & hercle raritas eius vtilior. Cæsar lib. 6. de bello Gallico Germanis loquens, ait, quòd qui diu impuberes manserunt maximam inter suos laudem ferunt: hinc alitur statura, aluntur vires, nerui confirmantur, intra annum viginti, fœminæ notitiam habuisse in turpißimis habent rebus; nam homo pubescens nodum quendam soluit, & soluere sentit Gallis* (denoüer) *precipuè si qua fuerit ægritudo & Plin. cap. 6. lib. 28. & 37. lib. 71. solus homo ait pubescit, quod nisi contingat, sterilis est in gignendo, siue mas sit siue fœmina.*

Cap. 10. lib 26

Plurima genera morborũ primo coitu & primo fœminarum mense soluuntur.

2. *Vsus cicerum commendatur Gal. semini generando aptum, inflationes, facit venerem stimulat: rubrum autem calidius albo & lædit, vesicam exulceratam & renes: semen bombacis idem præstat Sed maximè sal ad venerem excitat ideo putauere quidam Venerem ex mari ortam: apud Plutarch. vsus salis prohibitus erat sacerdotibus, vt essent castiores, & in sacrificiis à sale abstinebatur.*

CONSILIVM XXII.

De Vetere Arthritide.

VIctus ratio in primis seruanda. Abstinendum ab iis quæ ad cutem humores pellunt. Vini vsus moderandus, venus mediocris, sectio venæ ex interuallis, purgationes antè paroxysmum arthriticum. Hirudines pedibus aliquando admouendæ. Cauteria

Manardus c. 32.l.14. remedia præscribi non negligenda.

repetenda. Fotus blandi ex herbis coctis in aqua & vino cum sacculo vel spongia. Balneum aquæ dulcis, additis rosis summitatibus rubi. Balnea naturalia sæuiente dolore. Ceratum Galeni cum populeue aut vitellis ouorum, vulgare cataplasma ex mica panis cocta in lacte vel zytho. modicè repellendum. Fluxionem minuent & dolorem, rosa, lens, lactuca, intybum, fructus myrthi & semina frigida, in primo impetu valet aeizoon. Mica panis secalini cocta in oxycrato inflammatâ parte. Cassia applicata pro diuitibus valdè siccantia emplastra sub finem dolorum addi solita, vitanda, aut moderanda, est enim partium & siccitas & squallor.

1\.

2\.

Vsus lactis asinini, hypnotica sæuiente dolore, item vsus olei ex torpedine ad demulcendos dolores arthriticos, vsus pilul. validarum vitandus. Opiata laxatiua addito puluere scynæ præferenda.

ANNOTATIONES.

1\. *Laudant balnea aquæ tepentis domestica, laudant & naturalia; immo aquæ naturales suo tempore maximè conferre possunt.*

2\. *De podagra Romanis incognita Plin. cap. 10. li. 26. morbus auorũ memoria incognitus & peregrinus insanabilis non est credendus; sponte & desinit & curatur remediis conuenientibus: idem narrat eos qui lacte asinino vsi sunt fere à morbo arthritico immunes. cap. 9. lib. 28. Sic non modo nascentibus nobis, sed & senescentibus lac prodest.*

CONSILIVM XXIII.

De paraphimosi.

VIr erat annos natus sexaginta paraphimosin in balano habens, dubitabatur an à lue, an à nimio conatu, an ob fluorem muliebrem vxoris: malignum quid phlogosis & tumor & replicatio præputij præse ferebar.

Consultum vt corpus diligenter purgaretur, aut opiata laxatiua, aut solemni syrupo.

Phlebotomia brachij, imo malleolorum si phlogosis gliscat.

Balneum, litus, & prægrediens fotus mollis ad partem.

Vsus radicis sassafras aut scynæ additis santalis ob intemperiem hominis in potu, & post opiatam conuenientem cardiacam: iniectio detergens & parum emolliens, inter balanum & præputium.

Emplastrum de mucilaginibus cum pauco neapolitano. Immò pillulæ mercuriales valebunt; & leuis sectio malo rebellante.

ANNOTATIO.

Nomen φιμώσεως non modo ad penem referri debet, sed ad omnes partes naturales quæ meatum habent. Et diduci possunt, vt oculos, anum, præputium, vterum, labia verum de præputio frequentiùs dici consueuit sic glandem seu balanum tegente vt nudari non possit; capistratio à nonnullis dicitur. Est autem φιμὸς nexus summi oris sacculorum cùm toto superiore eius ambitu in angustum collecto funiculo clauduntur & religantur. παρὰ φίμωσις cùm è contrario, tum præputium, tum alia naturales meatus occludentia ita retrorsum deducta sunt vt reduci nequeant.

CONSILIVM XXIV.

Pro D. Villebois seneschalio aliquid vertiginosum sentiente partim ab hypochondriis, partim à capite.

CVique ætati sua est sanitas, sui germani & proprij morbi, progressus & incrementum impediendum, licet currentibus annis multæ eueniant mutationes.

Senibus, inter alios morbos vertigo est familiaris affectus, terrificus, sed qui plus terroris sæpè quàm periculi afferat, ideò non negligendus. Nam vt morbi animi sic & corporis, non ibi finiuntur vbi oriuntur, facilis ortus, difficilis interitus eorum, vbi sunt in ortu, & quasi incunabulis, facilè vitantur, adulti vix euitantur.

In D. ægrotante quinquagenario vertiginis leue quoddam initium est cum sub deliquio animi dij prohibeant incrementum, & eo minus negligendus affectus nascens quia licet fortè à partibus imis sit, cerebrum pars princeps afficiatur, tandem morbus alienigena in cerebro sedem firmat quasi ius ciuitatis habiturus quod eò perniciosus est. Cæterum vt notauit Hippocrates, parua etiamnum causa in parte principe magnum quid affert, magnas item tragœdias ciet. μακρὴ αἰτίη ἄκεσιν λύεται ἢν μή τι περὶ τὸ τῶν κύρων πάθη. malum hoc non tam per se formidandum quàm consecutione maiorum metuendum, ex metu securitas nec aliquis celeriùs opprimitur quàm qui nil timet. Apud comicos timido celeritas tribuitur ad quærendum percontandum: securo tarditas, timens paucis verbis & vtitur & alium audit: securus pluribus, summum indicium securitatis superbia est, nimia securitas frequens est initium calamitatis.

Hipp. lib. de præcept.

Et prudens Medicus minùs de hoc malo, vt de omni graui quod quid peius minatur, securus sit, ne si neglectus sit morbus, aut ars malo victa fuerit, vel ignorasse vel fefellisse reputetur.

In domino ægrotante minùs negligendus ætati congener, quia eius animus inquies est, & curis perpetuis studiisque affectus, corpus assiduo labore affectum. Accedit, quod ei cerebrum exquisiti sensus (neruos & membranas audio) celeres sunt motus, defœcacius & expurgatius est cerebrum, talia capita vertigini, & deterioribus affectibus patent.

1.

Id quod metum auget est, quia circa ortus & obitus lunæ malum se prodit, at astra maximè vim in caput exercent, vt in sedem & metropolin rationis & prudentiæ: accedit quod assidua cogitatio occæcat abducto intus visu, Magna pars vrbanorum studiosorum imbecillo est ventriculo, quod obseruatione maximè dignum est, immo & capite, ob studia & curas, in his cruditas & vaporum in caput summissio.

Hipp lib. 2. de dieta, de visu, & auditu qui moueat spiritus, & desiccet.

Ad hos canones pro tuenda sanitate, & vitando malo consilium omne dirigendum.

Caput non nimis tegendum, nec aperiendum & contumeliis aëris obiiciendum. Quanquam antiquitas pinxit omnes ferè tecto capite, vt erat solicita detegendo rationis domicilio, tamen Plinius ait veteres statuisse vt coram Magistratu capita aperirentur non tam venerationis gratiâ, quàm vt consuetudine capita fierent firmiora.

Cap. 6. lib. 28.

Vitetur nimius labor corporis, & animi, ne labore pertinaci vires trucidantur. Labor animi reddit, corpus infirmius, & corporis idem rependit animo, licet ignauia corpus hebetet, labor firmet illa maturam senectutem hic longam adolescentiam faciat hæc sint mediocria.

Valetudinarij viuunt qui inquieti viuunt.

Moderanda ergo omnis animi actio (vt dixi) quod ad sanitatem confert autore Platone, sumens simile ex equis coniugatis eundem currum trahentibus vt par eorum sit tractus, labor & conatus.

Ieiunium vitandum, delectus sit ciborum vt melior sit coctio, vina calidiora vitanda. Primo haustu sit aqua fractum & quasi enerue & præsumatur cibus.

Odorata vitanda.

Non soli capiti prouidendum sed & visceribus in quibus aliquid est hypochondriacum hinc teter vapor. Non excitanda sternutamenta. Blando errhino melicrato vtendum aut iure betæ.

Lectio sit moderata, præsertim à cibo.

A cæpis, alliis & acrioribus alimentis abstinendum.

Si animus nimis vigil, nec placidus somnus vel defectu benigni vaporis aut mentis agitatione, aut cerebri siccitate, hordeata, & conseruæ nenupharis, & violarum sub horam somni in vsu sunto.

A pastu aut gelatina cytoniorum, aut puluis digestiuus, & panis bis coctus dulciarius.

Consulimus partibus nutritiis vnde mali prima labes ne cerebrum coafficiatur.

Clysterum frequens vsus esto.

Purgatio. ℞. Rad. bugloss. torment. caryophyllorum & tunicis añ. ʒ. ij. bipin. veroni. bugloss. meliss. betoni. epithy. eu pat. añ. m. ſ. seminis fœniculi florent. card. añ. ℈ ſ. foliorum sennæ ʒ iij. infunde per horas aliquot addendo cort. citrij conditi ʒ j. ſ. dissol. express. ʒ ij. Rhab. ad partem cum cinnamomo, & ligno aloes infusi syrupi de pomis laxat. & de cichorio comp. añ. ʒ vj. fiat dosis.

Pilulæ. ℞. aloes lotæ in succo bugloss. aut borrag. ʒ vj. rhabarb. ʒ j. sennæ ℈ iiij. ligni aloes & ambræ añ. gran. x. rad. dictamni & elect. trias. añ. ℈ j. seminis ocymi & visci querni añ. ℈ ſ. cum syrupo de cichor. composito fiat massa vtatur ante pastum. possunt validiores pilulæ decenri, sed vsu rariores.

Conditum. ℞. Conserua viol.bug.borrag.cort citrij añ ℥ ſ. conser.beton.anthos,añ.ʒ j visci quer. ʒ ſ.diamarg.frig.& elect.de gemmis añ. j. crad.dictamini ℈ ſ. pulueris angelicæ grana ſex. conf. alkermes ʒ j. myrob. ʒ ij. cum ſaccharo bugloſſ. aut roſat. fiat conditum pro fine paſtus.

Tabellæ. ℞. Pulueris dia ireos ʒ j. radicis dictamni torment. añ. ℈ j. diarrhod.abb.tri ſanſ.ſimpl.añ.℈ ij.raſ.eboris,cornu cerui,dent.apri,viſci quer. marg.elect. añ. ℈ j.confectionis alkermes gran. x. conſer. roſar.& corticis citrij añ.℈ iiij.cum ſacch. in aqua roſ.ſoluto fiant tabellæ vſuales.

Balnea æſtate in vſu ſunto.

Hæc eſt ſumma Conſilij noſtri. A validis,& à capite euocantibus abſtinendum putamus, danda opera partibus nutritioni dicatis,non neglecto capite,hoc noſtrum ſit præiudicium tanquam ad grauiora præludium: iudicium Medico domeſtico relinquimus, plus pedes multi faciunt quam vnus. Conuiuium à pluribus collatum melius eſt ac lautius, quam vnum atque ſimplex. Multorum conuentus rectius decernit quàm vir vnus. quiſquis ille eſt, Medicus domeſticus, addat, detrahat pro ratione loci,temporis, ægroti,& ingenij morbi. *Ariſt.in polit.*

ANNOTATIONES.

1. *In ſicco prudentia eſſe dicitur, & qui calidiore, & ſicciore ſunt cerebro, ij ſæpè acriores, actuoſiores prudentiores aut potius celerioris ingenij. Zoroaſtes hominum primus riſit eo die quo genitus eſt; eidem cerebrum ita palpitauit vt impoſitam repelleret manum, id quod futuræ ſcientiæ erat præſagium, tales non tam ſunt prudentes quam ſcientes.*

2. *Ad ægros qui conſueuerunt ferre aëris incommoda eodem habitu omni tempore (ad eo magna vis conſuetudinis mollitie ſpretâ) accommodari poteſt apopth.20 & 24 de Ageſilao lib.1.apoph. & 19. lib. 8.de Polemone. Et reuera (vt ait Celſus) aſſueti duris fruſtrà ad delicias vocantur. Sic aliquid de Parthis & Græcis ſimile ſcribunt; nam in ingenti clade mortuorum facie tabo perfuſa capita ſunt diſtincta ex mollitie eorum qui tecta habebant capita, & duritie eorum quibus aperta erant ſemper capita.*

CONSILIVM XXV.

Pro muliere stranguriam septennem patiente.

NOuies vtero gestauerat, nona grauiditate puellam vtero gerebat. Ad tertium mensem, meiendi desiderium incessit, aliis rebus occupata non meminit vrinam emittere. Aliquo post tempore eam non reddidit. Conqueritur, stranguriosum quid ei contigit, id vires acquisiuit etiam à partu in quo spes erat sanitatis: ab eo tempore miserè eo affectu afflicta est: dubitant an lapis, an oris vesicæ vlceratio, omittitur immissio catheteris, augetur malum calamitosum, læditur iniectionibus in sinum pudoris; vel magna est exulceratio, vel iniectiones sunt acriores. Medici ambigunt quid & vnde id sit, vrina non fœtet, reddit aliquando crassas vrinas & cum lacteo sedimento quod abscessum vel in vesica, vel in parastatis, vel renibus significat, etsi nunquam de rene questa est, ad nos itum est, imploratur auxilium.

An hæc tantula suppressio & retentio vrinæ potuit tantum malum accersere? potuit, si diis placet. Ita Gal Cùm crassior vrina est semel retenta & diutius, & non reddita legitimo & stato tempore fit initium lapidis, id decretum Galeni fortè in hac ægra locum habuit.

Com. in 6 epi. in cum aphor. in pueris post mictum concretio.

Id facilè fieri potuit in mulieribus quarum vrinæ sunt iumentorum vrinis magis similes in grauidis, quibus ob fœtum facilè vrinæ difficultas oboritur. Accedit quòd ea mulier gestabat filiam & imo quasi ventre collocatam, vnde vesica constringi potuit. Item gestatio fœmellarum aliquid sæpè mali moris & ominis secum trahit & gestat. Quærendum est an non fluorem muliebrem sit passa, an non à viro aliquid contraxerit, item obstetrix obseruet & exploret, an vterus loco non sit motus. Exploranda fuit cathetere, & ad lapidem, & ad vlcera, qua parte manent & sæuiant mulierum morbi sunt curatu difficiliores & maximè ob pudorem quia se se facilè non produnt, si quid præsertim circà naturalia oriatur: forte fuit initium calculi ex leui occasione & se exprimendo, & comprimendo facilè cogit lapidem manente & ex-

Inuestigatio causæ.

" pressa tenuiori materia, & Hippocrates ait, lapis fit ex biliosissima
" materia (vt est sabulum) & pituitosissima, quæ est mucus tanquam
" cæmentum lapidis.

Alia sunt remedia lapidis, alia vlcerum, & quod vnum iuuat, alterum lædit, ideo constet de morbo.

Victus. Ægra abstineat ab acidis, salsis, & acribus, & à diureticis, vretica non damno, emulsiones ex decocto hordei seminibus frigidis, maioribus & minoribus.

Addatur saccharum rosatum in vlcere, candum in lapide.

Vtatur cassia in bolo addito diatrag. frigido, vel clarificatâ cassiâ soluta in decocto. rad. pentaphyll. tunicis, oxyl. bipinellæ pilos. paucis baccis halicababi additis foliis sennæ & ℥ j. s. cassiæ.

Clysteres. Clysteres frequentes, si vlcera sunt addantur herbæ vulnerariæ, veronica, beton. consolida, clysteres ex decocto capitis vitul. ex lacte ad fomentum quibus interdum addi poterit papauer, aut philonium.

Fotus blandi ad imum ventrem.

Phlebotomia, brachij, & malleolorum. semicupia; balnea, immissio partium pudendarum in peluim profundam aqua, & lacte plenam.

Hypnotica. Vtatur hypnoticis, vt omni arte leuetur malum, pilulæ de cynoglosso locum habebunt, iniectiones valent ex althæa, consolida, fragaria, agrim, sanicula, bugla, veronica, addito syrupo de siccis & iuleb. rosato, aut melle violar. aut rosato si ferre queat. Item aqua amygdalata iniecta.

Si vlcera rebellent trochisci Gordonij aut albi Rhasis, aut aqua Lantfranci subiicientur.

Potus. Vtatur aqua saccharata, vino fracto, ptisana, pomaceo, aqua alba ex amygdalis.

Puluis. ℞. Puluer. Elect. diatrag. frig. ʒ vj. glicyr. ʒ ij. seminis portul. & papaueris albi añ. ℈ iiij. boli arm. ℈ ij. carabes, diamarg. frig. añ. ʒ. s. rasuræ eboris, cornu cerui, antheræ añ. ʒ s. conseruæ ros. ʒ j. sacchari rosati ℥ iiij. f. puluis cap. aliquando manè ʒ s. ex hydromelite.

Vtatur trochiscis alkekengi Fernelianis, hydromeli conferet ex decocto pentaphylli, hordei, melle & sacchato cando aromatizato, ligno aloes aut rhodio.

Si vlcera sunt terebinth. lota valet: radix sassafras conferet: lac asinæ manè & vesperi.

Quia emacruit vtatur marci-panibus ex carne pullorum cum amygdalis,

amygdalis, pistaciis, penidiis lautis in aqua ros. & nenuph. ad vlcera massa pilularum sequens vtilis erit tempore & loco.

Piluiæ.

℞. Pulueris consolidæ & radicis sanamondæ añ. ℥. ſ. terebinth. vstæ & puluerisatæ ℈ iiij. cõseruæ ros. siccæ ʒ ſ. Rhab. ʒ j. rhapontici ℈ ij. carabes ℈ j. Elect. diatragac. frigidi & diaireos añ. ℈ ij. cum syrupo rosa. siccatum, fiat massa capiat. ʒ j. pro dosi.

CONSILIVM XXVI.

De Tumore cancroso pro. D. de S. Iean.

NOn ita pridem prædixeramus oriturum cancrosum quid, cùm mali maligni initia & incunabula (vt sic dicam) videremus, vtinam nos augures augurium fefellisset, mitiùs cum domina ægra actum fuisset, nec tanta mali atque doloris acerbitas fuisset, nec proiecta appetentia fuisset, quæ mala vt signum, & vt causa: vt signum quia dominatum atræbilis docet, hæc prosternit appetitum, vt acidus & naturalis succus melancholicus acuere solet, ab adustione enim natura abhorret: vt causa quia corpus marcessit & macresit, deest habituosa & glutinosa substantia quæ calori febrili resistat, maligna atræ bilis acerbitas alimento, cum appetitu sumpto, mitigatur & demulcetur.

Causa.

Atrabilis appetentiam deiicit, acidus succus naturalis contrà eam acuit.

Quæstio nunc: an pyroticum, aut suprà aut infrà partem tumentem conferat? vtrique parti sua sunt patrocinij momenta.

1.

Hîc quid dicam animi sum anceps, an suprà an infrà malum. Id canon est prudentiæ, non tam videndum vt prosimus, quàm vt non obsimus; cùm enim nobis res sit cum corpore succo atro & feroce scatente, videndum ne quid sinistri contingat in ea parte quam cauterium exusserit, & domestici iudicium medici laudo id remedium dissuadentis. Si mite cauterium, inutile, si immitius vix præstabitur periculum: meum antè fuit præiudicium cùm de ea re rogaremur, certo nunc iudicio confirmamus. Ægra tabescit vi morbi, ætate, mœrore, defectu alimenti noui, appetitu, prostrato tabo melancholico & ichore carnes irrigantur, vereor ne pro leuamento noui mali sit irritamentum, itaque abstinendum, brachio adhiberi potest minore cum periculo, profectu mini-

Hipp. in Aph. hypochondriacæ mulieres difficilius curantur quam viri, & non ita huic affectioni obnoxiæ.

mo. De prognostico certè hoc dicere licet quòd malum hoc graue & plenum terroris existit in muliere potissimum; quotidianis enim rerum euentis & obseruationibus deprehendere licet, mulieres non pronas esse ad hypochondriacum affectum & melancholiam ab adustione, repugnans enim habent temperamentum, sed vbi semel in eum affectum inciderunt, difficiliùs curantur.

Cancri sunt alendi non curandi, nec irritandi, inutilis opera est, & ægri sequitur calamitas mitigare, delinire humanius, tutius; irritare crudelius, periculosius.

Phlebotomia ex interuallis iuuat. conciliatio somni etiam laudano monstri paracelsici, vel solemnibus & solitis hypnoticis.

2. Syrupus de pomis, de succis; pilularum vsus non probatur, opiata ex conseruis puluere sennæ, rheo, & similibus vtilior & tutior: omni ope excitanda appetentia, & etiā deteriore cibo sed gratiore, diuturnum ægrotantium desiderium; iuuat medicorum indulgentia (Hipp. teste) in morbo diuturno.

ANNOTATIONES.

1. *Melancholici vbi sunt inappetentes malè habent, splenici sunt voraces sed de acido succo melancholico non de adusto est iudicium: nam sæpè appetentiam deiicit, immo voraces splenici sunt non tam ob acidum succum quàm cancrosam lienis dispositionem.*

2. *Purgatio instituitur frequentior non vehementior, & sicubi aliàs* ἐπίκρασις *locum habet vt sit natritionis & purgationis gradus & vicissitudo, frequens & mitior euacuatio supplet vicem minus frequentis sed validioris, quanquam Hipp. in Aph. per inferiora vult melancholicos* ἁδροτέρως *repurgari. Tamen cum quartanariis mitius agitur, cùm tamen ea ab humore sit melancholico. Item crancros qui sunt soboles istius humoris alimus & nutrimus, vehementibus irritamus. Ita autem hic scrupulus adimitur, Agitandi sunt & purgandi melancholici* ἁδροτέρως *non omnes, sed qui purgatione egent. Ita Mesuæus, in morbis melancholicis non semel, non bis, sed per interualla, molienda est euacuatio, eàque ita temperata esse debet, vt natura regat euacuationem, non euacuatio naturam ipsam. In his ergo maximè habenda ratio adustionis & caloris adurentis nec simpliciter calor considerandus, quod tumores atrabilarij satis superque testantur. Estque virus quoddam iunctum cum adustione quod plumbo solanoue emendatur quodammodo, aliisque vehementio-*

ribus magis ac magis irritatur: quod si in externis affectibus curandis qui virus & pertinaciam melancholicam redolent, moderatio adhibenda est, vt non exacerbentur sed nutriantur, cum non idē in internis affectibus melancholicis vsurpandum. Irritatio istorum morborum, seu internorum, seu externorum, doloris prouocatio est, mors ipsa denique, eorumdem nutritio, est fomentum quoddam, dolorum leuatio, dulcedo quædam, vitæ eiusque prorogatio. Sic melancholicis lac, balnea, & quidquid modicum temperatumque est profuit, quod violentum irritansque obfuit. Sic enim adustio humorum, & maximè si bilis flaua assetur, imprimit vim nescio quam humoribus: vnde quos alioquin irritat frigus, & calor, eos lenit, fouet mitigat medium ac temperatum. Et quod de humoribus atrabilariis dicitur, idem de moribus melancholicorum audiendum est: acerbioribus obiurgationibus irritantur ac ferociunt, mollioribus verbis & frigidis minimè corriguntur, moderatis rationibus ac sermonibus facilè acquiescunt ac temperantur.

CONSILIVM XXVII.

De hernia pro filia D. Margeret.

RAmicosi colicos dolores facilè patiuntur, id fit ob ligaturas, & subligacula astringentia. Item aliquod vitium est in conformatione, in mesenterio & intestinis: fit æstus in intestinis, flatus generatio & impetus, Alui durities, vnde caloris incrementum, imo motus περισταλτικὸς intestinorum vitiatur quodammodo, & ob flatus vernaculos calida ventri admouentur; hinc calor, hinc alui durities & egestio laboriosa quæ intestinum expellit, quòd venter intumèt, deinde subsidit, id à glandularum mesenterij tumore, & quasi fermentatione oritur, vel vbi serum putre aut flatus adsunt.

Pro ramice non valdè probantur remedia per os sumpta, quidquid obganniant impostores, qui vocem facto sublimiorem habent, puluis tamen probari potest post vsum topicorum, de quo Fernelius in libello consiliorum egit.

Consultum est vt omnis agitatio corporis violenta vitaretur.

Pilularum communium vsus communis valet ad aluum facilem.

Conueniens deligatio plurimum præstat in curatione herniæ.

Maxima vis in fasciarum conuenientium vsu.

In fine pastus conueniet hic puluis.

Puluis.

℞. Panis tosti & puluerisati, ℥ j. radicis consolidæ ʒ j. ſ. coriandri conditi, fœniculi, anisi, añ. ʒ ij. conseruæ rosa. siccæ ʒ j. ſ. carabes, rasuræ eboris, ligni rhodij añ. ʒ. ſ. pulueris elect. triasant. ℈ ij. sacch. rosati & communis añ. ℥ iij. fiat puluis de quo capiat post pastum.

Vtatur conserua siue opiata sequenti, bis aut ter in hebdomada, maximè circa lunæ occasum.

Opiatæ.

℞. Conseruæ berberorum, rosarum añ. ʒ vj. Myuæ cydonior. ℥ j. conseruæ symphyti ℥ j. corticis citrij myrob. conditarum añ. ʒ. iij. corallij rub. radicis bardanæ, pentaphylli. & bistort. añ. ℈ iiij. seminis portul. plantag. añ. ʒ. j Elect. diatrag. frig. & diarrhod. añ. ʒ ſ. rasuræ chalybis præpar. ℥ ſ. cum syrupo cytoniorum & iuleb. rosato, fiat opiata de qua sumat vt dictum est. vel

℞. Conseruæ symph. maioris, rosarum antiq. corticis citr. sacchari cond. añ. ℥ j. sigill. beatæ Mar. iaceæ, albæ, & nigræ añ. ʒ ij. boli arm. in aqua rosar. lot. sang. drac. añ. ʒ ij. ſ. acaciæ hypocist. añ. ʒ. j. ſ. carn. cydon. sacch. cond. sine aromatibus ℥ ij. limaturæ chalyb. ℥ j. syrup. myrtini. q. ſ. fiat opiata ad vsum.

Valebit emplast. contra ruptur. cum mastiche, magnetis lapide, acacia, hypocist, bol. arm. except. oleo cydon. & terebinthina.

Fotus.

Item fotus ex ℥ ſ. aluminis dissol. in ℔ j. aquæ fabrorum & coct. ad medias pro fotu.

CONSILIVM XXVIII.

De sterilitate an ex parte viri, an mulieris.

IN rebus æstimandis & iudicio ferendo omnia vtrinque ad certam regulam sunt reuocanda, ne falsum pro vero supponatur.

Atque cùm aliàs tum maximè, cùm agitur de infœcunditate, quæ molesta esse solet, & matrimoniorum perturbatrix, soboles enim eorum est vinculum, fidum pignus, & amicitiæ conciliatrix.

Et quoniam ad tristiorem partem strenua est suspicio vimque affert veritati: ea suspicio innocenti sæpè nocet dum spes prolis titillat, sollicitat, lites fouet. In causa infœcunditatis æqua lanx est afferenda.

1. In re quæ proponitur maritus culpâ non vacat, non vacat & mulier.

Mola quæ est moles indigesta & naturæ quoddam irritum opus & quasi ludibrium, docet, aut viri semen effœtum, aut vterum naturæ agrum vligine plenum, vnde semen serescit & vim genitiuam amittit.

2. Vir arrigit, emittit, effundit, & immittit, benè venerem explicat, id quod viro patrocinatur naturalia sunt secundùm naturam: mulier ῥοῦν quendam patitur, & eo tabo irriginis vterus minùs est aptus ad semen concipiendum, etiam prolificum, vt sua virili & mascula vi semen muliebre ad texturam, & primum exordium, & ad opus mutuum excitet, impuritas vteri quæ hunc quasi indignabundum reddit, maximè causa est sterilitatis.

Fluores albi veneri officiunt & nocent Hipp. sect. 2 Epi. Eorum colluuie semen effœtum fit & indignabundus vterus congressum auersatur.

Dicunt mulierem habere corpus εὔσαρκον & habitius item & virum. At corpora habitiora sæpè non sunt magis prolifica, imò minùs. Macra sunt salaciora, libidinosiora, & fœcundiora, licet semen prolificum glutinis plus habere debeat & lentæ, substantiæ ad fœcunditatem, & diuturnitatem, & plantæ sunt viuaciores quæ plus lenti & glutinosi habent humoris.

3. Salaces aliquando sunt infœcundi, cùm habeant salem ad libidinem, sed non ἐνέργειαν prolificam.

4. Id fortè huic viro conuenit statim incitatur, statim venerem explicat, statim elanguet, non desinit tamen semen esse naturale & fœcundum: in amplexu suo & congressus aculeo, cunctantior esse debet, vt non tam facilè semen emittatur.

Iudicium dominorum consulum & rei æstimatorum esse debet, vt habeatur ratio viri, non negligatur mulier.

Viri, vt bona victus lege vtatur, si negotiosus actiones temperet: labor corporis mentem impedit, labor mentis corpus adimit (vt loquitur Plin.) & attenuat, homines negotia perplexa tractantes Græ. πολυπράγμονες aut non sunt prolifici, aut prolem valetudinariam producunt.

Labor corporis menti obest & vice versa.

Purgetur vir aliquando senna, syrupo de cichoreo, & rosarum vt semen serosius esse desinat, cassia effœminat ni addatur rheum. vide potum ante institutum ad eum finem.

Purgatio.

Vtatur tabellis roborantibus cum rheo & croco martis, ligno

Tabella.

rhodio, aloes, addito puluere scincorum præparatorum, vtatur & conseruis. Verum hæ tabellæ non conueniunt, si non fluidum semen, & imbecilli hepatis signum non adsit.

Fotus virilium blandus: quanquam de eo dubitatur, quia è natura habent.

Purgationes pro muliere instituendæ sint blandæ, fotus, & insessus, addita arthemisia, matricaria, betonica, bistorta, sana monda, rosis, consolida vtraque conferent. 5.

Imo iniectiones in vterum ex iisdem herbis.

Tabellæ roborantes ex triasantalo, Rheo, croco martis.

Decoctum blandum ex scyna si ῥοῦς perseueret. Sed maximè videndum ne mulieri sit leuis suspicio de impotentia viri, vt ne vinculum matrimonii resoluatur, quod spes prolis firmat, & id passim hodie fit, & cum mulieres non ament viros nisi frigidiusculæ, impotentiam facilè prætexunt ad dissoluendum matrimonium. Et infœcunditatem adferunt vt iustam repudii causam, sed sæpè imaginariam, & falsæ & mendacis amicitiæ testem: sunt enim corpora quædam quæ simul iuncta habent quandam antipathiam ad iustam fœcunditatem & lætam. est quædam priuatim dissociatio corporum (ait Plin.) & inter steriles vbi cum aliis iunxere gignunt, alii, aliæque tantum mares, alii fœminas gignunt, alii alternant, alii semel in vita datur gignere.

Corpora quædam simul iuncta habent quandam antipathiam.

Verum cupiditas puerorum coniugali fidei præponi non debet, etsi natura quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, & nos parentes alendo, nepotum nutriendorum debito alligauit.

Valerius ca. 1. l. 2. & de cœlibatu punito c. 9. l. 2.

ANNOTATIONES.

1. *Senes sunt ad venerem inepti, & vanum sæpè trahunt laborem, sunt tamquam milites emeriti imo seniliter oderunt, quod in iuuentute fuit amabile, Aiunt auroram deam, (& hinc auroræ nomen) habuisse quendam Deum maritum, quem (cùm is senex factus esset) in crepusculo & summo mane relicto cubili maritum deserebat.*

2. *Diximus aliàs virum non debere esse aut fatuum, aut insulsum, quia aut non excitatur ad venerem aut eam non explet. At ex parte mulieris in congressu non debet nimium se mouere quod mulieres quæ nolunt concipere faciunt, & id latinè, crissare dicitur, id autem faciunt vt concinniorem venerem exhibeant viris, aut vt sibi abigant*

conceptum semen, quod incidit in vuluam fœminæ in ipso conceptu non se mouentis; sic salacitas in viro, & nimia concussatio & motus in congressu sterilitatem facit.

3. *Ea dari debent talibus corporibus quæ minuunt corpus, frictio dura & vehemens spissat, mollis lenit, multa corpus adimit, vt ait Plin.*

4. *Paulo post aliud dicitur, citaturque locus Plinij cap. 37. lib. 11. ex quo colligere licet corpora pinguia minus fœcunda & senescere celeriùs. Et reuera obseruatione deprehendimus homines hyrtos esse salaciores & libidinosiores.* Pliu.

5. *Vt mulier concipiat puram esse oportet, quo ad fieri potest, nam muco plenæ nec facile concipiunt nec signa conceptus percipiunt; vnde Hipp. lib. de carnibus, horrorem, calorem dentium stridorem, conuulsionem quandam circa articulos, vteri segnitiem & torporem signa conceptus prodit sed puras mulieres hoc pati asseuerat, crassæ & mucosæ non ita percipiunt.*

6. *Non fuit visum diuortium Romæ inter virum & vxorem, nisi post annum vicesimum & quingentesimum ab vrbe condita, idque ob sterilitatem. Seruilius spurius primus cum vxore infæcunditatis causa diuortium fecit.* Plut. in compar. inter thes. & Rom.

CONSILIVM XXIX.

De Febre χαυσῶδει *pro D. Gobelin Abbatissa.*

QVoniam in acutis morbis minimis momentis maximæ fiunt inclinationes, vnde etiam bonorum medicorum in dubio fluctuat animus aut ad sanitatem aut ad mortem; vereor in hac ægra (quod omen Deus auertat) ne non sit tam locus spei quàm desperationi Α'υλοψία medicum assidentem aut docet aut confirmat consules medicos absentia ipsa dubios & ancipites reddit æqua lanx ad medicum domesticum, desiderium & incertum consilium ad absentes medicos pertinet. Desperatio hinc aliqua nata quod morbus sit auctus, est enim febris χαυσώδης magnus morbus, maior in sene muliere, maximus quod non ita pridem graui morbo afflicta fuerit, à quo vix dum respirauit viresque re- 1.

ſumpſit, ſi morbus remediis non ceſſerit, ſed ea eluſerit, vix forte noſtris obſequetur, conferemus conſilia in ſalutem Ægræ, quia in collatis conſiliis eſt quid auſpicatius, firmius & auguſtius, quàm in ſingulari iudicio, ſi morbo victore fruſtrà, data & tardius miſſa id morbo celeri non negligentiæ cunctabundæ tribuendum. Vt dictum ita factum; & quia in numero eſt quid magnum & auguſta vis perhibetur conſilii collati quod ſingulis quibuſque iudicii parum inſit, omnibus plurimùm.

Plin. ſec. li. 7. Epiſtola de pomponio tragœdo & Ariſt. 3. polit.

Noſtrum conſilium D. Martino Collegæ forte obuio communicaui, aperui. Ille illud probauit, ſubſcripſit, idem cenſuit & non recenſuit.

Remedia.

Clyſteres ex carnium vitulinarum decocto. Epithemata ad cor & hepar ob incendium, litus ad ſpinam ex roſato Meſuæi. Fotus blandi ad renem veteris & querulæ affectionis ſedem, ſi ſæuiat dolor nephriticus, modo non ſit à febre.

2. Apozemata inſtar gratarum emulſionum dilutum caſſiæ cum ſyrupo limonum, abſtineat rheo ni lingua & morbus madeſcat, terebinthina cum rheo in eo ardore damnetur; miror cur data, niſi ob ſuppreſſam vrinam, at ſæpè in febribus ardentibus ſuppreſſio vrinæ eſt κατ' ἐπιγένεσιν ob febrem, fortè eo neceſſitas adegit. Boni conſules, ſi non probarint, inter viros bonos, quos malus animus & affectus tranſuerſos non agit, tàm grata eſſe debet diſſentientis ſimplicitas, quàm probantis auctoritas, modo ſit ſtudium, & cognoſcendæ veritatis ſtimulus, candor debet adeſſe potiùs quàm triſtis & ambitioſa cenſura; difficilis ſæpe rerum cognitio & in ambiguo multa ambigunt & vacillant.

Phlebotomia valet ni vires reclament.

Conciliandus ſomnus nenupharino, hordeata, lotiones pedum, diſtillatum inſtaurans cum iuleb roſato.

ANNOTATIONES.

1. Non poteſt Medicus per Epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda eſt vetus prouerbium eſt, gladiatorem in arena conſilium capere, aliquid aduerſarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet, quid fieri ſoleat, quid oporteat in vniuerſum mandari poteſt & ſcribi. Tale conſilium non tantum abſentibus, ſed etiam poſteris datur. Illud autem quando fieri debeat aut quemadmodum ex longinquo nemo ſuadebit, cum rebus

ipſis

ipsis deliberandum est, non tantum præsentis, sed vigilantis est occasionem obseruare properantem. Sen. Epist. lib. 3.

2. Dulcia & pinguia ac oleosa replent, quia ex modica mole multum diffunduntur; calefacta autem & diffusa caliditatem in corpore replent ac tranquillam esse faciunt. Hipp. 2 de diæta. Terebinthina autem mordax asperæ arteriæ & ori Gal. lib. 7. compos. phar. part. oleosa & pinguis citissime flammam & ignem concipit ideoque præsente febre aut alicuius partis inflammatione non vsurpanda calore enim atque acrimonia phlogosim exasperat atque incendium adauget.

CONSILIVM XXX.

De Sterilitate.

MVlta pro alia muliere & eius viro dicta sunt: sed hîc noua sese res offert; nam non longè à nuptiis infecta fuit tabe venerea à viro, hinc vterus dispositionem ῥευματικὴν contraxit. Quærebatur num ea labes sterilitatis causa esse potest. An non, & partes naturales & vterus ipse ob gonorrhæam infectus fuerit, in luem enim veneram non fit præscriptio, latent reliquiæ, domatur venenum non vincitur. Querimonia est de sterilitate an ex parte viri aut mulieris, videas benè habita corpora & sana non beari prole? in quo Medici valdè ambigunt & anxij sunt. Primò, quia eorum conscientia eos remordet ne quid aut peccent aut faueant alterutri: ne innocens accusetur, deinde quia incitantur desiderio in querulis coniugibus prolis excitandæ quòd beatum amoris pignus sit proles. In hac muliere est ῥοῦς γυναικεῖος, fundus agerque naturæ alieno humore irriguus sordescit & elanguescit. Præcipua cura vt vterus sit sanus ne semen fœcundum exolescat & vim natiuam amittat.

In luem veneream non fit præscriptio

1.

2.

Quæ vteros habent humidos siccos &c. non concipiũt Hipp. in Aph.

Mulier bona victus lege vtatur, vitet lactis vsum, fructuum, vt sanguis sit robustior.

Vtatur puluere digestiuo à pastu, aut pane biscocto, magnas corporis & animi vitabit actiones, & motus præsertim à conceptu & retento semine, clysteres frequentes etiam ex decocto herbarum vulnerariarum, blando medicamento vtetur.

Habebit syrupum magistralem, item pilulas vsui deuotas.

Vide antè innumera remedia ad eundem finem. Aliquando secetur vena brachij, aliquando malleolorum si purgationes voto non responderint.

Fotus ad partes naturales; iniectiones in vterum moderatæ. Pessaria.

Primo vere balnea, aliquando semicupia, emplastrum pro matrice ad lumbos.

Decoctum sarsæparillæ conuenienti tempore. Pilularum forma sequens vsui esse potest.

Pilulæ.

℞. Aloes in aqua betonicæ lautæ ʒ vj. rhabarbari ℈ iiij. trochiscorum de carabe ℈ ij. castor. ʒ ß. agar. troch. ℈ iiij. ladani ʒ ij. radicis bist. & tormentil. añ. ℈ j. diambræ, spicæ nardi, croci martis ʒ j. cum syrupo capillarium veneris, fiat pilularum massa, pro dosi capiat ʒ ß. vnâ horâ ante pastum.

3. Capiat aliquando pilulam ex terebinthina lauta in aqua buglossi, aut decocto herbarum capillarium.

Prodest lauta in aqua betonicæ, capiat autem vere, & autumno sub finem mensis menstrui.

In decocto medicamenti sint sanamonda, eryngium, tormentilla, grana Kermes, & alkekengi & similia: syrupus magistralis ex iisdem additis sarsaparilla, parthenio, veronica, scabiosa, rhab, agarico; syrupo bizantino.

Puluis digestiuus prædictus addito ligno sassafras, decoctum sarsæparillæ sine vi elicito sudore: in semicupio arthemisia, mercur. nepetha, matric. capillar. bipinella, radices bardanæ, l i fortæ, chamæmil. semen lini, bulliant. suffitus ex trochiscis aliptæ moscatæ. pessus.

Suffitus.

℞. Pulueris rosar. & antheræ. añ. ℈ ij. ireos. ʒ j. zibeth. ambræ añ. gran. 4. moschi tantill. sant. citronij ʒ j. fiat puluis excipiendus bombace. Si calor, irroretur pessus aq. rosa. & nenupharis cum mucore seminis psyllij, ambra & santalis.

℞. Radicis pentaphyll. bistort. sanamondæ añ. ℥ j. beton. veronicæ, robertianæ, adianthi, rosa. polyg. maioris an. p. 1. ligni rhodij. corticis guaiacij & santal vtriusque añ. ʒ iij. coque in hydromel. adde saccharum rosatum.

Vide de sterilitate lib. 1. consil. Ballonij

Suffitus fient ex conuenientibus.

De suffitu & conseruis vtilibus maximè de conserua saluiæ, pluria alijs locis.

Inter cætera si hæc parum profecerint, valebit vsus radicis limonij & saluiæ in vino albo.

Interea non negligendum quod dictum est de suspectis reliquiis luis in eam rem valebit opiata Fernelij, atque vtile erit aliquot diluculis sudores hausto guaiacino cremore blandè promouere.

Meminimus trochiscorum aliptæ moschatæ.

Non erit alienum dare aliquando opiatam quæ ad venerem excitet, ocymum id præstat, vterum purgat, item saluia. 4.

Ad intentiones prædictas laudatur syrupus ex succis matricariæ, agripal. nepethæ cum saccharo, si calidiora fuerint hæc, ad temperatiora veniendum est.

ANNOTATIONES.

1. *Mihi nunquam emoritur ista lues, nec eius omnes fibræ eliduntur, domatur quidem, omnino vincitur ac extinguitur nunquam; adeo magna vis est morbi* κατὰ τὴν ὅλην οὐσίαν. *vnum tamen obseruatione dignum quòd tumores venerei domiti tandem naturæ gratiam recipientes & contagionis sunt expertes & boni moris esse incipiunt, ait Vigonius.*

2. *Vulgus est proletarium totum incumbit veneri apud ignobiles vulgaris reperitur generatio Plin. cap. 14. l. b. 7. de mulieribus aptis aut ineptis ad conceptum abundè Hipp. 2. prorrh.*

3. *Pilularum ex terebinthina vsus vere, & autumno frequenti satis in vsu, sterilitati medetur nobilis mulier clarissimorum medicorum consilium secuta, hac arte & ingenio sterilitatem vitasse se affirmauit frequenter deuorabat pilulam vnam ex terebinthina optima, præsertim ineunte vere per tres menses & exacta æstate initio autumni per tres alios menses quod creditu non est difficile; maximas enim dotes & opportunitates terebinthina est consecuta: Et quoniam difficile in pilularum formam terebinthina reformatur: modum id faciendi ex magistrorum artis consilio aperimus. terebinthina in decocto conuenіente elixanda est vt faciliùs ducatur, & consistentiam acquirat formandis pilulis apprimè vtilem.*

℞. *Rad. tormentillæ & bistortæ an. ℥ ß. parthenij, polytrichi, melissæ betonicæ, & trifolij odorati an. p. j. fiat decoct.*

℞. *Terebinth. ℥ ij. bulliant in aqua decoct. superioris blanda ebullitione, deinde sinantur refrigescere in parte decoctionis eiusdem actu*

frigidæ, adde rhei ℥ j. pul. Karabes ℈ ij. myrrhæ ℥ ſ. ambræ griſeæ ℈ ſ. formetur maſſa, de qua capiat pilulam vnam, vt dictum eſt.

4. Ad conceptum mirum quod ſcribit Mathiolus de ſucco ſaluiæ cum pauco ſale Agrippa (ait) hanc ſacram herbam vocat, quam prægnantes mulieres, ſi fluidæ laxæque fuerint commodè comedere poſſunt, nam continet conceptum vitalemque reddit, at ſi ſucci huius heminam 4. à ſecubitu die adiecto pauco ſale hauſerit, deinde viro miſceatur concipiet, aiunt in Ægypto poſt ſæuas peſtilentias mulieres ab iis qui ſuperfuerunt coactas fuiſſe vt eum ſuccum biberent atque inde plurimi producti ſunt fœtus.

CONSILIVM XXXI.

Ad ſurditatis initia pro D. Bazanier.

Pilulæ. PVrgationes conuenientes ex maſſ. pil. de agar. cocciar. lucis & aur. añ. ʒ j. aloes nutr. in decoct. beton. & macerat. ʒ iij. cum ſyrupo de ſtæchade doſis à ʒ j. ad ℈ iiij. Panes humeris applicentur calidi, cucurbitulæ, iniectiones in aurem conuenientes ſed copia ſatis bona, deinde repurgentur. Adhibeatur cauterium brachio, Turundæ illinendæ baſilicone ad ſuppurationem aliquam, oleum violatum. Anemones & braſſicæ ſuccus valet pro Errhino.

1. Succus ex anguilla toſta in verubus.

2. Item ſuccus bulbi extractus cum pauco vino albo, botto imbutus aqua cardui in datur. Maſticatoria, oleum amygdal. dulcium aliquando amararum cum pauco oleo rutæ. vel

3. ♃. Succor. rutæ, bulbi eſculenti añ. ℥ i. vini albi ſubtiliſſ. & generoſi ℥ ii. madeant ſuper cineres calidos, impleatur, horâ ſomni, auris, deinde obturetur cottone moſchato. *6. Eſchalottes*

Opiata. Opiata ex conſeruis ſaluiæ, anthos, meliſſæ, conſ. acor. enulæ, aromat. roſat maior. mithrid. vetere, hyeme potiſſimum cum ſyrupo. de ſtœchade. Purganda auris auriſcalpio.

ANNOTATIONES.

1. *Cum omnis aurium tinnitus sit ferè incurabilis, raroque voto satagentis medici respondeatur, æquum esse putant quidam dolorem aliquem inducere, si inducere tutum sit cùm aurium dolor tormentis annumeretur, saltem immißis Turundulis vnguento basilicone aut alio vim suppuratoriam nacto illitis, aliqua suppuratio molienda, ita enim fit, vt abscedendi quadam lege & ratione materia coctione ipsa obsequentior reddita, foras erumpat ægrorum commodo maximo.*
2. *Quibusdam non placet iniectio oleorum in aures, tum quia ratione viscosæ naturæ obstruunt, tum quia sordes, si quæ forinsecus inciderint ratione viscosi olei facilè medio in meatu inhærescant, vnde noui mali, noua occasio.*
3. *Cum anfractuosæ sint aures, iniecta liquoris conuenientis guttula non satis esse potest, sed potius implenda est auris deinde cottone occludenda.*

CONSILIVM XXXII.

De lethargo syncope & cardialgia.

AD sextum Calend. Aprilis Dominus Coronæus deliquio animi correptus ferè exanimatus est. Adiutus, parumper vires & corpus resumpsit, domum redux factus est ἄφωνος. Aliquid lethargicum ominabamur, testes marcor quidam animi, corporis torpor, inexpugnabilis sopor, molis corporis quasi quassatio, nec nisi punctus aut vellicatus sensum probabat superstitem sed hebetiorem, deliria fugacia, si morbus inueterasset typhomania fuisset, sensus caloris insignis maximè in fronte, & qua plexus retiformis latet, aderat. Et id maximè lethargum presagiebat, plus periculi quàm spei aderat nisi quod narrabant ægrum aliquid simile olim passum sed non tam terrificum; id aliquantum nos solabatur, Nam securus facilè in iis aliquis esse debet quæ sine periculo eua-

Celsus.

Hipp. de præc. parua causa medelis exoluitur nisi quid sit circà partem principem.

sit. Parum tamen spei erat, maximè quia morbi cerebri de apicibus artis sunt; nam leuis causa sæpè grauem morbum promouet, effectus causam superat, id que quia pars princeps & sensus scaturigo, deinde in ambiguo versabamur, an reficiẽdus tãtum, an purgandus & extenuandus; pertulerat inediam ieiunus, etiam diei integri, at defectu alimenti spiritus ardent, bilis suaui alimento carens efferatur & suo sero (quod frænum est) destituitur, & ventriculus inanis aliunde mendicat alimentum, sed sæpè infœlix per colliquationem, hinc malorum ilias, syncopæ, spasmi, cardialgiæ. In dubio hoc vicit sententia de repurgando, & à capite reuellendo, cum & plethoræ sese signa proderent: metus alioqui erat, aut siriaseos cerebri aut sphaceli, aut morbi attoniti quem sæpè phlogosis in cerebro facit in paroxysmo & extra (quod mirum) phlebotomiam alacriter non tulit medicamenta facilè & quod medicis facilè negotium facessit, est admirabilis cerebri, & vasorum eius in inæqualitate æqualitas, medulla eius est glutinosa, frigida, humida. Vnde Hipp. cerebrum vocat metropolin frigidi & glutinosi. Arteriæ & venæ calidiores elaborato spiritu & tenui sanguineque turgent, hinc aiunt cerebrum frigidum aërem impensè calidum æquare. Quid hoc est? in hoc quippe naturæ ars & solertia se probat. Glutinosa substantia impedit quo minùs aut arescat, aut marcescat, deflagret & ἀνάλωσιν patiatur. Quod cõtingeret ob assiduas cogitationes, studia & quinque sensuum iuges actiones. Vnde quibus cerebrum est siccius & defœcatius, paulò prudentiores fiunt, sed id boni sæua mercede compensatur: testes homines acerrimi ingenij quibus sacer morbus non pepercit, & cum consentiunt natura glutinosa frigida cerebri & arteriarum calor, in ista inæqualiæqualitate fœlicitas actionum relucet. Vsu remediorum reducta hæc temperies cerebri & meatuum cerebri libertas, vnde spiritus, suos motus & meatus habent (cum cerebrum vel vt mens, vel vt corpus laboret) ægrum auspicato à periculo liberauit, & charæ coniugi desideratum restituit, hæc acta me ordinario M. & consulibus D. D. Marescotio; Martino, Seguyno.

Cerebrum metropolis frigidi & glutinosi.

ANNOTATIO.

1. *Cerebrum glandula est fluxibus opportuna Gal. cap. 8. lib. de sang. missione. At quomodo excrementis se facilè liberet, docet Hipp. lib. de Glandulis 1.*

CONSILIVM XXXIII.

De puella quam ob terrifica symptomata vel possessam vel obsessam esse putabant, quasi de censu τῶν ἐνεργυμένων & numero diceretur.

IAm ante proposuimus puellam, quæ ex quo nata est erat κακοςόμαχος & nauseabunda, & tamen ἀνέμετος, nec enim reuomebat maximè nauseabat circà quosdam cibos. virgo de qua hoc loco, pathemata habebat melancholica, & inter cætera vnum fuit mirandum, cùm ea totam se Deo vouisset, & consecrasset, tamen in ipsa communione cum Christi corpus, tanquam Deus ipse vi sacramenti sumendus esset, non poterat sumere & vti. Nauseabunda erat & κακοςόμαχος. Alij putabant id fieri quòd in pane ἀζύμῳ corpus Christi contineretur, id enim peculiare obseruatum est in ea, quod panem ἄζυμον & sacrum, & non sacrum sumere non poterat.

Alij putabant id contingere ob respectum ad corpus Christi & sacramenti reuerentiam & conscientiæ aculeum aut metum iudicij Dei, si fortè corpus Christi non sumeretur eo modo quo id fieri debet. Tanta vis pathematum animi. 1.

Alij id quicquid fuit melancholicum putabant. Tanta est vis & energia humoris melancholici. Imo homines similes reddit ἐνεργυμένοις vnde ad ἐξορσισμὺς tanquam ad summam anchoram & sacram confugitur. 2.

Cæterùm in hoc perplexo negotio varias in partes iudicia hominum distracta sunt. & in rebus dubiis sanior pars sequenda fuit.

Non omittenda consilia & remedia diuina censuimus nam in Ritu Ecclesiastico & remediis diuinis remedium remediorum consistit, humanis consiliis & auxiliis præualent. Purganda, syrupo de succis iuuanda. Balneis vtendum, sero lactis colato, opiatis ex conseruis addita confectione Alkermes, succo citrij myrobolanis, croco martis, bolo.

ANNOTATIONES.

1. *Sic obseruant physici soli homini contingere inter cætera animantia vt vulneratus non reddat sanguinem, & pars incruenta maneat & id metui tribuitur.*

2. *Melancholici toti iacent, vt aiunt, in fermento. Id est ægro sunt animo ira, & passionibus animi turgent, & multa humori melancholico in mores licent, vnum & idem in articulo placet & displicet, crebris mutationibus vt remediis vtuntur. Id in mulieribus multò formidabilius est ob iudicij imbecillitatem & sexus anxietatem.*

CONSILIVM XXXIV.

De scrophulis pro Domina *L. M.*

Causa.

DE scrophulis multi multa & sæpè in vanum, morbus enim est ludificans operam medicorum. Rondeletius multa remedia adhibet, & calida plurima in quo, pace tanti viri dicam, ab eo dissentimus, humor enim acer, mordax salsus & nitrosus id genus mali gignit & fouet.

Victus.

Exacta vitæ lex tenenda: fotus ad partem ex scabiosa, bipinel. veronica, coctis cum medulla ligni sancti.

Opiata. 1

Opiata laxatiua cum puluere scynæ.

2

Detractio sanguinis, sanguisugæ parti admouendæ, lac asinæ quod ex Galeno ab elephant. liberat, balnea, serum lactis æstate addita, bipinella, veronica fumaria, scordio, rore solis, pilosella.

Syrupus regis sabor. Pomatium, sanamondæ radix hîc & in malignis morbis mirificas habet vires, item radix buglossi temperando.

Vsus pilularum addito mercurio.

Scrophu-

Scrophulariam ratione nominis chæradibus proficuam putant, tamen aron imitatur & chelidonium minus vocatur, ita aiunt, si loco sicco nascatur periculosa est, acrimonia enim sua exulcerat & imitatur malitiam humoris, strumas committentis; si loco humido, & vliginoso perutilis; vide, an hoc verisimile. Chirurgus nos alloquatur vt de emplastris non calfacientibus conueniatur, cauteria vtilia sunto.

Fuchsius. Galeopsis siue scrophularia maior commendatur maxime ad strumas.

ANNOTATIO.

1. *Lues venerea, strumæ, elephas aliquid habent cognatum & συγγενὲς tres has hydras vnus alexicacos Hercules, hydrargyrosis vincit & opprimit. Strumas autem sanat profusa per os maligna pituita quæ in capite redundabat, illincque in subiectas partes delabens illarum causa fuerat. Mercurius enim cùm sit frigidus & humidus impendiò suprà omnia medicamenta calidorum humorum feruorem obtundit, furorem & impetum coercet, siccitatem temperat, malignitatem cohibet calida & sicca viscera ita humectat vt bilis in posterum minimũ colligant. Dolores calidos per se mitigat, frigidos ex accidenti, purgatoria scilicet vi in aluum deturbans, vel in os regerens scirrhos emollit & resoluit ratione humiditatis tenuitati partium coniunctæ. At vero Mercurius, de quo hìc fit mentio, is est quem dulcem aut dulcificatum vocant alij aquilam albam seu cœlestem aut sublimatum dulcem; non crudus & minimè præparatus qui plumbi fusi instar, partibus quibus adhæret, paralysim inducit ventriculum lædit, intestina diris cruciatibus torquet, corpus subtumidum & ἐμφυσήμενον reddit, grauissimaque symptomata inuehit. Ille autem paratur ex hydrarg. crudi ℥vj. & sublimati ℥viij. in mortario marmoreo, cum pistillo, ligneo, simul agitatione diuturna commixtis & tritis, adeo vt nulla hydrarg. crudi bulla supersit, quibus peractis, massa in matratio colli longi collocatus & igne cincritio, per 6. horas circiter sublimatur extincto igne. Mercurius sublimatus summitati vasis adhærens excipitur à fæcibus & fuligine venenata separatur, qui si gustanti dulcis non percipiatur, aut vlceri sordido adhibitus escharam facere deprehendatur, eodem apparatu iterum edulcandus est. Sic dulcatus hydrarg. exhibetur cum morbi cacoethia & peruicacia id præsidij genus expostulat forma boli aut pilul. cum pilulis cocciis troch. alhandal. extract. scamm. Aloes, pul. rhei. sennæ diaphœn. cass. confect. hamech. &c. quæ vim eius languidam & ignauam irritant quibus admiscentur spica cinnam. am-*

bra, Moschus, sed potissimum folia auri aut eius scobs, seu limatura. Nihil enim est quod argentum viuum auidius imbibat quàm aurum, atque ita illud per aluum cum auro egeritur cum quo maxima intercedit amicitia, nam ipsum purgat, sordes expuit, crebro iactatu fictilibus in vasis, & quæ inaurantur hydr. intercedente, aurum pertinacißimè retinent metallaque omnia hydrarg. supernatare obseruamus, vt aquæ ligna, præter aurum quod vnum ad se rapit. At si ptyalismum prouocare expedit, hydrarg. sine purgantibus exhibetur.

CONSILIVM XXXV.

De Fluore muliebri & muliere cachectica.

AGitur de graui symptomate tertij generis in excretis, excreta aut toto genere sunt contrà naturam, aut iuuant, vt hæmorrhois. Quod excernitur, quandiu, quomodo, vnde, consideratur locus à quo & in quem. Tribus de causis ῥοῦς hic muliebris curatu est difficilis, primò quòd inueteratus iam habitum contraxit, deinde per se, quia iam in vtero labes contracta est, & in temperamento laborat, & in solutione continui ob vlcusculum quod videtur natum antè octo annos ob partum difficilem, vnde quid membranosum excretum est: deinde morbi & vteri & in vtero sunt difficiles & per se, & quia aliæ partes in eum se exonerant. Accedit quod ex Hipp. vterus sit plenus attractæ humiditatis; tertiò à stirpe materna aliquid genitiuum & insitum est. Morbi, vt hæreditatis ad posteros infausto omine, perueniunt, & per traduces propagantur, Totum corpus cacochymum est, breui futurum cachecticum. Mœror multum confert, nam tædio valetudinis impatibilis, (vt loquitur Plin.) nihil non agit & frustrà, accedit desiderium prolis, & eiusdem habendæ desperatio, vtinam esset aliqua vt hæreditatum ita morborum insitorum fœlix præscriptio & ius ad alios non deuolueretur tanquam æternæ possessionis vt elephas, sæpè hemicrania, strumæ. Ægra eadem patitur, quę & virgines fœdo colore deturpatę, morbus hic ferax multorum est malorum ęgris, & medicis, crux est & tormentum, omnia probant & improbant, vtuntur crebris mutationibus tanquam remediis

1. *Vterus plenus attractæ humiditatis.*

Artis præsidia aut eleuantur, aut eluduntur, & vterus irriguus prauo quodam tabo spem tollit sobolis, quæ est prærogatiuum coniugalis amicitiæ, pignus & vinculum matrimonij, hac collunie semen effœtum fit, & indignabundus vterus congressum auersatur, vterus benè constitutus vbi genitalis temporis hora aduenerit, conchatum more ad vniones gignendos halituosi roris desiderio tenetur, & oscitatione quadam recipit, vnde Hipp. vterinorum malorum & suffocationum originem repetit ex eo quòd vterus aridior orgasmum habet, errabundus sursum, deorsum inclinat penè furibundè, & πρὸς τὴν ἰκμάδα id est ad blandum, & genuinum fontem seu hepar sit seu alia pars gratiosi roris, incitatur, cùm alieno humore & putri siue alienigeno, siue indigeno madescit, id malum & vt signum & vt causa: vt signum, quia, cùm sit fastidiosi odoris, corruptionis est index: vt causa, quia perpetuò partem afficit & deteriùs quàm ante stimulum veneris hebetat, congressus desiderium minuit, spem blandæ prolis adimit: partus difficilis prædictus ligamenta laxauit, spem prolapsus vteri attulit & refriget vterus, ob immodicum sanguinis fluxum & eius laudabilis; coagulatus enim, ex firmis fibris cùm cæteroquin in decoloribus virginibus, & cachecticis sanguis putris sit elisis fibris serosus. Hipp. ait esse in sanguine λύσιν elisis fibris & φθορὰν corruptâ substantiâ.

Hoc in negotio animus in dubio vacillat, si fluor perseuerat, magna incommoda sequuntur, si supprimitur, maiora; maxima, si à toto corpore est. Eo suppresso vidimus vterum gangręna affectum, id me mouet quod mulier sit cacochyma, terret & Galeni decretum. Totum corpus vtero ferè simile est, quod notandum est in hoc morbo. Qui fluor fit per exonerationem partium malè affectarum robore naturæ tandem in colliquatiuum funebrem terminatur; nam aut cita mors, aut præ tabe & tabo vita misera consequitur. Probamus diuretica, aut vretica potius, ne error contingat quem obseruat D. Rondeletius de cachectica & pallida virgine, quæ paralytica facta est vsu diureticorum, non priùs exactè liberatis obstructionibus: Consilij, & concilij nostri summa hæc est.

Totum corpus vtero simile.

Cap. 31. methodi.

Victus ratio satis exacta esto; euchymis assuescat, ventriculi malè affecti, acidis, salsis, austeris delectantur: benè affecti dulcibus, ex quibus vera sit nutritio, fræni praui appetitui sunt iniiciendi, pessimum signum est sitis inexplebilis. Nutritio non sit plena

Victus.

quia corpus cacochymum, etsi fortè benignitate alimenti prauus succus mitigatur. Sumat alimenta ἀπέριττα quæ parùm habeant excrementi, vt corruptioni via obstruatur.

2. Habenda ratio totius corporis, & partis totius per medicamenta crebra, & mitia aliò humorem auertentia.

Purgatio. Vsus frequens foliorum orientalium, Rhabarbari cum syrupo rosarum pallidarum non valdè recenti, syrupo de pomis, ob palpitationem cordis, & diathesin hypochondriacam.

Decoctum sit conueniens additis herbis vulnerariis, radice consolidæ, sanamondæ, fragariæ, yua arthritica, taraxaco, veronica & similibus, æstate folia siue flores tunicis seu coronariæ hortensis his, adde prunellam bipinell. buglam, saniculam, herbam Roberti, equisetum.

Tabellæ. Tabellæ ex triasantalo triplo, rheo, addito chalybe præparato.

Tabellæ aliæ quales præscribuntur cachecticis & decoloribus virginibus ex cortice citrij condito rasura eboris, cornu cerui, lapidibus preciosis, coralliis, puluere sassafras, puluere vermium terrestrium præparatorum, fœniculo, limatura chalybis præparata.

Pilulæ. Pilulæ ex aloe nutrita in succo buglossi, rheo, crocomartis, radice pentaphyll. ladano, carabe, addita pauca terebinthina vsta, & dialacca si fortè aureliis præparatur.

Poterit vti parua quantitate terebinthinæ lautæ vel per se, vel cum pauco rheo.

Opiata. Opiata ex conseruis symphyti, rosarum, florum cichorij, calendulæ, coraliis, elect. diatragac. frigidi cum puluere radicis tunicis.

Si calor acrior cassia iuuat, aliàs senna & syrupus ros. cum agarico.

Conserua rosar. Ribes elect. diaireos, diatragacanth. frigidum.

Fotus ad pectinem ex rosa, mastiche, & olibano, fiat suffitus.

Sudorificum. Decoctum sud rificum non validum addita radice sassafras cum pauca medulla ligni Indici & maiore quantitate sarcæparillæ.

Santala addantur quæ moderatè sudorem proliciunt, corpus non nimis tegendum vt tantum eliciatur sudor, non vi exprimatur.

Initio pastus, secundo vtetur decocto sed imbecillimo cum æstus erit, id non fiat.

Omni ratione excitandus appetitus, à cibo abstinere malum, cacochymj fere sunt inappetentes, & cibos fastidiunt, & suo quasi tabo & malo succo aluntur more venenatorum animalium quæ fame non intereunt quia illis nec calor, nec sanguis, nec sudor, quæ sale naturali auiditatem augent.

Plin. cap. 71. l. 10.

Apozemata ex diureticis non valde calfacientibus viis expeditis per catharsin ne fiat ad habitum crudorum traductio paralyseos minax, & author; adde taraxacum, capillares herbas radicem bardanæ, rubiæ, & cætera.

Apozemata.

Aliàs vtetur aliis apozematis additis radicibus & herbis vulnerariis & rosa transmarina, pyrotica duo ad latera spinæ inter lumbos & os sacrum, vbi ferè desinunt ligamenta vteri.

Phlebotomia parca manu, sed frequens si impurior reddatur sanguis.

Venæ sectio.

Blandi Fotus ad imum ventrem ex corroborantibus non multum calfaciendo.

Fotus.

Emplastrum ad lumbos roborans ex mastiche, rosis, vnguento comitissæ, bolo addito, & terebinthina.

Aqua rhabarbari ex decocto vulnerario conferet. Iniectiones in vterum ex radice tormentillæ, consolidæ, bistortæ, fragariæ, polygono, veronica, bellide, & aliquot aliis similibus cum syrupo de siccis.

Aliquando pro iniectione fiet hydromeli ex aqua, melle rosato, hordeo, si acrius id sentiatur mitigetur.

Iniectiones.

Balnea Borbonensia circà autumnum & immersione corporis & haustu ad vncias quatuor.

Balnea.

Magis placent aquæ vulgo dictæ, Forgenses, propè Rhotomagum.

Si non vacet & placeat iis vti, fiat balneum domi, additis astringentibus & alumine presertim recipiat fumum ex puluere conueniente per infundibulum.

Clysteres apprimè conferent.

Pessaria non acria ad robur vteri detergendo & siccando.

Hæc decreta consulibus D. M. I. Altino, I. Martino, Seguyno, Doctoribus medicis, & I. Guillemeau Chirurgo Parisiensi & Regio, & à me in ordinem redacta.

ANNOTATIONES.

1. *Vterus Hipp. dicitur plenus attractæ humiditatis tamen apud Galen. quæ lac prouocant, minùs calida esse debent quia (ait) mammæ attrahunt, quæ menses cient calidiora sunt, quia vterus non attrahit, ait Galenus.*

2. *Plinius cap. 24. lib. 22. in laßitudine & siti homo ad iram est pronior, sed hæc animæ asperitas dulciore cibo mitigatur, ira, luctus, tristitia, animi impetus cibo mollitur. In eadem sententia est etiam Seneca lib. 2. de ira, senes difficiles, & queruli sunt, vt ægri & conualescentes, & quorum aut laßitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor, in eadem causa sunt siti faméque rabidi & quibus exangue corpus est, malignéque alitur & deficit.*

Hinc prouer. A laßo rixam quæri. Item illud Plauti, fames & mora bilem in nares conijciunt.

CONSILIVM XXXVI.

De sputo cruento, pro Thesaurario.

Ad D. D. Andræam Laurentium Archiatrum Henrici IV. Galliæ et Nauarræ Regis.

AGebatur de cruento sputo in Thesaurario; hic hypochōdriacus, melancholicus & cacochymus laborabat, quo tempore maligni morbi vagabantur, & qui fauces & thoracem inuadebant; hinc ambigui eramus, an ista excretio esset verenda; si mos morborum vagantium cernitur metus est, si temperamentum cernitur, minor metus esse debet. Hippocrates inclinationes & motus sursum, sanguinis etiam ad partes thoracicas minùs formidabiles in melancholicis esse ait, leui de causa sanguinem excernunt ob naturam flatulentam: flatuosi fiunt hæmoptoici exiguo incommodo pterygodees fiunt hæmoptoici, quia flatuosi. Item excretio per superiora etiam à liene per ventriculum supplet vices hæmorrhoidum, præcedunt dolores ad hypochondria, tale genus excretionis: & reuerà talis æger breui feliciter est libera-

Gal. de vxore Poilini.

tus,& bona de eius salute concepta spes nos non fefellit.

Sed desiderasti D. Archiater locum illum Hipp. de securitate excretionis sanguinis per os in atrabilariis, qui leuaret metum quadam-tenus ægrotantis de reiecto per os sanguine, miratusque es esse apud Hippocratem. Indicas tuum genium, mores ciuiles, & discendi aculeum, qui summæ in te doctrinæ est index, Socratem quippe agis & exscribis qui scientissimus parùm se scire prædicabat, & dum se ad discendum pauperem credidit, ad docendum se locupletem fecit, profiteri enim se discere volentem est lumen ad consummatam rerum cognitionem. Ignari nulla de re dubitant, soli sapiunt, philautia eos transuersos agit, in alienis æstimandis sunt ambitiosè tristes aut eleuant aliena aut cachinnantur. Tu aliter facis, id quod tuum animum ciuilem candidum & rotundum declarat. item sunt alij qui nolunt docere quod sciunt, & tanquam arcanum putant & neminem docere, & communicare id quod sciunt in authoritatem scientiæ esse putant, quod culpâ non vacat. indico locum Hippocratis, desiderium tuum (C. Archiater) lenio, me, meaque quantula sunt voueo, & dico.

Plin.

ANNOTATIO.

1. *Soli homini contingit profluuium sanguinis è naribus, aliàs id terrificum, & aut vetus vitium capitis, aut sanguinis, aut hepatis latentem labem significat, vt contigit D. Michelo; huic hepar in vitio erat & nostro iudicio erat corruptum, totum corpus auruginosum, familiaris erat illi hæmorrhagia, vt prædixeramus obiit in Deo, tamen Plinius mentionem facit Volusini præfecti, cui omnibus annis per os fluxit sanguis & attigit annum 90.*

CONSILIVM XXXVII.

De vlcere Renis.

NObilis mulier habet antiquum vlcus in rene, cacochymia quam secuta est soboles deterior, cachexia, & leucophlegmatia hydropis prænuntia, ni Deus auerterit.

Videtur morbus ſemper in eodem ſtatu, nec progreditur nec retrograditur. At (ait Hipp.) tranquillitas morbi diuturnitatem ſignificat non fit vlla ἔφοδος.

ἀταραξία in morbis longitudinem ſignificat.

Phlebotomia.

Si calor inſignis ad renem dolentem, valet venæ ſectio parcâ manu.

Aqua alba ex amygdalis, hordeata cum ſaccharo cando & roſato, aut bugloſſato, aut violato.

Conſerua roſarum rubra & alba, decoctum blandum ſcynæ cum vulnerariis.

Purgatio.

Aqua Rhabarb. cum ſantalis & veronica, radice pentaphyl. conſolidæ & caryophylatæ. Item quæ ſequuntur valent.

D. Andræas Laurentius Archiater hoc addidit

℞. Terebinthinæ vſtæ ʒ ij. ſ. corallij rubri terræ ſigillatæ añ. ℨ j. pulueris ſæpiæ, & baccarum hederæ añ. ʒ ſ. carabes ℈ ij. excipe omnia terebinthina Veneta & balſamo Peruncano, fiat maſſa, formentur, pro ʒ j. tres pilulæ cap. ʒ ſ. tertio quoque die.

Decoctum ſudorificum.

℞. Radicis ſcynæ ℨ ſ. agrim. veronicæ fœminæ bipinel ana m. j. coque in lib. iij. aquæ ad conſumptionem quartæ partis cap. ℨ vij. per 30. dies, manè.

℞. Succi milefolij, rubi ſummitatum quercus añ. ℨ iij. ſucci betonicæ ℨ ij. ſ. pulueris alabaſtri certam quantitatem, infunde alabaſtrum in olei roſati omphacini lib. ſ. per horas xx. cum ſuccis ſuprà dictis & cera, fiat vnguentum pro renibus.

Vtatur poſt paſcha decocto primulæ veris, buglæ, ſaniculæ, bellidis, bipinel. Robertianæ, ſymphyti, addito melle roſato ſaccharo roſato aut cando.

Phlebotomia parca ſed frequens, vt in abſceſſibus internis conuenit.

Lieus.

Litus ex ſeuo aut medulla cerui in aqua vitæ lautis pro tumentibus partibus.

Fotus.

Fotus partium, modò harum, modò illarum, cum herbis non multùm calfacientibus, coctis in aqua & vino albo, addatur parum aluminis.

Sacculi ex furfure, auena, cicere rubro, milio, ſale, ſaluia, chamædry, chamæp. roſis, radice gentianę, conſolidæ, & iridis florentinæ, baccis lauri & iuniperi: adde ſemen ſeſeleos, lupinum, fœniculum, limaturam Guaiaci, lac aſinę, ſi non proſit abſtineatur.

Tabellæ.

Tabellæ diaireos, diatrag. frigidi Elect. Tabellę Elect. triaſantali cum Rhabarb. addito croco martis, redeat ad aquas naturales ſi malum contra remedia noſtra rebellarit vt ſuperius & ſuperbius.

Exacta

Exacta vitæ lex non est necessaria, tamen prudens & certa prodest, quia laborant renes, & est abscessus aliqua victus lege frænandus.

CONSILIVM XXXVIII.

De abscessu renis et vteri prolapsu.

ABscessu, renis laborabat, D. Bourgeois, comes erat ilias multorum symptomaton: dolenda fuit ἐπιγένεσις tam sęuorum malorum exiguam spem salutis adferens, extenuabatur malum, eludebatur, non domabatur, licet collata fuerint consilia, vix spes aliqua restat, terret vlcus renum, hinc œconomię naturalis concussio. Renibus magnus est consensus cum ore ventriculi. Hinc illę lacrymę, erat cachectica, cachexia magis terret quàm cacochymia. Hęc illam parturiit: partibus contracta, labes ἐν τῇ ἕξει ob serum putre & paupertatem caloris naturalis φθ. ἐμ. & tumor partium terrificus est, & hydropis minax, consolatur tantillum, quod sit fugax & non constitit, est (vt ait Hippo.) aliqua ἀναπνοὴ aut διαπνοὴ, idest nõnulla meatuum libertas, alioqui humor resideret hydropem adferens incluso spiritu, quod exemplo vasis liquore pleni patet, quem spiritus intercludit, & licet vas inclines ore prono & sit singultus, non effluit, sic Hipp. philosophatur.

Causa.

Celsus lib. 1.

Summa hęc consilij, purgetur blandè. A scammoniatis abstineatur, syrupus rosa. cum agarico valet. aut ℥ j. mechoacan in vino infundatur aut seminis ebuli tantundem, ad vterum prolapsum irriguum ichore pessulus confert ex subere, cera, puluere antheræ aut rosarum nuce cupressi ligno rhodio.

Purgatio.

Adstringens emplastrum ad lumbos, modò non impediat cursum mensium.

Emplastrum.

Fotus partium tumidarum ex roborantibus calorem naturalem, chalasticis discutientibus, cataplasmata ex farinis, hordei lentium coctis in oxymelite communi & pauco scyllitico.

Fotus. *Cataplasma.*

Litus ex oleo irino, vulpino puluere ireos, addito aut vino albo aut aqua vitæ.

Litus.

Differatur vsus aquarum naturalium donec aëris incommoda

& contumeliæ mitescant, & spes sit earum transitus per ambages, & volumina corporis, Balnea naturalia calidiora conferent, leucophlegmatiæ, de pyrotico sumus anxij quid consulamus, nisi calor naturalis sit, vegetus, verenda est gangræna, quæ in pari affectu sæpè contingit, dissuadet id maximè longitudo morbi, vnde per traducem tanta malorum propagatio differatur, donec lares patrios reuiserit, puluis digestiuus aut aromaticum rosatum valet, essentia anisi aut caryophilorum suspectior est.

CONSILIVM XXXIX.

De hepatis intemperie.

Causa.

IN nobili viro D. Damours duo maximè considerantur, temperamentum calidum siccum valdè biliosum multorum vber incommodorum & ferax, item ciuilis & politica vita, homo suæ spontis, vni tantùm Rouæo alteri Mecœnati addictus, homo alioqui nullis obligatus legibus, modo militiæ, modo ruri, sed Celsus loquitur de homine sano, & qui suo arbitrio sanitatem suam regere potest, sic intemperies hepatis à parentibus contracta, iure hæreditatis hausta ac expressa, si non tollenda, attemperanda, modificanda, corrigenda modico contrariorum vsu, vt tamen cum hominibus æger, vir politicus viuat, & se à consortio hominum ciuili non seducat ac retrahat.

Celsus lib. 1.

Vtatur vino præsumpto cibo aut iusculo præhausto alioqui vinum nocet ex Galeno; vitet motus animi celeres, cursum citatis & elocatis equis, valet pomacium, syrupus de pomis & violatus, iuleb. rosat. æstate balneum, phlebotomia, serum lactis cum cichorio syluestri, cassia cum iusculo vitulinæ carnis, tinctura rosarum, lac asininum, temperamentum hoc minatur mille incommoda, imo Rondeletius notat biliosos ad phthisin propensos, dubito an hic locus Galeni sit verus sanguis alit, calfacit, sanitatem, bonumque colorem efficit, bilis flaua continet corpus, non permittit latentes meatus dissolui, incitat & acuit sensum, coctioni prodest, ductus excrementorum apertos & faciles facit, atrabilis est velut sedes & fundamentum reliquis humoribus pituita neruis, menbranis, articulis & linguæ ad motus facilitatem prodest.

Comm. in aphoris l. 2. 1.

Cap. 1. l. 23. & c. 21. l. 14. 2.

Galenus in præfatione in librum de dogmatis Hipp. & Plat.

ANNOTATIONES.

1. Et Plin. cap. 38. lib. 16. loquens de plantis, ait, nec omnibus adeps caroque larga, sicut nec animalium acerrimis, at biliosi aores sunt.

2. Hac arte parari solet tinctura rosarum in libris 4. aquæ tepidæ maceratur ℥ j. rosar. rubrarum exsiccat. quibus additur vncia vna aut altera succi limonum, aut vt chymicis placet ʒ j. aut ʒ i ʃ. spiritus aciduli vitrioli aut sulphuris, post quatuor horas aqua colore rosarum tincta filtratur, saccharoque dulcoratur. Confert mirificè calidæ intemperiei hepatis & febribus. Ex floribus violarum bugloss. borrag. &c. eadem via, variæ ad varios affectus tincturæ educi possunt.

CONSILIVM XL.

De affectibus hystericis, & hypochondriacis.

MVlta symptomata sunt obseruata in D. Battefou, scotodinos, vertigines, flatus in cerebro ἐκλύσεις, crurum dolores, murmura in ventre, huic olim quasi congenita fuit hemicrania, cui cephalalgia successit, multa pathemata hysterica hypochondriaca, nunquam conquerendi finis consideranda causæ fouentis & affectus mali diuturnitas.

Habitus corporis plenior, longa viduitas cùm ferax esset & proli studuisset, dedisletque operam & operata fuisset, actiones animi inquietæ, irasci celeris, sensus exquisitus, ex vtero proluuies quædam. Quæstio vnde tanta malorum ilias. Certum est quòd morbi mulierum & virorum longè differunt & mulieres hypochondriacæ & melancholicæ κατὰ φλόγωσίν τινα, deterioris sunt conditionis, quàm viri. Errant medici curantes morbos viriles vt muliebres, mulierum genus veretur suos morbos detegere præ inscitia & pudore, initia & progressus ignorantur, hinc morbi obstinati & versipelles, quod ad cephalæam attinet, ob sensum partis exquisitum, ea sæpè oritur & quia depuratius & exactius fit cerebrum.

1. de morbis mulierum.

Hipp. l. de M. ſacro, ait fœtus cerebrum aut ſuprà, aut infrà modum repurgari hincque ſenſus acutiem oriri. Interdum ἀμβλύνονται ἐν ταῖς κύξαις. Hipp. l. de aff. part.

Sub finem lib. de Septimeſtri partu ad quadragen rium numerum hunc aut illum refertur cauſa cur quidam pueri ſint imbecillo capite & cerebro, locus notandus: bona habitudo & ἐυεξία: tamen Hipp. damnaſſe videtur, quia ad ἐυεξίαν ſequitur ardoris inflammatio: cum quid tale anima patitur, ad inſaniam adigitur & cerebrum patitur, hîc contra commune iudicium ἐυεξία vituperatur alio loco laudatur.

Vnde poteſt quæſtio moueri plurimum vtilitatis allatura, an ſenſus exquiſitior retundendus, an minuenda bona habitudo, vt ne quid medicus ex præiudicio peccet.

Multa ſunt à Medicis inſtituta de quibus diſputari poteſt, ſed boni ſunt conſulenda aliorum iudicia. Conſilium noſtrum & collegarum D. Martini, Seguyni & Altini eſt eiuſmodi.

Omnia quæ calidiora & caput feriunt vitanda.

Fotus blandi non calfacientes ad hypochondria, ob flatus. Purgationes blandæ, actiones animi frænandæ & moderandæ, ſanguis temperandus, minuendus aliquando, abſtinendum à graueolentibus ad nares ad moueri ſolitis, Balnea amotis calidioribus, & caput replentibus, conſeruæ cephalicæ, vtero & hypochondriis conſulendum. Suffitus ad vterum. Peſſuli, Arteriotomia in acerbitate doloris capitis. Si vtatur aquis medicatis, à valdè ſulphureis abſtineat. Cultus vteri nouo coniugio eoque læto, & grato tanquam naturæ agri & fundi omnibus remediis præferendus.

Quæ ſequuntur remediorum formulæ à medico Paracelſico præſcriptæ fuerunt.

Hydromeli.

℞. Radicis ſcynæ ℥ j. ſ. viſci querni, radicis acetoſæ, taraxaci añ. ℥ j. corticis frax. ligni rhodij, raſuræ eboris añ. ℥ ſ. vuarum corinthiar. ℥ iiij. malaxentur in libris 4. hydromelitis per horas 24. coque ad medias, ſub finem adde flores bugloſſ. borag. calendulæ, cola per manicam, aromatiza cinnamomo cap. ℥ iij. pro doſi, manè horâ 7. vel vtatur ſyrupo de pomis, vel violato addito ſucco limonum.

Syrupus.

℞. Aquarum bugloſſ. fumariæ, endiuiæ, pomorum redolent. añ. lib. j. in his macera per tres dies ad ignem lentum, Balnei Mariæ foliorum ſennæ ℥ iij agar. troch. ʒ vj. epith. ſantali citrini cinnamo. añ. ʒ ſ. fortiter exprime, per torcular. in expreſſione denuo adde eorundem foliculorum ℥ j. ſ. conſeruæ florum viol. bugloſſ. cichorij, & per tres dies ad eundem ignem macera, exprime, coque & cum ouorum albuminibus clarificetur. huic expreſſioni claræ ad-

de succi pomorum redolent.& violarum an. ℥.iiij.cum sacch. sufficienti denuo coque adde sub finem coctionis rhab. ʒ ſ. prius macerati in aqua cichorij, fiet syrupus, dosis ad ℥ ij. vsus sit bis mense.

℞. Radicis cich.acetos. oxylapat. taraxa. an. ℥ j. polypo. & visci querni. an. ʒ vj. sem. cardui citrij rutæ an. ℥ ſ. 4. semin. frigidor. maior.an.ʒ iij.fumar.agrimo.meliss.capill.veneris an.m.j.florum calendul.genistæ,lilij,tiliæ arboris an. xj. florum. borrag. bugloss. an. xij. coque in æquis partibus seri lactis & aquæ pomorum in lib.1.ſ.colaturæ claræ adde foliorum orient. ℥ ij. ſ. macerentur per duos dies ad ignem balnei colentur exprimantur, adde succi violarum ℥ iiij. mannæ ℥ vj coque in syrupo ad mellis consistentiam in qua adde extra ignem cassiæ & thamarin. an. ʒ iiij. pulueris sennæ ʒ vj.Rhab.℥ ſ.puluer.diatrag. ʒ iij. anisi & cinnamomi an. ʒ.ſ. fiat opiata capiat ℥ ſ.vel ʒ vj.pro dosi,in qua addes fœculæ Bryoniæ ℈ j.si affectio hysterica diuexet. *Opiata.*

℞. Pulueris triasant;coral.præparati, Margar. præparat. vnicornis,spodij,ossis è corde cerui an. ʒ j.salis crami & croci chalybis sine aceto & sine igne parati an.℈ iiij. confectionis de hyacintho ℈ ij. sacchari rosat.in aqua bugloss.& melissæ dissol.quod suff.fiat elect. per tabell.ponderis ʒ j.capiat manè. *Tabellæ.*

℞. Crustarum panis albi in vino granat. infusarum & exsiccat. ℥ j.conseruæ ros.siccæ ℥ ſ.fœniculi & anisi an.ʒ ij.corallij præparati, margar. an. ʒ j. ſ. mastich. ℈ ij.cinna. ʒ j.sacchari rosati dupl. vtatur ex cochleari.

Fotus facti ad hepar,& mesenterium ex corticibus cappar.frax. filicis cichorij valerianæ,tarax. ligno rhodio, santalis, agrimo.lingua ceruina, hepat. polytrich. matricar. arthemis. meliss.absinth. semine lini,cyton.cocta omnia, in aqua fabrorum, addendo aceti rosa.& scyllitici an.lib.ſ.item. *Fotus.*

℞. Seminis papaueris albi,hyosch.lactu. portula. psyllij an. ʒ iij. florum sambuci, chamæ. nenuph. an. p. j. coque in lacte dissol. vitellum oui, croci ℈ j. castor. ℈ ſ. fiat enema iniiciend. horâ somni. *Enema.*

Loti pedes papauer. lactucæ nenuph. viol. chamæm. sambuci, anethi decocto.

℞. Aquæ ros.bugloss.nenuph.meliss. an. ℥. iij. diamarg. frigid. ʒ ij.diamoschi.℈ j.ſ.vini albi.℥.ij.aceti rosat. ℥ i. ſ. pulueris seminis *Epithema.*

papa. ℈ iiii. theriaces recent ℥ ſ. croci, camph. an̄. ℈ i. fiat epith. pro fronte, & temporibus hora ſomni.

In paroxyſmo vertiginoſo, etiamſi lapſa fuerit ægra, hæc aqua antiſcodotina vſui erit.

℞. Corticis citrii flaui exiccati ℥ ii. viſci querni. ℥ i. ſ. foliorum betonicæ, meliſſæ an̄. m. ſ. florum calendulæ, lilij conuallium viol. bugloſſ. an̄. p. ij. ſeminis cardui citrij, tunicis acetoſæ an̄. ℥ j. theriaces ℥ ij. confectionis de hyacintho ℥ j. diamarg. frigid. diacorallij an̄. ʒ ij. vini albi generoſi lib. j. ſ. aquarum florum tiliæ arboris, cerasor. nigrorum, pomorum lib. ij. ponantur in alambico digerantur per quatuor dies in balneo mariæ, fiat diſtillatio ad vſum dictum.

CONSILIVM XLI.

De dolore brachij.

NObilis domina de Monglat ab aliquot menſibus brachij doloribus laborans, quærit à nobis vt dolorem malumque leniamus: varia huic dolori demulcendo vſurpata fuere remedia, ſed fruſtra, dolores brachiorum ſunt rebelles, vt plurimùm & ſæpè aut ignorantia aut præpropero ſanitatis deſiderio peccatur, dum initio ea vſurpantur quæ ſub finem progreſſo morbo adhibenda ſunt.

Phlebotomia omiſſa eſt, fiat in parte oppoſita deinde in ægra. A nimis calfacientibus & liquantibus abſtineatur.

Purgatio ex blandis pilulis ſine quibus cum agarico addito Rhab. & ligno aloes.

Syrupus roſ. cum agarico valet, temperetur ſyrupo viol. aut de pomis, aut de cichorio compoſito.

Ad dolores nocturnos, aut hordeatum cum ſemine papaueris, aut pilulæ è cynogloſſo.

Panes fiant oblongi applicandi brachio.

Decoctum herbarum coctarum cum aqua & vino, applicentur ſacculi expreſſi arcula ſuprapoſita.

Rebellante morbo blãdum decoctum ſudorificum. Sanguiſugæ.

Balsamum quale præscriptum alibi,ceronea cataplasma ex farinis, oleum de catellis.

Miraculo posuit litus ex aqua vitæ cum theriaca vetere.

CONSILIVM XLII.

De Hepatis, & partium aluinarum phlogosi.

DOlores colici præcesserunt, sed inflammationis notæ erant in visceribus, maximè in hepate, æstus erat ex pugna humoris biliosi, aut flatus, aut humoris crudi, tandem tumor in ventre infrà iecur apparuit, rotundus blando manns contactu irritatus: suspicio fuit aut tumoris glandularum mesenterii, aut dextri vterorum cornu.

Blandis fotibus vsi sumus quinquies sanguinem detraximus, ob phlogosin, dilutum cassiæ dedimus vt ardorem intestinorum temperaremus, visum est dare medicamentum non celer actione, vt sensim demoliretur tumorem, nam hyragogon non prodest, syrupus magistralis ex senna rheo, cum herbis vulnerariis & radicibus detergentibus, vsus pilularum de hiera addito gummi ammoniaco & bdellio, agarico, dissolue gummi in oxymelite & aceto scyllitico illine oleo de capparibus, mucagine seminis lini, addito vnguento dialthæas aut de mucaginibus.

CONSILIVM XLIII.

De *Epilepticis conuulsionibus & rudimentis apoplexiæ.*

Ad Rempublicam Venetam de legati morbo missum.

NObilis Legatus inclytæ Venetiæ paulò ante idus Ianuarii, morbo fuit affectus & lecto afflictus, principium fuit apo-

plexiæ, marcor animi, vocis priuatio, item sensus & motus, paulò post partim vi naturæ irritatæ partim humoris efferi aliquid fuit conuulsiuum. Malum quinquies repetiuit, causæ visæ sunt dominatus humoris efferi nempe bilis à qua vapor summissus cerebrum tentauit, index curatio. Multa bile euacuatâ ad se rediit, morbus extenuatus, causa alia malum quoddam serum quod nunc in corporibus dominatur, quia hyems suam apud nos non habuit temperiem, accessit ipsius subiecti dispositio. D. Legatus habet cerebrum exquisiti sensus, id effecerunt labores, & curæ iuges, intempestæ, imbecillo est stomacho, cuiusmodi est magna pars vrbanorum & cupidorum literarum, & eorum, qui se magnis implicant negotiis, curiose & sedulò cum sanitatis iactura, curat negotia & dignitatem clarissimæ Reip. Venetæ, pertinax animi labor vires conuellit, ego primus medicus vocatus, bis sanguinem detraxi; quod in capite insignis ardor sentiretur ad plexum retiformem, adiutus vires & corpus resumpsit erat enim corporis quassatio quædam, initio aliquid funebre ominabamur, sed Dei, opt. max. manus adiutrix & sospitalis medicis, coadiuuantibus malum omen auertit, dubitandi occasio fuit grauitas morborum cerebri, medicorum sæpe operam eludens ob partis dignitatem, in cerebro est æqualis inæqualitas. Arteriarum & spirituum tenuitas & calor substantia glutinosa, alioqui ob iuges actiones marcesceret, in quo solertia naturæ relucet. Quæ res nos consules medicos ad duo impulerunt: Prius vt adhiberemus remedia quæ ad morbum profligandum valerent, & præcauendum anteuertendumque similem, quod Deus auertat. Posterius vt actiones animi temperet. Vix parem animum esse posse putamus tam perplexo Legati oneri & negotio. Frustra autem alicuius rei foret prædictio nisi cautio adhiberetur,

Plin. sic loquitur.

2.

3.

4.

ANNOTATIONES.

1. *Dominus Legatus voluisset se liberare ea legationis cura, sed id sperare non audebat ne iugum excutere videretur, voluit se magis morbo quam oratione excusare vt loquitur de Sulpitio Tullius Philippica 9. Qui Sulpitius obiens legationem mortuus est locus quadrat D. Legato.*

Nunquam epilepticum quid passus erat cùm bile abundaret & pruritum præsensisset, abstinentior cibi fuisset, animum laboribus fatigasset,

gasset, est redditus aphonos, vomitiones prauæ bilis, ac si febrilis paroxysmus fuisset, incredibilis ardoris & caloris sensus in toto capite, linguam momordit, ferè truncauit, rediit malum die quinquies. Restitutus misso sanguine educta bile deorsum. Quæritur qua ratione malum præuertatur, ne quid tale contingat, natus est annos 40. aut eò circà, sicco est capite, & nil penè mungit vt pueris congener est morbus, ita circà annos 40. aut 42. vi anni climacterici malum id adoritur nunquam quid tale expertos.

Hipp. lib. 2. prorrh. & libris de dieta.

Pilo est ruffo, & bilis dominatus significatur, mirum quod Plinius notat de ceruis, hi bilis dominatum ex pilo designant, & tamen carent febribus, & vitant febres qui ceruinâ carne vtuntur. Aiunt ceruum esse animal timidum & calorem acrem non habere nec humores.

In ægro dominatus, & vis humorum obseruatur, sensus acuties: à qua parte conuulsionis occasio, videtur Hippocrates tanti facere dignotionem loci ex quo epilepsia dependeat, vt quasi satius sit à capite, aut à pede, aut à manu esse quàm planè ignorari; sed id per comparationem dictum est, cognitio originis mali, prudentiores, & cautiores reddit.

Æger habet cerebrum minus repurgatum, vnde aut sternutamenti, aut vertiginis, aut sacri morbi occasio, vnde qui trochiscis de tyro seu vipera vtuntur, fiunt vertiginosi cerebro nimis repurgato.

Quidam in eo casu ad cephalalgiam ob exquisitum sensum dant, narcotica. Non ferenda inedia, & si quidam medici inedia pertinaci dicant aculeos bilis retundi omnes, ego vero contrà, nam efferatur bilis, corpus repurgandum non validis medicamentis; benè consuletur vsu pilul. ex aloe cum puluere triasantali, Enemata frequentia erunt ex vsu.

Bilis benigna & mansueta inediæ beneficio effera & immitis redditur.

Amuleta valent & alexipharmaca, puluis cranij humani.

Feratur in annulo vngula alces quæ carnem digiti contingat, radix ononidis valet cum oxymelite.

Mediocris labor & animi & corporis, qui humores crudos & ἀπέπτους reddit.

3. Morbus sacer a bile non fit sed à pituita Galen. Non à quauis fit pituita sternutamentum, sed aut flatulenta, aut acri, ideò Plato, ait, pituitam non esse causam doloris nisi per pompholigas. i. bullas flatuosas, bilis sensum acuit, & alimentum reseratis viis distribuit, ideò videndum, vt temperetur, & vt cystis fellis suum faciat officium, nam cùm diligenter repurgatur ab hepate fel, hepar mitius & dul-

3. Hipp. de morbo sacro.

cius redditur, quò pertinet notandus locus apud Plutarch. cur ficus fructus ita ſit dulcis cum folia & lignum ipſius arboris amariſſima ſint, ſimilitudinem de felle & hepate affert author.

Lib. 5. quæſtionum quæſtione 9. de ficu ficus fructus dulcis lignum & folia amariſſ.

4. *Ad actiones animi & corporis moderandas pertinebit locus ex Plutarcho; ſimile affert de curru, quem duo coniuges equi trahunt niſi pari niſu & labore trahant, & ſi vnus alterum excedat, inanis eſt labor: idem de corpore & animo. Actiones & conatus concordes & ſimiles eſſe oportet, vt in negotiis tractandis ſint pares animi vires & corporis, nam nimia animi actio corpus debilitat, & corporis labor immodicus animo officit.*

4. *Corporis & animi labor quodammodo ſimilis eſſe debet.*

CONSILIVM XLIV.

De latente pulmonis & hepatis intemperie & aliis affectibus.

1. *Cauſa.*

IN nobili iuuene annos 30. nato perdita valetudine (vt ait Tullius) latens eſt labes hepatis & pulmonis, nonnulla ſpirandi difficultas, ſputum mali moris, faucium & gutturis calor, ſqualor & ſiccitas, quam his temporibus quibus populares morbi vagantur, malum ſignum deprehendimus, & minax affectionis, pulmonum, imo tabis & febris hecticæ πρόδρομον.

Accedit quòd æger ob labem veneream aliquando vnctus fuerit. At quicumque (aut certè maiors pars) hydrargyroſin paſſi ſunt. In iis ferè labes in pulmonibus deliteſcit, cur id fiat, aliorum ſit iudicium: labem aut pulmonis aut hepatis pallor in facie deſignat, de tertio articulo id vnum annotabo. Ad venerem ſatis promptus, non eſt nec fatuus nec inſulſus arrigit, ſemen habet, at in congreſſu non totum emittit ac eiaculatur, ſed circum proſtatas & paraſtatas hæret ac ignauum manet, id quod aut languorem partium naturalium, aut hebetudinem aut quaſi viarum obſtructionem à collapſu partium ſignificat.

Hydrargyroſis ferè ſemper pulmonibus labem inurit, ῥευσοποιόν, καὶ δυσέκπλυτον.

Victus.

A calidioribus alimentis abſtinendum. Ardoris faucium maximè ratio habenda. In decocto carnium & volucrum addatur hordeum mundatum: imò hordeata in iure carnium parata con-

ferent, Amygdala apparanda in eum finem; lauentur aquâ rosarum, aut nenupharis, sumantur, aut manè, aut horâ somni, vinum diluatur vel ptissana, nisi sit ingrata, vel aqua, non apponantur lintea calida gutturi, phlebotomia parcâ manu.

Pro affectu pulmonis valet pectorale decoctum additâ radice consolidæ, pediscati, pilosella, scabiosa; infundatur & coletur cassia addito saccharo cando, decoctum ficuum & passularum, pectus liniẽdum butyro loto in aqua rosacea, saccharum violaceum, syrupi solemnes, pilulæ albæ; A succo glycyrr. nigro abstinendum; delingendum mel, aut solum, aut cum butyro recenti.

Purgatio.

Bechica.

Pro hepate decoctum agrim. hepaticæ, intyborum, adianti cum foliculis rhab. syrupo de cichorio composito, & de limonibus.

℞. Diatrag. frigidi tabellati ʒ i. ſ. pilularum albarum ʒ ij. ℈ iiij. glycy. ʒ i. ſ. conseruæ vngul. caball. & rosarum. ana. ℥ ſ. sacchari candi, corticis citrij conditi ana. ℥ ſ. cum saccharo in aqua rosarum soluto, fiant tabellæ vsuales.

Tabellæ.

℞. Amygd. dulcium in aqua rosarum maceratarum & excorticatarum ℥ ij. pinearum pistaciarum ana. ʒ vj. pulpæ passularum, lautarum in aqua rosacea, pulpæ dactylorum ana ʒ vi. medullæ seminum frigid. maiorum, & bombacis ana. ʒ j. gummi tragacanthi, pulpæ caponis ℥ iiii. coxarum ranarum ℥ i. amyli. ℥ i. ſ. cum saccharo sufficienti fiant marcipanes igni lento, capiat & in pastu & extrà, addi potest pulpa carnis testudinum.

Marcy seu mussipanes.

Fiat saccharum rosatum in rupe pineis confixum, si marcescat æger, significabit, & parabitur resumptiuus ex testudinibus syrupus.

Perseueret in vsu lactis asinini.

Pro latente vitio in partibus naturalibus, parabitur balsamum pro litu earum partium.

℞. Rosarum, saluiæ, chamæp. veronicæ, pilosellæ, scordij ana. m. j. cyperi. ℥ i. ſ. sãtalorum, ligni rhodii ana. ʒ iii. seminis ocymi pœonie ana. ʒ ii. macerentur in vino albo vulgari & frontigniaco cum aqua scabiosæ, & pauca aqua imperiali, deinde bulliant sensim in fictili nouo donec tabuerint. Adde medullæ cerui ℥ i. ſ. ol. irini ℥ ii. ol. de spica. ℥ i. gummi elemi, & terebinth. ana. ℥ i. bulliant ad consumptionem aliquam succorum & aquarum. fiat expressio pro balsamo.

Balsamum.

Aliquando, ob serum putre quod in pulmonibus colligitur, vtendum erit blando & tenui scynæ decocto.

Vtatur syrupo suo pectorali parato ex succis vngulæ caball, bipinellæ, pedis cati, bugloss. cum saccharo cando & rosato.

Litus. Pro thorace litus ex rosato Mesuæi; veteres interdicunt frequentiori vsu remollientium & pinguium, ne pulmo mollior fiat, & si qua sit putredo, ne augeatur, præsertim si sputum sit putre ac purulentum.

2. Non erit alienum vti blando & moderato balneo ad difflationem corporis, vitetur colliquatio vsu aut diuturniori, aut frequentiori, aut calidiore.

Syrupus violatus hodiernus recens miri est profectus.

ANNOTATIONES.

1. Pro isto ægroto valet locus Hipp. 2. Epid. sect. 1. color qui multum est pallidus & ex candido pallet, quoniam hoc omne ab hepate est.

2. Hippocr. 1. de morb. sputum semiputrefactum non absolutè coctum & mitificatum ἡμισαπὲς *vocat. Et excretionem hanc è pulmone semiputrefactam* ἐκτεθυλησμένην *effœminatam, diuulsam & nil compacti habentem: abominetur autem illud sputum, vocatque* μυσάττεσθαι τὸ σίαλον, *quod aut malitiam & malignitatem sputi denotat, & rei quæ extunditur: tale autem redditur, ob continuum & nimium vsum rerum emollientium, intus seu foris vsurpatarum.*

CONSILIVM XLV.

De Ischiade.

1. A Longo tempore ischias molesta fuit rudimenta arthritica, rheumatismus minatur, & pedum tumor, cachexia, imo stupor brachiorum & metus tandem paralyseos cuiusdam.

Consultus est vsus tabellarum diacarthami aut electuarij de citro, aut syrupus ante præscriptus cum granis burgæ, spinæ, aut dosis conueniens ex senna, rheo & syrupo rosarum pallidarum cum radice eryngij, sanamondæ. Phlebotomia satis frequens sed mediocris, cauteria in occipite, ad partes tumentes; id quod sequitur.

℞. Axungiæ porci, medullæ cerui añ. ℥ iiij. butyri loti in vino albo, aut aqua vitæ lib.ſ. pulueris ireos, ʒ j.ſ. terebint. ℥ j. castorei ʒ ij. fiat linimentum, Balsamum potest parari, ad spinam dorsi, fotus sicci ex herbis. Cataplasmata vt antè cum farinis coctis in hydromelite hyssopato, scylla additâ, gentianâ, sapâ, cypero.

Sudorifica per dies quindecim vsurpanda emplastra de baccis lauri.

Balnea plumbaria, dialacca, diacucurma, trochisci halicacabi, mechoacani, tabellæ aromatici rosati, cauterium in occipite, si ischias perseueret cauterium infra os sacrum ad musculum natium. 2.

Cataplasmata ad ischios euocantia ex gummi item emplast. ex sulphure, pice nigra, diachylo ireato, terebinth. oleo irino, sulph. aut empl. de baccis lauri. ad fract. ossium, ceroneum, gratia Dei cum tereb.

Inter cætera laudantur pilulæ stomachicæ, & vehementiores euocantes à capite.

ANNOTATIONES.

1. *Misera arthriticorum conditio, si comedendum manus, si ambulandum pedes non habent, si dolendum, pedes & manus habent, vt dicebat Polemon sophista.*

2. *Ischias iisdem remedijs curatur atque arthritis, præterquam quòd repellentia non admittit; sed purgato corpore valenter foras ex profunda cotyle trahentibus vt cataplasmate ex stercore columb. &c. & clyst. acribus indiget. repellentibus autem non vtendum in Ischiade, quia iunctura in profundo sita est. Et ex vicinis & ambientibus vasis repellentium ope ad illam humores protuderentur.*

CONSILIVM XLVI.

De raucitate & affectu rheumatico.

TRia in hoc ægro notantur: vitium ossium narium, vt de nare loqui videatur, raucitas vocis, magna cum tussicula, & affectu rheumatico, dolore membrorum omnium, maximè partium 1.

neruosarum, ossium vitium ex reliquiis luis venereæ secutum, raucitas, partim faucibus vitiatis, partim contractâ in bronchiis pulmonum labe.

Purgandum diligenter corpus: luculenta sanguinis detractio. Cataplasmata anodyna, fotus, hypnotica interdum. Ob vitium ossium narium ad amuleta venerea veniendum, domitum est venenum non victum, decoctum radicis sassafras, cum santalis, opiata laxatiua ad luem ex puluere sarsæp. cort. guaiaci, folior. sennæ, rhei, agarici, turbith. cinnamomi, zinziberis, anisi, syrupo de pomis compos. & rosar. cum agarico.

Temperandum à vino, cibus vino præbibendus, a calidioribus abstinendum ob pulmonum intemperiem, de pilulis ex mercurio videbitur. Anxia res, anxium consilium, ab errhinis abstinendum, ne violenta narium munctione confractio ossium maior sequatur. thorax resumptiuo vnguento liniatur, hydromeli cum sacchаro cando, syrupus vngulæ caballinæ, pedis cati, de symphyto Fernelij, decoctum galli decrepiti vt fieri & parari solet cum manna calabrino, diatragacanth. diaireos, aqua scabiosæ & bipinellæ cum sacchаro rosato, aut violato. saccharum rosatum paratum cum maceratis passulis in aqua rosarum; lac asininum, balneum aquæ dulcis, syrupus resumptiuus: gelatina. Sed maximè habenda ratio ipsorum pulmonum quia aliquid mali præsagiunt, quod Dominus auertat & auerruncet tanquam verus medicus & sospes.

ANNOTATIO.

1. *Quicumque (aut certè maior pars) inunctionem ex hydrargyro passi sunt, in iis ferè labes in pulmonibus inexplicabilis delitescit, vnde coloris suauitas seu bona coloratio (vt ait Tullius) & χλώρασμα λαμπρὸν Hipp. perit decutiturque, at latentem pulmonis aut hepatis labem pallor in facie designat.*

CONSILIVM XLVII.

De affectu oris qui στομακάκη *dicitur.*

Pro Oeconomo D. Britannici.

ANtiquitas affectum oris vocatum celebrat, hic æger aliquid simile patitur, vlcera maligna, erodentia & minantia corruptionem gingiuarum, & membranulatum ossium, cancrum metuimus: de lue venerea suspicio erat, tamen ea est imminuta & eleuata. A liene aliquid pendere videtur, melancholicum quid est & splenicum. Aliquo loci Hippocrates vlcera oris, quorum origo à splene est, valdè terrifica scripsit, in hoc ægro ferè remedia, & industriam chirurgicam ludificantur.

1.

Consuluimus purgationem conuenientem, phlebotomiam; vsum balneorum tempore opportuno; decoctum sudorificum per dies aliquot, præmittantur pilulæ ex mercurio, singulis dosibus, ita tamen vt ptyalismus non prouocetur, apozemata laxantia addito puluere amborum cancrorum.

2.

℞. Mellis Narbonensis ℥ iiij. ol. sulphuris parum pro litu partium. pro topico laudatus est vsus mercurij dulcificati, gargarismus ex vulnerariis.

℞. Herbæ Roberti, Nicotianæ, pilosellæ, veronicæ, scabiosæ, betonicæ & scabiosæ, añ. p. j. rasuræ guaiaci ʒ vj. rosarum vulgarium & transmarinarum añ. p. j. rad. bistort. pentaphyll. añ. ℥ ſ. fiat decoctio ad lib. ij. dissol. syrupi de succis, mellis rosati añ. ʒ vj. sacch. rosati ℥ ſ. pro gargarismo.

ANNOTATIONES.

1. *Hipp. lib. de int. affect. hunc affectum* στομακάκην, *quem alij scorbutum appellant, describere videtur: venter (ait) inflatur, postea vero etiam lien intumescit & durus est & dolores acuti in splenem incidunt; color etiam mutatur & niger conspicitur pallidus, ex ore male olet & gingiuæ à dentibus discedunt & in tibiis vlcera erumpunt, membra extenuantur, aluus dura existit. Et in fine 2. prorrh. quibus lienes ma-*

gni, iis gingiuæ vitiantur, & os graue olet, in tibiis mala vlcera habent & nigras cicatrices. meminit quoque Strabo huius affectus, quem, non στομακάκην, sed à voce κάκκη, quòd iis os κάκκην oleat, στομακάκκην vocat. Plinius autem confundit stomacacem cum scelotyrbe, quam visio aquarum locorũ trans Rhenum in Germania fieri dicit. Est enim scelotyrbe proprie paralysis quædam species, qua qui laborant rectè incedere nequeunt sed nunc in læuam, nunc in dextram contorquent corpus ob partium inferiorum resolutionem quandam.

Cap. 3. l. 25.

2. Fallopius Mercurium, diuinum mixtum appellat aitque duo esse in rerum natura quæ illi admirationem pariunt, magnetem nimirum & hydrargyrum; ex quo quidem possumus ostendere resurrectionem, nam in cineres conuertitur, & leuissimo labore in propriam formam redit. Multa quippe edit opera, quorum nulla probabilis ratio reddi potest, quò fit vt ad occultam qualitatem sit confugiendum; eiusmodi est facultas illa qua ptyalismum seu saliuationem & sputationem mouet, atque vis illa cathartica, quà licet frigidus adeo excellit, vt ne vstione eam exuat, sed in cinere retineat, multò quam ante validiorem. Purgat autem crassum mucum atque ipsam pituitam, & ex consecutione quadam bilem vtramque. Et quanquam modò suprà, modo infrà, interdum vtroque modo purgat, maximè tamen propriâ & ingenitâ vi suprà purgare natum est, caput petit, confugit quia igneum quocumque modo adhibeatur, sicque quidquid colliquauit, vndique primum in ventriculum, dein in fauces & os regerit & compellit non tussi, non vomitione, sed continuâ & molestâ mucosi sputi profusione reijciendum, quæ purgandi ratio veteribus incognita, & ab iis nunquam tentata, oris profluuium à recentioribus vocitatur. At vero si quando morbi species, eiusue peruicacia aut cacoëthia id præsidij genus in vsum reuocandum esse insinuat, vt ptyalismus non prouocetur, purgantibus admisceri debet quæ vim illius languidam & ignauam stimulent, ne quod in ventriculum attraxit fusis liquatisque carnibus & humoribus illic subsistat, & grauissimorum symptomatum causa sit. Eaque ratione grauissimis morbis expugnandis, lepræ, scrophulis, scabiei, morphæis, impetigini, lumbricis enecandis, lui venereæ conferre potest, nam terget, mundificat, modo per aluum, modo per vrinas sanguinis massam repurgat, postremòque corporis habitum superuacaneorum humorum illuuie liberat.

Lib. de mor. Gall.

In

CONSILIVM XLVIII.

De Tußi permolesta pro D. Florette Consule.

IN molesta tussi & quasi pruritu ad summam partem asperæ arteriæ post somnum purgationes blandæ sunt institutæ, cassiâ & in bolo, & in potu colato, ptisanæ vsus in vino, hordeata, amygdalata, lac asinæ, item hoc instaurativum & resumptiuum.

℞. Caponem vnum, pullos duos, armum vitulinum aut carnem pectoris vitulini, coque in aqua fluuiali aut cisternæ, addendo parùm aquæ scabiosæ, & oxytriphylli: in eadem aqua coque tres aut duas testudines nemorales demptis extremis, adde pulmonariam herbam, tussilaginem, hordeum mundatum, bipinellam, pilosellam minorem, siue pedem cati, seminis papaueris & bombacis an. ℥ i. semina frigida maiora, seminis sesamis ʒ ii. passulas xxx. gummi arabici & tragacanthi an. ℥ ß. penidiarum ℥ i. ß. cum sufficienti quantitate sacchari, fiat syrupus ad libras duas.

℞. Conseruæ rosarum mollis ℥ ii. conseruæ tussilaginis, violarum & pedis cati an. ʒ vi. pulmonis vulpis preparati ʒ iii. mannæ Calab. ℥ i. ß. conseruæ symphyti ℥ ß. diamargariti frigidi, & diatrag. an. ʒ ß. cum syrupo de siccis, & iuleb. rosato fiat opiata, capiet frustulum horâ somni cum syrupo sequenti.

℞. Syrupi violati & rosarum siccarum & nenupharis an. ℥ i. ß. syrupi papaueris rubri ℥ ii. capiat parùm ex cochleari, cum prædicta opiata.

Coquatur vetus gallus cum carne vitulina, farciatur venter foliis & floribus vngulæ caballinæ, hordeo, passulis, iuiubis, sebesth. semine bombacis, & gummi tragacanthæ portiuncula, vtatur eo decocto manè cum ℥ i. ß. mannæ Calabrinæ.

CONSILIVM XLIX.

Pro iuuene melancholico cuius mentem mœror perculit & de suo statu dimouit.

VIctus ratio humectans & refrigerans præscripta. Balnea, lac asinæ, serum lactis cum eufrasia & buglosso. Purgatio ex senna, syrupo de pomis, cum herbis splenicis, venæ sectio brachii & capitis, item saphenæ, hirundinum vsus. Pyrotica internis tibiis, aquæ Pugenses, seri lactis vsus frequens, hordeata, elleborismus malo rebellante eligatur; elleborus niger qui floret circà finem Decembris flore purpureo, aut dentur grana octo extracti ellebori nigri, hyeme purgetur modò pilulis ante cibum, modò paulò validioribus.

1. Moderatus victus, colloquia amicorum blanda & amica, nihil molestum aut quod iram prouocet, dicendum, læta omnia. Acerba omnia aut tristia vitentur.

Rerum seriarum narrationes vitandæ, ægro concedendum, condonandum paulò, indulgentius fauendum, vt frontem contrahat nullo modo, sed apertam habeat.

Amicis colloquiis consolandus, leuandus, demulcendus.

Musica, ludus amicus & facilis, blanda exercitatio.

Medicamenta blanda cum granis Kermes, nisi fortè res tandem (vt dictum est,) elleborismum requirat, succus pomorum va-
2. 3. let, cæsaries decurtanda.

ANNOTATIONES.

1. *Celebratur hic versus apud Græcos, qui citatur à Plutarcho apud Apollonium* ψυχῆς νοσούσης ἰατροὶ λόγοι, *ægroto animo medicus est oratio; siquidem, vt inquit sapiens Hebræus, sermo mollis frangit iram: huc allusit Horatius in Epistolis*

Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi depellere partem.

Sed vt in corporum morbis pro ratione valetudinis alia atque alia,

adhibentur præsidia, itidem in animi malis non eadem adhibenda est oratio, sed interim dissimulandum, interim acriùs iurgandum, nonnunquam blandius monendum iuxtà Pauli monitum, argue, obsecra, increpa.

2. Antiquitus ellebori plurimus vsus fuit ad leuanda mentis & capitis vitia, hinc natum Adag. apud Aristoph. in Vespis πιθ' ἐλλέβορον, quo dicto significat insanire quempiam, & ἐλλεβοριζειν, insanire est Gr. duo ellebori genera Diosc. lib. 4. album & nigrum, quod alij entomon, alij polyrrizon, alij melampodion vocant: albo vomitiones cientur, nigro aluus inferior diluitur, vtriusque periculosa sumptio. Ita tamen olim frequenti in vsu fuit vt ad peruidenda acrius quæ commentabantur studiorum gratia sæpius sumpserint: sic legimus apud. Gell. cap. 15 lib. 17. Carneadē academicum scripturum aduersus Stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro purgauisse, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia vsque animi redundaret, & constantiam vigoremque mentis labefaceret, tantâ curâ tantoque apparatu vir ingenio præstanti ad refellenda quæ scripserat Zeno agressus. Constat tamen purgationem ex elleboro difficilem esse terrorisque plenam, nec adhibendam nisi cum peruicacioris morbi necessitas expostulat, nec aliis cessit remediis. bilem enim atram, deinde flauam atque crassam pituitam detrahit in aluum, non è visceribus modo, sed & è venis, è quibus sanguinem rapit, & è partibus extremis, maximeque è cerebro, ideo confert elephantiasi, melancholiæ, furori, epilepsiæ &c. In quibus affectibus tuto dari potest legitima quantitate & præparatus vt decet. infunduntur radices certâ quantitate contusæ in iure carnium pingui, aut in hydromelite, aut in aqua hordei, expressumque datur. Alij ex fibris elleb. extractum parant, radices & fibras macerant per diem integrum in aceto rosato. effuso aceto rad. exsiccatas contundunt in matratium capax recondunt, superessund. succi limonum partem vnam, & succi pomorum, redolentium partes duas in bal. Mariæ digerunt, colant, exprimunt, purumque sic ab impuro separant.

3. Cæsaries nomen inuenit à cædendo, hinc Gallia comata ex longâ cæsarie dicta, Cæsaries promissa. id est longa, Cæsariati comati dicuntur, mulieres non habebant cæsariem, sed viri, nunc viri longā, naturalem & artificiosam habent cæsariem, cæsione prætermissa: Galli vocant perruque.

CONSILIVM L.

De incontinentia vrinæ & stillicidio inuoluntario post lithotomiam, pro filio D. Machau.

Tortuosa vrina fluens calculo existente in vesica.

CVm calculus est in vesica, non fluit vrina, nec emeiitur sine dolore, & tortuosior est vrina fluens, vt verbo Pliniano vtar. cum grandior est calculus & discinduntur fibræ sphincteris musculi, ferè vrina non retinetur, sed inuoluntariè distillat magno ægrotantium fastidio, dolore, & incommodo, nisi fortè ad annos pubertatis prægressa lithotomia puero: si quædam fibræ intactæ manserint, officium præbent læsarum, & caro extuberat fœcundior, supplens vicem læsarum fibrarum.

Victus.

Victus ratio sit commoda & salubris, vtatur pane & carnibus coctu facilibus, fructibus coctis, cerasis nouis cum pane, alias vrinam mouent; ientaculum sine potu aut pauco, sero largior potus ad sitim sedandam, noctu bis aut semel meiat, vino vtatur dilutissimo hyeme præsertim, si aquâ coctâ vtatur, addatur cauda equina, herba equisetum vocata, vt parcat potui, tamen si vrina coloratior, calidior, non ita sit parcus in potu, satius enim est in eam partem (plus bibendo) peccare, teneat in ore aliquid siti placandæ idoneum, vitentur salsa, piperata, lateri indormiat primò, deinde dorso ad mediam noctem, à mictu indormiat alteri lateri, surgens manè è lecto meiat, desideat, si fieri possit. Aluo liberiore minùs emeiitur, mediocriter exerceatur, vtatur medicamentulis roborantibus purgando. Cassia sola nocet, laxando partes neruosas, vesicam & partes spermati conficiendo, & continendo dicatas.

1. Topica adhibenda conueniant proprio puberum temperamento, calida sed moderatè, & humectantia non multum siccantia, fotus ex aqua fabrorum cum vino crasso. Aquæ naturales minerales, vitriolatæ, borbonenses, pucenses, spadenses, earum stillicidium, valet balneum, potus, fæx illorum fontium, aut loco illorum aqua fabrorum cum sulphure, alumine, nitro, vitriolo albo, aut alio cum limatura ferri & chalybis; sacculi parati cum cauda equina, rosis

ad fotum, si non contingat melior sanitas, borbonensia balnea adeat, ad haustum, balneum & stillicidij commodum, parabuntur tabellæ ex equiseto, santalo & saccharo.

Cydoniatum Aurelianum aliquando conferet, modò non adstringat nimis aluum.

V stillans vrina recipiatur vase commodo, parabitur bursa aut vas ex ferro candido albo, cum imposita spongiola, ita tamen vt ingressum non impediant.

ANNOTATIO.

1. *Quibus salutariter lapis detractus est, nec in ipsa sectione perierant, aut dubiæ sunt salutis, Cassiam dare pro cathartico nocet, quod fit, vel quia diuretica est, vel quia nonnisi cum tormine aliquo, ab inferiore parte aluum euocat aliquando, dum inflatur in aluo perturbationem excitat. perturbatio autem ista vulnus vesicæ inflictum irritat. At in exhibitione catharticorum obseruandi sunt maximè dies critici; in iis enim motus quidam fiunt naturæ, quos vel impedire, vel reprimere non parum est. Aqua hordei & iulep. rosatum in vsu frequenti esse debet. De clysteribus vnum notandum est, qui sunt blandiores sæpe ignaui & inutiles subsistunt, & præter hoc quod inutiles sunt, lædunt sæpè & vulnus afficiunt deterius, ideo acriusculi sunt subijciendi, attemperanda tamen res est, pro natura ægri, proque intestinorũ sensu pigro vel acuto. At quod ad vulnus attinet, detergentia, & mundificantia vlceri non imponunt lithotomi, quia, aiunt, ipsa vrina quæ sensim per vulnus fluit, detergendi vim habet, & supplet vicem medicamentorum detergentium.*

CONSILIVM LI.

De cachexia cum faciei pallore, & symptomatis hypochondriacis.

INstitutum iusculum, armus vitellinus cum pullo farto cum acetosa, lapatho, bugloss. borag. bipinella, endiuia, portul. floribus genistæ, capparibus, pomo de carpendulo, coletur pullus, exprimatur vsui.

Debet fieri decoctio apta antequam fiat hydromeli.

Hydromeli paratum cum ℥ j. radicis filicis, chynæ ℥ ſ. ligno rhodio, ebore ad ℥ ſ. coque in hydromelitis libris quatuor per duas horas ad conſumptionem tertiæ partis, adde flores geniſtæ ſub finem, cichorij, bugloſſ. violar. aceti ℥ iiij. cola, aromatiza cinnam. & ſantalo cap. ℥ iiij. manè per dies duodecim.

1. ℞. Syrupi de pomis, granat. limonum, violacei tincti & acidioris redditi añ. ℥ iij. vtatur.

Inter cætera tinctura roſacea & prærubra valet.

Purgatio.

℞. Foliorum ſennæ ʒ vj. ſantali citrini ℈ j. aquæ bugloſſi, pomorum de curpend. añ. ℥ iiij. ſucci limonum ℥ j. macera per horas duodecim, exprime, adde ſucci pomorum ℥ j. ſacchari violati ʒ iij. agita cum albumine oui, vtatur eo decocto poſt iuſculum.

Syrup. mag.

℞. Aquarum fumariæ, bugloſſi, pomorum, cicho. añ. lib. ſ. ſucci limonum ℥ vi. adde ℥ j. Rhab. ad partem infuſi ſucci roſ. pallidarum ℥ iiij. cum ſaccharo, fiat ſyrupus.

2. *Notanda hæc formula & examinanda.*

℞. Aloes in aqua cichorij ad ignem beatæ Mariæ ſolutæ, & poſt ad mucaginem coagulatæ ℥ ij. gummi ammoniaci in aqua roſarum ſoluti per ſetaceum traiecti ℥ ſ. triaſant. ℈ ij. myrrhæ ʒ iij. maſtiches ʒ j. ſalis abſinth. ℈ iiij. croci ℈ ſ. cum ſyrupo de ſucco roſarum, fiat maſſa, de qua capiet ℈ j. aut paulò plus ante paſtum.

Clyſteres inſtituti. hæmorrhoidum prouocatio.

Tabellæ.

℞. Pulueris triaſant. ℈ ij. corallij præparati, perlarum præparatarum añ. ſpodij cornu cerui añ. ʒ ſ. oſſis de corde cerui vnicornis añ. ℈ j. fragment. hyacinthi. ſmaragdorum cum ſucco limonum parat. croci martis ſine igne & aceto parati, ℈ iiij. confection. de hyacintho, cinnamomi interioris ℈ j. ſacchari in aqua roſarum ſoluti quod ſuff. fiant tabellæ.

Balneum inſtitutum. ſerum lactis à balneo.

℞. Seri lactis ℔ ij. tria poma de carpendulo inciſa bulliant: fiat colatura, adde flores cichorij, bugloſſ. borrag. añ. ad p. j. bulliat denuo, adde ſaccharum cum albumine clarificetur, capiat manè.

ANNOTATIONES.

1. *In præcedentibus dictum qua arte eliciatur tinctura ex roſis, aut floribus violar. bugloſſ. borrag. &c.*

2. *Vera aloes præparatio fit hac ratione, eius certa quantitas in puluerem redacta in phialam vitream immittitur, affunditur aqua cichorij end. aut acetoſæ in balneo Mariæ, maceratio fit per 3. vel 4.*

dies, demum aqua rubicundißima aloes, essentia tincta extrahitur & à fæcibus, per inclinationem separatur destillaturque per alembicum, donec mellis consistentiam acquisiuerit.

CONSILIVM LII.

Ad mulierem recens nuptam, epilepticis conuulsionibus afflictam & affectu qui σπασμότρωμος vocatur.

HVic ægræ inito consilio hæc remedia sunt instituta, clysteres ex emollientibus, arthemisia, absinthio centaurio minore, melle mercuriali, & hiera.

Institutum decoctum ex rad. fœnicul. polyp. tarax. zyng. oxalid. oxylapathi, pœoniæ fœminæ, cypero, valeriana, radice filicis fœm. agrim. fumar. bipinel chamæ, chamæpithis. mentha, nepeta, hyssopo, calend. floribus centaur. minoris, semine card. nigel. Rom. glycyr. spica nardi calamo arom. fi. decoctio, cuius in colatura foliorum sennæ vino albo nutrit ℥ ij. Agar. troch. ʒ iij. seminis carth. ℥ ij. caryophl. ʒ i. s. macera, dein exprime ad ℥ xij. dissol. syrupi rosarum cum agarico ℥ ij. oxymel scyllit. ℥ j. fiat in tres doses apozema.

Sectio venarum brachij & saphenæ.

℞. Radicis pæoniæ & cyperi añ. ℥ ij. chynæ ℥ iij. sassafras ℥ i. s. rasuræ iuniperi & ligni rhodij añ. ℥ i. florum lilij conuallium, tiliæ, calendulæ añ ʒ iij. florum anthos p. iiij. baccarum iuniperi, p. iiij. corticis exterioris citrij sicci ℥ iiii. concisa pone in doliolo quod capiat pintas xxiiii. infunde libras xx. hydromelitis parati ex parte mellis & partibus octo aquæ, ad supernatationem adde lib. s. fermenti cereuisiæ, pone in loco tepido, pone in furnum pistoris, sinatur fermentari, donec cesset ebullitio, donec deferbuerit, fiat transcolatio, capiat ℥ 6. per dies duodecim, pro effectu iterabit.

Primis diebus quibus vtetur eo hydromelite post dosim acceptam fiat fotus hypogastrii & lienis.

Fotus fiet ex radice gentianæ, aristoloch. enulæ ad ℥ ix. cortice

hæderæ arboris, mediani fraxini, radice chelidoniæ ad ℥ ii. foliis ceterach, erysimi, nasturtii, absinth. centaurii, menthæ, melissæ, arthemisiæ, tanac. añ. m. i. floribus sambuci & ebuli, baccis lauri, iunip. coquantur in aqua fabror. & quartâ parte vini albi & cum aceto scyllit. fotus fiat cum spongiis.

Purgatio vt antè, vel per sequens apozema.

Syrupus.

℞. Foliorum orientalium ℥ vi. agar. troch. ℥ iii. rhab. ℥ i. ſ. turb. hermod. ℥ i. caryoph. ʒ iii. cinnam. macis. ʒ ii. ſ. irrigentur omnia vino albo infunde per quatriduum in vase vitreo clauso in balneo Mariæ, in ea quantitate aquæ beton. calend. cardui, valerianæ quæ supernatet sex digitos, post ebullitiones leues fiat express. adde syrupi rosarum pallidar. mannæ Calabrinæ per solutionem depuratæ filtrationem ʒ x. sacchari candi ℥ viij. post exhalationem in alambico reduc in syrupum, cap. ℥ ij. cum ptisana vel aqua beton. & cardui horis tribus ante iusculum.

Bis hebdomade capiat ʒ ſ. huius massæ.

Pilulæ.

℞. Gummi ammoniaci in aceto scyllitico soluti ʒ iij. bdellij ita parati ʒ ij. aloes depuratæ in succo rosar. absinth. centau. minoris, rutæ ℥ i. extracti sennæ ℥ ſ. myrrh. ʒ ij. croci ʒ i. ſ. salis gemmæ ℈ iiij. cum syrupo rosarum fiat massa, addendo dum formatur olei anisi ℈ j. ad vsum.

Vesperi cubitura capiat opiatam & manè cum non vtetur hydromelite prædicto.

Opiata.

℞. Florum galangæ calendulæ añ. ℥ j. florum anthos. ℥ j. ſ. Theriac. ʒ vi. confec. alkermes & de hyacinth. añ. ʒ ſ. cranij humani, visci quercini añ. ʒ iii. radicis valeri. ʒ vi. diambræ & aromat. rosati añ. ʒ ii. cum syrupo parato per extractionem è succo menth. arthemisiæ & vino albo fiat opiata, adde puluerem corticis externi citrij, ferularum bryoniæ & radicis campanæ singul. añ. ad ℥ ſ. caphuræ ℈ ſ. capiat instar auellanæ superbibendo parum hydrom. vel vini albi.

Non omittantur frictiones capitis, lotiones partium inferiorum ex decocto nerualium herbarum & hystericarum, cucurb. frequentes clyst.

Item aqua ad necessitatem paranda.

Pilulæ.

℞. Radicis enul. camp. bryon. arist. gentianæ cyperi añ. ℥ ii. pœoniæ vtriusque valerianæ, añ. ℥ iii. zedoariæ angel. imperatoriæ galangæ añ. ℥ i. corticis aranciorum & citrii sicci añ. ℥ ii. ſ. florum rutæ maior. añ. ℥ j. florum. anth. stœch. hyperici añ. p. ii. baccarum

iunip.

iunip.℥ iii.caryop. cinnamo. macis añ.ʒ x.infunde in quantitate vini Hispanici quæ supernatet sex digitos,adde theriaces ℥ iiii.per octo dies,fiat separatio per filtrum à fæce , mox distilletur in balneo Mariæ a ambico vitreo , in cuius capitello sint circa lumbum noduli quatuor repleti croco & granis sex camphoræ, mellago in fundo vasis manens coaguletur ad consistentiam pilularum, quæ loco dictæ opiatæ sumi poterunt iisdem horis fæces calcinentur ad albedinem cineribus affundatur aqua distillata quæ post dierum aliquot digestionem separetur inclinatione , seruetur & in vase vitreo sub ore benè obturato ad vsum. Nares vngantur oleo succini, & gagatis , spina in paroxysmo vngatur axungia humana & suilla, cocta cum saluia & vino generoso.

ANNOTATIO.

1. *Elleborismo miras tribuit vires aduersus epilepsiam Plinius, & eum extulit exemplo bruti hominis primarij ; huius loco, nonnulli tempore paroxysmi cochlear vnum aut alterum vini emetici, in os infundunt. Valet item contra epilepsiam decoctum rad. eryngij pœoniæ maris & visci quercini cum hydromelite.*

Cap. 7. & 8. lib. 22.

CONSILIVM LIII.

De vrinæ incontinentia.

Virgo Aureliæ matura viro , etiam à tenera ætatula vrinæ incontinentia laborat, cui vt ritè, & ex arte medeamur, Quosdam articulos & quæstiunculas descripsimus quibus respondebunt Medici domestici, vt collatis sententiis re diligenter expensâ, & fructu remediorum aut vtili, aut inutili in commune aliquid consulatur.

An à natalibus malum natum.

An à parentibus lapidosis, an non fuerit calculosa.

An non præcesserit casus in os sacrum aut in perinæum, num suspicio paralyseos osculi vesicæ, aut casu, aut alio modo.

Num passa fœdos colores , an adhibita remedia, nam obseruat

Cap. de paralysi.

Rondeletius virgines quasdam factas paralyticas vsu remediorum calidiorum & aperientium in medendo fœdis coloribus : sic videndum an id mali in virgine, aut à renibus, aut à vesica. An non sit diabetes morbus grauis, an in fundo vasis vrinarii phlegma, aut quid lacteum & purulentum, an vrina sit graueolens. An fluat vrina non sentienti & vigili & dormienti. An sitibunda. An in sopore malum minus: nam quibusdam dormientibus horologium apponitur vt meminerint vrinam reddere.

Explicentur remedia adhibita. An non ad balnea, & plumbares aquas traducta. An non tutus.

A multis iusculis abstinendum, & diureticis, frequens haustus & paruus, à vino albo abstineat, aqua ferrata vsui sit, scyna aut sarsaparella vtilis. Fotus ex astringentibus; semicupia ad partes imas, ius lentium valet si calorem in ore sentiat, cassia cum tamarindis & rhabarbaro, in pastu, cydoniatum Aurelianum ex succo, non quod durius est, nam ventrem astringeret, & malum augeret.

Corpus purgetur syrupo magistrali infra scripto.

℞. Florum vrticæ Græcæ nenuph. añ. p. i. seminis lact. portul. ligni rhodii, cannabis, & santalorum añ. ʒ i. seminis plantaginis, maluæ, corallorum añ. ʒ ß. cum saccharo cando & rosa. añ. ℥ i. fiat puluis cap. manè ʒ i. cum pauco vino albo aqua ferrata diluto.

Puluis.

Vtatur iusculo gallinæ coctæ cum lactuc. portul. bugloss. borrag. farciantur interiora granis berberis, radice pauca symphyti, tormentilla, myrobal. gummi arabico addita ʒ i. rhabarbari, fiat panatella addito vitello oui.

Spinæ dorsi imæ parti adhibe emplastrum astringens.

Syrupus.

Fiat syrupus ex bugla, sanicula, vrtica mortua, robertiana, oxytriph. primul. veris, consolida maiore, torment. acetosa, oxylap. granis Kermes & berberis, santalis omnibus, passulis integris aqua rosarum lautis, semine plantag. lact. melon. cum ℥ iiii. sennæ, addita expressione ℥ i. rhabarbari seorsim infusi, addito ligno aloes, iuleb. rosato & syrupo granatorum.

CONSILIVM LIV.

De profluuio seminis non venereo.

NOn abs re vir nobilis curam suæ sanitatis habet, (quorsum enim fœlicitas, si non adsit sanitas?) & naturam ducem sequi destinauit, hæc æternitatis est auida, aliàs capax, aliàs rapax, & per nouam sobolem, vt per progerminationem id facit: si in arboribus adeò sedula, quid in homine agat qui ad Deum tanquam arthetypum formatur, & ex tantulo semine re tantula miros effectus producit. ideo D. laborans in eo conseruando laborat vt semen sit prolificum, non insulsum, non degener, non euanidum, vt homo ex homine exiliat, tantulum semen ex omnibus quasi partibus deciduum rapit secum ideam quandam hominis, vt homo sit tanquam character, & transcriptio quædam viua: semen est tradux ad æternam propagationem, ex omnibus partibus decidit, & deciditur ex prona quasi semita ductuque, omnes meatus, aut tubi ad partes naturales imas (quæ per ἀντονομασίαν, naturales dicuntur, aut potius κατ' ἐξοχὴν) tendunt, diriguntur, conspirant; hinc summa in palæstra venerea voluptas, ideò harum partium maximè habenda ratio, siue vt simplices, siue instrumentales considerentur, nerui tendines miro artificio fabricati, in generatione valent plurimum. At partium principum ad opus aliquod etiam leues affectus magni sunt momenti; inter cætera animantia homo à congressu maximè exoluitur quia proportione corporis multum seminis excernitur, & quod robustum est exilit, & vt ædificij constructio, sic corporis compages quatitur ac conuellitur, dum semen decedit. Mirum quod maximè in mictu & egerēdi conatu ægro domino semē effluat, id partium vicinia & sympathia facit, hinc qui meiendi desiderio tenentur cōcumbere nequeunt, quia meatus implentur per affluxum, & qui concumbunt si meiere velint, penis intenditur, id quod ad rem præsentem pertinet, inde est formæ & morum similitudo, & in aliis animalibus, maior est similitudo quàm in homine, quia cogitatio aliò traducit, celeriter transuolat; hinc maiores differentiæ, dissimilitudines, quia velocitas cogitationum, celeritas animi notas multifarias im-

primit, non sic in aliis animantibus: imo in iis certi sunt per anni tempora concubitus homini omnibus horis dierum ac noctium (quod vt aiunt) magis intersit hominem nasci quàm cætera animalia: imo nulla animalia grauida præter mulierem coitum norunt: itaque non mirum si sanitatis maximè ratio habetur, & vt natura ad pristinam integritatem redeat vsus veneris ad æternitatem quandam per sobolem & ad sanitatem si moderatus est confert, vt natura ad pristinam integritatem redeat. Quia qui tardiùs & moderatius venerem exercuerunt maximam laudem habuerunt, quia validiores & longioris vitæ fuerunt, sic statura corporis alitur, aluntur vires. Mirum in homine cæteris animantibus in congressu satietas, homini propè nulla, licet vsus veneris ad æternitatem producenda sobole & ad sanitatem si moderatus est conferat, vt præfractior & magis ridiculus videatur Democritus, qui vsum veneris damnarit, vt in qua homo ex homine exiliat. Id ad paganos non ad Christianos, apud quos eximia soboles desideratur ad gloriam Dei, & eius cultum, & eximia gerenda negotia in Reip. decus & salutem, laudo antiquitatis studium quæ tanti fecit hominis generationem, vt remedia quædam excogitarit ad generandos liberos pulchros & bonos, hermesias vocatur.

Plin. c. 63. l. 7.

Continet multa laudanda & non negligenda, non ita est efficax vt quod promittit emittat & exoluat, & spem effectus mentiretur aut eleuaret.

Victus.

Danda quæ succum lentum generant, vt sunt extrema animalium, & testudines, & ostrea; Arbores sunt viuaciores, quæ lentum habent succum, exercitium violentum malum, inutilis à cibo contentio animi & iugis actio, spiritus ad partes superiores fertur, inferiores fraudatæ spiritu imbecilliores redduntur.

Homines solertes & negotiosi liberos generant imbecilliores, vulgus est proletarium, robustos generat.

Magna pars vrbanorum est imbecilliore ventriculo, item studiosorum. pertinax vigilia cruditatis parens, ex cruditate affluxus humorum & effluxus: labor naturalis in visu, auditu & cæteris excessus vitetur.

In epid.

Ira vitanda, licet oxythymiam laudet Hippocrates & ex candescentiam ad bonos succos generandos & εὐχροιαν. Id de pinguibus & succulentis audiendum, non de biliosis, & graui negotio occupatis & studiosis.

Corpus & animus instar duorum equorum viribus æqualium

corpus & animum tanquam curru & vehiculo, id est, se ipsos trahere debent.

Sinapi, acria, allia sunt vitanda.

Diæta, aliquando siccans & astringens.

Portul. intybum (nam quidam aiunt cichoracea semen minuere) plantago, lactuc. bugloss. borrago in iure conferunt, hordeata, oryza. quidam consulebat pistacia, pineas, passulas, auellanas, amigdala, sed parum consulto.

Semen enim augent, & ad venerem excitandam commendantur, hic instituuntur vt sit semen crassius vsus sit vini crassa diluti aqua, aut simplici, aut in aqua torquis aureus candens extinguatur.

Purgatio ex rheo & syrupo de cicho. ex interuallis, apozemata ex end. scariol. plantag. semine lact. citrull. coque in aqua, adde syrupum limonum, de granat. rosa. siccarum. *Purgatio.*

Opiata commendatur ex acetositate citri, semine canabis, camphora. semine portul. lact. nenuph. floribus, semine agni casti, rutæ. *Opiata.*

Alia opiata ex cydoniis conditis ad ℥ ij. corall. rub. margar. an̄. ʒ ſ. balaust. ʒ j. semine agni casti, & rutæ ad ℈ j. conditum fiat cum syrupo rosarum siccarum, valent trochisci de terra sigillata.

Quod ad topica spectat.

Fotus ad perinæum ex foliis plantag. tapsi, centinod. cupresso, rosis, floribus cham. cortice granat. sacculus plenus bulliat in rubro vino & aqua fabrorum. *Fotus.*

℞. Olei rosati, myrtill. mast. an̄. ℥ j. pulueris corall. rab. mastich. antheræ an̄. ʒ j. cum cera fit vnguentum. *Litus.*

Emplastrum comitissæ & desiccat. rub. confert. *Emplastrum.*

Quæ euocant ad cutim valent, de aquis plumbaribus videbitur si res vrgeat.

Insessus in plena, decocto astringenti, pelui impositis partibus naturalibus.

Testudines valent, cancri fluuiales, syrupus resumptiuus.

Semen salicis, & vrticis albæ confert.

Valet purgatio ex conserua rosarum nymphææ, symphyti rhabar. myrobalanis conditis, aut syrupus conueniens, iuuat mandere rheum cum passulis, vtatur vino optimo non huius anni, in quo vina sunt tenuia quæ sanguinem ex Hippocrate imbecillum generant & serum tenue. *2. Li. 2. de diæt. Plin. c. 5. l. 14.*

Abstineat à diureticis, vtatur pane in lacte subacto.

Marcipanes cum carne pullorum conferunt.

Diarrhod. abbatis, electuarium de gummis, pasta regia.

Hæc scripta collatâ sententiâ, M. Iacobi Guillemeau Chirurgi Regij.

ANNOTATIONES.

1. *Quoniam de Gonorrhæa agitur, non venerea, & quæ scortatorum est flagellum, sed de quodam seminis effluuio naturali & tamen morboso, vnum annotabo de vsu veneris: diximus vsu veneris vim & corpori & animo inferri, vnde corpora vieta & flaccidiora fiunt, animus imbecillior; nec omitti debet nominis eunuchi ethymologia; nomen ipsum videtur ridiculum, quia homo quasi effœminatur, tamen traxit originem vel* ἀπὸ τῆς εὐνῆς, *à lecto, cui custodes eunuchi erant ad tuendam coniugum castitatem, & quia diligentiores erant & obseruantiores æqui & pudici, quàm famulæ: vel dicitur eunuchus quasi* εὖ νοῦν ἔχεις, *quasi magis mente constet, ob neglectum veneris vsum; vnde venerea dicebantur* ἀνόητα *antiquis, quasi extrà rationem seu irrationabilia.*

2. *Tiberius sui temporis medicos sugillabat, qui Surrentinum vinum laudarent ob tenuitatem salubritatemque, cum tamen acidiusculum foret & generosum acetum esse dicebat: Clodius successor nobilem vappam vocabat, talia vina Galli vocant* Ginguets.

CONSILIVM LV.

De febre aßidua cum grauibus symptomatis.

Causa.

DOmina Myron Britanniæ incola incidit in grauem morbum, id est in febrem continuam cum grauibus symptomatis, maximè quia habet hypochondriacum aliquid ab intemperie ingenita: accesserunt, & causæ externæ de quibus dicam. Tria videntur grauem morbum intulisse, cui febris lenta & quasi hectica successit κατὰ τὴν ἐπιγένεσιν. Primum natura & ingenium morborum grassantium, qui κακοήθεες sunt, à sero maligno, putri, ob præ-

gressa tempora quæ suam temperiem non retinuerunt, hinc fœtura symptomaton facessens negotium medicis, & ægros in metum desperationis æmulum coniiciens.

Secundum, timor ob naufragij periculum in cymba: Recens erat nupta, confecerat multa itinera dispendio sanitatis dubiâ & ancipiti vitâ.

Qui cymba vehitur tantùm abest à morte quantùm ligni crassitudo impedit.

Tertium, natura ægræ à me satis cognitæ, temperamentum biliosius quàm natura sexus ferat, hinc hypochondriaca, hinc vetus de liene querela; mulieres calidiore temperamento afflictæ sunt valetudinis, non desperatæ, hinc Aristoteles: melancholici perpetuò medicinam appetunt.

Frustrà accusatur vterus, vt malè fit in omnibus morbis mulierum (quamquam id non sit negligendum) nupsit nuper ægra, & eius vterus colitur, frustrà darentur hysterica remedia, vt quæ nimiùm calfaciant & augeant viscerum æstum, hypochondriacamque intemperiem, multorum malorum authorem, Quod Hippocrates dicat vterum morborum muliebrium causam, id intelligi debet quatenus est ἰδιοσυγκρασία muliebris per sympathiam, aut ἰδιοπάθειαν vteri, & saluo meliore iudicio hypochondriaca symptomata redolent hysterica symptomata.

Vterus muliebrium morborum causa Hipp.

Melancholici ab adustione non sunt vehementer purgandi, cùm melancholici dicantur, non tam ij qui succo melancholico abundant, quàm qui partibus solidis tales sunt, est solertis medici id distinguere, nocet vnum pro altero supponere ob remedia hysterica, non negligatur distinctio & examen, noua est coniux, faciles & fœlices partus, (Deo auspice) & cultus vteri tanquam fundi ob nouum coniugium erit medela symptomatum hystericorum.

Ex Aëtio notanda est melancholicorum distinctio.

Cultus vteri hystericis medetur affectibus Hipp. de morb. Mul. & Virg. ὡς τάχιστα ξυνοικῆσαι ἀνδράσιν.

Concinnandus syrupus cum senna, rheo, splenicis, addito succis bugli, pomorum, eufrasiæ, yuæ arthriticæ, oxytriphylli, granis Kermes; radice tunicis, pentaphylli, radicis scynæ parum ob serum putre, tempore cerasorum addatur succus eorum, flores & folia vetonicæ, valet sectio basilicæ & dextræ, & sinistræ, exploret medicus, an non tumeat lien, causa sæpè tabis corporis, tumor est discutiendus, inutilis alioquin erit opera.

Herba olim vocata nepenthes obliuionem timoris & tristitiæ inducit.

Capiti consulatur remedijs conuenientibus iam præscriptis.

Si hæmorrhoides appareant & caput faciant num opus sit eas aperire, videbitur, sunt morbus in muliere, in viro sanitas. Balnea conuenient, lac asinæ, serum lactis oui albumine clarificatum ad-

Arist.

datur bipinella, aut euphrasia, non ea herba quæ fel terræ, & fumaria dicitur.

Vide Gal. de locis aff.

In hypochondriacis sæpè accusatur ventriculus, cum sit innocens, sed aut in pyloro aut ieiuno intestino mali labes delitescit, vt notauit Diocles, quod Galenus primus obseruauit, vt iam antè notauimus, variis in locis.

CONSILIVM LVI.

De febre lenta & tumoribus glandularum gutturis strumam minitantibus.

Aurora morbis vt musis amica ideo, qui morbi circà matutinum tempus exacerbationes habent vt plurimum κακοηθέες sũt.

TRia sunt obseruanda in ægrotante puella annos 26. nata, quæ ante menses aliquot afflictioris fuit valetudinis, febris lenta quæ præcessit, & cacochymiam habet parentem cachexiæ: profluuium alui mesentericum, linguæ siccitas, quam nos in illa à somno excitata obseruauimus, quod eò est deterius quia in aurora salubri alioqui apparet. Tertium quod metum affert, est tumor in glandulis colli chœradum minax, nisi prudenter & ex arte Medici prouidissent, & preuidissent, purgando & suppuratum impediendo, hoc dirum omen auerterunt, licet fœliciter, (sed id raro) in quibusdam suppurato tales tumores euanuerunt, cõsumpta membranula quę materiem continebat, maximè si pus maturum sit: nam antè si effluat aliquid cancrosum affert, sic mora quędam licet tædiosa securior est. Quidam artis periti (vt non omnia omnes vident) in Chęradum cognitione & curatione vacillarunt, à pituita illas nasci putant, & ad calfacientia & siccantia recurrunt, item ad hydrotica calfacientia, hinc in malum cancrum fit conuersio & transitus, dum illa pituita incalescit plus æquo & exasperatur. At, vt ex Platone notat Galenus, pituita non quæuis nocet, sed salsa aut acida: salsa est atræ bilis soboles, & affinis, hinc quibus in facie gutta est rosacea, in iis chœradum & cancrorum est seminarium: imo & arthritidis, sic grauis error committitur in vsu calfacientium & siccantium remediorum, & antiquitas prudentiùs præscripsit serum lactis, asinæ lac, syrupum regis saboris. Sic post longum morbum tumores in glandulis colli paruerunt, glandulæ sunt

Rondeletius in ea est sententia & impendio calfacientibus vtitur.

ſunt partes depoſitariæ & emunctoria cerebri, aut maſe affecti, aut onuſti prauo ſucco. Victus ratio humectans & refrigerans confert, cùm iam hecticæ febris ſigna ſe prodant, neglectis tumoribus iſtis ad tempus, licet calfacientia & ſiccantia reſiciamus.

Repreſſa & mitificata febre tantillum ſcynæ in aqua macerabitur, adiuta radice cichorij & polypodij.

Aqua rhabar. cum radice oxalidis, & tunicis, lac aſinæ quod ab Elephante vindicat. *Purgatio.*

Vtatur decocto ſequenti quo die, lacte non vtetur.

℞. Radicis conſolidæ maioris, ſcrophulariæ minoris, enulæ camp. in oxycrato, temperatæ filipendulæ an. ℥ ſ. ſaniculæ, buglæ, bellidis, piloſellæ, bipinell. robertianæ, beton. an. m. ij. glycyrr. paſſul. an. ʒ vj. florum cord. p. ij. fiat decoctio capiat ℥ iiij. pro doſi cum pauco vino albo & ſyrup. capill. veneris, inſtar apozematis. *Apoz. ma.*

Parti applicetur lamina plumbi fugitiuo illiti. vel, ℞. Emplaſtrum diachyl. ireati ℥ ij. gummi ammoniaci aceto ſoluti ℥ ſ. fiat emplaſtrum. *Emplaſtrum.*

Scrophularia ipſo nomine & fronte mirum quid promittit ad curationem chœradum, ſed in exoluendo promiſſo languet, viribus æquat Aron ſeu ſerpentariam calidam & ſiccam, valet ros ſolis, herba dicta, & pes cati ſiue piloſella minor.

Si tumores colli ſint contumaciores, valet hoc emplaſtrum.

℞. Emplaſtri de vigo, duplo mercurio ℥ ſ. emplaſt. de ceruſa, malaxentur ſine oleis, emplaſtrum diuinum mirificè confert. *Emplaſtri optimum.*

Radix herbæ quæ dicitur gladiolus contuſa cum roſato Meſuæi prodeſt tumoribus iſtis, & per dies quadraginta detur ʒ ſ. pulueris illius radicis miro euentu.

Valent opiatæ ex conſeruis cardiacis non calfacientibus.

Valent hordeata tempore legitimo præſcripta horâ ſomni.

Miraculo proficere aiunt iaceam albam, (quam ſpeciem violæ eſſe aiunt) item papauer rubrum macerant in vino, contundunt, mucaginem tumori choeradico applicant, id remedium temperando prodeſt, & eas habet dotes quas requirimus in remediis ſtrumarum, excluſis calfacientibus, & nimium ſiccantibus.

CONSILIVM LVII.

De contumacibus ruboribus post exanthemata.

COnſultum eſt vt æger ſumat caſſiam ſæpè, diluto vino vtatur, minuatur ſanguine, ſerum lactis ſumat, aut lac aſinæ: lauetque faciem eodem. vel

Vnguentum. ℞. Roſat. meſu. lauti in aqua nenupharis ℥ iij. nutriti ℥ ſ. pulueris vnguenti citrini ℈ iiij. pro litu faciei. Sed noctu linteum vnctum imponendum eſt.

Pomata cum oleo ex frigidis ſemin. confert.

Lotio. Paretur lib. i. ſ. emulſionis ex ſeminibus frigidis & amygdalis contuſis in decocto anagallidis, hordei, floribus nymphææ, ſem. & foliis acetoſæ, adde ℥ iij. aquæ nenuphar. lauetur facies, aut aqua liliorum cum troch. alb. rhaſis. vel

Accipe ſex pedes veruecinos, contunde cum carne & oſſibus: coque totum in aqua, quæ poſt fiet mucaginoſa, lauetur facies: ſatius erit accipere aquam nenupharis aut plantag. quæ miras habent vires ad faciei nitorem in quibus ſoluitur caphura, aut maceratione ſem. pſyllij.

Item valebit cremor lactis cum aqua roſarum, aut oleum de vitellis ouorum: vel accipitur fruſtum lardi antiquum, coquitur in vino rubro ad perfectionem, vbi refrixit pinguedo ſupereminens

Duretiſ pomata. aſſeruatur vſui. Duretus radit fruſtum lardi ramenta diu macerata in aqua fontana aqua roſarum excipit & vaſi calido imponit.

CONSILIVM LVIII.

De ſerpigine, ſpecie tineæ & pityriaſi.

TEmperamento eſt melancholica per aduſtionem quandam, & id habet à ſtirpe generis nobiliſſ. mulier. Purgabitur opia-

Purgatio. ta laxatiua, ex herbis conuenientibus, hepaticis, & ſplenicis, ſenna,

rheo, syrupo de agrimonio Rondeletij, byzantino, regis saboris, additis conseruis conuenientibus, cassia in sero lactis, senna cum decoctio carnis vitulinæ.

Parabitur syrupus ex succis, cum granis Kermes & fructu halicacabi, at inter cætera recenti. Æstate huic syrupo addetur succus cerasorum, additis ocellis id est floribus veronicæ altilis, hic confert hypochondriacis.

Detractio sanguinis certa de causa est præter missa, id medici domestici ex prudentia pendet, inde forte malum est rebelle magis & inextricabile vt loquitur Plinius. Medicus etiam prudens anceps est & labat. pomaceum defæcatum conferet, cui tamen vinum dilutum præferatur. Lac asinæ aut capræ, vt vitetur hectica diathesis, vitanda est nimia abstinentia & ieiunium, serum lactis colatum cum syrupo violato, iuleb. rosato. Balnea cum herbis non calidis, sub finem adde 24. ℔. lactis, antè addatur furfur anagallis, palea hordei. Epithemata ad cor valent.

Balnea.

Valet pasta detersiua ex amygdalis nudis, maceratis in aqua rosarum & nenupharis, mica panis secalini cum melle, iride florentino, farina hordei, fabarum cum medulla gummi tragacanthæ, extracta in aqua scabiosæ, aut eius decocto addita acetosa, sunt qui addunt mucorem aut infusum, ari radicis siue serpentariæ. A fotu & balneo litus conferet ex ℥ j. rosati Mesuæi cum ʒ j. pulueris mercurij dulcificati: aut applicatio laminæ plumbeæ litæ mercur. dulcificato vnguent. diapompho. de cerusa.

Pasta.

Litus.

Panis in lacte subactus: cucurbitulæ siccæ & cornicula.

Decoctum ex anagallide, furfure, hordeo, vt antè dictum, fotus ex radice althææ, fol. acetosæ, violariæ primulæ veris, anagallidis, caulibus rubris, cum melle simplici, aut rosato, aut mercuriali.

Fotus.

CONSILIVM LIX.

Pro filia D. Habert cui tumores in collo, & vlcera in gingiuis soboles diatheseos strumosæ.

MVlta de cerebro dicta sunt cur frigidum & glutinosum, item de tempore, quòd à sero putri morbi grassantur,

tempora enim à sua temperie degenerarunt, quæ nunc prætermitto, glandulæ colli sunt quasi depositariæ cerebri, aut malè affecti, aut prauo humore onusti: Et vlcera multa vidimus, & diros abscessus, in quibus quia interni iuxtà & externi erant, cutis contrà se affi ceretur, quia vlcus intus, foras, & contrà penetraret, hinc gingiuarum labes humore traducto & transmisso.

Purgatio. Consulendum capiti, repurgandum etiam tabella diacarthami, de citro, aut succo rosarum.

Syrupus. Syrupus magistralis cum chamædry. chamæpity. tertia specie symphiti, aut potius tertia specie oxylapathi quæ bonus Henricus dicitur, agrimon. saluia vita, veronica, vulnerariis herbis, pauca medulla Guaiaci, pentaphyllo, addatur rhabar. senna, agaricus, syrupus byzant. rosar. pallidar. succus, aut decoctum florum persici.

Huic miras dotes tribuit Iu.bsius.

Opiata. Loco syrupi fiat opiata ex decocto simili & laxantibus, addendo conseruam violarum, buglos. nenuph. melissæ, betonicæ, corticem citrij, cum puluere sarsæparillæ, scynæ diathodone abbatis, addendo duas tabellas de succo rosarum.

Decoctum sudorificum blandum.

Cucurbitulæ scapulis: hirudines temporibus: Emplastrum de betonica capiti.

1. Horâ somni conseruæ cephalicæ mediocres non calfacientes, errhina ex non calidis conferent quæ blandè suum mucosum è capite eliciant.

Foris quadrantia ceronea, cataplasmata ex farina lentium, orobi, fabarum, cocta in hydromelite, addita therebinthina, emplastrum diuinum, diuinum effectum, & officium præstabit.

Potui domestico vino, aut aquæ addatur sarsaparilla, aut scyna.

ANNOTATIO.

1. *In vsu errhinorum magna cautione vtendum est, siue vtendi tempus & particulare & vniuersale consideres, siue materiam. De tempore quod duplex est, particulare vt singulis diebus, aut manè, aut vesperi; vesperi omnia sunt cruda, manè cocta & parata exclusioni, sic quod errhinum commodè vsui esse poterit matutino tempore, vesperi inutile esse poterit à cœna; manè enim sequax & obediens est materia, vespere rebellis: serò crassa per cruditatem, manè*

per coctionem, crassa fit enim, lauis, & æqualis, sic minore negotio extunditur; quò pertinet locus celeberr. Hipp. 3 de diæta, nares citra causam apertam à cœnâ implentur, & repletæ esse videntur, emungunt autem nihil, vbi manè deambulare & exercere cœperint, emungunt ac spuunt; mucus & saliua, repletionis sunt κρίσις i. index & signum: quiescente corpore meatus spiritus illa obturant: vbi calefactum est corpus præ labore attenuantur & excernuntur.

Pro diuersitate temporũ varia errhina vsurpãtur.

De tempore particulari dictum est, de vniuersali dicendum. Alia errhina æstatis tempore, alia autumni, alia hyemis vsui esse debent: in materia ferè peccatur, ferè enim omnia ex herbis calidis & siccis parantur, vt hyssopi, maior. stœch. anagall. cui postremæ vis inest maximè detersoria, desiccatoria, & ob calorem nonnullum attractoria. At magna hominum pars non mungit facilè, ob siccitatem quandam & caliditatem quæ inest in capite, id genus sunt biliosi, melanch. atrabilarij, qui curis & solicitudine animum exercent, ab eorum enim naribus nil excernitur, nisi partes hæ fuerint præhumectatæ. Ideo Hipp. 3. acut. dicebat balneo nares humescere, sicque valẽt potius quæ suo blando calore & halitu humido partes istas tepefacient: de maioranæ pugillo in aqua multa macerato dici hoc potest, quòd tutò vsurpatur à nonnullis; tutius betæ, & anagall. succus, hydromeli. ad deterg. & humect. conferre potest.

CONSILIVM LX.

Ad ardorem & reliquias antiquæ GonorrhϾ.

1. Emulsiones.

COgitatur de isto fluxu non omnino sistendo, sed moderando, in id præscripta victus ratio conueniens.

Bolus.

Consultus vsus emulsionis ex decocto hordei amygdalis semper. vermiculari, sem. frigidis, aqua plantag. & rosarum, syrupo violato. Bolus ex cassia, rheo. cum terebinthina & diatrag. frigido, pauca conserua nympheæ, sub finem, cum rheo solo pro litu ad perinæum rosato Mesuæi addatur parum argenti viui in succis saluiæ & limonum extincti prosunt temperata, si calor adsit, inie-

Litus.

ctiones ex refrigerantibus aquis, hordei decocto, lacte, vulnerariis herbis: tandem ad aluminosam aquam deueniendum.

Vsus conseruæ rosarum nenuph. cum cydoniato Aurelio & myrobalanis conditis.

Opiata. Opiata laxatiua ex conseruis aptis, rheo, & senna: vel tabellæ roborantes ex santalis conf. rosf. Karabe, & rheo: item pilulæ sub finem vsui esse possunt, ex aloë lota, Karabe, senna, rheo, pulu. iunip.

Pilulæ. & hederæ, excepr. tereb. aut syrup. de althæa. Alternis diebus exhibendæ sunt tabellæ diatragacanthi. syrupus additis herbis vulnerariis halicacabi fructu, ciceribus, transcolata: conserua rosacea valet pro potu, aut decoctum scynæ cum rad. cich. aut cum oxyacantha. Sed quia æger est salax & libidinosus, id quod fluxum ad partes imas prouocat, danda quædam remedia quæ semen minuant & quæ ad sterilitatem faciunt, aqua rhabarb. in qua radix sanamundæ pentaphylli incoquatur, hordeata conferunt.

Bolus. Item terebinthinæ parum lautæ ʒ ij. mellis parum, pulueris diatrag. frigidi. ʒ j. fiat bol. meminimus ante iniectionum. Iterum di-

Iniectiones. cimus eas parandas ex hordeo, palea hordei, veronica, pilosella, bellide, semine cydoniorum, psyllij, consolida, medulla guaiaci, agrimon pentaphyllo, plantag. florib. hyperici, cum syrup. absinthij, rosarum siccarum melle rosf. Trochiscis albi rhasis, sub finem malo rebellante. alia iniectio conueniet ex aqua plantaginis myrthi, solani vel decocto eius, cum trochiscis rhasis & pauca aqua aluminosa, vel tantillo hydrarg. dulcificati.

ANNOTATIO.

1. *Videndum sedulo ne diuturnum ceruicis vesicæ vlcus nobis imponat. Ex hoc enim, curatâ interdum gonorrhœâ, perinde atque, è prostatis post diuturnas gonorrhœas purulenta quædam illuuies, aliis in totam vitam, aliis donec iusta curatio adhibita sit, stillare & ægri indusium commaculare consueuit, quæ Gonorrhœam ementitur.*

CONSILIVM LXI.

De Satyriasi.

QVidam vxorem duxit, post aliquot annos laborauit satyriasi, eâque vehementi & molesta, longè ante Gonorrhœa laborarat, à qua liberatus erat, & à matrimonio vxor eius ne minimum incommodi senserat; viscera habet calida & æstum internum (is enim est temper. melancholicus) sæpè conquerendo obiicit. sentit acrimoniam & nitrosi humoris velut insultum & impetum. Opinio primi deliberantis saluo nostro iudicio, vt benignè præfatus est, fuit, vt enematis primum consuleretur, phlebotomiâ, blandis medicamentis non neglecto respectu humoris melancholici additis seminibus viticis & nymphææ. Probauit quoque balneum, lac caprillum, opiatam ex conseruis refrigerantibus, & aliquantùm corroborantibus, litum ad partes naturales & lumbos ex nenupharino. Oleo & rosato Mesuæi. Animo & corpori prouidendum putauit: Animo contrà pathemata, quòd ad illecebras & imaginarias voluptuarias cogitationes attinet: cogitatio voluptuaria cum illecebris semen auget alliciendo & sensim deorsum attrahendo, maximè cum picturas pulchras, aut mulieres cogitant, aut vident.

I. Causa.

Litus.

Vtatur iusculis æger cum extremitatibus vitulinis & gallinis cum hordeo & passulis, ita moderatos esse oportet vt contemperatio adhibeatur, & stimulus veneris omnino non tollatur: valet syrupus de pomis simplex & cum senna, syrupus nenupharis, iuleb. rosatum, syrupus violatus. Opiata laxatiua cum senna, tamarindis, materialibus syrupi de cichorio composito, cassia, manna, conseruis temperantibus, tabellæ diatragacanthi frigidi ex interuallis. Opiata corroborans, Balneum vniuersale & particulare; lac asininum, serum lactis clarificatum cum albuminibus ouorum, addito syrupo violato & iulepo rosato, aut saccharo violato, aut buglossato. Iniectiones in penem ob glandulas malè affectas, aliquando ob vlcusculum in glandulis ipsis.

Opiata.

Aluus sit semper mollis, vel arte, vel natura: qui aluo sunt sic-

ciore, sunt libidinosiores (quanquam hoc disputari potest) priapismo, satyriasi, & gonorrheæ obnoxij magis. In pelui lacte plena insideat, addita portulaca, trifolio, nymphæa.

Aeizoon & cichoracea sunt minùs apta, quia generationi obesse dicuntur.

Sunt qui laudant trochiscos de camphora.

ANNOTATIO.

1. *Aliud est homo insulsus, aliud fatuus, ille caret sale, & non excitatur facilè ad venerem, fatuus non potest facilè explicare venerem & explere, senex vanum trahit laborem, licet excrementa sint salsa & nitrosa: vnde gementes dicuntur à comico. i. tussientes & quasi gemebundi ob excrementum nitrosum, ideo dantur lenientia ad sputum mouendum non calida vt in asthmaticis à copia, vnde laudatur pulegium quod vitia pulmonum facit excreabilia, vt loquitur Plinius.*

CONSILIVM LXII.

De vertigine & symptomatis melancholicis & hystericis.

OMnibus diligenter expensis, iudicamus oculorum suffusionem & tenebricosam vertiginem, à vaporibus melancholicis, tàm ab hypochondriis quàm ab vtero elatis originem ducere: quamobrem distinctione opus est, & affectarum partium maximè habenda ratio, nam remedia quæ vtero suam dicarunt operam, calida tenuiumque partium boni vel tetri odoris hypochondriis nocent, vertiginem augent, capiti, iecori & præcordiis plurimùm obsunt: sic iudicio opus est, vt prima mali causa innotescat, & eâ cognitâ, legitima præsidia adhiberi queant. Obseruatum est N. D. à teneris annis capitis doloribus fuisse obnoxiam, quæ causa esse potest cur hæc pars citissimè afficiatur. Et ad id non mediocriter conferet exquisitus neruorum & cerebri membranarum sensus, ideò non probamus remedia calida & odorata, seu interiùs assumpta, seu exteriùs adhibita, siue in balneis (magnoperè tamen profuturis,) seu

Causa.

Offensis obnoxia infirmitas ait Celsus.

ſeu in fotibus regioni ventriculi admouendis, iuuandæ coctioni & flatibus diſcutiendis dicatis & acommodatis.

Delectus ſit ciborum; humectantia maximè conferunt, à calidioribus & ſiccioribus alimentis abſtinendum.

Victus.

Moderanda omnis animi actio & contentio, cura & negotiorum grauiorum tractatio ſeu. πολυπραγμοσύνη.

Aperiatur ex interuallis vena brachij, aut temporis dextri, ſi dolor vrgeat, aut crebriùs vertigines adoriantur.

Phlebotomia.

Vtatur opiata & conſerua ſolutiua à D. Quercetano præſcriptâ, quam ſi reſpuat, eius loco parabitur ſyrupus magiſtralis, non minoris virtutis & efficaciæ, ſi hyſtericis diuexetur ſymptomatis, clyſmatis vtendum, vitandaque erunt, peculiari de cauſa, niſi vrgente maxima neceſſitate, fœtida naribus admouenda. Somnus conciliabitur ſyrupo nymphææ cum tantillo diacodij vt exquiſitior partium ſenſus ſpirituſque quodammodo conſopiantur, conuenienti tempore balnea aquæ tepentis fumo & odore carentis ex vſu erunt incoctis foliis viol. nymph. bugloſſ. lapathi borrag. Et vitis æſtate maximè, hora ſomni cap. conſer. roſar. bugloſſ. borrag. cum tantillo conſ. meliſſæ & conſolidæ. Denique maximè prouidendum, vt cognoſcatur fons & origo affectionis huius, nam dolores acerbi de quibus conqueritur N. D. non omnino ab vtero, ſed ab hypochondriis & cerebro repetendi ſunt, quod quadam conſortij lege ſeu per ſympathiam laborat & cuius maximè habenda ratio eſt.

CONSILIVM LXIII.

De morſu canis rabidi.

IN omni morſu cauendum, etiam ſi non rabiat, dente canis omnis virus gerit. Teneatur vulnus apertum per dies quamplurimos, parte morſa ſi non ſit neruus, aut tendo inſignis ſcapello eſt ſcarificanda pars, aut ſanguiſugæ admouendæ, & cauteria ſine magno dolore, applicanda cucurbitula, aut pullus per medium ſectus, cataplaſma valet ex allio, fermento, cæpa, theriaca, & momento ſalis. Stercus columbinum cum ruta viridi, panis è clibano extra-

Cucurbitula cum ſcarificatu.

Cataplaſma.

ctus, aut tostus vino, aut aqua vitæ madefactus. Celsus admouet ceram cum resina, ammon. Galb. allium, mel, sinapi cum nucibus; Oxalis sumpta, & admota cum allio & fermento prodest, ne lauetur vlcus aquâ solâ, alioqui decreto omnium est incurabile, æger injiciendus in aquam, vt cogatur liberè, vino cum sale, aut muria ablui potest vlcus. Theriaca sumpta, admota, & quia æger adierat aquas marinas, & rubor insolens apparebat in facie sanguis detrahatur ex vtraque basilica, lotio faciei valet cum lacte asinino & anagallide: bis in hebdomada blandè purgetur decocto sennæ, ex bipinella, scordio, eufrasia & buglosso.

Venæ sectio.

Ius bipinellæ & acetosæ cum vino albo pauco alexiterium est, pugillus madeat in vino, opiatæ vsus, conserua cum puluere cancrorum fluuialium, aut eorum puluis cum vino albo per multos dies ore sumptus.

Sudorificum blandum vsui esse potest cum aqua scabiosæ, bipinellæ, vlmariæ & theriacali, impositis lagenis aqua plenis, præmissis remediis sequ. de balneo controuersia esse debet.

Purgatio. ℞. Meliss. oxal. bipin. scabios. scord. aã. p. j. sem. ocymi, & cardui aã. ʒ ß. fol. senn. ℥. ß. caryophyllo ʒ fiat decoct. in qua infunde rhei elect. ℈ iiij. cinn. ℈ j. in colatura diss. syrup. ros. pall. ℥ j. conf. hamech. ℈ iiij. fiat potus.

Opiata. ℞. Conf. bugl. borrag. anth. aã. ℥ j. conf. meliss. cort. citr. cond. saluiæ aã. ℥ ß. pul. canc. fluu. ʒ j. ß. theriaces. ʒ ij. fiat opiata cum syrupo de pomis, vtatur manè & vesperi.

Syrupus. ℞. Rad. oryl. ℥ j. rad. & fol. acet. m. j. bipinellæ, rutæ meliss. scordij, plantag. vetonicæ & beton. aã. m. ß. rad. sanam. ʒ vj. sem. ocymi & cardui aã. ʒ j. ß. fiat decoct. in aqua bull. fol. orient. ℥ iiij. festucarum ellebori nigri ℥ ß. dissol. in colatura tabellas elect. de suc. ros. tres syrup. ros. pallid. ℥ iiij. fiat syrup. cap. bis hebdom. cum aqua scordij, & bipinellæ ℥ ß. aut ʒ vj. pro qualibet dosi.

CONSILIVM LXIV.

De affectione hypochondriaca pro angenosij vxore.

NOn est artificis rationem semper reddere cur id vel illud ægro præscripseris cum & artis, & vsus fiducia pronuntiet, edicat vt artifex. hoc vel illud faciendum denique ἀυτὸς ἔφα ne si rationem reddat hæsitanti ægro & omnia secura metuenti maiorem hæsitandi occasionem prætexat ac insinuet. Medicorum, & aliorum in arte magistrorum decreta, tanquam senatus consulta esse debent, quorum ratio vt omnia arcano pectore conclusa non nisi loco & tempore ab eo tanquam ab oraculo elicienda est, tamen apud magistros artis succinctè & præcisè, non ad pompam & fastum dictorum factorumque rationem reddere medicus consortione officij, vt frater non erubescit, nec eum quantum id fiat pœnitet, modo ad ægrotantis salutem id referatur. Certis argumentis collegimus in nobili muliere, cui nos remedia præscripsimus aliquid esse hypochondriacum, quod nomen habet aliquid latentis energiæ quæ opinione maior est, & plura se effectu promunt & efferunt quam nomen & affectionis ratio promittat. In intemperie cal. sicca primarum venarum, vnde alimenti non sit elixatio halituosa, sed assatio fuliginosa & λιγνώδης, & in phlogosi dioclæa consistere videtur, quasi verò, tot symptomaton quæ hypochondriacos querulos, & ærumnosos reddunt fibræ, soboles, propagines, ab ista tantula intemperie tanquam ab antiqua matrice & radice pullulent & oriantur. Adeò obscurè eius affectionis reconditior est cognitio, manifesti tamen effectus, licet origine noti, quia dispositio hypochondriaca & fautrix & alumna, hæc tamen non facilè agnoscitur, in hypocondriacis sanguis est acriusculus, nitrosior, alendo ineptus, quem & carnes repudiant, & neruis molestus est, vnde punctiones, stupores quasi paralyseos minaces, mille querelæ, mille tædia, dolores animi, & corporis, mille cruciamenta, fixi, vagi dolores, quasi maligno spiritu errabundo, & ab incerto fomite nascente, per omnia penetrabundo tanquam lu-

1.

2.

pus est qui patrem non vidit, hic dolendi & querendi non est intermissio. Tabescunt & in dies macrescunt tantisper dum εὐεξίαν habent atque εὐσαρκίαν ab iis tædiis immunes sunt, maximè dum calor in humido radicali nutritur, & fouetur, dum halituosus est, sed dum ἐκλαμψιν is facit, & acriusculus fit, non ampliùs irriguo humore radicali fotus, tepefactus ac mansuefactus tunc, hypochōdriacos affectus, vt latēs anguis sese prodit & sensim nitor faciei deperit & εὐεξία tollitur, dilabitur corpus, ac extenuatur, nec priùs hypochondriaci meliusculi sunt, quàm cùm pinguescunt, licet primus nitor atque εὐσαρκία sit irreuocabilis, vnde Aristoteles & Physici; Melancholicos dicunt medicinam appetere, quia eorum corpus pungitur ac dolet, & infœlicibus plantis, ea conterunt vt prius dictum ac mirati sumus in ægra nostra factam mutationem ipsius habitus καὶ ἕξεως corporis. Antè paucos annos corpus habuit εὔσαρκον quasi εὐεξίαν habens, cum coloris suauitate, vt videretur quasi præ mole corporis ἄναρθρος, nunc macra ac dilapsa apparet, & ab eo tempore morbi & dolores apparent, ac sobolescunt. εὐεξία bona vt signum & vt causa. habet εὐσαρκία multa commoda, aut pauca, aut nulla, nisi fortè mouet illud Hippocratis, conducit ad sapientiam, vt minimè carnosi sint homines, nam ad carnis εὐεξίαν ardoris inflammatio consequitur, cùm autem quid tale accidit aquâ superatâ homo ad insaniam adigitur, attamen dictum iam ante carnis bonam εὐεξίαν in iis quibus æstuant viscera, & qui in album hypochondriacorum referuntur, procurandam esse, nam in his post maciem εὐεξία est quasi sanitatis terminus & ad benè de ægro sperādum signum: immo ad morum suauitatē valet, id declarauit Cæsar qui minus metuebat à Dolabella & Antonio, vtroque elegante succulento & florido, quam à Cassio & Bruto macilentis, subtristibus & strigosioribus, itaque id da re operam oportet in ægra nostra vt elisis, si fieri possit, fibris affectionis hypochondriacæ quæ falsò credita paralyseos rudimenta, dolores, inflammationes & mille tædia alia suscitat vt primæ εὐεξίη restituatur. Id fiet idoneâ victus lege, purgatiunculis sæpiùs repetitis, phlebotomia parca manu celebrata, clysmatis refrig. hordeatis, emulsionibus addito semi. pap. albi, balneis, lacte asinæ.

In historia de Eymontio.

1. de diæta ad finem.

3.

Matri magis formidandi quam floridi & succulenti.

ANNOTATIONES.

1. *Sic apud Comicum in Andr. obstetrix dicit, date bibere quod iussi,*

date quod imperaui, sic authoritatem medicorum imitata.

2. Vnum maximè notandum de melancholicis quod maximè habenda sit ratio adustionis, & caloris adurentis propterea non simpliciter calor considerandus id testatur natura, conditioque tumorum ab eo humore natorum, nam plumbum & cerusa maximum auxilium adferunt. Quid ita? quoniam est virus quoddam iunctum cum adustione, quod solatro plumbagine cerusa, plantagine, emendabile est, cæteris impendio magis irritatur & efferatur.

3. Melancholici pinguefaciendi sunt alioqui eorum humores ferociunt magis, dulcedo enim enim alimēti temperat & suauiores mitioresque reddit humores, contrà quia melancholici perpetuo conqueruntur molestumque rei cuiuspiam sensum habent, putant extenuatione, purgatione, sibi opis nonnihil posse adferri, at contrà fit, nec enim tam quantitas humorum molesta esse solet, immò benè habent illi cum εὐεξίαν compararunt, dummodo εὐσαρκία non impediat difflatum fuliginum, quæ etiamnum in talibus visceribus generantur, nil itaque tam noxium est quàm fames, abstinentia, extenuatio, & si in aliis extenuatio iram prouocet multò magis in melancholicis consilium est Hipp. dum loquitur de iis quibus aspera arteria exulcerata est ob acres fluxiones, & tussis iugis, est permolesta, studium curaque esse debet, vt ij reficiantur & quam crassissimi fiant, denique necessum est vt idem hìc contingat quod arboribus quæ æstatis initio ad ferendos futuros æstus vmbram sibi ex foliis & pampinis comparare solent, nam talia corpora similia sunt arboribus quæ in regione arida & siticulosa nascuntur, ait Themistius.

Bonus habitus confert melanch. dummodo difflatum nō impediat.

Hipp. lib. de diæt.

CONSILIVM LXV.

De cholera morbo pro D. Angetio.

MAgni refert, vt qui reip. vtiles sunt & benè præstiti muneris, officiique fiducia sint commendabiles; firma sanitate fruantur, salus enim reip. cum eorum salute coniungitur, & ex valetudinis detrimento, resp. nonnihil capit detrimenti. Sic olim inter vota quæ pro principe nuncupabantur, id primum, vt vita prolixa foret, eodem

& iure pro magiſtratu idem fieri debet; quæ cauſa fuit vt vnum de D. Trancautio aſcribere officij noſtri ratio monuerit, quod ad eius ſalutem apprimè pertineat. Cholera morbus ſæpè nobis & videntibus & medicis eum ſæpè præhendit, morbus ita acutus & præceps vt ferè & vitæ filum præciderit & ita præceps vt tenui, extremaque ſpe ſalus eius penderet, facies illa Hippocratica cum oculo cauo characteris & coloris mutatione apparebat, apud Hippocratem choleram, morbum acutiſſimum ἀπὸ τῶν χολάδων dictam quod χολάδες inteſtina vocentur παρὰ τὸ χολῶδες τοῦ ἥπατος δέχεσθαι. duplicem reperio, vnam humidam: ſiccam alteram; in humida eſt perturbatio ventris immodica bilem per vomitum & deiectionem excernentis. Morbus hic facilè hominem conſumit, ob defectus animi, frequentes bilis & crudorum humorum excretiones, quas excipit ἐφίδρωσις pulſus vermiculans, ſurarum contractio, & tenſio, frequens morbus, iis quibus, aut alimentum in lactibus corrumpitur, aut non diſtribuitur, & effectu ſalutaris eſt, quia ſi æger ſuperſit ſanior degit. Sicca cholera dolorifica eſt, quia fit à maligno flatu diſtendente & diuellente; iis familiaris eſt qui aut fungis veſcuntur, aut valdè crudis alimentis, mixto vino generoſo, pipere, ſale, allio; nulla penè fit excretio, quòd flatus obicis inſtar impedit, ſed venter differtur dolore ac quaſi diſrumpitur. humida eſt cholera quæ dominum afflixit, & niſi repurgetur antequam morbus ſit redux, aut vena illi ſecetur ſi quid vrgeat, verendum, ne oſcitans, imprudens, & nimium ſui ſecurus opprimatur, & quoniam omnis mali præuiſio eſt inutilis ni ad eum cautio ad hibeatur, ideò medicus familiaris & ſæpè in aurem perſonet quid & quantum periculi re neglectâ ingruat; Summaque rerum in eo eſt, vt bona victus lege vtatur, vt blando medicamento tertio quoque menſe vtatur, hæc præcautio morbum imminentem arcebit cum faciliùs excludatur morbus, quàm iam introductus expellatur, & quanquam de eo morbo aliquis ſecurus eſſe poteſt quo ſæpè depræhenſus ab eo liberatus eſt, tamen ea falſo credita ſecuritate, & à periculo liberatione, non eſt viri boni ſalus ſæpiùs periclitanda, hic enim canon prudentiæ apud comicum. Quod cauere poſſis, ſtultum eſt admittere.

Cholera duplex humida & ſicca.

Celſus ſic loquitur.

Eadem ſunt præcauendorum & curandorum morb. præſidia.

Facile quis ſecurus eſt in iis quæ ſine periculo euaſit ille ſollicitari debet cui hæc noua ſunt Celſ.

CONSILIVM LXVI.

De febribus diariis hecticæ prodromis & rene purulento.

D. Robinelli vidua laborat intemperie calida ſicca quæ febris hecticæ minax eſt, & cùm non videatur febricitare, habet quaſdam diarias, quæ febres hecticas, aut veras, aut nothas prægrediuntur, vt aliàs ex Arculano annotauimus, vetus quoque eſt querela renis purulenti, immo neſcio quod tabum, aut ſemen maleficum circùm partes vteri ſtabulatur, quod conſpirat in eius perniciem, fouet, & alit alia mala ſic, vt continuatio, & ſeries quædam ſit malorum, hinc illæ lachrymæ, hinc illa miſericordia, & medicorum aures perpetuò obtunduntur, ac verberantur, hinc reperimus verum illud Hipp. ſummum eſt bonum ſanitas, diuitiarum, aut bonorum corporis nulla eſt vtilitas citra ſanitatem: nec mirum ſi artis præſidia eludantur nam naturam obſcuram, (id eſt intemperies & quæ ab ipſo ſunt fata) mutare difficillimum; non transformantur, corriguntur quidem. Et mirum cum veteres calidæ intemperies, ætatis flexu & fluxu curentur, aut minuantur per Hippocratem. Cur hæc mulier veritatem illius oraculi Hippocratici non perſentiſcat, maximè vero cùm in victus ratione non peccet, præter intemp. etiam malam partium diatheſim, atque διαφθορὰν accuſare licet, tot ſymptomatum cauſam. Corrigendæ ergo intemperiei conueniet vſus ſyrupi ex ſucco plantaginis vtriuſque, acetoſæ, lamij, addito nenuph. ex iuleb. roſato, vt moleſtias caloris adurentis & hæmorrhoidum deuitet. Pomatio vtatur, opiata laxatiua, qualis poſt deſcribetur: clyſteribus ex ſero lactis addito butyro, plumbeato, qualitas enim plumbi hic apprimè confert, vel iniicientur hordeata, vel aquæ refrigerantes cum mucaginibus. vtetur emulſionibus, item paſta (in formam maſſæ panis) in quam ingredietur ſemen papaueris: in calore iſto & phlogoſi conferunt glutinoſa, & lenta quia eum ſuo lentore domant & temperant, vt de glycyrrhiſa aliàs annotauimus. Immo eſt de-

L. 3. de diæta.

1.

In epid. morbi connutriti in ſenecta relinquunt

Gal. in comm. interpretatur de calidis.

2.

liberatum num litus ad lumbos ex hydrargyro pauco conferret.

3. lib. meth.

Cassia valebit, quanquam in ardore renum Rondeletius (nescio quo motus consilio) cassia interdicit, quia ait, calfacit propter nonnullam quam in se habet caliditatem.

Ibidem in meth.

Sed & ob vlcus vetus renum quidam consuluere vsum decocti sudorifici. Ita Rondeletius. post euacuationes vtile erit promouere sudores, vel ingressu, laconici, vel guaiacino cremore qui mouet sudores, vlcera terget, copiam vrinæ minuit, sic in omni vlcere renum, & vesicæ iuuat, & hæc quæstio est de apicibus artis.

Iniecti clysmi ex mollientibus plantag. foliis papau. seminibus frig. & semin. papau. semine psyllij cydon. coctis in sero lactis. Addita est aliquando clysteri ʒ ß. pilullæ de cynoglosso.

Facta est opiata soluens ex ℥ ij. foliorum sennæ coctis cum althæa, fumaria, plantagine, bipinella, cicerbita, rostro porcino, pass. dissolutæ sunt ℥ij. cassiæ additæ ʒ vj. thamarind. mucaginis seminis psyllij extract. in aq. parietar. ʒ vj. vsa est ad ℥ j. præscriptus syrupus de papauere rubro, data quotidie mane de hac opiata sequente ad quantitatem nucis.

℞. Conser. ros. nenuph an. ʒ iij. ras. eboris, cornu cerui, elect. triasant. an. ℈ ij. limaturæ chalibis præparatę ʒ iij. cum syrupo de cichorio simpl. fiet opiata ad vsum.

ANNOTATIONES.

1. Optimum benè valere; secundum formosum esse: tertium habere diuitias nulla fraude quæsitas, ait Plato. in Gorgia.

Hipp. συγγνεῖς vocat in epid. καὶ σωτρόφους.

2. In doctrina Hipp. sunt morbi congeniti seu connutriti, Plinio parentales dicti, qui vt hæreditates ad posteros veniunt atque in mancipatum suntque æternæ possessionis, sic in eos morbos non est longioris temporis exceptio.

CONSILIVM LXVII.

De Rheumatismo.

Ballonius citat libellum

VXor D. Piiartij Aurifabri videtur laborare ea affectione quam ῥευματισμὸν vocamus de quo libellum deditâ operâ exarauimus

exarauimus, cuius vis in eo consistit, vt & effluat in habitum humor, aut impulsus à partibus internis robustis, aut rigato toto musculoso genere per διαχυσιν quandam humorum in habitu contentorum: immo vero id fit forte & per impulsionem, & per attractionẽ. Itẽ vis cõsistit in eo vt à parte in partẽ subinde fiant translationes, vnde tandem insignis circum articulos abscessus excitatur, in plenitudine & cacochymia id maximè excitatur, vt Hollerius annotauit, vulgus ad caput id refert & soli capiti studet, ratus fluxionem esse à capite. Gal. ad robur partium principum se se liberantium prauo humore dispendio imbecilli corporis habitus, in quem relegant deponuntque suas sordes. Duo sunt loci commemorabiles, qui non longè sunt dissimiles huc adducendi vt ex iis demonstratio aliqua desumi queat, prior est in aphorismis, cum loquitur de fluxu immodico sanguinis: Fieri potest, ait, si ora vasorum ad vterum pertinentium plus æquo aperiantur, & si sanguis, vel tenuior, vel calidior fiat, & totum corpus ob aliquem malum habitum grauetur sanguine, licet suam symmetriam copia non excedat, expellit ideo ad venas vteri, vt accidit ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσι in quibus aliàs in aliam partem fluxus fit, fieri potest (inquam) vt immodica mensium fit euacuatio.

suum de rheumatismo anno 1643 editum.

Lib. de mater chirurg. cap. de repell.

8. cap. de sang. missione.

Alius locus est Gal. de venæ sect. partes imbecillæ, ait, excrementitiis morbis capiuntur hâc ratione ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεις fieri scito, vniuerso corpore imbecillo existente, quæ vna est aliqua, καχεξίας, id est, mali habitus species, principibus illius partibus, licet in iis paucus sit sanguis, grauari solitis, eumque ad carnosas iuxtà cutem partes protrudentibus, & magis ad glandulas, & cæt. Et paulò post, Quibus pulmo, lien &c. cerebrum, carnoso genere per natura sunt robustiora, in iis ad glandulas & carnes fluxiones perueniunt, cum præsertim, vniuersus corporis habitus imbecillus fuerit, vt ἐν ῥευματικαῖς διαθέσεσι. quo in casu Gal. roborat partes, euacuato priùs sanguine, licet imbecillitas sit carnium, & mirum quod immodicus non est sanguis, suam enim symmetriam quantitate retinet, quare ergo grauantur partes? si modicus est sanguis, imo si parcior vnde tanta νωθρότης. Aiunt id fieri ob imbecillitatem partium, nam imbecillo homini exiguum etiam pondus oneri est, & cum partes robustæ sese exonerant in genus musculosum & glandulas, fit quædam plenitudo ad vires. Ego verò non tam ad quantitatem sangu nis id reuoco, quàm ad vitium quoddam eius, imbecillitas partium & habitus non est sine morbo, ca-

8. cap.

I.

chexia ipſa & ſumma decoloratio habet & deſignat aliquid κακοή-θες. Non in aliqua euacuatione ſanguinis & corporis externi, habituſque roboratione ſalus ægrotantium conſiſtit vt placet Galeno; alia quædam ratio inquirenda eſt vnde videmus & cachecticas & decolores virgines non iuuari, aut ſanguinis detractione, aut purgatione, (licet vtrumque queat vſurpari, ſed curatio non inde pendet) balneæ naturales, & crocus martis, miraculo curant. Qui eſt latens, aliquid quod non niſi medicamento virium latentium exigatur & depellatur, fidem quoque facit quod cachexia ipſa in leucophlegmatiam, aut elephantem degenerat ac terminatur. Vide plura alio loco in morbo huius mulieris & in omnibus ſimilibus, ex dicto Hipp. omnes cauitates & inania muſculorum ichore replentur. venæ ſectio in hoc affectu remedium eſt ἡγεμονικὸν, ſub finem blanda catharſis; & quoniam genu valdè laborat & tumet, placet emplaſtrum ex ſigillo beatæ Mariæ crudo. Emplaſtrum de baccis lauri cum puluere ireos, ichore replentur carnes, & muco maligno nerui & ligamenta, qui mucus cum laudabilis eſt, aptè, & ſine dolore mouentur partes: ſin minus contrà, & quo magis ægri extenuantur, partes replentur tetro ichore & muco. & ex Gal. iſte mucus ne affuſione nec cataplaſmate, nec medicamento attrahitur aut diſcutitur, ſed coctione, & mitifatione eget, potiùs, cataplaſma valet ex farinis in vino coctis addendo ſapam, fæcem vini, ſigillum crudum B. Mariæ; experiundæ ſunt, ſtuphæ ſiccæ ſub finem, aquæ plumbares primas fortè tenebunt.

Conſil. 30.

Com. in l. 3. de Articulis. Præclara quæſtio pro emplaſtris ex gummis liquefacientibus.

ANNOTATIO.

1. *Morbus huius mulieris ad febrem laborioſam accedit, in qua circum maxillas, & articulos abſceſſus fiunt. ex Hipp. & fortè in habitu corporis, & genere muſculoſo eſt materia morbifica, vt Gal. ait, materiam cauſi in vniuerſo corporis habitu eſſe. Et Gal. com. in aph. 31. lib. 4. communem locum qui patitur in laßitudine, & labore ſpontaneo, & non ſpontaneo, genus vniuerſum muſculoſum eſſe putat.*

CONSILIVM LXVIII.

Pro D. Mombeliart dysuriam & strangmriam patiente.

AB equitatione mictus cruentus, excreti lapides, dolor in rene. Dolor ad splenis regionem, qui autem non est splenis, sed per viciniam renis laborantis & tumefacti fit. Vrinæ aliàs crassæ, mucosæ, purulentæ. suspicio vlceris. Cathetere probatus, non deprehensus lapis, licet eius magna sit suspicio, & non percipitur, nisi à valdè perito, aut certis de causis eludit, aut fallit catheterem. Ideo ad probationem deueniendum putamus. 1.

Nobis argumenta sunt affecti renis, affectæ vesicæ, aut quia in ea calculus est, aut exulceratio internæ membranæ à pure, ichore, aut tabo à renibus manante. plerique enim habiti sunt lapidosi in vesica, vnde stranguria, quibus à rene malum erat, item vlceris rudimenta in collo vesicæ, aut partibus vicinis suspicamur, at interest scire, an vlcus sit in vrethra, an lapis, alioqui futilis futura est disputatio. *Vide ante consi.26.*

Quæstio præclara est, an pus sit, aut quid purulentum, an necesse sit vlcus esse, nam in venis sanguis pus fit. apud veteres, ait Donatus, explicans illud Terentianum. Expuere omnem molestiam ex animo. pus, ait, significare omnem humorem corpori onerosum. Victus ratio conueniens præscripta. *In Enuche.*

Clysteres etiam additis herbis vulnerariis sunt instar fomenti, in eo ægro cui aluus pigrior est, cassia in bolo, & dissoluta, imo clarificata.

Si vlcus, studendum vlceri, imo dilutius decoctum Guaiaci valet; si vlcus sit in eam formam accipiatur ℥ ſ. maceretur in decocto passul. gram. & acetosæ, fiat instar ptissanæ ad vsum in pastu.

Abstinendum à validis diureticis. hordeata valent emulsiones, lac asinæ, aut capræ, bis die.

Syrupus nenupharis ad somnum ciendum, & leniendas molestias, dolorem, balnea, iniectiones conuenientes in vesicam. Ad

dilatandum. Nam ob frequentem enixum in micturiendo stringitur os vesicæ, emeiitur id quod tenuius est, remanet fęx, hinc illæ lachrymæ.

Decoctum foliculorum & cassiæ valet, litus blandi, vsus hydromelitis recentis & aquosi, vsus aquæ albæ, missio sanguinis, ex brachio & saphena. Aquæ Spadenses ob vlcus, si sit in vesica lapis, aduocandus lithotomus.

ANNOTATIONES.

1. *In vrinis quorundam mucosum quid, tenax & glutinosum apparet quod matulæ, suo lentore ac tenacitate adhærescit ita pertinaciter & obstinatè, vt inde auelli nequeat, deinde postquam fundus matulæ propendet, & dorsum versus inclinatur, ea materies cogitur in se, & conglobatur & affatim aceruatimque velut prouoluitur. De causa eius materiæ sic præter naturam genitæ plerique digladiantur. alij ad renes referunt, alij ad cacochymiam corporis & fluorem muliebrem; alij ad colliquationem quandam corporis, vulgus ad catarrhum; alij ad prauam quandam dispositionem partium omnium vrinariarum, alij ad vlcus sordidius ipsius vesicæ, alij ad morbum vesicæ, alij ad hypersarcosin vretræ, vt effluat id quod tenuius est, remaneat quod crassius præ angustia aquæductus, alij ad calculum in vesica contentum: immò cum calculus in vesica & frequēs micturiendi desiderium, æger se comprimit ob dolorem, & ita emittit id quod tenuius est, quia compressio est, in conando remanet crassius id quod in dies lentescit, & obseruarunt primarij & lithotomi lapide in vesica contento diutius, non initio cum dolores excitat, & ipsa vesica ægrotat, & fœtet mucum illum naturæ molestum excerni, tales vrinas reddi, donec exclusus sit: laborat enim & egrotat vesica, & quia pars est membranosa & habet aliquid* νευρῶδες, *tale in ea congeritur excrementum, tum à proprio ipsius excremento, tum ab externo: vbi vero excluso lapide vesica melius habet, tum nil tale generatur, quorum demonstratio peti potest ex Galeno comm. ad part. 66. lib. 3. art. cum distinguit excrementa partium carnosarum ab excrementis partium spermaticarũ, maximè vero membranosarum, sunt enim* μυξώδεα, *tenacia, lenta glutinis instar, & cum id quod in mucosa vrina apparet, non fit dissimile ei excremento quod decedit è partibus spermaticis vrinæ istius mucaginosæ; causa necessario adscribetur morbo ipsius vesicæ, ægrotat autem quoties in ea lapis existit. Similè quid à Fernelio*

obſer. cap. 16. de vrinis & Gal. ad aph. 3. lib. 5. non videtur definire excrementum ſuperfluum, ſimile quidem naturæ partis vt humor exiſtit, in oſſe medulla, in hepate ſanguis, ſpumeus humor in carne pulmonum, in articulorum compagibus humor glutinoſus & in cadaueribus eorum qui calculo interierunt veſica inuenta eſt plena muco, iſto ſimili mucilagini extractæ ex ſeminibus carnoſis & ſucculentis.

2. De iniectionibus in veſicam videndum an ſit vlcus ſimplex, an cum calculo, indicatio enim alia adeſt, Rondeletius ad deterſionem puris in veſica iniicit guaiaci decoctum. Item parat alia non pœnitendæ lectionis, ſi aquæ refrigerantes, aut ſimilia eiiciuntur, iſta refrigeratio confert ad coagmentationem lapidis, & ipſius veſicæ naturam ſpermaticam lædere poteſt. purgato corpore, bolis potius quam potionibus vtendum, remedia topica vſurpari poſſunt quæ leniter ardorem reprimant, pus abſtergant, & vlcus glutinent, in eum modum.

Ballonius l. 2. conſ.

℞. Trochiſcor. Gordonij ſine opio ℥ ij. diſſ. vnum in lacte caprino, aut hordei decocto, ſi vlcus quis purificare malit quam glutinare & per catheterem in veſicam per aliquot dies iniiciatur, purificato vlcere diſſ. vnus trochiſc. in lacte ouillo, nam glutinat, ſi pus craſſum admodum diſſ. Troch. 1. in aqua mulſa, hæc magis conducunt quàm ſumpta, quòd ab ore ad veſicam longa ſit via, dolor autem quem meiendo patitur æger mitigatur fotu pectinis ex malua, rad. alth. nymph. flor. cham. melil. ſemi. nymph. calami aromatici.

CONSILIVM LXIX.

Pro D. des Broſſes tuſsiculoſo phthiſico.

DEſtillatio erat ſerina in pulmones vetus tabi & feri putris collectio in pulmone, vt in epilepticarum ouium cerebro ſanioſus eſt humor auctor mali, autoritate Hipp. iam vlcuſcula & vomiculæ in pulmone.

Quæſtio fuit an vtendum ſiccantibus detergentibus & aduerſus pulmonum & mollitudinem & putredinem eorumdem an humectantibus: illa putredinem arcent, robur pulmoni conciliant, hæc putredinem pariunt, reuerà temperanda hæc ſunt, ne humectatione nimia ſputum effœminetur, vt loquitur Hipp. &

Lib. de ſacro morbo.

Quibus pulmones ſunt calidiores iis quædam tabes eſt familiaris nomine tabis largius ſumpto.

Vide l. 2. conſ. Ball.

Lib. de morb. Galenus lib. de locis aff.

putredo augeatur, neue ſiccatione os ſiccius reddatur & ſputum non educatur, veteres in ſimili caſu vtebantur Hedrychroo, id eſt compoſitione quadam ad pulmones corroborandos, & nunc ſunt qui concinnant tabellas cum flore ſulphuris ad ſiccandum eo modo quo olim hedrychroon laudabatur.

Capita intra hæc conſtitimus, linctus caſſię, aut caſſia ſoluta, gargariſmi refrigerantes & aſtringentes, in ferina deſtillatione in materia calida catarrhi: in frigida aqua tepida ore contenta.

Aëtius in ferina deſtillatione vtitur oxyrhodino & capitiſlotione ex incraſſantibus & refrigerantibus, id quod notabile.

Si febris putrida coniuncta eſt ex vrinis patebit, corpus purgetur. Emplaſtrum ex thure & maſtiche cum emplaſtro de betonica ad ſuturam coronariam in formam T.

Puluis cum puluere ſcynæ pulmonis vulpis, penidiarum, elect. diatrag frig. conſerua roſarum vel tabellæ inſtituentur additis floribus ſulphuris, vt quidam volunt hoc modo.

℞. Puluis diatrag. frig. & diarrh. abb. añ. ʒ j. florum ſulphuris ʒ ſ. ſacchari optimi ℥ ij. gummi tragac. diſſol. in aqua roſar. aut cinn. ℈ j. confundantur in mort. marm. dein cum tantillo olei aniſ. formetur maſſa tabell. doſis a ʒ ſ. ad ℈ ij.

Syrupus de ſymphyto deſcriptore Fernelio valet, vel ſimilis à D. magno celebritate medendi maximo inſtitutus in Hiſt. Godonij lib. 2. conſiliorum noſtrorum.

Formulæ maſticatoriæ, additis iis quæ pulmonem ſiccant, vi ſua ryptica & à corruptione impediunt.

Quæſtio præclara, an balneum conferat? conferre poteſt multis rationibus, quas prudens medicus fabricaretur, an non & blandorum ſudorificorum vſus etiam commodus, vt ſerum putre abſorbeatur, nam quò corpora ſtrigoſiora & macilentiora eò magis ſanie & ichore quæ ſuperſunt carnes ſcatent.

Hipp. 3. de ar.

Quoniam putres etiam humores in ventriculo, & meſenterio ſuccreſcunt, & diarrhϾ funeſtæ tabeſcentibus contingunt, infuſum rhab. ex vſu eſt aliquando. Item pilulæ ex aloë lauta, puluere diatrag. frigidi roſa, rhab. ſantalis.

Vel tabellæ ex puluere diatrag. frigidi & triaſantalino, ex rheo.

Conſerui ſymphyti, nicotianæ, roſ. viol. herbæ paralyſeos, & pulueribus thoracicis conferet.

Primula veris ſiccat & aſtringit.

Caro cydoniorum, & conſerua nympheæ addi poteſt cum pau-

co puluere ſcynæ, aut radicis ſaſſafras: litus ex oleis refrigerantibus lautis in aqua hordei & roſarum.

Sectio venæ frequens, ſed pauca euacuatio ſanguinis.

Suffumigium ex herbis vulnerariis & nicotiana ſymphyto vtroque, puluere guaiaci, ad ſiccandos pulmones, valet item hic ſyrupus qui proximè viribus æquat ſyrupum de ſymphyto.

Plura in li. 1. conſ. Ball. ad tabidos & hæmoptoicos initio.

♃. Florum & germinum ſalicis an. m. ſ. rad. althææ. vtriuſq. plantag. bechij marrub. albi, ſonchi. ſeu roſtri porcini caulium rubr. an. p. j. iuiub. ſebeſth. num. 20. ſeminis bomb. ℥ ſ. florum nymph. p. ij. fiet decoct. in aqua hordei, & aqua macerationis roſar. prouincial. incol. ad lib. 1. diſſol. ſucci bipinel. piloſell. & pomorum, an. ℥ iij. ſaccha. quod ſufficiat, fiat ſyrup. ad vſum ex cochleari.

1.

Notandum quod in tabeſcentibus à pulmone (idem etiam de reliquis) conſumpta valent (modo non ſit febris putrida iuncta) iis de cauſis quas alibi attulimus, ſupplent enim vicem teſtitudinum nemoralium.

Valet & hordeum mundatum, in iuſculo carnium crepante & cocto.

L. 1. conſ. Ball. initio.

Aqua alba confert.

Manna cum iuſculo galli decrepiti.

Pineolatum in rupe, ſyrupus ex paſſulis, ſed & ad pulmones valet ſyrupus de ſymphyto quem concinnauit Fernelius. Item paſta ſeu electuarium regium quod optimum eſt, & paratum legetur lib. 4. meth. medendi, item mandere rheum cum paſſulis vtile erit.

Cæterum quidam ſomnifera tabeſcentibus, maximè ſi tuſſiculoſi ſint, præſcribunt, quod magna cum cautione faciendum. Galenus enim notat ſemen papaueris ſupprimere ea quæ à thorace, & pulmone educuntur, valere autem in tenui & acri fluxione.

1. de alim. fac. cap. de ſemi. papaueris.

ANNOTATIO.

1. Ad tabidos & pulmonicos dari debent ea quæ calorem tabificum temperant, & lentum ſuccum habent, vt reſiſtant calori depaſcenti qui conſumit corpus, carnes enim (ait Hipp.) magis liqueſcunt a malis quam nutriantur ab aſſumptis. vnde notandum vnum apud Plinium cùm loquitur de ſuccis arborum, viuaciores ſunt, ait, plantæ quibus ſuccus lentior eſt. Idem iudicium de corporibus, & ille humor

radicalis lentus, halituosus, glutinosus, in eo affectu syrupus sequens maximè commendatur.

℞. Caponem vnum succulentum, armum vitulinum, aut partem pectoris vitulini, coque in aqua fontana & parte aquæ scabiosæ, & in eadem incoque carnem ʒ testudinum nemoralium detractis extremitatibus, adde hordei mundati m. ij. flor. tussilag. nymph. violar. an. ma. j. sem. frig. maior. & minor. an. ℥ ß. sem. papau. albi ℥ ß. scariolæ, acetos. lactucæ an. m. j. gummi tragac. & arab. an. ʒ iij. passul. ℥ ij. sem. sesami ʒ iij. penid. ℥ j. fiat decoct. ad ℔ ij. ß. adde sacchari quod sufficit. fiat syrupus ad vsum.

CONSILIVM LXX.

De arthritide lumborum doloribus & aliis affectibus.

SYmptomata hæc vexant D. Deudicourt, dolor ad vmbilicum, ructus graues, nidorulenti, acidi aliquando inflatio non tam sumpto statim cibo, quàm in anadosi. Arthritis, quæ symptomata, comitatur & dolor circùm lumbos, id autem fit sæpè quia mesenterium quod hîc laborat, alligatur lumbis & spinæ, quò fit vt affectiones mesentericas, spinæ dolores & lumborumt, iem & paralyses quædam sequantur, vt Meloduni post dolores colicos contingit.

Nota de paralysi melodunensibus & pictauiensibus familiari.

Si ea symptomata fugacia sint, bono est, si stabilia, durioris, & exitiabilis fati sunt minacia: nam aut dominatum caloris contrà naturam significant & paupertatem natiui & partium imbecillitatem, aut rebellem obstructionem in mesenterio; sed notanda maximè distinctio hoc in loco μετεωρισμῶν recentium, aut veterum, & diuisio obstructionis Attenuatiuæ & Oppilatiuæ.

Attenuatiua est in senibus, in pulmone vnde dyspnæa, in neruo optico, vnde cæcitas, in vretra vnde vrinæ suppressio.

Allatus locus de morbo ructuoso, quem Hippocrates νόσον ἐρυγμώδεα vocat de morbis qui in iuuenibus curantur, in senibus immedicabilis. Item quod ịcterici admodum flatuosi sunt.

Lib. de morb.

Denique

Denique cum ille ſit arthriticus, mitiorque morbus in dies fiat, an id bono eſt, an materia ſupprimitur an imminuitur. At arthritides bilioſæ vna cum ſenecta releuantur, alioqui arthritidem ceſſare, exitio eſt, & aut epilepſiam, aut apoplexiam accerſit & quaſi in locum ſuum ſufficit ac ſubſtituit.

Viſum eſt laborandum eſſe in obſtructionis ablationem, ſi ab infarctu eſt humorum καὶ ἐν σφηνώσει iniiciendi clyſteres, purgandum corpus, diligenter balneo vtendum, fotu hypochondriaco non calfaciente.

ANNOTATIO.

1. *Arguitur vulgo imbecillitas partium, vt morborum cauſa & morbus ſæpè in materia eſt: tamen Galenus aliquo loco ridet eos, qui imbecillitatem cauſam in ore perpetuo habent, quaſi aut parum dicant, aut nihil tamen lib. de ſymptomatum cauſis tanti facit partium imbecillitatem, vt licet nulla materia ſuperflua affluat, febris tamen redeat, contrà ſentit com. in aphoris. de eunuchis, qui locus notatu dignus: hac voce vtitur etiam.*

Celſus dum ſic ait, Magna pars vrbanorum ſtomachum imbecillum habet, ſigna edit pallorem, nauſeam &c.

Apud eundem capitis infirmi fit mentio, & ad id commendat affuſam aquam frigidam. & alio loco cuilibet pars aliqua natura eſt imbecilla, an ea imbecillitas ad intemperiem, an ad morbos materiæ reuocanda.

Raro non aliquis partem habet imbecillam.

Celſus. Et alibi offenſis obnoxia infirmitas.

Itaque videndum quid nomen imbecillitas, ſignificet aut aliquid habeat ἄῤῥητον nec id negligendum, ne fruſtrà partem naturâ imbecillam inaniamus & medicamentis affligamus. Immo detracto ſanguine infirmemus. Nam imbecillitas robur addendum ſuadet & inſinuat, vnde qui ſæpè capitis doloribus capiuntur, capite ſunt imbecillimo, & repletio eas partes quaqua verſus diſtendens dolorem excitat.

CONSILIVM LXXI.

De febre aßidua cum ſymptomatis paraphoricis catarrhoicis & cataphoricis.

AVrelius adoleſcens medio Octobri, capite doluit, febris ſed ea fallax, cùm ſe febrire non putaret, nulla dum intermiſſio officij, lex vitæ neglecta, dolor tamen capitis in dies aggraueſcebat, externa accuſabantur, vt ætas ad omnia prona. tandem febris aucta, dolor capitis auctior, febris verè κεφαλικὴ τυφώδης, nihilominus tamen ſui negligens modo ruris, modo in vrbe fuit, ſecurus omnium, tandem lecto affigitur & affligitur, fallax pulſus vt in morbis capitis, vrina fallacior, ille febri non reſpondebat, & in capite focus erat, ſegnities alui nec niſi arte prouocata, quicquam ex aluo affluebat. Æſtus viſcerum, ſed maior capitis; oculus ardens, facies rubra, maximè genæ, aliquid pulmonicum ſuſpicabamur, dolor capitis maior ad ſyncipur, omnia noctu grauiora, clamores, iactationes, deliria fugacia, indecora corporis compoſitio, mox ad ſe reditus, rurſus deliria intra verba, ſomnus profundior, vt vix excitaretur, deinde κῶμα ἄγρυπνον, & inæqualis ſymptomatum mixtura, mox catochus, niſi quod deliratio iugis non foret, mox lethargicum quid mox typhomanias ſpecies; tandem oculi fixi & rigentes vt in catoche, obſcura phrenitis, blanda, contrectabilis, dextrarum partium rigor, reuera σπασμώδης, & deinde paraplegia cum quid, ſiriaſin quandam & φλόγωσιν ſuſpicati ſumus, difficilis reſpiratio, qualis peripneumonico: omnia viſa ſunt mitiora, conualeſcendi ſpes aliqua, morbus variè luſit oppugnatus, ſed non expugnatus inualuit: dolores repetunt, omnia in peius ruere, per dies 40. traxit mors.

Obſcuræ blãdæ & con-rectabiles deſipientiæ peſſimæ Hipp. in prorrh.

In primo inſultu morbi negligentia ipſa ægrotantis coniecit eum in periculum, cùm morbo victus lecto per decumbendi neceſſitatem afflictus eſt, adeò terrifica ſymptomata paruerunt, vt aliquid funebre nos ominaremur, vtinam nos augures augurium ipſum potius feſelliſſet quam dira ſors bonæ indolis iuuenem ſuſtuliſſet.

Symptomata quæ caput exercent, aut ſunt cataphorica cum ſomno profundo, aut paraphorica, cum delirio, aut catarrhoica cum fluxionibus, aut cephalalgica, cum dolore capitis, tria ſuſtinuit æger, paraphorica cephalalgica; cataphorica. Et cum morbi cerebri ſint curatu difficiles, cognitu ſunt dificillimi. paruæ eius cauſæ grauia in capite edunt ſymptomata immo ſolus vapor teter, furtim ſurrepens conuulſiones terrificas inuehit, & magno medicorum dedecore. Sæpè capita hominum morbo capitis conſumptorum aperta ſunt in quibus nil commemorabile repertum eſt, quod mortem intentaſſet, cum alioquin medicus aut abſceſſum, aut ſimile quid repertum iri pronuntiaſſet, ſpes auguranrantium ipſa inſpectio feſellit & eorum fiducia, & expectatio in ſtuporem vertit, ac ſi cum ipſâ animâ mortis occaſio euolaſſet.

Sympt. cerebri aut cataphorica paraphorica, catarrhoica, aut cephalalgica.

Parua cauſa medelis exoluitur niſi quid circa partem principem ſit. Hipp de præc.

Cauſa interitus & ſymptomatum terrore plenorum fuit illa ſiriaſis & phlogoſis præſertim membranarum cerebri, in his & in cerebro non tam fuit alteratio quam alienatio, & in iis fuit quædam hectica intemperies diuturnitate temporis contracta, morbus forte initio fuerat curabilis, ſed ex euentu incurabilis factus eſt, febricitans nec cibo, nec largiore potu abſtinuit, & aëris grauitatem & contumelias non vitauit, ſic tota vis venenata ſe in caput inclinauit. Acceſſit pulmonis dextri impuritas, in quo vomicæ erant veteris tabi, & puris reliqui, ex peripneumonia, quâ ante annum laborauit, & ita vt medici magis aduerſum rerum exitum timerent, quàm ſperarent ſecundum. vnde Hipp. notat quoſdam ex pulmone lethargos cum afficitur cerebrum tetro vapore, vnde marcor, cerebri & marcet æger, nec fari poteſt. vt vno dicam verbo Typhomaniæ erat potius ſpecies quædam, mixtis ſymptomatis phrenitidis, & lethargi, non vera & aperta fuit phrenitis; in qua ad omnem audaciam prompta mens eſt, ſed ob impreſſam inuſtamque hecticam cerebro & membranis intemperiem obſcuram, vulgus deſignat phrenitin ex morſu, clamore, inſultibus, inuolatu in obuium quemque vnguibus, delirio perpetuo, ſed alia eſt ſine his manifeſtis. Id quod Galenus diſertè expreſſit, & ſeſe ipſe eleganti, eâ enarratione vicit in prorrhetico. Citat locum Hipp. ex epid. nullus phrenitorum valde inſaniuit, ſed veternoſa ad ſomnum inclinatione grauati peribant, & hi phrenitici obſcuri vocantur & id ſæpè vulgo ignotum & medicis; eos demum vocant phreniti eos qui clamant & exiliunt, in obſcura ea virium languor eſt, & hectica quædam affectio phrenitidis eſt, idem contingit quod la-

Aliud affici cerebrum ob alterationem, aliud per alienationem quandā Gal. in 1. comm. p. 33. Hipp. prorrh. hanc dicit eſſe ſimilem lanis tinctorum λευσόποιόν, καὶ δυσέκπλωτον.

Celſus in lethargo marcor & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas, in phrenitide prompta ad omnem audaciā mens eſt.

1.

Ad par. 33. lib. 1 prorrh.

nis tinctis, quæ colorem non deponunt, ita quidem hæc affectio cerebro impressa hectico modo vix elui potest, & ni beneficio ætatis adiutus fuisset, & artis ope, vix tanto morbo superfuisset, sed morte fuisset præuentus, tandem aggrauescente valetudine succubuit, expertus illud Hipp. Quibus conuulsis oculi fixi relucent, non apud se hi sunt & diu ægrotant, sperandi & desperandi vices fuerunt: tamen in deteriorem semper partem nostrum iudicium & prognosin vertisse, auriti testes multi fuerunt. Ægro in sua initia resoluto sectione internæ partes oculis subiiciuntur, aperto capite, venæ quasi varicosæ tabo & sanguine nigro turgentes videntur, item obseruatum.

Anatome corporis.

Hipp. hanc affect. vocat υπέρεμετον. cerebri.

In ventriculo medio serum multum, medulla cerebri quæ mollior & friabilis esse debet siccior, membranæ siccissimæ, quasi per syriasin & deflagrationem arefactæ & rigentes vix lacerabantur, vix nouacula præcidebantur acutiei secantis resistentes. Imo sectæ crepabant more membranarum arietinarum igni obiectarum atque occalescentium, pulmonis partes dextræ lateri ad hæsu contumaciore lacerabiles, plenæ vomicis, tabo & pure scatentibus, hæc reliqua ex graui peripneumonia, quæ anno præterito illum oppressit ac penè consumpsit, hepar labem conceperat, sed non maximam qualem pulmo, hinc illæ lachrymæ, sic hectica intemperies cerebri, pulmonum maxima, hepatis minor labes, iuuenem (arte malo victâ) arte & natura repugnantem oppresserunt, expugnarunt, sustulerunt.

ANNOTATIO.

1. Tremulæ obscuræ blandæque, & contrectabiles desipientiæ valde phreniticæ, vt Didymarcho in Co obuenit vt cit. Hipp. 1. prorrh. Gal in com. meminit phreniticorum, de quibus loquitur Hipp. 3. epid. Nullus phreniticorum, ait, vehementer insaniuit, velut aliis vsuenit, sed alia quadam veternosa in somnum inclinatione capite grauati peribant. Et paulò post, phrenitide ex bilioso succo generationem habente cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti corpori cerebri permixta confusaque tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente vero tempore, simile quippiam contrahitur lanis quæ à tinctoribus appellatis tincturam accipiunt, nempe & hæ vix elnibiles redduntur, non secus atque eæ quæ ab initio colorem habent, talis igitur cerebri tinctura Græ. βαφὴ desipien-

tiam hecticam habet, atque ob id affectio horum, vt febrium hecticarum praua est.

CONSILIVM LXXII.

Pro muliere sterili fluxu muliebri laborante.

PRæcesserunt fœdi colores, labes viscerum obseruatur, mala ex se & ex consequenti: per se quoniam cachecticum quid est, & intemperies cordis, & arteriarum, ex euentu & quasi auctarij vice, quia hæ virgines prauo vtuntur victu & res alienas liguriunt, vnde humorum prauorum cumulus & propagatio, ab eo tempore nupsit, à nuptiis sterilitas inde morbosi menses & ῥοῦς γυναικεῖος. At longè distinguntur, si natura benè ordinata euntibus mensibus dat inducias ῥοῦς fit, id non fit in morboso mense, nec in gonorrhæa virulenta.

Symptomata, odoratus immunitio, aliquid ephialticum, σπασμώδης menses mali ῥοῦς, vteri indignatio congressum respuentis, dolor, molestusque sensus in consuetudine ipsa, ex quo tempore resoluta est virginitas res meliores non fuerunt, vnde non mirum si non possit γυναικωθῆναι, nec mater fieri, hinc illud Hipp. Sana muliere moderati sunt menses, pauciores, plures, ad pauciores dies sunt quid morbosum & sterile, & vt de morbosis, ita de sanis, & quibus per pauciores dies sunt menses succulentæ sunt & viriles & μηνσίτοκοι non fiunt, nec partus, nec conceptus sunt memores.

1. Purganda non validè & liquando non sistatur fluxus, roborantibus est vtendum.

Decoctum vulnerarium valet, caryophyllata pentaphyllum, fragaria, pulueres siccantes, pilulæ purgantes addita terebinthina cum diatragacantho frig. addito rheo: de aquis naturalibus videndum.

ANNOTATIO.

1. *Plurima genera morborum primo coitu & primâ mensium eruptione soluuntur, quod si non soluantur, vix, ac ne vix curationem admittunt, ait Plin.*

CONSILIVM LXXIII.

De rubore narium.

D. Robinella sentit ex interuallis appulsum fuliginis, aut vaporis calidi, vt est prædita visceribus calidis, extrema naris incalescit, intumescit, sed vt mulieri non potest eripi cura cultus corporis, ita nil negligit quod ad id mali euitandum pertinere possit ; imo etiam ad Empiricos confugit. Illi calidis rem irritarunt, & infecta planè res est. Nos eâ ratione ei consultum voluimus, quia malum à visceribus, iis danda opera est, phlebotomia, purgatio cum cassia valet cathol. senna, lautio pedum, epithemata, cucurbitulæ, enemata refrig. caueat topica frigidiora, eaque quæ moram in parte affecta trahant, vnguentum citrinum, cera virginea lauta in aqua rosarum, & nenuph. vinum fragorum, cremor hordei, decoctum hordei quo mangones ad mangonium puerorum, & nitorem vtebantur Hipp. tempore, emplastrum molle ex gummi tragac. arabico, amylo, pauca cerussa & cera virg. loco cerussæ lythargyrus valebit. ℞. fol. salicis m. ij. albumina xij. ouorum, succi limonum ℥ ij. distillentur cum lacte, oleum ex seminibus frigidis, aqua liliorum cum troch. albi rhasis, vel emulsiones, aqua rosarum cum pauco mucore seminis althææ & gummi tragacanthæ, frustum carnis vitulinæ manè applicatum, valet pasta regia Fernelij & hordeum mundatum in iusculis.

Celsus.

Lib. 1. acut.

CONSILIVM LXXIV.

De quodam vomitum patiente cum ventris tormine.

ENimvero id totum de quo agitur hypochondriacum est magnum quid, & opinione maius. Res enim subindicata latet, & intestina est, quam vix animus apprehendat, accusatur semper ventriculus licet innocens & viciniæ lege patiens, dioclea pylori phlogosis intelligitur, chylus aduritur, talis sanguis, at natura adustionem horret, elixationem admittit, vnde locus est Plinij, cur homines sunt breuiores suis temporibus, quàm olim, quia adustio semen alterat & consumit, hinc marcor, squallor, tabes: nuper octo vidi ægrotantes simili morbo afflictos alimento sumpto, grauis erat ventriculus, coctio talis qualis in anadosi dolor, corpus differebatur (verbo Terentiano) dolore, noctu quies & induciæ, die sequenti redundatio stomachi.

Assumptorum vomitus hæc per menses tres, alios per quatuor exercuere, pars ægrorum emarcuit, tabuit, collapsus aqualiculus. Mors, pars, at cuius minore virium dispendio morbus productus erat, afflicta quidem & lecto & morbo, vomitus periodicus vt in cœliacis, ventriculus quidem facit officium, pylorus obstructus, & mesareon, aut oppilatiua, aut attenuatiua obstructione (vt loquuntur veteres practici, non tam verborum quam rerum aucupes) per collapsum vasorum & viarum, & hæc fatalis filum vitæ præcidit. Id fit in opticis neruis, vnde perfecta cœcitas, illæso oculo in apertis cadaueribus eorum, quos sua sors peremerat, aliàs inuenta pylori inflammatio obstructionis & angustiæ causa, in aliis glandularum mesenterij durities, impendio magis & quasi callus, mesenterij vt quidam sphacelus, vt mirum non fuerit si ventriculus alimentum appetiuerit, quoad potuerit coxerit res ingestas, sed vitio anadoseos & ob vitium labemque mensenterij omnia reiectantur vomitu, licet chylus gratiam naturæ receperit.

Videor tanquam in tabula afferre lineamenta ad viuum expressa causæ tam dira symptomata excitantis, & grauiora, ni dij

prohibeant excitaturæ, ni tutelaris deus fibras tam pertinacis affectus eliserit. Est quædam attenuatiua oppilatio natura fatiscente & instrumentis nutritioni dicatis feriantibus, credo labem nescio quam & κακοήθες; vnde σφάκελος τις, vt ita dicam per alienationem non per alterationem. & præclarè actum à te qui temperatis vsus fueris, inductus opinione intestinæ φλογώσιως quę tot malorum est fabricatrix; hic metuo aduersos rerum exitus, tamen si velis explicare ægram vt dolendi ita querendi, & quærendæ medicinæ non sit finis; non quin naturæ dandæ sunt induciæ. valent tabellæ ex chalybe, aqua rhabarbari, aquæ naturales; balnea, medicamentum in balneo, fotus mites, pilulæ ex aloë lota, succino, puluere sennæ, satalis addita pauca quantitate pilul. aggreg. exceptis omnibus syrupo de cichorio, somnifera, pilulæ de cynoglosso, decoctum foliculorum addito rheo, & saccharo cando, ne reuomat.

Curatio.

CONSILIVM LXXV.

Pro fluxu dysenterico & mesenterico.

COnsiderauimus tempus à quo laborant (erat enim iam tertius mensis exactus) periodon, motum humoris, speciem humoris, & doloris.

Omnia fluor est dysenter. diarrh. mesent. & hepaticus.

Quæsitum, an fluor esset simpliciter dysentericus an diarrhoeicus, an mesentericus, an hepaticus, in quanto, quali, & excretionis modo.

Intestinum ob diuturnitatem fluoris τὴν διάθεσιν ῥευματικὴν conceperat.

Non abs re, de periodo quærebamus, an certis horis, an incertis rediret fluor, veteres hepaticum & cerebralem distinxerunt, à stomachico & intestinali, quòd primus sit periodicus, cerebralis ferè à distillatione est, hæc autem dici solet esse nocturna potiùs: tamen Hippocrates longarum dysenteriarum, & lienteriarum causam à capite repetiuit.

Lib. de affect.

Et ea dispositio rheumatica duo facit, excrementa à iecore facilè

cilè recipit, & ea magis corrumpit ob vetus vitium, parti sanæ suum alimentum est solatium, ægræ tanquam onus est.

Gal. dum libris de locis affect. medetur ῥευματικῆ διαθέσει tria statuit, vt alimenta sumantur, non facilè corrumpenda, vt astringant, vt roborent.

Gal. 2. de diff. feb.

Apozemata sunt instituta ex iis quæ hepar reficerent, & quia vlcusculorum & tabi nescio cuius erat suspicio nonnulla, portio herbarum vulnerariarum incocta est, vt buglæ, saniculæ, symphyti minoris agrimonij, veronicæ, sanamondæ.

Apozemata.

Aqua rhabarbari imperata est, lac capræ, quæ depasceretur folia salicis, summitates ruborum, viminis & rosariorum.

CONSILIVM LXXVI.

De tumore hepatis seu fermentatione.

CViusdam Præsidis seruo febricitanti tumor & durities quædam ad tactum apparebat, alij scirrhum dicebant, alij non à flatu quia fugax fuisset; initio paroxysmorum regio hepatis apparet tensa & inflata, sed id residit calore febrili aucto. Nos putabamus id esse quod Hippocrates in epidemiis vocat hepatis fermentationem quandam, nam in febribus aliquando & cystis fellis intumescit, & totum hepar feruente & bulliente in capillaribus venis sanguine, & turgentibus humoribus, & ij medici quibus sine experientia ratio quædam suffragatur nec morbum istum norunt nec medicari possunt. In tali affectu nō est parcēdum sanguinis detractioni, hæc enim largior opitulatur, malactica & foris admota ferè sunt inefficacia, profluuium quoque biliosum iuuat, sed illud non solet opportunè euenire nisi detracto luculenter sanguine ardor mitescat, & tumor duritiesque minuantur, id quod valdè est notandum.

ζύμωσις hepatis.

Liberalis venæ sectio hepatis fermentationi conuenit.

CONSILIVM LXXVII.

De auditu imminuto qui βαρηκοΐα, καὶ δυσηκοΐα *dicitur.*

MAgna vis eſt conſtitutionis temporis, πρὸς τὴν εὐηκοΐαν, ἢ βαρηκοΐαν, ἢ δυσηκοΐαν. Περὶ δὲ παρακοῆς ἢ παρακοΐας paulo poſt dicitur: nam in aquilonia conſtitutione & animæ, & corporis conſtitutiones meliores exiſtunt, conciliatur enim partibus vis, robur & εὐτονία & Gal. diligenter operationes iſtas animæ & naturæ diſtinguit quas vocat φυσικὰς καὶ ψυχικὰς ἐνεργείας. Aquilo reddit corpus εὐκίνητον καὶ εὐήκοον, vt ait Hippocrates ſectione tertia lib. 3. Aphoriſm.

ad apho. 17. ſ. 3.

Cum dicit mobile, & bene audiens corpus, animæ functionem & τὴν ἐνέργειαν ſignificat, cùm autem benè coloratum, dicit naturæ operationem, & cùm paulo poſt diſſolutionem explicat quam affert Auſter, ait, mala eſt iſta Auſtri διάλυσις ad omne opus ſiue ψυχικὸν ſiue ζωτικόν; credo quod ζωτικὸν confundit μετὰ τοῦ φυσικοῦ ſi auſtrino & humido tempore auditus eſt obtuſior id ab humectatione eſt, & ex humectatione διάλυσις ſequitur, à diſſolutione quadam actionis læſæ: actio ſiquidem eſt partium ſolidarum.

1. Sic δυσηκόια ab auſtro eſt κατὰ τὴν λύσιν τινά. Quod ad curationem attinet, aliter te geras ſi ſit obſtructio, aliter ſi humectatio, & diſſolutio, contrariis enim oppugnatur morbus, & obſtructioni debentur ἐκφρακτικά. quæ autem mixta ſunt ex rhypticis & attenuantibus, & detergentia, humiditati ſiccantia, diſſolutioni, συντακτικά, id eſt quæ contendunt, ac firmant.

Cæterum imminuta auditio ſymptoma eſt, actio enim læſa eſt in genere eorum quæ audiuntur: morbus eſt obſtructio, hæc autem aut fixa eſt, aut fugax Galeno, ſurditas fit ob humorem quemdam in auditoriis meatibus impactum Græcè διὰ τὴν σφηνωθέντα χυμόν & alio loco, firmatos vna in parte humores ſpecies vna ſymptomatis, tum naturalis partis tum humoris virtuti peculiaris conſequitur.

ad par. 32. l. 1. prorrh.
ad part. 27. l. prorrh.

In obstructione aurium quidam habent olea suspecta, vt quæ obstruant suo lentore, aquæ vitæ, aut theriacalis, aut rutæ valent, castoreum, oleum de terebinth. chymicum, semen cumini infusum in aqua vitæ, & rutæ deinde expressum, succus bulbi esculenti & rutæ & vinum album. *Curatio.* 2.

Quibusdam placet in summa obstructione procurandam quandam suppurationem, vt aliquid ex aure emanet, sed habenda maximè ratio subiectorum viscerum.

Catharsis instituenda ex interuallis eàque blanda.

Mulier ægra cui hæc decernuntur remedia multis signis melancholica deprehenditur, tamen mollem carnem habet, candidam, obesulam. At qui talem carnem habent Gale. nequaquam habent humorem melancholicum. videndum est ne habitus exterior nos decipiat, fraudemque faciat, sæpè enim exterior interiori non est similis. *Lib. de loc. Aff.*

ANNOTATIONES.

1. *Aurium affectus sunt summa cura prænoscendi, ac præsertim ij qui cum dolore existunt, oculorum quidem dolores & morbi noscendi quidem & plurimi faciendi, sed non tanti quanti aurium affectiones. Notandum enim quod eleganter scripsit Celsus cap. 7. lib. 6. aurium vsum proximum luminibus nobis dedit natura, sed in auribus aliquanto maius periculum est, nam vitia oculorum intra ipsos nocent aurium inflammationes doloresque ad dementiam mortemque præcipitant.*

2. *Decoctum cannabis satiuæ vermes in auribus delitescentes, aut alia animalcula allicit authore Plin.*

CONSILIVM LXXVIII.

De Melancholia hypochondriaca pro muliere hysterica.

Solemne est illud Philosophorum decretum, omne imbecillum querulum esse: cum autem duplex imbecillum, sit natu- *Arist. Seneca lib. de ira.*

ra & valetudine. In primo genere, est mulier valetudinarij, in secundo, hæc mulier in vtroque hæret & laborat, vnde perpetuò querula est, & medicorum aures querelis subinde nouis fatigando querendi finem non facit, quia non facit dolendi, nec conquerendi satietas est. At quærere oportet an iure dolendo queratur, an infractione animi id contingat, an quia melancholica est, an melancholici perpetuo doleant, omne enim animans duce natura voluptatem quærit & dolorem, vt summum malum fugit doloriquc remedium quærit. In eo genere sunt melancholici (præsertim si humor per assationem, aut suppressionem acriusculus est) siue quòd natura, siue quòd valetudine imbecilli sunt, propterea quod queruli. Ideo Arist. ait, melancholicos perpetuo medicinam appetere id est summis & assiduis votis remedia postulant, siue sint alimenta, siue sint medicamenta, immo eorum maior pars pharmacorum est, quam alimentorum appetentior. quare? quia deiectam habent appetentiam, vnde? ab intemperie & affectione praua quam Gal. in prognosticis eleganter vocat κάκωσιν τοῦ στομάχου.

Quæst. obiter hic agitatæ de melancholicis.

7. Ethicorum. Melancholici perpetuo medicamenta appetunt.

Id est oris superioris ventriculi: temperatæ enim naturæ dulcia & appetunt & iis fruuntur, intemperatæ imminutam habent appetentiam, & exoticas in cibis qualitates desiderant, vnde tales melancholici sicci sunt & strigosiores.

Cæterum abhorrent à cibis nisi excedente qualitate præditis, medicamenta purgantia appetunt, licet ab iis sæpè deterrimè habeant quia humores eorum aduruntur nec putrescunt, putredine ordinaria, quæ humores exclusioni paratiores & obsequentiores reddit. Sed quæri potest, quænam sit hæc dispositio diathesis, siue intemperies τῶν ὑποχονδριακῶν? Rondeletius ex Dioclis non omnino vera opinione, sed plausibili, & ex parte probabili, putat id totum malum pendere à mala intemperie primarum venarum mesaræi & etiam mesenterij. Declarant signa hîc non enumeranda, inter quæ est volæ manuum siccitas, & squalor. At cutis squalida labem vitiumque ventris significat, declarat curatio medicamenta humect. refrigerandoque purgantia, syrupus de pomis, syrupus violaceus, lac asinæ aut capræ Balneorum frequens vsus à cibo, aquæ Spadenses, Niuernenses αὐτοφυέες imò eis vlcera oriuntur & καρκινώδεις tumores qui non nisi pompholyge, plumbo, cerusa, & mercurio leniuntur & mitigantur, & quod fit foris, idem domi & in visceribus fieri debet.

Gal. de loc. Aff cap. de melanch. Hipp. in Coacis. Legitima hypochondriacorum curatio

Sed impediunt flatus multi qui in hypochondriacis ſcaturiunt, & indicatione quadam contraria auertunt ab vſu rerum humectantium, & refrigerantium, quæ cauſam oppugnarent: ſic quod eſt primæ & radicalis affectionis remedium, auget ſymptoma, vt fit in hydrope & ſqualore & hecticâ viſcerum intemperie, cum enim quæ flatum diſcutiunt calidiora tenuiorumque partium eſſe debeant, ſiccitatem ſqualoremque partium augent, quæ cauſa impulit Themiſtium magnum phyſicum, & tamen non ſatis bonum medicum, vt credat atram bilem naturaliter frigidam refrigerare ventrem, & iecur partes nutritioni deuotas & conſecratas: quòd ſi verum eſt, mirum non eſſe debet, ſi tantus ſit flatuum prouentus in hypochondriacis. Imo verò κατ᾽ ἐξοχὴν flatuoſa melancholia eſſe dicitur: quanquam hypochondriacis, & iis quibus æſtuant viſcera, quos θερμοκοιλίους vocat Hipp. non rarò vſuueniat, vt cum calore acri abundent, non deſinant eſſe flatuoſi, immo in tympanitem ferè poſt dolores aluinos diuturnos & vix placabiles incedant, & iis non rarò ſecari vena ſolet ſecundum illud Hippocratis ἀνεμίην φλεβοτομίη λύει. Verum iſto loco Themiſtius rationem reddebat cur melancholica corpora macra eſſent, ita enim ait, Affecta ſunt corpora, vt eo non fruātur alimento quo veſcuntur, & idem alimentum non ſubit partes nutriendas, & id genus corpora ſunt infœlicibus lignis aſſimilia, quæ in regione arida, & ſiticuloſa naſcuntur. Themiſtius autem atram bilem propriè non ſumit, ſed pro ſucco melancholico frigido, magna enim pars melancholicorum & deterior morboſiorque per flauam bilem, aut ſuccum melancholicum vſtum, aut ſanguinem generatur: vnde cineri, aut tartaro calcique talis humor ſimilis eſt, quibus per aduſtionem calor eſt acer & mordax; vnde melancholici tales ſunt piloſi, abundant multo excremento fuliginoſo, quia in iis ſanguis & ſuccus eſt acriuſculus, & calidiores ſunt arteriæ plenæque fuligine.

Contrariæ indicationes in cura melancholicorum obſeruandæ.

Cur melancolici macreſcunt.

Vſta bilis & melanch ſuccus grauia inducit ſympt.

Quoniam Themiſtius videt multos effectus frigoris, cauſam putat frigidam, at in magna parte hypochondriacorum eſt calor acer & mordax, hic eſt corruptor, & fructum non capit corpus, imò quò corpus calidius calore aduentitio, & febrili, calore naturali omnium bonorum authore, eò frigidius exiſtit.

Effectus frigidi non arguunt ſemper cauſam frigidam.

Id quod expreſſit illud Hipp. quibus calidior venula eſt; idest arteria, multitudine ſanguinis exuſtum procreat & idem excernit; exuſtum, autem τὸ καυσῶδες vocat, à quo fuliginoſum excre-

Sect. 6. lib. 6. epid. partic 2.

mentum multum, intemperies cordis & arteriarum, concurrente pulmonis calore & ſiccitate tam celeris motus, cordis (præſertim per greſſum) cauſa eſt, & tam affectio hectica eſt; non ſic in aliis febrientibus contingit, non enim moti, ita anheloſi ſunt: imo in corde ipſo iam ſpeciem aneuriſmatis ſubeſſe autumamus ſpiritu & ſanguine mirum in modum arterias diſtendente & dilatante.

Celer cordis motus ab intemp hectica, & quadam aneuriſmatis ſpecie oritur.

Sed nunc relicto diſputationis filo cætera perſtringamus. nunquid cordis magnitudo, & eius intemperies in ea muliere, cuius ergo ſuſceptum eſt hoc prçludium difficilis reſpirationis cauſa eſſe poſſit, qualis eſſe ſolet in iis qui cucurrerunt. Vnde tanta inappetentia? bilioſa cum ſit temperamento, cur tantopere flatuoſa? icterici non admodum flatuoſi quia in iis bilis abundat, non pituita quæ in flatum reſoluatur & raro imbecillitate partium nutritioni ſeruientium, (quæ vna cauſa eſt generationis flatuum) laborant, ait Galenus, quæ opinio an vera ſit porro inquirendum.

Com. ad part. 72. l. 5. apho.

Difficultas hæc ſpirandi quia creber & frequens eſt ſpiritus nomine τοῦ καρδιωγμοῦ, apud quoſdam veteres exprimitur: præſertim cùm palpitationi ſimilis eſt. Erotianus παλμὸν ἀθρόως καὶ σφοδρῶς ἐν τῇ καρδίᾳ, (propriè dicto corde) γενόμενος cur καρδιωγμὸς, id vocetur vel. καρδιαλγία, non eſt facilè explicare: niſi id fiat, vel quia talis affectio ſignificet vim vitalem maximo incendio laborare, vel quia cum per æſtum cor celerrimè vehementiſſimêque moueatur, anima deficere videatur, & id veteres vocant καρδιώσσειν, καὶ καρδιαλγεῖν, dici verbo vulgari poteſt, vnde cum pulmo inflammatur, frequentia ſunt animi deliquia, καὶ ἐκλύσεις; hæc noſtra coniectura & præiudicium aliorum ſit iudicium.

Com. ad apho. 65. l. 4. aphor.

Item peccatur in hypochondriacorum morbis nam ferè ad lienem opera dirigitur, & dum incidētia, ῥυπτικὰ attenuantia, cappares, tamarix, caſſutha, chamædrys, chamæpitys, flores ſparti, immo radices calidiores præſcribuntur, hepar ſiccatur primum, quia integris viribus traducitur ab iis medicamentoſis ſimplicibus, & dum vulgus & medicorum & hominum intendit per corticem tamaricis & aſplenium lienem minuere, minuit: imo fortè fit vt perexiguus ſit ſplen, quod malo eſt; nam ſatis amplum & validum eſſe oportet ſplenem, vt hepatis ſanguinem purget, alioqui mille incommoda ſequentur.

Attenuantia & incidentia hepar ſiccant lienem minuunt quod ſæpè malum eſt.

Ideo non eſt bonum minui lienem aſpleniis medicamentis, nam vbi minor non benè defæcat ſanguinem; hinc inappetentia,

& mille incommoda. sic narrant de chameleonte, qui nec bibit, nec comedit, soloque aëre nutritur; quòd hic lienem non habet semper hiat, semper tenuem qua vescitur auram reciprocat chamæleon.

Plin. c. 33. l. 8.

Quamquam quæstio est an medicamenta splenica integris viribus hepar pertranseant, si id sit non fit sine noxâ hepatis. At aiunt non esse necesse, quia à vena porta sunt rami mesenterici, quorum vnus ad splenem tendit: melius faciunt qui in affectibus splenis & hypochondriacis ad buglossum, borrag. nymphæam, succum pomorum confugiunt, alia vero siccant longo vsu impendio magis. At, omnis ὕπαρξις melancholiæ hypochondriacæ consistit in intemperie sicca partium in hypochond. contentarum, cum nonnulla caliditate sine affluxu, sed cum obstructione potius à sanguinis & aliorum humorum crassitie. Eamque ob rem limaturam chalybis in hypochondriacis & decoloribus virginibus commendant, quod pluribus explicatum est alibi.

Quæ cum ita se habeant hypochondriacis sunt vt plurimum φαρμακείαι ἐργώδεες, nam in ista siccitate partium naturalium in qua illius affectionis omnis ὕπαρξιν diximus residere, non purgandum ἁδροτέρως i. vehementer. Enim vero hypochondriaci ferè æstuantia habent viscera, calida & sicca sunt temperie bilis acris genitrice, & cum suo calore & siccitate symbolum habeant & affinitatem cum febre, mirum cur ferè non febricitent, aut patiantur febrem quandam sui generis: quanquam reuerà interdum, diarias quasdam febres patiuntur febrium hecticarum προδρόμους. Sed & obseruauit antiquitas; Mulierem raro fieri hypochondriacam, διὰ τὴν φλόγωσιν, sed vbi sit, deterius habere, quia id est alienius à temperamento frigido humido, quod muliebre est, cum tamen perpetuò doleant & conquerantur: item sentiunt punctiones & lancinationes & in cute & in visceribus. Ideo Arist. dicebat corpus melancholicorum perpetuo pungi reuera, quod de elephanticis scribunt, inter signa quidem æquiuoca duo hæc notant; quòd raro febriant, & quod in cute punctiones sentiant. Notanda hæc & reuerà hypochondriacum esse verè est habere gradum vnum ad elephantem. Rondeletius ait, hypochondriacos & melancholicos videri quidem carere febre, sed tamen febrire quadam specie febris quæ iis propria est. Sed vnum obseruatione dignum, metus est maior ipso periculo, & phantasia maximè afficitur. De his verum quod Ti-

5. ἁδροτέρως non sunt purgandi hypochondriaci.

Metus & mæstitia si perseuerent signum melancholicum Hip.

mor in his ipso maior solet esse periclo. Item illud; Quid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens. symptomata sunt minora quàm opinio ipsa concipiat sed causa maior est, & efficacior quàm opinio percipiat imò est gradus ad elephantem. Sic nomen hypochondriacæ affectionis (nec enim morbus est qui notari possit, sed effectis se prodit) multa includit & opinione maiora: Mirumque est, quòd qui delicatiores, imò benè temperato cerebro faciliùs & grauius afficiuntur, exhalatio tetra facilius impressionem facit, stupidi & obtusiore ingenio non ita percelluntur.

Qui delicatiore sunt cerebro faciliùs melanch. sym. afficiuntur.

Sic prius hominum genus fœliciore est ingenio quàm fortunâ & valetudine. At vero quod ad therapiam attinet eamque difficilem reddit, est, quòd affectionis remedium auget symptomata, flatus borborygmos, inflationes, morbus non tam est in humoribus, quàm in partibus solidis.

Aetius.

Vna consolatio est, neglecti isti morbi sæpè fiunt leuiores mirumque ad aliquid conferre negligentiam. Sed & ipsa senectus quæ morbus est, remedio est, præsertim si ex macro habitu comparetur.

Sed his relictis breuiter curationis capita attingamus.

Capita deliberationis pro therapia.

Consulendum capiti tremulo, partibus naturalibus, in quibus scaturigo & soboles flatuum ἄνω κ̀ κάτω qui flatus tantorum malorum sunt authores: consulendum quoque & partibus vterinis.

Capiti, litu ex oleo de saluia arte chymica extracto, expresso nucis moschatæ. ol. nardino cum cera in aqua vitæ lauta, castoreum valeret nisi fœtor adesset, valet quoque litus ex oleo de spica nardi, vulpino, lumbricorum, addita aqua vitæ emplastrum palmatum, diuinum, & de meliloto.

Hystericæ affectioni trochiscis de gallia moschata, suffitu exceptis, pilulis quoque de castoreo, & assa fœtida cum aloë.

Partibus naturalibus præsertim ne ipsis flatibus tanti tumultus seditionis oppressionis que partium spirabilium authoribus studendum, medicamento legitimo. Dictum est ante, omne medicamentum esse illi mulieri ἐργῶδες, ideo balneum præmittendum videretur, purgatio sit ex catholico ad ℥ ij. ſ. colatum & clarum in multas doses, vel rhab. cum syrupo de cich. comp. cum rheo, & vt deorsum reuoluantur flatus, clysmata ex iure pingui, quia sicciora sunt exta & intestina.

Difficultas oritur διὰ τὴν ἀντιδείξιν causa calida, intemperies lactium calida & sicca, vnde obstructio attenuatiua, remedia huius

natiuæ

natiuæ intemperiei augent symptomata, vt obseruatum ante & verè iuuatur vino absinthite, tabellis calidis. puluis digestiuus confert, oui luteum cum saccharo, aut grano ambræ griseæ.

Fotus blandi ad splenem & ventriculum, vsui esse possunt.

ANNOTATIONES.

1. Vt quod de ea dicitur pertineat ad omnes alios hypochondriacos quorum magnus est numerus. Ægra πολυπράγμων est actuosa, & negotiosa vnde animus inquies, & qui non sinit corpus refoueri. Est autem labor naturalis, aut violentus: naturalis, labor, visus, auditus, vocis curarum, anima in id quod videtur intenta mouetur & calescit; calefacta euacuato humore siccatur, de auditu idem, mirum-ne est, si illa non pinguescat cæterum cum hæc mulier hypochondriaca sit, mirum quoque quod niteat facies, quæ in aliis decolor & plumbea, in sanguineis εὔχροιαest, & teste Hipp. εὐανθές.

Hipp locus aureus lib. de diæta. loquens de visu & auditu. Hipp. 2. prorrh. & in epid.

Illi autem contingit quod pueris cachecticis quibus in cauo hepatis bilis recocta tanti mali author existit. At verè splenica non est benè colorata & inappetens, quod splenicis veris non euenit. Credo esse, velut ἀνεύρισμα quoddam vasorum cordis.

Lienosi sunt voraces, tum ob acidũ succum, tum etiam ob cancrosam lienis dispositionem

Quæstio mota cur virgines decolores tam male spirent cum alij febricitantes (ni malum in pulmone) id non patiantur. cur olim eam difficultatem spirandi non patiebatur, interna calent, fuligo magna, arteria calidior exustum quid procreat, corpus non ita spirans, bilis torrida, nitrum, sulphur dominatur, vt in vetere Gallo. Teste Hipp. 2. de diæt. hinc omnia antiqua & marcida aluum magis mouent quam recentia quia putredine propiora: fidem facit caro Gallorum nitrosa & salsuginosa. Si à calore ætas defecta & inclinans remedio esse debet, morbi calidi in senecta relinquunt. Hipp.

An detractio sanguinis valet quæstio? menses in biliosis sunt detrimentosi, ait Hipp. & sæpè λειποθυμίας afferunt.

In hypochondriacis præsertim qui sunt tormenta medicorum ob acres humores qui eos pungunt (qui partim natura, partim victus ratione, partim curis & solicitudine fieri possunt, maximè vero fiunt quibus viscerum est intemperies,) si temperantia tantum adhibemus, malum non tollimus, sed lenimus tantùm, si acria, & quæ humorem tollunt irritamus: idem contingit quod & in herpetibus, & serpigine. Glutinosa mollia remedia malum fouent immo deterius faciunt, acria causam euocando non statim sanant sed irritant (qui locus pul-

cherrimus ab externis affectibus ad internos nos ducendo) sanitatem enim ratione euacuationis succum mordacem abluendo & detergendo non τῆς ἐπικράσεως efficiunt: imò contemperantia aliquando mordicationem maiorem efficiunt ex accidenti, vt si corrumpuntur & vnà alunt fouentque cacochymiam. Sic videmus serpigini, psoræ, scabiei &c. à bile vsta, pituitaue salsa cutis vitiis aquam salsam lythar. sulph. Aquam hydram aluminosam prodesse magis quam temperata & ἐπικραστικά, quæ alunt fouentq; cacoch. & acrimoniam. An ea lex contrariorum, vt contrariis contraria elidantur & oppugnentur his & simil. ration. chymici fundamenta sua stabiliunt dum dicunt similia similibus curari.

Gal. c. 12. l. 2. de simpl. medicament. facul.

Sed hæc omnia ad rationis & veritatis normam & legem reuocanda sunt, nam ea Gal. methodus in cura prædictorum affectuum non destruit solemne illud Axioma Therapeuticum. Contraria contrariorum sunt remedia.

2. Non abs re dicebamus paulo ante perperam in hypochondriacis calidis & siccis dari medicamenta splenica falsa lienis affecti opinione, minuitur enim hepar, siccatur, augetur intemperies sicca, educitur serum liquato sanguine, & defectu seri sanguis aduritur, & cùm lien minor est iusto, non ritè defœcat sanguinem humore melancholico; quo fit vt in venis & arteriis ardeat, vnde pici aut gagatæ lapidi simillimus existit. Ideoque Galen. non vult detrahi sanguinem si in cerebro tantum affectio sit & nigrescat sanguis, si in toto corpore sanguis nigrior, audentius sanguinem mittit, si non sit melancholicus supprimatur, sic statuit eas distinctiones: In hac muliere flatus generabatur ob inæqualem intemperiem ventriculi & hepatis, & ij distendebant ventriculum in dies ventriculus amplior & capacior non poterat comprehendere cibos, vnde ructuum & flatuum perennitas generationis. In hac muliere (vt in cadauere obseruatum) sanguis nigruerat, corque vix refrigerium accipiebat hinc pulsus inæqualis & palpitationi similis, ventriculus amplissimus erat, frigidiusculus vnde rebus calidis, delectabatur, licet lingua sicca, esset & calidius hepar, sic ventriculus vix cibos coquebat.

CONSILIVM LXXIX.

De doloribus hystericis & hypochondriacis.

VIrgo matura viro doloribus sæuis ad regionem ventriculi torquetur, & maximè ἐν τῇ ἀναδόσει ipsius alimenti, tribus post horis ab eodem alimento sumpto. Inter cætera, repetunt sæuiuntque magis noctu, & ita venter ob agitationem spiritus, flatulenti & humoris qui suos motus & περιόδους non habet, quasi fermentatio foret aliqua, intumescit, vt nisi distringatur laxeturque, opprimatur crepetque inedia, distentio fit diuulsioque, eàque ita dolorifica vt vix ferendo sit, & tamen habet ὀρθοστάδην, nec eius lamentis querelisque locus datur, ferè fit enim vt ij morbi negligantur qui decumbendi necessitatem non afferant, licet ipsi per se sæui & immanes existant. Vnde dolores dentium quia vulgares podagræ, tusses, tormina ventris & verminationes ferè negares podagræ, tusses, tormina ventris & verminationes ferè negliguntur, quia sine febre, & vulgo homines affligant. Vulgus solet tantum misereri febricitantium, quia morbus est perspicuus, & vtinam ipsi hypochondriaci apertè febricitarent. At ob squallorem & hecticum quemdam calorem eorum humor non est suppurabilis, nec hypostasi declaratur. Dolor lateris, aut pleuritis nescio quæ totum hominem ad se conuertit, in lecto retinet, medicos cogit, denique nullo non magisterio & artificio oppugnatur, cum dolores dentium, tusses, tormina, sæuitiâ sint superiores immo tormentis adnumerentur.

Dentium affectus, podagræ, tormina &c. negliguntur sæpè licet tormentis ad numerentur. ait Celsus.

Quod cum verum sit, & nil tam infirmum corpus faciat quàm dolor, is primùm omni arte est mitigandus, & is morbus in quo dolores adsunt, pluris est æstimandus, maioreque procuratione dignus, quam is à quo dolores absunt, & reuerà dictu est mirum quanta & quàm longa dolorum acerbitas ferè constantiam & patientiam ipsius virginis vicerit & conuulserit, & piget scribere ne id vertatur artis medicæ dedecori. Sæpe, ait Tullius, non sunt grauiora carnificum tormenta quàm quorumdam morborum cruciamenta. Id quod hîc obseruatum est, & ferè iis non condolemus, quiaut assiduo dolore affliguntur quasi conquerendi, eorum assi-

Dolor vires maximè infringit, & huic promptè occurrendum, dum habet rationem causæ morbū augentis, aut fouentis.

duitas opinionem faciat, aut sublati, aut imminuti mali. Eorum vicem dolemus, qui febricula, aut inflammatione laborant, vt dictum est, tabem, hecticam febrem, dolores dentium & grauiora his mala in aliis negligimus, quod non sunt ea ita conspicua, vt inflammationes, aut herpetes. Id Langius transtulit ingeniosè ad animi & corporis affectiones; pluris vulgus facit corporis leuem affectionem in alio quia euidens est, quam animi cruciamenta & tormenta: magis tamen in morbo esse iudicantur qui tabe, aut marcore laborant, quàm qui manifesta inflammatione, aut febri. hæ enim magis apparent & sensum feriunt: sic sunt in grauiore pœna improbi qui lento passu ducuntur ad æternam mortem, carnifex enim animus quotidie minutis ictibus pungit & cædit. Hippocrati hæ sunt causæ cur morbi muliebres ἀνίατοι. 1. ferè sunt incogniti: 2. præ pudore non narrantur, & sæpè progressi sunt antequam ingressi videantur. 3. error medicorum si curant morbos viriles & muliebres, nam longè differunt, sunt enim & corporum & hominum proprietates, id quod mirum, cum non tam longè fœmina à mare differat, & illa, mas inuersus dicatur. An ob vterum? an fas eas tragœdias excitari in viduis & virginibus ob tantulam partem? Sunt morbi peculiares fœminis, alij maribus. Olim arthritis mulieri pepercit non nunc: non quod (ait Seneca) mulierum natura immutata sit, sed vita, & cum virorum licentiam æquarunt morbos virorum æquarunt, & quia fœminam exuerunt morbis virorum plectuntur. Hipp. mille motus vteri agnoscit, & vterum omnium morborum muliebrium radicem putat.

Quæ vilia putantur cognoscere difficile Hipp. de flat.

In epist.

Muliebres morbi fere incogniti Hipp.

Vterus omnium morb. muliebr. causa Hipp.

In hac dolores sunt descripti paulo ante, & ij à sumpto cibo repullulant, & integrascunt; vnde id? dolores potius mitigari deberent appulsu boni & amici alimenti, flatus sunt multi à materia cruda & calore imbecilliore, nec enim vigente hyeme nec æstate media flatus oriuntur.

Mirum cur nondum aut tympanites ortus fuit, aut translatio ad caput iuxta aphorism. Qui circa vmbilicum labores & dolores qui neque medicamento, neque aliter soluuntur, in hydropem siccum transeunt.

Aph. lib.

Quid hoc quod tam diuturni dolores? nemo enim potest valdè dolere & diu, ait Seneca; sic amantissima nostri natura cuncta disposuit, vt dolorem aut breuem fecerit, aut tolerabilem. Dentium, articulorum, neruorum, aurium dolores sunt acutissimi, quia in angusto.

Sen. in epist.

Dolor in angusto.

Cæterum in examine istorum dolorum quæsitum est, an essent hypochondriaci, an hysterici, an mixti, licet enim ventrem superiorem affligant possunt etiam esse hysterici, ita enim intelligere oportet motus ipsos vteri sursum deorsum ad hepar & lienem, vt loquitur Hippocrates, non quod reipsa loco moueatur vterus, sed quod sui, aut appetentis, aut indignabundi argumenta edat, in his aut illis partibus, habet enim insignes venas, quibus, cum hepate consentit, & neruos quibus cum cerebro, & arterias, quibus cum corde.

Varij vteri motus.

Sed hæ insignes afflictiones contingunt virginibus viro maturis, incredibile enim dictu quantæ mutationes in ætates incidunt primis coitibus & prima mensium eruptione, natura enim sui motus dat quoddam signum, & dum sanguis suo exitu frustratur, refluens ad hypochondria oppressionem facit.

At notandum est, sanguinem, aut ad alimentum, aut ad augmentum, aut ad fœtum futurum suppetere debere, vbi sufficit ad alimoniam, aut ad augmentum, id quod restat superuacuum est (natura autem eo consilio mulieres læuiores frigidioresque effecit, vt corpore minùs spirabili plus sanguinis restitaret) id quod non solùm in interno, sed & in externo corpore fieri debet. Ideo venæ laxiores esse debent, vt ad habitum sanguis feratur, deinde eæ sunt laxandæ quæ ad vterum pertinent: frustra enim euacuationem per vterum menstruam cieremus, nisi habitus ipse plenus foret. Tunc enim argueretur sanguinem & ipsi virgini sufficere & puero futuro. At discernere num redundet an non, & in externo & in interno corpore, hîc opus hîc labor est.

Curatio.

In curatione sunt ἀντενδείξεις ex parte flatuum, ex parte temperamēti & caloris genitiui acriusculi. Ergo obseruata sunt hæc, species morbi, situs, causa, curatio, prognosis. Hecticus est calor causa mali & dispositio hypochondriaca, & ob appulsum noui alimenti dolor in digestione sentitur, prius alimentum ferè non descendit, nec fit attractio ob obstructionem & tumorem partium sanguine repletarum: sic alimentum, aut corrumpitur, aut non attrahitur, & hypochondriacorum febris est sui generis, & febris est tumori cancroso non dissimilis, vnde sola temperata prosunt hypochondriacis & balnea maximè, vt antè obseruatum.

Vt in rebus omnibus est quædam maturitas suaque tempora, sic in virginibus suo tempore natura molitur κατάρρηξιν, quam si

non consequitur, hinc oppressiones, humor enim motus & non promotus oppressionem facit.

Menstruales non fiunt sæpè quia partes sunt validæ quæ totum sanguinem sibi, & retinent & acquirunt, & nisi partes infirmiores reddantur & sanguis imbecillior non fluat; idem fit quod in alienatione mentis à raptu, & vi sanguinis, effœminandus enim est æger & sanguis de consilio Aëtij & ad deliquium animi detrahendus. Quod an verum sit quæstione dignum videtur; quod autem ob robur ipsius sanguinis ipse aliò transferatur eoque, aut menstrui materia pauca sit, aut nulla, patet ex Galen. & vt è contrario morbi causa tollatur, videtur ei robori sanguinis imminuendo incumbendum esse.

Sed ad therapiam pertinet quoque illud, cur cum recumbit in lecto minùs frequens & grauis dolor est, cum aut sedet, aut deambulat amplior fit, in lecto inflectitur facilius corpus, & per inflexionem duo sequuntur commoda: vnum, quod per inflexionem recalescit venter, calefactus autem venter melius coquit; secundum est, quod dum flectitur corpus laxantur partes & sinuantur; id quod exitum flatibus dare solet: horum demonstratio eruenda est ex Aristotele, dum quærit cur sit melius cubare corpore inflexo quam distento, vbi physicas rationes exponit memoria non indignas. Itaque instituta conuenienti victus lege, repurgato corpore, balneum instituatur; venæ sectio celebrata è brachio ratione ipsius plethoræ, licet non sit secuta manifesta alleuatio, nil perinde est, iteranda tamen est. Quasi si quis artem medicus is & artis euentum præstare semper debeat & possit. In arte medica licet sit perpetuum quod fieri debet, non est tamen perpetuum quod sequi conuenit, post modum vena in malleolo tundenda est, quò inclinet sanguis deorsum, qui in hac virgine semper (contra naturæ morem in mulieribus) partes superiores appetiuit.

Celsus.

CONSILIVM LXXX.

Pro notario paralyticon aliquid patiente, aut potius laxationem quandam articulorum ipsarum omoplatarum.

NOtarius quidam colico dolore vexatus est eoque acerbissimo, tanta fuit immanitas, vt præripuerit occasionem medendi cum methodo quadam metu maioris incommodi, sæpè ad leuationem doloris immittendus fuit balneo, cœlo frigidiusculo, immò, vt verbo dicam, cum temeritate remedia rapienda potius fuerunt, humor qui id genus dolores concitabat, erat æruginosus qualis in ægri illius corpore congeri ac cumulari solet. Quare? ob ipsorum viscerum intemperiem & feruorem, non tam forte à natura quàm à diæta contractum: vnum enim de eo ægronotandum est quod & ad notitiã & istius colici doloris & familiaris, & morbi alterius qui inde secutus est & cuius gratia hic locus tractatur, maximè pertinebit. Illud vero est, æger iste etiam dum prosperrima sanitate fruitur (si modo in eo sanitas est) solius vini & panis vsu sustinetur, à carnibus iusculis, & omnibus aliis esculentis abhorret, ad solum vini, & eius generosioris & meracioris vsum confugit, hinc prouentus bilis, hinc seri indomiti congeries, hinc inappetentia, augetur enim intemperies nescio quæ in dies magis appetentiam deiiciens, calor enim acer ori ventriculi molestus est, edendi desiderium ademptururus.

Sic loquitur Celsus.

Hinc sitis assidua & rerum quæ alienam qualitatem excedentem habent, immoderata cupiditas: ita enim à Galeno dictum definitumque est, soli, ait, extra naturalem statum constituti amaris acerbis, acidisque cibis delectantur, naturaliter habentes & excrementis vacui pinguibus & dulcibus, & nulla vehementi qualitate præditis cum voluptate delectantur.

Benè habẽtes dulcibus ægre amaris, salsis acidis &c. delectantur. ad part. 14. sect. 5 l. 6. epi.

Cæterum præter incommoda quæ affert vini vsus præsertim vbi cibo non est temperatus, de quibus incommodis dictum est, aliud etiam lõgè deterius est, est autem neruosi generis imbecilli-

tas, vnde cerebri affectio, & apoplex. epilepſ. tremoris neruorum, paralyſeos opportunitas, & ſi enim vini ſua ſunt commoda, præſertim ſi præſumptis cibis hauriatur; ita maximum ſequitur detrimentum ſi ieiuno vacuoque ventriculo & nullo proiecto alimento bibatur. Obiter autem dictum hoc ſit tamen quoniam extat ea de re præclarum Galeni edictum illud nõ debet prætermitti: Qui vel inedia, ait Gal. vel alui profluuio, aut fluxu ſanguinis, aut tali euacuatione, famem habent, non capiunt ex vſu vini vtilitatem, imo offenduntur, quoniam & conuulſionibus & deliriis confeſtim corripiuntur, ſi antequam cibum ſumpſerint vinum bibant. Item dum loquitur de iis qui ſunt opportuni podagricis inſultibus, tria maximè recenſet, quæ eius affectionis occaſionem afferunt, deſidiam, crapulam & vini vſum maximè ventriculo inani. Nocent, ait, & potus multi & generoſi vini, præcipuè cum aliquis ieiunus potarit.

Vinum ieiunos bibere nouitio inuento inutiliſſimum & placitu Med. nouitate ſeſe commendantium Plin.

1. *ad apho. 21. lib. 2.*

Com ad apho. 28. l. 6.

Vnde mirum non eſt ſi noſter æger inciderit in ſpeciem aliquam paralyſeos, aut potius relaxationis articulorum ipſius humeri: vinum ad id eſt valdè efficax, niſi forte quis dicat vinum quia calfacit & ſiccat, tantum abeſſe, vt obſit neruis vt eos roboret, pares enim habet vires, ac olea arte chymica elicita, quæ ſiccãdo & calfaciendo tantoperè firmant, contendunt & roborant neruos. Id quod Galeni patrocinio tueri facilè poſſit. Quæ enim incommoda vinum ſanare videtur ea ante ipſum effecerat, ſic vinum neruis erit alexipharmacum, nedum venenum, vnde malè epitheto Bacchi inſignitur ὁ οἶνος λυσιμελής. Ita Galenus, Vinum facilè neruos replet ob calidam temperiem, intrat enim, vt cum non habeat craſſam ſubſtantiam, ſic ſubſtantiæ copia neruos conuellit, rurſus autem qualitate ſanat eam quam fecit diſpoſitionem neruos calfaciendo atque exſiccando, & ſi id non facit, mors ſequitur, & vt vinum ſanat conuulſionem ita & febris. Quis autem apud Galenum locus eſt, qui vino magis patrocinetur, cur tam cautè podagricis, lunaticis, tremulis, paralyticis, & omnibus quibus neruoſum genus afficitur, interdicetur? & vt paulo antè dictum eſt, datur à Galeno hemicranicis; ſi ſiccat, ſi calfacit, etiam paulò immoderatius ſumptum, non nocebit, imò medicatam vim habebit, & tamen audito affectu cerebri, aut neruorum, aut membranarum, cane & angue peius exulat. Neſcio cur id fiat niſi dixerimus calfaciendo & ſiccando iuuare poſſe, ſed vel maligno tetroque vapore nociturum eſſe vel plus ipſum vinum fundere, liquare & humores

Obiectio de vino quâ quis in affectionibus neruorum vſum vini tueri queat.

Gal. ad aph. 5 l. 5.
Vinum ſub iam neruoſis partibus neruo qualitate amicum.

3.

humores irritare quam possit digerere; vnde fluxionum prouectus & neruosi generis repletio & humectatio, vnde Galenus ait, repletis neruis conuulsio fit, replet autem vinum.

Magis fundit & liquat vinum quam possit digerere, vnde dist. prouentus, & neruosi generis repletio & infirmitas Gal. ad aph. 5. lib. 5.

Relaxatio ista & πάθος παραλυτικὸν, secutum est dolores colicos. An id fit, reuera vidimus plerosque qui post longos morbos, præsertim post colicos dolores speciem quandam paralyseos contraxerint. Quod quâ ratione eueniat pluribus, satis est locum indicasse, est philosophi in ipsius causæ inuestigationem incumbere. Primùm notus est Hipp. aphorismus; Cui intestinum à dextra parte articulorum morbo laborauit, erat quietior, postquam verò id curatum fuit, erat dolentior, id quod tribus de causis contingit: vel quia nunquam duæ partes sunt inter se similes, vt æqualiter afficiantur, vel quia duobus doloribus omnino non eundem locum occupantibus, eorum maior obscurat & eleuat minorem, vel vt ipsemet ait Galenus in com. quod humorum in articulos influentium motus ad colon intestinum est conuersus, & reuocatus: si id verum est cur non post dolores colicos humor in articulos referri non potest? itaque nouum non est, aut dolorem articulorum, aut paralyses colici doloris esse consectarias. Quidam id intestinorum malum de descensu in scrotum interpretantur, mauult Galenus de dolore colico intelligi. De eâ quoque re I. Hollerius arte medendi & singulari iudicio antiquis medendi magistris non postponendus, hoc litteris consignauit, quod autem à veteribus scriptum est colicum dolorem in paralysin transire, id rarum apud nos, familiare vero est Britonibus; cuidam sacerdoti ex dolore colico paralysis quæ colicum dolorem soluit, sed ea superfuit, quî hoc fit vt ab intestinis in principia neruorum fiat humoris recursus? vide an sit vera paralysis.

4.

6. epid. par. 3. sect. 4.

5.

Jn scholio in cap. de colico dolore.

Historia.

Non est mihi institutum amplius de paralysi disputare, ampla enim esset materies, & quæ non esset huius instituti, tria tantum præstabo; primùm per capitula proponam ea quæ in medicorum consilio eram propositurus de paralysi. At non tam paralysis quam relaxatio neruorum & articuli à nobis deprehensa est. Secundo, an cum sub finem morbi paralysis contingit, num ea à siccitate potiùs sit repetenda. Tertio, si sub finem morbi contingit, cur non potius contrahuntur articuli quam laxantur?

In toto homine, totâque vita obseruatur, καὶ τόνος καὶ λύσις, conformatio & apta membrorum colligatio, vt corpus vnum & continuum esse videatur.

τόνος καὶ λύσις in vita obseruatur vt corpus vnum & cõtinuum sit.

Paralysis ab obstructione nascitur, à compressione, diuisione, seu solutione continui: sic laxatio ligamentorum paralyseos causa esse potest.

Aliquando superiores partes resoluuntur, aliquando inferiores, vt crurum & tibiarum, est resolutio quæ ὀμελοπτύρξη, antiquis vocatur, malum hoc cõtingit, ex prauarum aquarum vsu. In exercitu Germanici Imperatoris, cum superiores partes occupantur, si cerebri non est suspicio, ad medullam spinalem, & ceruicem malum refertur.

De hoc affectu in præcedentibus consil. 8.

Si primæ vertebræ ceruicis afficiuntur vsque ad quintam, periculum est ne vox intercipiatur.

Part. 1 sect. 1. l. 3. epid. Paulus c. 18. l. 3. particulares paralyses explicat.

Si quinta, ad manum affectio extenditur, vnde apud Hipp. tremor erat in manibus Pythionis, erat enim collectio in primo intercostali, qua parte thorax est contiguus vertebris ceruicis. Si ergo in quinta malum est, absoluta est paralysis; Si in sexta, non sensu, sed motu priuatur manus. Si septima & octaua, thorax afficitur, sed & quidam digiti resoluuntur quoniam nerui ab ipso cubito & olecrano ad digitos tendunt laborantes.

Causa, obstructio, compressio, solutio continui.

An siccitas paralyseos causa sit, dubitatur; nam sub finem morborum corpore emaciato videmus paralysim quandam oriri partibus redditis imbecillis, corpore languidiusculo reddito, compagibus ipsis aliqua ex parte dissutis & vacillantibus.

An non à siccitate potius & imbecillitate quadam hæc locatio, laxitas, & resolutio sequitur.

Vide de Tabe coxaria post sex morbi menses, in Coacis & paulo post dicetur de ea.

De paralysi post colicum dolorem Æg. c. 18 l. 3.

Fernel. c. 10. l. 4. patho.

Et apud Hip. Eutichis post cholericas affectiones distensionem neruorum cruraliũ passus est 7. epi. c. 3. l. 5. patho.

Tertium iam erat vt quæreremus etiam si sub finem morborum paralysis sequitur corpore sicciore reddito. cur non potius coarctatio, & constrictio sequitur, non obstructio, non compressio? Ac quòd sub finem morborum præsertim post dolores colicos aliquid παραλυτικὸν oriatur & contingat, illud paulo ante dictum est, & recentiorum obseruationibus testatius redditum. Et non alienum erit Fernelij obseruationem attexere. Obseruauimus tertianam diuturnam, & quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem desinere qui nonnunquam & in artuum dolores, & in paralysim facessit: & eodem capite, paulò ante attulerat historiam cuiusdam qui cum biliosæ vomitioni foret obnoxius, eâ suppressâ immanes colicos dolores sustinuit: hos secuta est paralysis partium quæ sub capite sunt, rigores erant frequentes, idem Fernel. scripsit, alius quiuis humor in spinæ medulla infixus paraly-

sim committit ac sæpé flaua bilis hanc infligit, cum sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi & neruorum propagines & origines, effunditur, his authoritatibus & exemplis res facta est multo illustrior.

Hæc paralysis post colicum dolorem Pictauiensibus familiaris est.

Nunc autem postremam partem attingam, cur cum morbus longus præcesserit consumpto multo humore & spiritu, pars non constricta potius fuerit quam laxa ac dissoluta: hoc pluribus verbis explicare animus non est, nunc tantum adducam Hippocratis auctoritatem, ex qua huius rei demonstratio, aut saltem probabilis quædam ratio duci poterit, locus est commemoratione dignus, & tanto viro Hippocrate dignus, qui non ea quæ sub sensum cadunt more vulgi obseruat, sed quæ reconditioris sunt cognitionis. Sententia Hippocratis hæc est: Carne expertibus citius & excidit articulus & reponitur quam carne præditis. Minor inflammatio humidis & macilentis quam siccis & carne præditis oboritur: quia vbi violenta est luxatio, repositio quoque dolorifica est: dolorem sequitur inflammatio & inflammationem astrictio: vbi mucus adest & carnis inopia, facilis est repositio; hinc dolor nullus, nulla inflammatio, nulla astrictio, lubricus enim ob mucum redditur articulus, deinde subdit Hippocrates.

Part. 25. l. 1. de artic.

Vide lib. Ball. de arthritide.

Omnino autem mucosiores sunt articuli macilentis quam σεσαρκωμένοις, id est carnosis & carne præditis, nam carnes eorum qui non rectè per inediam extenuati sunt, Græcè λελιμαγχημένοι eæ mucosæ sunt magis, si graciles sunt quam si carnosi sunt, & tunc παχέες dicuntur, si cum inflãmatione mucus subsit per ipsam inflãmationem ipse articulus quodammodo vincitur, & ligatur & non multum propter mucum elabitur. Hæc autem Hippocratis verba paulùm à ratione aliena videntur, nam cum quis fit macilentus per febrem, fit consumptio spiritus & carnis: febris enim, ait Plinius, sanguinem consumit, inedia consumit & extenuat, vnde aphorismus, corporibus carnes humidas habentibus fames adhibenda, siccat enim corpora. Galenus edito eleganti cõmentario explicat carnes eorum qui vel fame, vel luctu & mœrore, vel iracundia, vel dolore extenuantur, mucosas etiamnum fieri, quia per ea pathemata ipsis in carnibus fiunt quædam συντήξεις, colliquationes & muco liquato opplentur carnes, qui per eam corporis superficiem non difflatur, nec sensibili nec insensibili transpiratu. At cum medicus diætam instituit & corpus attenuare vult primum id inedia coercet, deinde frictione, & exercitatione: si aliqua col-

6. Ibidem.

7. Apho. 59. l. 7. In part. 30. l. 1 de artic.

liquatio contingit, vel per manifestum sudorem, vel insensibilem transpiratum reliquum digerit, sic si qua ex corpore reliqua est humiditas, ea educitur, ni educatur corpus liquatum tumet.

8.

Hic locus dignus est nota, vt disputemus contra eos qui deducto alimento satis esse putant ad consumendos humores superfluos famem præscribere: nam si corpora sunt biliosa, bilis magis efferuescit, & æruginis naturam induit: si pituitosa, liquato adipe & carnibus, mucus quidam colligitur qui molestiam infert, at vbi vel exercitatio, vel frictio, vel decoctum conueniens adhibetur, foras digeritur & egeritur quod dilapsum ac colliquefactum erat.

9.

Variæ de mucoso excremento quæstiones.

Antequam ad vmbilicum res deducatur quoniam de relaxatione articuli humeri ipsius dictum est, duo breuiter attingentur; prius de muco, quid sit, vbi sit, & quarum partium sit, & an facilè consumatur: posterius relaxato articulo an pars tabescat, an crassior fiat an non, vt otiosis contingit.

Mucus & partium carnosarum & neruosarum esse videtur, ex textu superiore, & tamen Galenus videtur detrahere partibus ipsis carnosis, Caro ait non propria sui ratione fit mucosa, aut alia pars sanguinea, sed proprium excrementum est quale in affectionibus rheumaticis (διαθέσεις ῥευματικὰς vocat) & in iecorariis excretionibus, Græcè τὰ διαχωρήματα ἡπατικὰ frequenter in ossibus & cartilaginibus & membranis apparet, rarò in carnibus, hic mucosus humor, aut ex communicatione quam cum illis partibus habet, aut ex copia succi qui in illud confluit cum pituitosus & mucosus humor, ibi collectus est, hic ægrè exinanitur, cùm nec perfusionibus, nec cataplasmatis, nec medicamentis attrahi, aut discuti queat.

10.

Nomen hoc διαθέσεως ῥευματικῆς potest explicari ex c. 4. l. 1. de locis affect.

Ex hoc loco apparetur morbi membranarũ, cartilaginum & partium neruosarum vix elidantur, mucus enim nec facilè coquitur nec discutitur.

Posterior pars est, an si pars luxatur & excidit, extenuatur; cum contrà aliis appareat obæsior crassior, & tumentior. Aphorismus sic habet; Queis coxendico dolore affectis coxa excidit & incidit, muci superueniunt, in Greco ἐπιγίνονται. At cum mucus præcedat laxationis & luxationis causa, melius legitur ἐγγίνονται αἱ μύξαι. id est in acetabulo ingenerantur muci, nisi pro eodem vtrumque verbum sumatur, & quamquam cum laxatio contingit & facta est, mucus etiam denuò ingeneratur, tamen ante genitus erat, sic in primo erat τὸ ἐγγίνεσθαι: in posteriore τὸ ἐπιγίνεσθαι per causæ morbificæ productionem. item apud Hippocratem est alius locus de tabe coxaria quæ post morbum semestrẽ contingit: Quibus sæpè recidiua facta est si sextum mensem ex-

11.

9. & 60. l. 6

5

In Coacis.

cesserunt facilè in coxariam tabem incident : id fit cum humor ,,
contumax vix & ægrè exclusus venis in articulum magnum & ,,
latum decubuit, vbi qui calidiore loco coqui nequiuit, ægrè concoquetur, cætera ad demonstrationem eius rei in Coacarum comm. apud Hollerium: nam dubitare quis posset num necesse sit à venis & reliquo corpore ad articulum humores confluere, an non diuturnitate morbi carnes circum articulos liquentur, hinc mucorum prouentus, hinc laxitas, hanc exitus ossis è suo loco consequitur.

Pars muco plena aut ob venarũ fluxum, aut carniũ vicinarũ σύντηξιν.

12.

Caro autem crurum, aut tibiarum in luxatis tabescit, licet, πρὸς τὴν φαντασίην, mole quodammodo tumidior esse videatur. Et Galenus tria considerat in elapso articulo, vt non fiat nutritio inde tabes sequatur, Articuli è sua sede emotionem: ineptitudinem ad vsum : otium; otij nomine omnia concludi possent, nam pars otiatur, & quia suo loco dimota est, & quia ad vsum inutilis visa est, inde iners pars manet. Quare ergo non nutritur? Notandus est Aristo. locus, quo docet corpus nostrum continuum, aut aliquando contiguum esse & ratione ipsius continuitatis vasorum fit in omnes partes diuisio & partitio, nulla vena seorsim per se est, sed omnes, pars sunt vnius, si os separatum esset, officio non fungeretur, vena etiam si qua separata foret, nec suæ origini continua tenderet, suum sanguinem seruare non posset. Calor profluens ab origine facit ne gelet &c. Ergo in relaxatione summa, non mirum si partes emacientur. Et si quædam superficies carnosa tumentiorque apparet vera caro non est. Cum quis exercetur & fricatur, is fibrarum substantiam pleniorem habet, carnis tenuiorem, sed validiorem : contra non exercitati fibras graciles habent & carnem multam, sed mollem præ humiditate, est enim ista caro caseis qui coagulantur similis : exercitatorum verò integrè coagulatis : plura vide eo loci ad hanc tractationem valdè conferentia.

Cap. 9. l. 2. de part. anim.

Com. ad part. 81. l. 3. de art.

Atque vt tandem scribendi finis fiat, consideret medicus an sit extenuatio omnino facta in iis, qui aut paralytici fiunt, aut quibus relaxati & exoluti sunt articuli (longe enim interest) an proluantur nescio quo muco liquatis carnibus, & non excusso digestoque eo quod liquatum est. Tunc enim falsa opinione extenuationis & maciei, & marasmi non inducêris vt omnino à sudorifico abstineas. Huc enim pertinet historia memorabilis apud Galenum de quodam qui cum tophos & πωρώδες τι in renibus habe-

Obseruatione digna in cura paralyseos.

ret, vsus est medicamentis attenuantibus eo vsque, vt digitos ægrè mobiles haberet & quiddam cauum sonantes præ siccitate, medici id obseruantes, non habita ratione victus qui præcesserat ad remedia paralytica impendio magis calfacientia siccantiaque confugerunt, nil profectum est, immo magis malum ingrauescebat. Melior habitus liberaliore victu restitutus est, restitutaque & sanitas est & motus digitis est restitutus, indeque τέκμαρσις medendi elicietur vt motus & sensus deperditio, aut deprauatio aliqua aliquid ϖροδηλυτικὸν portendens non tam corporis extenuatione opus esse quam refectione edoceat, alioqui multi hic errores committerentur.

Historia Gal. notanda.

Curationis capita.

Quoniam prauo vtitur victu æger iussus, & (aut maturandæ sanitatis spes tenuis foret) monitus ad alium sese conuertere. Purgatio ex solemni syrupo est instituta, vsus decocti scynæ cum guaiaci medulla interiori additis passul. & glycyr. masticatoria, errhina, pyrotica ad suturam coronalem, frictiones, litus ex balsamo parato ex herbis nerualibus concisis & in oleo hypericonis per dies aliquot ad solem obiectis, deinde igne lento coctis addito vino, mastiche & terebinthina, totoque expresso in oleum eliciatur, fotus ante cum spongia in similium herbarum decocto macerata, his peractis admotum est emplastrum, ex emplastro ad fract. ossium, contra rupturam, desiccat rub. admisto puluere saluiæ, denique cantharidum puluis admotus fuit humeris, & brachio sero multo euacuato restitutus est, magna ex parte, id quod obseruatione dignum est, declarauitque curatio quodammodo temeraria, quàm verè de causis tanti mali cogitauerimus.

ANNOTATIONES.

1. *Qua ratione in dolore capitis, imo in hemicrania vinum conferat (id quod præter vulgarem opinionem est) somnum conciliando, ideoque humorem conquendo Gal. com. in part. 5. sectio. 6. lib. 6. epid. item eo loco experimentum facit quomodo ieiuno ventriculo vinum datum noceat.*

2. *Ita Mesuæus capite de paralysi vinum in paralysi vitetur, nam facit penetrare materias ad neruos quæ non penetrarent, est inimicum neruis & oculis, ipsius abusus est causa morbi ipsorum.*

3. *Coniectura hæc nostra est, vt plus subeundo vinum fundat, & li-*

quet quam foras digerat: at medicamenta hydrotica fundunt & digerunt.

4. *De paralysi post colicum dolorem Paul. Æg. caput scripsit ad finem 18. cap. lib. 3. & Ballonius in lib. epist. medicinalium.*

5. *Hic dicimus paralysin sequi post colicos dolores & sub finem morborum quod Fernelius explicauit amplè locis citatis.*

6. *Ad hunc locum facit prob. 5. lib. 1. Arist. cur vtentibus prauo cibo & inediam patientibus pedes intumescant, tabescunt & intumescunt, vt fit in cachecticis. Primùm intumescunt, deinde exarescunt.*

7. Μύξα *mucus dicitur, est autem substantia quædam lenta, glutinosa, quæ propriè in ossibus cartilagine & membranis congeritur: impropriè autem in carnibus vide com. ad part. 66. lib. 3. de art. huc pertinet id Hipp. lib. de loc. in homine: mucus omnibus à natura est, cum purus fuerit articuli sani sunt & benè mouentur: labor & dolor fit cùm à carne humiditas fluxerit vitiosa.*

8. *Vulgo dicitur per inedias ventrem biliosos & acres humores ad se attrahere: vnde apud Hipp. 4. de morbis ventriculus vacuus fruitur corpore colliquescente idem penè com. ad apho. 50. lib. 6.*

9. *Calor appulsu noui alimenti recreatur, sed cum defectu noui cogitur mendicare aliunde ac veluti resumere dimissum alimentum ac remandere reuocatum, tunc fatiscit & corpus magis ac magis collabitur vnde in febribus prout sunt gradus purgationis, ita & renutritionis.*

10. *Horum demonstratio petenda ex com. ad apho. 39. lib. 5. vbi docet excrementum (loquitur maxime de naturali) habere humorem similem naturæ partis, vt sanguis in hepate est, & in articulorum compaginibus humor glutinosus.*

11. *Quòd hic humor mucosus sit proprius membranarum & neruosi generis apparet ex principiis ipsis generationis; nam Hipp. lib. de carnibus docet alias partes ex pingui esse, vt ossa, alias ex glutinoso, vt membranas & neruos, alias à sanguine vt carnes.*

12. *Arist. prob. 5. lib. 1. docet per famem & inediam & ob prauum victum pedes intumescere, quia corpus tabescit, qui locus huc pertinet.*

CONSILIVM LXXXI.

Pro Domina de Roissy ischiadicos dolores patiente.

APpetente vere & humoribus quasi vernantibus dolor ad ischium sinistrum acerbus, non vera tamen ischias, sed incipiens, ni malo occursum fuisset, his capitibus breuiter res tractata est.

Morbi neruosi generis, ex parte humoris & subiecti curatu difficiles.

Morbi neruosi generis de apicibus artis sunt ob curandi difficultatem ex parte humoris & obiecti, seu subiecti corporis.

In humore consideratur modus quo dolor mouetur & natura ipsius.

3. causæ in genere, fluxio congestio & colliquatio.

Modus aut per modum fluxionis à superioribus in inferiores partes, à nobilibus in minus nobiles, aut per congestionem in parte iam imbecilla. Tertium modum addo ex Galeno per colliquationem quandam in carnibus ipsis, quam colliquationem non sequitur digestio foras vt fit in senibus, qui colliquantur & dolent.

Duæ forte huc concurrunt, fluxio & fusio humorum in ipsis carnibus & musculis, vnde rarefactio, & diminuitur caro musculorum. vnde apud Hippocratem τὸ ἄσαρκον ϗ ἄλιον κέλος vocatur, *demusculatum* interpres vertit.

Cauetur ne humor à parte robusta, aut ignobili in imbecillam & minus nobilem repellatur, præsertim hæc methodus seruatur; contra Hipp. & Galenus sentit, humorem enim tuto aiunt regeri posse in fortiores & nobiliores, vt pote quæ cum viribus polleant, his vsæ humorem coquunt & mitificant.

1. de nat. hum. hic locus est notandus.

Ratio posterior de liquatione humorum, & carnium casu in senibus (vt dictum est) cernitur, diffluunt enim carnes circa ossa & tabent hinc dolores.

Humor qui aut arthritin, aut ischiadem facit, ambiguus est, de ischiade rarò à sanguine Galeno à bile & pituita mixtis sæpè, hinc illud Plato. pituita acida & salsa fons est affectionum καταῤῥοϊκῶν, si frigidus,

In timæo.

ſi frigidus, aut calidus humor foret, per ſimplices qualitates oppoſitas vinceretur. At iſtæ ſecundæ qualitates non habent ita contrarium, vnde quod remedium nunc iuuat, mox idem lædit & medicorum opprobrium morbus hic dicitur, & cæca origo eius paulò videtur.

Ad part. 66. l.3. de articulis docet Gal. quale ſit excrementum neruorum, oſſium, cartilaginum & quã ægrè coquatur, digeratur & euacuetur. cc Gal. 9. ſec. locos loquẽs de priapiſmo.

Medicamenta per os ſumpta initio non ita conferunt, præſertim ſi ſint μοχλικά hoc enim therapeuticum præceptum, quæ per interiorem ventrem fiunt euacuationes, fluxiones ferè in partes vicinas commouent.

Sacculi ex furfure, fotus, enemata, aſtringentia lumbis, detractio ſanguinis è brachio, non ligare tibias, non impingere materiam in articulos: vſa eſt clyſmatis, axungia porci lauta in aqua vitæ, cataplaſmatis, ceroneis non valdè calfacientibus, veſicis ſuillis lacte plenis, breuî Dei beneficio conualuit.

Sed plurimùm adiuta fuit ceroneo ſequenti.

℞. Diachyl. albi ireati ℥ iiij. gummi pini picis naual. benioing añ. ℥ j. ceræ nouæ ℥ j. ſ. diſſol. lento igni, adde emplaſtrum de melilot. & de mucag. añ. ℥ ſ. cum oleo chamæ. & terebenthina, fiat cerotum.

CONSILIVM LXXXII.

De ſtranguria dyſuria & iſchuria.

D. Deliure circa menſem Maium modo ſtranguriâ laborauit, modo dyſuriâ, iſchuria aliquando, purulentum minxit limpidum τὸ μυξῶδες tunc dixiſſes verè φλέγμα πυῶδες, aut τὸ πύον φλεγματῶδες, ſanguinis concreti grumi excernuntur, denique abominanda erant omnia quæ per vrinam, & cum vrina excernebantur, hypochondrium ſiniſtrum efflorebat & intumebat, ſplenem laborare & induruiſſe ſuſpicabantur, foris & intus medici vtebantur remediis reſpicientibus lienem, intereà ren ſiniſter coafficiebatur, & iam calfactus fotibus ſplenicis & decoctis vicinia ipſa lædebatur, de eo ægroto hæc tria notanda; Primùm temperamentum bilioſum valde, hepate intemperato: Secundo ante annos 25. de lumborum dolore querebatur: Tertio, gonorrhœa ali-

quando laborarat & dum grauia symptomata & dolores pateretur ad partes vrinarias, renes, vesicam, etiānum medici splenem curabant, rati fortè eas vrinas vitiosas indices esse exonerationis ipsius lienis, non raro enim id contingit. Ideo formulæ remediorum similiter pariterque dicabant operam & reni, & spleni. Sic forte paulum temeraria fuit medicatio, (pace medicorum dicam, à more enim meo alienum est quemquam suggillare, ne dum artis nostræ magistros & officij societate consortes & collegas) quia quod spleni consulere poterat, renem laborantem lædere poterat. In excretione obseruatur materia, modus excretionis.

Materia & modus excretionis obseruatur.

Si hoc, vel illud totum renale est, & successu temporis vrinariæ partes mittentes, ducentes, excipientes laborarunt.

Materia.

Excretio multiplex qualis affectis renibus esse solet, ideo fallaces sunt in renalibus vrinæ, materia, pus, sanies, tabum, vrina tenuis, crassa mucosa, vlcus renis antiquum notāt: mucosa bifariam, aut ob pituitam purulentam, vel pus pituitosum; hinc excretio mucosa, & ob quoddam vlcus fit sæpè talis, vel quod partes membranosæ spermaticæ, iam dissoluuntur, aut tale proprium excrementum colligunt & excernunt, id quod Gal. docet libris de articulis.

Ea vrina mucosa, aut calculum in vesica significat, aut oris vesicæ vlcus, aut veterem affectionem vesicæ ad part. 65. l. 3. de art.

Tertia ratio ob peculiare vitium parastatarum, vt in iis qui gonorrhœa laborarunt, vel calculum in vesica habent.

Modus.

Nunc de modo, modus est stranguriosus, qui senibus est familiaris ob pituitam salsam, dysuria est aliàs ob infarctum & obstructionem & humorum confluxum in partes vrinarias. A splene stranguria quædam esse potest. At nec tam facilè nec tam diuturna est.

Sic hîc renes accusandi sunt omnium iudicio.

Et tamen splenica sunt data toties, hic lien fateor laborat vt signum, non vt causa; quia quibus lien efflorescit, iis corpus extenuatur & docet male administrari œconomiam naturalem, vt signum & ministrat materiam ob viciniam: immo ren potest quadruplo maior esse etiam consumpta carne & facere opinionem tumentis splenis, id quod obseruauimus.

Gonorrhœa quæ olim præcessit maximè in causa & relinquit in lumbis dolores & querelas: item symptomata memorata facilè inducere potest affectis viis vrinariis, stranguriam & dysuriam.

I. Aquæ naturales.

Laudo vsum aquarum naturalium, offendunt tamen siccatos &

emaciatos, tamen si vlcus renis in causa est, ab iis non desistendum: curato vlcere tabes & marcor desinet, Balnea conferent, purgatio ex lenitiuo, phlebotomia frequentior ex basilica sinistra valdè proderit, si hemorrhoides sese offerant excipiantur.

Purgatio.

Si suspicio carunculæ in vrethra, huic consulatur quadrantibus remediis, iniectiones fiant frequentes.

Lac asinæ & mane & vesperi, ni hypochondrij affectio dissuaserit, sed experiundum.

2.

Hydromeli probo, fugiatur oxymeli præscriptum, & diuretica detersfundunt & ardorem vrinæ cient.

Nec probo splenica nimis detersoria, nimis sanguinem detergunt sero detracto, & venas aperiunt.

In supressa vrina succus amyd. dulcium, supradictum: hydromeli parabitur etiam cum herbis vulnerariis, non multum calfacientibus & aperientibus; conserua rosarum in bolo & potu.

ANNOTATIONES.

1. *Cum æger olim Gonorrhœa laborarit, videndum num etiam hydrargyrosim passus sit, aquarum enim naturalium vsus (maximè earum quæ vitriolo imbuuntur) nociturus esset: nam dicuntur nocere iis qui vncti fuerunt in lue venerea, ratio est quod odium interuenit calcantho, quo illæ aquæ imbuuntur & argento viuo, quòd à calcantho dicunt cogi, coerceri, & colligi, vnde postea id argentum viuum magis vires exercet in partes & eas corrumpit.*

2. *Lac in magnis doloribus, idque recens mulctum, dolorem mitigat, ardorem temperat, vlcera abluit, deterget, illinit intestina, solidat, roborat, vim acrium humorum obtundit, eorumque malignitatem reprimit, nec terreri oportet initio si obsit, perseuerandum experientia docet, fit enim vt tempore lac refrænet, & contemperet cacoëthiam & prauitatem humorum in corpore turgentium, sic Hipp. 2. de morb. mul. exhibet in fluxu muliebri bilioso, lac asininum, aut serum, eâ tamen cautione vt lienosa non sit mulier, aut flatuosa exanguis,* ἤν δὲ ἡ φύσει σπληνώδης ἢ πνευματώδης λείφαιμος μήτε ὀῤῥὸν μήτε γάλα πινέτω, *ideo non abs re obseruauit author lac asinæ minime profuturum præsente aliqua hypochondrij affectione, puta tumore, obstructione, aut duritie.*

CONSILIVM LXXXIII.

Ad fluores muliebres pro D. præposita.

RAtio victus pernecessaria in primis, diligentissimè corpus purgandum aliàs decocto foliorum sennæ mundatorum cum pinpinella, plantagine, betonica, bugla, sanicula, melissa, radice oxalidis, adiicitur & rhab. & syrupus rosarum pallid.

Aliquando conuenient pilulæ tempore frigidiore.

Pilulæ. ℞. Pulueris hieræ, picræ ℈ ij. rhab. ℈ iiij. massæ pilularum sine quibus ʒ j. pulueris ireos florentiæ & castorei añ. ʒ ſ. ligni aloës & pulueris guaiaci añ. gran. 8. fiet massa. possunt addi trochisci de camph. ladanum & agaricus.

Aliquando deglutiat vel in forma liquida ʒ ij. terebinth. vel in pilul. cum pauca mastiche & saccharo.

Tabellæ. Tabellæ triasantali triplo, aut quadrup. rhab. addatur crocus martis vel chalybs ipse præparatus, aut rhabarbarum conditum cum syrupo violato, sectio venæ: si sanguis impurus, audentius erit ex vtroque brachio demendus.

Fiat aqua ex maceratione rhab. qualis datur puellis decoctum fragariæ, aut sarsæparillæ, aut schinæ addito cinnamomo puluis terræ sigillatæ ex luteo oui.

Ambra griseae x eodem luteo.

Conserua rosarum in frequentissimo vsu addi postet bolus, aut terra sigillata.

Puluis. ℞. Pulueris elect. diatrag. frigidi & diaireos añ. ℥ ſ. coriandri conditi & fœnic. conditi añ. ʒ j. quatuor seminum frigidorum, maior, & papaueris albi añ. ʒ j. boli armenæ, & pulueris elect. diarrh. abb. añ. ℈ j. pulueris chalybis præparati & tartari præparati añ. ʒ j. sacch. rof. ℥ vj. rasuræ eboris ℥ ſ. fiat puluis. Æstuarium conferet, sed maximè aquæ Spadenses aut Niuernenses.

Sed & sarsæparillæ, aut ligni indici, aut schinæ decoctum maximè profuturum profitebor.

An ad fluorem muliebrem balneum vtile, vt ad alui profluuium ex Galeno. dubitari potest.

Saccharum candum valet, puluis rad. pentaph. & lignum rhodium.

CONSILIVM LXXXIV.

Pro Iacobo Memmæo raucitatem conquerenti.

AD ea symptomata, de quibus querela est, remedia quidem medica non negligenda, tamen hic ægritudo potius est quam ægrotatio, sic ab animo potius repetenda sunt quam ab arte quòd ad has miserias occalluisse iam debet: ista enim ægritudo non solùm miseria est, sed est carnificina, tabem enim affert, cruciatum, fœditatem, lacerat, exest animum, conficit. Omnis medela animis præsentia. Vitia vocis sensim atque sensim accrescunt, nec solum contumelias iniuriasque aëris sequuntur & humores, sed animi pathemata, quæ omnes naturæ actiones peruertunt. Ideo Claudius apud Sueto. vocis modulandæ corrigendæque ergo musicæ studium amauit, meditabatur, exercebatur clystere vomituque purgabatur pomis & officientibus abstinebat, & blandiente profectu tandem prodiit, pronuntiabat dulci & proprio oris sono. Augustus dabat operam phoniaco qui vocem leniret, ac remitteret. Quibus patet moderatis actionibus corporis & animi, animique tranquillitate calorem naturalem foueri, pulmones temperari, vocem quoque pro rauca & fusca, leuem reddi, & canoram. Cassia lingenda, aliquando in bolo deglutienda, habeat paratam confectionem de rebecca venetianam conseruam rosarum, & de floribus vngul. caball. glycyr. mandat, pugillus aut buglossi, aut bipinellæ cum priuatim cibum capiet in vino macerabit.

Animi pathemata alterant vocē, & in viribus & in qualitate.

1.

Purgatio. 2.

Passularum vsus si reperiuntur.

Manna si habetur cum carnium decocto.

Succus amygd. dulcium.

Tabellæ aut hypoglottides.

Tabellæ.

℞. Pulueris elect. diatrag. frig. ℥ vj. electuar. diaireos ℥ iij. sacch. candi ℥ j. ras. ebori s, cornu cerui añ. ℈ ij. conseruæ rosar. ℥ ſ. cum saccharo in aqua ros. soluto, adiecto pauco diatrag. frig. & tantillo cinnamomi, fiant tabellæ vel formulæ.

Valebit & linctus mellis puriſſimi, ſumere ficus vel coctas, vel crudas prodeſt, & melicratum, terebinthina linctu ſumpta ſi ingrata nimis non eſt, ſyrupus de glycyr. pomatium. vſus ptiſſanæ.

ANNOTATIONES.

1. Ita animus mœrore percellitur vt corpus ſuſtinere nequeat ac velut ſequatur omnium membrorum ruina, ait, Donat. in Adelph.

2. Confectio de Rebecca expectorationem iuuans, ſic parari ſolet Venetiis. ℞ glycyr. minutim inciſæ ℥ j. ſ. rad. ireos flor. ʒ ij. inſund. in aqua roſac. duos dies coqu. in ℔ j. ſacchari cum gummi tragacanthæ f. baculus ad vſum.

CONSILIVM LXXXV.

Pro D. du Breuil cephalalgiam patiente.

NOs ex ſcripto medici nonnihil ſubolfecimus de morbo dominæ iam ſemeſtri capitis dolore affectæ & afflictæ, ſubolfecimus quidem non intelleximus, quia adeò ieiunum ſcriptum ſterile & ab artis imperito profectum vt rem tantum attigerimus, id quod in re quæ eſt tanti momenti & tanta perfunctoriè agendum nō fuit, nam aut actum agemus, aut re non intellecta periculum ægræ creabimus more eorum qui ad ſcopum non viſum collimant, vt quo fors tulerit tela ſcopum alludant non feriant, itaque domeſtici medici imploramus ingenium & ſolertiam qui ſolus rem acu attinget. Nos videmus melancholiæ in cerebro fixæ iam ἐν τῇ ἕξει exiſtentis magna eſſe argumenta. Quo malum immedicabilius eſt, leientericus fluxus œconomiam naturalem fatiſcere declarat, & ni nos medicus ab ea opinione retraxerit, eam ſequimur ſententiam, nec ſuis patrociniis deſtituta eſt: candor dominæ laborantis morumque ſuauitas debet nos pellicere, hortari, 1. imo cogere vt tantam mali acerbitatem, aut tollamus, aut leuemus, tollere ἀδύνατον.

Extat enim illud Hippocratis oraculum: Quibus dolores ſine manifeſta cauſa fiunt, diuturni in toto capite, & debiles fiunt gra-

cilesque, his prædicendum morbum priore grauiorem esse &c. Vide plura apud Hippo. ad hanc ægram accommodanda, item illud eodem in loco: Qui à multo tempore apparent & facies subtumida, eos capite dolere scias &c.

Interea blando vsu rhab. ægræ consulatur, item pilularum de hiera cum puluere diamarg. frigidi. opiatæ corroborantes valent, apertio venarum frontis, aut arteriarum si dolor vrgeat, præcedat tamen apertio venarum brachij & hæc pro vitium modulo, cœlo benigniore fotus capitis ex malacticis addita senna, sed amica consolatione fibræ illius ægritudinis quę iam altius radices egerit, sunt elidendæ, & si qua sunt quæ eius animum exasperare possunt, ea notitiæ substrahere oportet. 2.

ANNOTATIONES.

1. Morbi (ait Seneca in epist.) aut sunt longi, aut præcipites: longè dant intercapedinem & refectioni locum atque inducias: breues autem & præcipites citissimè, aut extinguunt, aut extinguuntur.

2. Ægrotantis animi Medicus est sermo, ægritudo autem non solum est miseria, ait Tull. sed etiam carnificina, exest animum, corpus conficit & tabem inducit facilè dein verò experientia verum deprehendere licet eos quos animi ægritudo & tristitia in morbum coniecit tanquam primaria ac externa causa, aut lethaliter, aut grauissimè ægrotare vix enim ægri, si liberari debent etiam rebus omnibus rite factis & administratis, liberantur.

CONSILIVM LXXXVI.

Pro muliere carnotensi febre lenta laborante.

SPecies febris consideranda primùm, dein tempus quo nata est, denique procatarcticum. Omnes facilè præhenduntur morbis suæ tempeciei propriis. De externa causa ægritudo fuit morbus animi amissis liberis, mulier autem ob infirmitatem iudicij faciliùs altiùs afficitur, & ob mollitiem corporis, nec enim ei adest ad resistendum facultas: de animo mulierum notandum 1.

Omnes congeneribus temperiei suæ morbis præhenduntur. Gal.

illud Gal. cum vitale robur infirmum est, animi vero pathemata valida, facilè animi essentia dissoluitur, hinc iræ, hinc odia, & iræ quidem lenibus de causis, quia animum qui (benè & præclarè vt loquitur Comicus) gubernat, mulieres ipsæ infirmum gerunt. de animo hactenus, de corpore nunc, illud est Hipp. qui sunt blæsi lingua quæ hæsitant patiuntur morbos fortiter melancholicos, quia cerebro vt molliori & effœminatiori facilè imprimuntur fuligines & tetri vapores ab æstuantibus visceribus, à pulmone præsertim excitati.

2. Epid.

Vt ad morbum animi reditus sit, tanta est vis ægritudinis vt œconomiam naturalem perturbet declarat ob mœrorem febris hectica quæ primo præhendit quod aliàs successu temporis euenit, mœror vno quasi ictu plus facit quam humores, qui longas febres procreant.

Tempus vernum fauet quod salubre est, quodque si recipit corpus sanum, illud in eo statu conseruat, ait Gal. hic non tam efficientis quam suscipientis causæ ratio habenda, at hoc anno efficientis causæ magna fuit vis, ver enim siccum fuit & aquilonium, at cum tempestiua tempestiuè non fiunt, morbi fiunt inconstantes & difficilis iudicij ; dein habenda quoque ratio suscipientis causæ : nam licet per apho. quartanæ in æstatem incidentes sint breues, contrà fit si lien sit infirmus, ait Hipp.

τοῦ ποιητικοῦ & ἐπιδεκτικοῦ habenda ratio in morbis.

Species febris erratica & in morbis longis humor maximè melancholicus gignitur pro reliquiis febris, dolor à pastu in ventre: tussis quæ à splene esse potest denique id totum hypochondriacum, ideo clysmi laudantur. Cathartica blanda, balnea, phlebotomia syrupus sabor, fotus, limatura chalybis, tabellæ triasantal. cum rheo.

Hinc Aëtius conualescentes melanagogo purgandos esse dicebat.

Hic dolor à pastu vel est notha colica febres longas sequi solita vel proprius hypochond.

ANNOTATIO.

1. *Huc alludit Aristot. dum ait, omne imbecillum natura querulum esse. Et Seneca lib. 2. de ira Senes, ait, difficiles sunt & queruli, vt ægri & conualescentes, & quorum, aut lassitudine, aut detractione sanguinis exhaustus est calor. In eadem causa sunt siti fameque rabidi & quibus exangue corpus est maligneque alitur & deficit. Eamque ob causam iracundiores sunt valetudine, aut ætate fessi. Vetus prouerbium est à lasso rixam quæri. denique quibus quauis ex causa corpus infirmum est iis animi pathemata valida sunt.*

Morbi

CONSILIVM LXXXVII.

De tinnitu aurium.

MOrbi cerebri cum magni ſint momenti curatu ſunt difficiles & difficiliores ferè quàm cognitu. Et ideo Hipp. naturam diligentem in conformatione cerebri & eius repurgatione ſtatuit, vt vel ſuprà, vel infrà, vel intrà modum repurgetur.

Tribus de cauſis curatu difficiles ſunt, quia princeps pars, quia locus anguſtus, & vt dolor in anguſto maior eſt, ita ægrotandi & dolendi cauſa concluſa eſt: Tertio quia pars facilè inæquali intemperie laborat ob diſſimilem temperaturam parenchymatis cerebri & ardorem arteriarum, cerebri ἀναισθησίαν penè; contrà neruorum, & membranarum ſenſum exactum, hinc ſymptomata cephalalgica, cataphorica, catarrhoica & paraphorica. Iam verò agitur de ſtrepitu ſonituque & tinnitu auris, in quibus eſſentia conſideratur ex cauſâ, loci naturâ, facultatis robore. Omnia hæc cruditatis & flatulenti ſunt ſoboles ſpiritus: ſunt ſymptomata læſæ auditionis, quod in oculo cæcitas, hebetudo & error, ideſt ſurditas, tinnitus, ſonitus in aure: differunt tamen, bombus enim exolutionem partis cerebri, vnde vis audiendi manat, ſequitur.

Dolor in Anguſto ait Senec. ideo aurium, dentium, dolores ſunt atrociſſimi.

Bombus vt à tinnitu & ſonitu differat.

Ceterum hæc vel ex acuitate ſenſus, vel vitio inſtrumenti, vel per ſe in cerebro, vel à partibus ſubiectis, primario, vel ſecundario.

Per ſe continuus eſt, tamen affectio quæ initio erat per ſympathiam, tandem per protopathiam fit, cauſa in ægro fuit externa, ſed eam iuuit facilè diſpoſitio partis corporis & humorum: at vero Celſo authore valetudinarij viuunt, qui corporum ſuorum robora inquietâ agitatione & vigilia minuere ſolent, & Hipp. pertinax vigilia cibos crudos & ἀπέπτους facit, quod huic ægro contigit, nam & cacochymus eſt, & pertinaci ſtudio ipſe inquies & aſſiduus inhæret.

Tertiò vlcus fuit in aure ab inflammatione, ab inflammatione autem vel abſceſſu, malum.

Obſeruatione verò dignum eſt facultatem corpus noſtrum diſ-

pensantem, seu naturam; ita in corpore omnia temperare vt harmonia quædam sequatur, & omnium actionum integritas: contra fit si quid intemperatum, inæquale, anomalum, & maximè si partes contrario temperamento præditæ. In hepate & ventriculo id fit, item maximè in cerebro, hinc vertigines, palpitationes cordis tinnitus. Sonitus aurium, & tamen naturâ cerebrum frigidum est, imo ab Hippo. frigidi & humidi sedes, & metropolis dicitur.

Tinnitus in iis symptomatis numeratur, quæ in affectione corporum consistunt, vt colorum mutatio ad visum refertur, ita ad auditum tinnitus: differunt tamen in hoc, nam si ad affectum simplicem referuntur ab actione læsa sunt; si ad actionem læsam proximè à morbo pendet, vt soni, vel ab angustia, vel à flatibus, In tinnitu flatus eliditur, & interrumpitur quod facit materiei tenuitas, robur facultatis, angustia loci. Bombi causa flatus crassior bombilans more apum, & ferè est ab exolutione quadam partis illius cerebri à qua vis audiendi deriuatur, vt ante dictum.

Ad tinnitum præcedentem, in iuuene cacochymo cerebrum studio pertinace fatigante, iam abscessum auris passo, cum magno iudicio sese gerere oportet, quod impuritas est sanguinis & in toto corpore & in cerebro maximè, præsertim verò quod in ea familia facilè congeritur putre & indomitum serum, quod eam valetudinariam efficit. Decreto medicorum, & exacta purgatio, detractio sanguinis, balnea, & decoctum sudorificum est institutum à quo benè fœliciterque habuit.

CONSILIVM LXXXVIII.

De cachexia pro vxore Gaij.

Et quoniam intemperantia prauusque victus fœdū hunc affectū induxit; sunt autem morbi supplicia luxuriæ & intemperantiæ vide Senecā epist. 2. l. 15.

IN hac ægra partim se prodidit nobis ægritudo, partim ægrotatio, vt iam languor quidam esse videatur: ac ægritudo quidem, quoniam animo sibi multa finxit, quæ efficiunt vt animus sit inquies & irrequietus, & cum mulier sit, ob mollitudinem corporis & animi iudiciique imbecillitatem, altiùs se penitiusque imprimit ægritudo, iuxtà illud Galeni; Quibus vitale robur infirmum

est,animi vero pathemata valida,iis animæ essentia facilè dissoluitur,vt paulò annotauimus.

Ægrotatio in hoc quòd febris lenta, dolor capitis hemicranicus,lentitudo corporis,deturpatio coloris, & pro viuido & nitido, penè subuiridis,& cum virore pallidus,menses decolores:denique cacochymia,quam proximè sequitur cachexia à prauo corruptoque sanguine,quo tantisper partes fruuntur, & aliter fit quam in ἀτροφίᾳ, quia nutritio non fit: hic vitiosa nutritio per labem alimenti,siue externi, siue interni, vnde Galen. etiam in cachexia sanguinem suam seruare συμμετρίαν ait, licet corpus eo grauetur, sed suam symmetriam quidem seruat, τῷ πλήθει,id quod omittitur in textu Græco.

1.

2. Com. ad aph. 57.l.5.

Hunc morbum & συνδρομὴν horum Hipp. expressit miro modo. Quibus colores dum iuuenes sunt,praui sunt & longo tempore non admodum icteri,hi seu viri seu fœminæ capite dolent, lapides & terram comedunt & hæmorrhoidas habent, quæ omnia concurrunt in hanc ægram, prauus color, diuturnus dolor capitis, pica, hæmorrhois; hæmorrhois autem in muliere morbus est ex Celso & Aristotele;in viris purgatio est naturalis, in muliere non item, & vt signum & vt causa.

2.Prorrh.

Hæmorrhois in muliere morbus in viro sanitas ex Cels. Arist.

Vnde quæstio an in humoribus morbus hic consistat, an in dispositione quadam praua & quasi habituali & hectica affectione: si in humoribus,in euacuatione & purgatione spes est.

Si in habitu & ἐν τῇ ἕξει, vt aiunt, vix arte corrigi emendarique potest,vnde Gal. com.in lib.2.prorrh.in vitiligine & leuce iam dispositio & habitus iam introductus,& licet humores omnes euacuaueris,nihilò magis proficias.

3. *Lib. de locis in hom.*

Et Hipp.4.acutorum sub finem,pallidos,decolores & subtumidos non purgabis, ἀχρόους purgare non conuenit, & in Aphorismis. Qui salubritatem corporis habent,& qui prauo vtuntur victu ægrè in purgationibus habent.

Et Aëtius loquens de melancholicis & epilepticis, ait eos iuuari vsu hieræ Archigenis cùm nullam bilem excreuissent, sed quòd malus habitus membranarum cerebri exteritur,datur parua quantitate,vt non fiat euacuatio condigna.

Locus hic admirabilis Aëtij medici serm.2.primæ tetrabibli.

4.

Quo fit vt Hipp.lib.Epid.pallentibus ad coloris suauitatem,calore foras reuocato ὀξυθυμίαν consulat, lætitiam & in nimia confidentia metum,prout aut lætitia excitandus animus, aut metu, si confidentior sit exanimandus & proiiciundus.

In eo maximè laboratum est, vt daretur opera & purgationi humorum, propter cacochymiam, & ipsi cachexiæ corrigendæ, quæ leuces, vitiliginis & elephantiaseos sæpè est antesignanus, intemperies enim inusta impressaque partibus corruptionis alimenti causa existit, & quod facit prauus cibus assumptus, idem facit genitus ob intemperiem partium ipsarum. Generatur enim virosum alimentum quo natura etiamnum fruitur loco melioris alimenti, vnde tandem habitus cachecticus introducitur. & Galenus explicans cur in purgatione exoluantur ij qui prauo vtuntur alimento, per eos intelligit & qui capiunt prauum alimentum & qui iam contentum habent in corpore, & vitiosa dicuntur alimenta per relationem ad prauum sanguinem, qui ex iis generari debet, nunquid enim quod externus cibus prauus facit, idem non faciat alimentum bonum, corruptum autem propter maleficum calorem & febrilem siue à natura datum siue introductum.

Quod facit cibus cacochymus id facit genitum alimentum ob partium intemperiem.

Plura in Ballonij comm. in apho.36.l.2

Ad eam intemperiem natiuam dominæ ægrotantis consuluntur aquæ spadenses, item & blandum decoctum scynæ ad consumendum virus, quod prauæ nutritionis causa iuuans & insuauis prauique coloris, cum enim gignitur succus per coctionem, is licet nutriat nutritione largius sumptâ, tamen is εὐχροιαν non inducit, item excrementa alimenti nocentiora sunt & fastidiosiora quam in aliis temperamentis & augent fouentque primam intemperiem primamque mali labem, ideò purgatio valet frequens vt ne malum augeatur peiusque sit homini viuenti quidem & prima sua sanitate qualicumque vtenti.

Instituta enemata hypochondriaca & hysterica. Apozemata cum senna agar. rheo & syrupo de pomis, balnea.

Cauteria brachio, fotus chalastici ad lienem.

Aquæ spadenses, pilulæ ad prouocandos menses.

ANNOTATIONES.

1. *Lib.2.Epid.sect.1.Hipp.locus notandus & huc pertinens. Color est qui multum pallidus est, & ex candicante pallet, quia omnis huiusmodi ab hepate est inde fiunt hepatici in iis morbis, & morbi regij ab hepate, & qui à splene sunt nigriores. &c.*

2. *Nil tam vulgare est quam nomen cachexiæ quæ τῇ εὐεξίᾳ contraria est: in vtraque moles corporis plena satis est & vber, sed in cachexia torpor est, & lentor corporis, in habitu autem bono & lauda-*

bili est alacritas. Illic carnes subtumidæ, quales in facie cadauerosa Comici, vbi caro, quasi cadauerosa liuore, & rubore quodam infucata & personata tumidulaque apparet. Duplex est autem cachexia, vniuersalis & particularis vt ex longa lippitudine oculis euenit: vniuersalis ferè à iecore est quæ triplex censetur. Vna pituitosa quæ in virginibus apparet, in quibus flos nitorque faciei decutitur deperitque. Secunda melancholica quæ vt in elephantem leucem, aut vitiliginem pituitosa terminatur. Tertiam Galenus Aqueam cachexiam vocat, sanguine in aquam conuerso. In cachexia vitiosa nutritio est, nutritio tamen quia apponitur alimentum parti, & licet sanguis sit vitiosus, est tamen sanguis, ideo ab atrophia differt in qua nutritio non fit, carnesque liquantur & corpus fit exuccum sensim, strigosumque; quanquam autem Fernelius differentiam posuerit inter καχεξίαν καὶ ἀτροφίαν tamen aliter quibusdam esse videtur, Gorrhæus enim cachexiam in solidarum corporis partium deprauatione statuit qua alimentum omne corrũpitur. Tertia enim coctio in habitu fieri solita malè perficitur & alimentum corrumpitur inducitur enim cacochymia quam excipit cachexia, & quia corrupto alimento non potest bona nutritio contingere, sequitur vt cachexiæ ἡ ἀτροφία succedat in quo à Fernelio lõgè Gorrhæus discrepauit, in cachexia enim moles carnis apparet foueturque qualicumque sanguine: sed cachectici habent aliquid faciei cadauerosæ, in atrophia collabitur moles; Et Celsus definiuit cachexiam per tabis speciem vbi malus corporis habitus est, sic morbum per symptoma definit. Tamen longè interest partem tabescere omnino, aut aliquatenus nutriri assimilatione & adhæsione facta ad partes solidas, licet deprauatio sit alimenti, vnde vitiliginosæ virgines & elephantici carnem & molem habent, nisi forte dicas tandem in atrophiam desinere ipsam cachexiam, si diu duret, aut ipsam tumidam carnem & quasi cadauerosam cachecticorum impropriè carnem dici & impropriè nutriri. Quo pertinet illud Arist. Cur qui vitioso cibo vtuntur & fame diutina laborant, pedibus intumescant per tabem consumptionemque, id euenire posse putat, tabescunt enim qui esuriunt, & qui vitioso fruuntur alimento, natura enim abhorret & mauult suum fraudare genium, quàm tale capere alimentum: qui fit ergo vt cum prauus sit sanguis nutritio fiat in molem & tumorem habitui athletico similem, nisi quod color non est genuinus & floridus. An alimentum in suis fontibus corruptum est, & appellens ad habitum corporis non hic corrigitur, sed retinens aliquid de vetere inquinamento nutrit etiamnum partes? An in suis fontibus

Donatus in Hetyra. Gal.

Lib. 1. de alimentis cap. de lente.

Qua ratione cacochimia tollit εὐεξίαν & καχεξία τὴν εὐχυμίαν vide apud Duretũ in append. c. 11. l. 3.

Fernel. lib. consil. & path. c. 7. l. 6.

Virgines fiũt aliquando leucophlegmaticæ, tertia autem est hydropis species de hac leucophlegmatia & cur pituita alba κατ' ἔξοχην dicatur accurate vt solet omnia Hollerius.

Arist. probl. 5. l. 1.

bonum, sed alludens affluensque ad habitum vitio morboque ipsius habitus talem qualem nutritionem, molem & characterem facit, vnde qui prauo alimento, aut eo facilè corruptibili fruuntur, tument turgentque, sed praua nutritio vocatur, & qui calida siccaque habent viscera, partesque solidas, & ad melancholicum temperamentum vergentes (nec enim melancholici tantum dicuntur qui humorem melancholicum colligunt, sed qui tales sunt τῆ ἕξει & partibus solidis) capto etiam euchymo alimento non pinguescunt, mirabiles enim sunt naturæ effectus. Vnde in aliis locis mouimus quæstionem, qui fiat vt in habitu corporis sit multus adeps, qui à puriore sanguine est item bonitasque coloris, cum tamen viscera ipsa, idest hepar & lien putria appareant.

1. Epid. Ball.

Imo maior quædam quæstio, num ipse habitus peculiarem quandam naturam habeat, vt habeat quoque suos morbos non repetita origine à partibus internis. Partes enim extimæ corporis dicuntur à Galeno naturà imbecillæ, vt pote in quas, partes internæ vt primariæ & principes, inquas (inquam) vt depositarias suum virus amandent & ablegent, quin & habere suarum actionum vim, non ab hepate, aut aliunde mendicatam Galenus autor est, sic suam quandam naturam habent suum ministerium suas vires & genium, suam sanitatem, suos morbos.

Lib. de locis affect.

Virgines illæ fiunt sæpè leucophlegmaticæ licet bilioso sint temperamento & sitibundæ tamen Gal. inter eos qui temperamento sunt frigido leucophlegmaticos recenset ad part. 70. sect. 3. lib. 3. Epid.

Cum quis diu ægrotat & non purgatur, ferè carnes liquantur & corrumpuntur, & fit aqua. sic fit hydrops, ait Hipp. libro περὶ παθῶν, & sanè in cacochymis id fit, & tandem in cachecticis, si corrumpitur caro quà aqua fit: nam lib. de carnibus Hipp. ait per putredinem omnia crassescere.

4. Virgines quarum pallet fœdataque est facies, ferè omnes cachecticæ sunt. Sed inter symptomata quæ eas virgines comitantur, est gressus impotentia & difficultas spirandi, vt ne minimum arduum possint ascendere, vnde hoc? An ratione febris? cur alij grauiùs febricitantes non sic habent? an ob flatus? cur qui colico dolore laborant, & omnes hypochondriaci flatuosi non sic habent? an ob obstructionem? cur iis qui longis morbis à forti obstructione natis infestantur non idem contingit? an quia diaphragma premitur? vnde in aliis idem contingeret, at non videtur ferè quid simile in aliis. an quia cor intemperie laborat? idem in febricitantibus non cernitur. An ratione sple-

ni[illegible] ſæpè non tumet, idem in quartanarios & quibus induruit ſplen, caderet. An quia ob prauam nutritionem partium, non aucto, ſed mutato & vitiato ſanguine totius corporis eſt νωθρότης lentitudo, grauitas, ita ipſa viſcera partes quæ internæ ſunt ponderi ipſi naturæ; maximè hepar & pulmo, vnde grauata natura non poteſt molem corporis ſuſtinere, cor non refrigeratur vaſis quaſi collapſis, vt obſtructio ſit & attenuatiua & obſtructiua: cauſa illius δυσκινησίας crebriori ſque ſpiritus, aut in greſſu, aut in aſcenſu mihi videtur cognitu difficilis, ideò meas coniecturas tantum attuli, ſed reuerà in fœdis coloribus magna eſt obſtructio, & quaſi omnium vaſorum στενοχωρία, vnde ſpiritus ſuas non habent διόδους, motus, & mæandros, vt idem virgunculis contingat, quod iis qui incubo laborant, in iis enim quaſi perpetuus incubus eſt.

Cauſa greſſus difficilis in fœd. color. ob vaſorum anguſtiam ſpirituumque interceptionẽ.

Duretus cap. 13. 2. coac. lib. non id tam refert ad neceſsitatem inſpirationis, quam expirationis, ob fuliginoſum multum excrementum, & vaſorum anguſtiam, eſt enim quædam intemperies hectica in ipſis arteriis.

CONSILIVM LXXXIX.

De tuſsicula & ſpirandi difficultate cum ſuffocationis metu.

TVſſicula quædam tanquam paranymphus adeſt, poſtea tanta difficultas ſpirandi, cum febre aliqua eum detinet, vt præſentis ſuffocationis metus adſit. Ea acceſſio iam ſexies eum afflixit, & cum quaſi de funere agitur, ecce oborta ſudatiuncula, dyſpnœa eum relinquit, & primæ ſanitati reſtituitur, quod mirum eſt.

1.

Huic malè conformatus thorax, ſternum eſt eminens & gibbum. Vnde quęritur, an à capite hoc, an à materiâ in pulmone, quę eum paroxyſmum committat, an à viſceribus cum ſplenicus ſit. Si à pulmone eſt, quî fiat vt tanto interuallo ſanus degat nil tale expertus; aiunt à viſceribus malum oriri excitato crudo vapore & craſſo qui dyſpnœam eam committit, nec ſinit ægrum quieſcere,

donec discussus fuerit. Id etiam in plerisque vidimus ægrotantibus.

An sit tantum quoddam incendium, fugax tamen in corde, quod καρδιωγμὸν improprie dictum, id est crebrum & celerem motum cordis affert, de quo ante hoc in libro, vt hic idem fiat quod in palpitatione cordis, prout enim vapor, aut in has, aut illas partes sese insinuat, ita varias edit affectiones idem forte est quod in ephialte.

Vide aph.12. l.3.

An suffocantis catarrhi species est respiratio præparata in qua æger ita est affectus, vt ni certam figuram deligat non possit animam ducere.

An sit tantum paroxysmus febrilis, in quo non est nouum oriri quasdam ἀσφυξίας, conuulsiones, incubum, vertigines, spirituum interceptiones, manuum palpitationes, quæ aut diuturnæ febris signa sunt, aut breuis in deterius iudicationis.

Hipp.l.de iudicationibus & Gal. aph.34 l.4.& 12.lib.3.vbi agitur de catarrho suffocante.

Victus ratio præscripta, vena secta, bechica instituta.

Purgatus est syrupo magistrali, post cuius vsum pristinæ sanitati fuit restitutus; dum hæc scribimus agitur septimus ferè mensis, ex quo malum non recruduit.

ANNOTATIO.

1. *Difficultatem spirandi adfert angustia pulmonum, compreßio à peruersione spinæ pectoris depreßione, tuberculo, item vasorum obstructio, ab humorum copia, conniuentia eorumdem, ex marcore pulmonis, substantiæ adhæsus pulmonum ad latera. Ad crassos & obstruentes humores educendos valent, quæ moderatè humida, si viscosi, non solum opus humiditate, sed & detersione, ex acidis: sic melicratum ad crassa, oxymeli ad viscosa conducit. Deinde ptissana, & vinum dulce, si & peripneumonia & pleuritis cocta sit, nullaque adsit inflammatio, si sitim facit vinum non confert, impedit enim expectorationem, quæ autem iuuant nec sitim adferant, nec sint diuretica, ideoque aquæ naturales pulmonicis nociuæ, quod ducant vrinas & expectorationem impediant, & acria omnia interdicuntur à Gal. in dyspnœa, fundunt enim sanguinem, & liquant & educta tenuiori portione craßius reddunt quod relinquitur & 6. Epid. sect. 4. de filia Agesij asthmatica locus præclarus est, quo interdicit acribus: at Gal. loco citato dum acria damnat, id temperamenti adhibet, vt pauca quanti-*

Diuretica nocent pulmonicis, quia sanguinem liquant & impediunt expectorationē. 13.l.5.simpl.

quantitate acria addantur liquidis, vt vtrorumque vsu valetudini ægrè respirantium consulatur.

CONSILIVM XC.

Pro muliere issodunensi splenica cum metu hydropis.

SYmptomata quæ narrantur docent lienem iamdiu malè affectum fuisse, dolor enim ac tumor conspicuus hydropis prænuntius, affecti lienis soboles est, qui ab humoris melancholici illuuie quodammodo distenditur ac turgescit: huius signa sunt respiratio crebrior & difficilior, præsertim in cursu & labore, aut cum in latus dextrum decumbitur, appetentia persistit, ventriculi tamen læditur concoctio, flatus sursum deorsumque erumpunt cum hypoch. sinistri rugitu quodam & murmure, corpus in dies macrescit, iuxta illud. Cum lien floret corpus extenuatur, attrahit enim vt molle corpus: carnes liquantur, humor in splenem illapsus relegatur aliò.

Prouisum ventriculo, quia morbus erat annuus & tumenti iamque scirrhoso spleni ventriculus compatitur, prouisum fotu, litu.

Aqua decoctionis ceterach, addito caryophyllo & cinnamomo valet. Aqua frigida interdicta.

De victu prouisum est abundè.

Præscriptus puluis digestiuus.

Syrupus magistralis ex rad. aperientibus in aceto maceratis, rubiæ, eryngij, helenij, symphyti, splenicis. Cortice tamaricis, semin. ebuli. Cortice capp. fraxini, vlmi, coctæ ℥ ij. foliorum sennæ. ℥ ſ. agarici, zingiber. cortex citri conditi additus ℥ ſ. electi rhabarb. addita, syrupus bizantinus.

Puluis ex limatura chalybis macerata in vino albo, cum coriand. sem. aut cum tabellis, aut pilulis conuenientibus.

Oxymeli paratum ex decocto florum genistæ, & ceterach clarum addito cinnamomo & caryophyllis.

Fotus ad lienem non ex malacticis solis (nec enim nimis molliendum metu cancri) sed ex rad. bryoniæ, helenij, sigilli beatæ Mariæ añ. ℥ß. rad. bismaluæ ℥ j. ß. seminis lini ℥ iij. floribus chamæm. cypero pauco, coctio facta in aqua & aceto sub finem addito.

Cataplasma ex ℥ j. ß. radicis bryoniæ, erucæ, sigilli beatæ Mariæ ℥ iiij. puluere chamæmeli, & ceterachcum lib. 5. axungiæ porci veteris.

Phlebotomia etiamnum præsente tumore aliquo consulitur.

Danda opera prouocandis mensibus, vsu pilularum ruffi, capillarium, rubiæ, cicerum rubrorum.

Primo vere vsus aquarum naturalium.

CONSILIVM XCI.

Pro vxore consulis de Goussencourt quæ à duobus annis ter, aut quater passa est effluuium sanguinis sursum deorsum.

AGitur de symptomate tertij generis in excretis & retentis. Excreta aut toto genere contra naturam, aut quantitate, aut qualitate, hîc & res quæ excernitur & quale & quantum consideratur, modus excernendi, locus quò fit excretio, quod excernitur sanguis est, res planè contra naturam & excretio symptomatica est, si menses & hæmorrhoides exceperis. Quanquam in muliere hæmorrhois morbus est, hinc aphoris. Sanguis qualiscumque dum suprà fertur, malus, infrà autem, bonus, cum niger exit, excretio mala per os, ni in muliere deficiant menses. Item Hippocrates ait, sterilibus vomitum sanguinis ad concipiendum prodesse, ergo in hac muliere excretio mala ratione loci.

Hæmorrhois in muliere morbus, in viris purgatio, ait Celsus.

In Coacis Duret.

Excretio fit ergo αἱμοῤῥαγικῶς vt loquitur Gal. id est per καταῤῥῆξιν Gal. laudat quidem excretionem deorsum si pauca sit, & non sit αἱμοῤῥαγικῶς seu ἀθρόως i. confertim. Item vult nigrorem sanguinis acquiri tarditate gressus, sic peccat quantitate, item colore; nam pici similis est, aut assatione, aut corruptione.

Lib. de sympt. diff.

Gal. distingui vult opus naturæ à symptomate.

Sic tria pro affirmante parte occurrunt, quòd per os ſanguis excernitur 2. per os 3. affatim multus; at ſymptomatica ſunt hæc omnia.

Contra pro negante, non omnis vomitus ſanguinis malus, vt de muliere antè dictum Plinius notat de Saturnino, qui quotannis ore ſanguinem reiecit & annos 90. vixit. Item apho. Qui ſanguinem euomunt, alibi eſt πλύουσι 1. expuunt, bonum, larga excretio melior eſt quam parua, ex doctrina Hipp. vt ante dictum in Epiſt. ad D. Laurentium.

Secundò Gal. ait multos habere lienem imbecillum, qui ab hepate ſanguinem non repurgat ſanguis ſuppreſſus ἀθυμίας gignit, excretus, vomitus cruentos.

Cap. 1. l. 6. de loc. affect.

Tertiò in melancholicis ſanguinis excretiones non omnino malæ, quod obſeruatione dignum eſt, melancholici flatu abundant, authore excretionis ſanguinis πτερυγώδεες ſunt αἱμοπτοϊκοί ob flatus.

1. Siue ſit eroſio, ſiue anaſtomoſis & velut ναυτίωσις venarum prauum ſanguinem eructantium, ſiue latens cauſa. Vereor in ſimili caſu cadat, niſi, ſoletur illud Celſi, Sunt hominum proprietates, ſine quarum notitia non facilè præſagitur, facilè quis ſecurus eſt, in iis quæ ſæpè ſine periculo euaſit. Ille ſolicitari debet cui noua ſunt, hinc Aphrodiſ. quærit. cur morbi frequentes minùs ſint periculoſi, quàm rariores. Mulier hæc reſtibilis fuit fœcunditatis hæmorrhoides aliquando paſſa eſt, hinc ſanguis aliò curſum inflexit, ſanguis ei mitti debet, & eo audentiùs quia fertilis fuit edicto Hippocratis.

2. *Lib. de ſuperfœtatione.*

Frequenter repurganda, quia cacochyma, & quia fuit hæmorrhoidalis, ſyrup. de pomis cum rhab. & folliculis, additis intyb. plantag. iuleb roſato, aperientia minùs quadrant, ne reſerent ora vaſorum, tabellæ triaſ. cum rheo, formulæ, ex bolo quas deuoret, lac aſinæ, conſerua roſarum frequens, à pilulis abſtinendum. caſſia cum rhab. valet, opiata ex conſerua roſar. & ſymphyti. lapide hæmatite corallis, terra ſigl. bolo. enemata.

ANNOTATIONES.

1. *Qui fit vt tanta ſanguinis copia effluxit & ita niger, & cur repetierit iam ſæpiùs ea excretio: ſi ruptum vas, aut eroſum qui fit vt non vniuerſus ſanguis effluat præſertim, ſi ruptum non poteſt tanta*

erumpere copia & putris & niger, nisi iam ante collectus fuerit, sed uantum sensim ex suis vasis effluit sanguis fit tanquam operculum uo ddam (Græcis ἐπίπωμα) quod impedit quominùs effluat vniuersus sanguis & vna cum sanguine anima, quod autem sanguis, & pus maximè sua crassitie impediant venarum, & arteriarum effluuium, & quod eo excreto, aut deterso aperiantur ora venarum, aut arteriarum, denuo docet Gal. in aphor. qui locus apprimè elegans & vtilis ad diagnosim.

Com. ad aph. 27. l. 6.

2. *Quæstio an frugalior, an liberalior victus dandus liberalior conuenire videtur ad contemperandum. de eo nos alio loco. sed & vnum obseruatione dignum est quod, in mulieribus fertilibus quas Hyppocrates μνησιτόκυς vocat, audacter sanguinem mittimus cum desinunt vtero gestare, vt fit in mutilatis, quibus cruenta succedit dysenteria.*

CONSILIVM XCII.

De affectione quæ dicitur ἵππος.

OCulorum affectio est ἵππος, insita & naturalis per quam illi non quiescunt, Gal. stridori dentium naturali comparat. dicunt non esse morbum, quod de eo nemo priscorum scripserit, apud latinos oculus pætus dicitur qui huc atque illuc mouetur & vertitur, & sic significaret illud quod ἵππον vocamus, quanquam sunt qui pætum interpretantur eum qui obliquis oculis in altum respicit, aut qui alterum oculum minorem habet. Alij Strabonem dicunt qui oculos distortos habet; pætum eum, qui oculos leuiter declinatos; tamen potiùs & pætus & ἵππος ad perpetuam oculorum mobilitatem refertur. Apud Hippo. contrariæ sunt affectiones ὄμμα πεπηγὸς & ἵππος; namque πεπηγὸς, fit ob immobilitatem musculorum oculos mouentium, immobilitatem; vel ob omnium oculi musculorum resolutionem, vel æquam contentionem, & quæ in neutram partem vergat. Equis autem cùm instabilis est oculus. In primo prognost. oculos vocat, ἐναιωρυμένυς id est instabiles, mobiles: interpres, delusus voce hac ἐναιώρημα quod in vrinis subli mitatem significat vocat oculos ἐναιωρυμένυς i. est sublimes

Com ad part. 24. l. 1. prog. & co. ad part. 11. l. aut sectio 2. prorrh.

Romæ pætorũ familia ob hoc vitium oculorum natiuum.

Com. ad part. 10. sectio 2. prorrh.

& malè (nisi alludat ad illud quod diximus pætum significare, qui obliquis oculis in sublime respicit) tamen oculus dictus ἐναιωρούμενος instabilem significat & oculus ἐνδεδινημένος καὶ ἐναιωρούμενος & ἀστήρικτος idem significat, item & πυκνὰ κινούμενος, & τοῦ ὀφθαλμοῦ στέλικτον καὶ ῥίψις καὶ ἐναιώρημα καὶ πυκνὰ κίνησις, idem sonant com. ad part. 27. sect. 1. lib. 6. Epid. vbi legitur ὀφθαλμοὶ ἐνδεδινημένοι Latinus interpres vertit *obtortos oculos*, meliùs *oculos intus motos & quasi vertigine affectos*. Cæterum oculus mobilis in morbis, aut delirium, aut tremorem musculorum oculi declarat.

Ενδεδινήμενος significat intus agitatum. Oculi ῥίψις apponitur τῷ θράσος cum æger confidenter & impudenter aspicit.

Author libri definitionum ἵππον bifariam interpretatur, equus est affectus oculi oculum firmantis, qui comprehendit basim visorij instrumenti, septimus quidam in oculo musculus est qui firmiter adhæret oculo à posteriori parte, per quem firmatur oculus, & neruus opticus quē ipse amplectitur. Idem author libri definitionum præter primam definitionem allatam τοῦ ἵππου, ait affectum esse ab ipso ortu, per quem instabiles semper sunt palpebræ : in posteriore definitione ad palpebras malum refert, in priore ad oculum ipsum, quæ opinio est castigatior & melior.

Vide com. Vega, in prognost. 6. l. 1.

Cæterum si ab imbecillitate est consumpta humiditate nimiâ, & comparata quadam firmitate ipsi septimo musculo oculum confirmanti, tandem ea affectio corrigitur, vt in puerorum epilepsia contingit. Calor enim naturalis certo tempore in humido multo facit suam ἔκλαμψιν vt Hipp. de quadraginta diebus notat ad finem libri de octimestri partu & eodem loco, ait elegantissimè Αἱ δυνάμεις ἀμβλύνονται ἐν μύξαις, id est, in mucco facultates hebetantur.

Ceterum credo pætos fieri, & ob calorem nimium agitantem, eo modo quo videmus irascentes mobiles oculos habere, & ob infirmitatem neruosi generis, cum vitium à calore est, delirij est nota, vt dictum antè.

Item aliquando affecta est neruorum origo, aliquando peculiaris est affectio ipsius musculi, non repetito & accersito altius principio.

Hæc instituta sunt puero ita laboranti.

Victus ratio tenuis pro ratione ætatis, cœna parcior, purgatio bis mense, ex senna & syrupo rosarum.

Vtatur aqua in qua coquantur passulæ, semen fœniculi addito cinnamomo.

Vtatur blandis masticatoriis addita nuce moschata, mandat saluiam.

Exercitatio antè pastus. Non dormiat à pastu citò.

Exsiccetur cerebrum sacculis conuenientibus, horâ somni, conseruæ conuenientes cum pauco puluere seminis pœoniæ.

Pyroticum nucæ colli.

CONSILIVM XCIII.

De dolore capitis & oculorum.

Dolor capitis contumax, & oculorum, qui filiam D. præsidis miserè & diu afflixit, adeo perduellis & rebellis fuit, vt omnia artis præsidia neglexerit. Is à materia fuit non simpliciter calida, aut frigida, sed à salsâ pituitâ per putredinem calida, quæ strumarum ferè author est, & hisce temporibus innumeris, & strumæ, & cæcitates præeunte dolore capitis & oculorum contigerunt. Pestilens fuit constitutio, quam præcesserunt ista mala, & inflammationes oculorum eadem materiâ loco apto cancros facit, adeó effrenis est, in cerebro non facit, aut quia aliò amandatur, aut ratione temperiei cerebri, id non facit, vnde quærit Aphrodiseus cur in mammis fit cancer in cerebro non fit; quia cerebrum & frigidum & humidum est, & sic resistit salsedini, aut acrimoniæ materiei cancrum genituræ, & ad eundem sensum Hippo. scripsit, cerebrum est sedes frigidi & humidi, & quasi metropolis est, calidum autem est pinguis sedes & metropolis; quod enim calescit, primum omnium quum diffunditur pingue fit, & ideò cerebrum quia minimum pinguedinis habet, plurimum verò glutinositatis, à calido exuri nequit, libro de carnibus. Victus ratio legitima instituta fuit, multoties sectæ venæ cum ex partibus superioribus tum inferioribus; temporum venis admotæ sanguisugæ, cucurbitulæ omoplatis, enemata omnis generis iniecta; frequentes purgationes institutæ ex senna, rheo, syrup. de pomis cum decocto. cephal. & hepat.

Cancer in mammis non in cerebro generatur ratione frig & humiditatis. aphrod. prob. 90 .l.1.

Hipp.

Malum ita rebelle fuit vt nullis ferè cesserit remediis.

CONSILIVM XCIV.

Ad Gonorrhææ reliquias.

TAntum malum non est vt maior quædam machina sit adhibenda. Repurgetur cholagogo, quia excretio est χολώδης.

De frictionibus ad inguina ex frigitiuo videbitur.

Institutus puluis ad gonorrhæam sequens.

℞. Quatuor semi.frig.maior.an.ʒ j. puluer. elect. diatrag. frig. corall.vtriusque an.ʒ j.ſ.antheræ ℈ ij.Karabes sem. myrtill. & cydoniorum,hederæ ℈ ij.puluer.scynæ ʒ j.ſ. liquiritiæ rasæ ʒ ij. tartar.vini ʒ j.ſ.sacchari rosati q.ſ.fiat puluis. *Puluis.*

Data terebinthina cum mellis parua quantitate.

Puluis diatrag. frig.& conserua nymphææ.

℞. Aloes ℥ ſ.cretæ succini gentianæ, aristolo. dictami, myrrh. an.ʒ ſ.mithrid.ʒ ſ.terebinth.ʒ j.cum syrupo de alth. fiat massa,de qua capiat pilulas quatuor tertio quoque die, tribus horis ante iusculum.vel hæc. *Pilulæ.* *Sunt qui crocum martis addunt.*

℞. Rhab.ʒ j.ſ.hieræ simp.℈ ij. pilul. sine quibus & ireos florent. an.℈ iiij.croci gran.ij.castorei ʒ j. cum aqua matricar. & vino albo infusionis granorum aliquot ambræ griseæ, fiat massa de qua cap. ʒ j.potest addi agaricum: & quia rheumaticis doloribus interdum diuexatur, quæsitum an in rheumatismo arthritidis minace balneum tutum,iuuat reserando cutim,bilem & serum temperando, nocet euocando in habitum & liquando,ineunte vere id fieri potest,vt locus sit blando sudorifico, meliora sunt apozemata, quam pilulæ,licet medicamenta liquida horreat,caput habebat πιτυελώδης,fotus emolliens institutus,deinde decoctum violar. pariet. saponariæ, veronicæ, paleæ, hord.furfuris oxylapathi caul.rub.fumiterræ,scabiosæ, tapsi, pinguis gallinæ, plantag. cocta cum hydrom.mell.mercur.fotus cum spongiis,quarum magna est vis. *Fotus.*

Post lixiuium sarment.trumorum caulium, lupinorum, ex crobo,agrimo.marrubio,rad.bryoniæ,cypero iride,& senna,

Pasta. Pasta ex amygdalis amaris, farina orobi, lupinorum pane furfuraceo, rad. ireos, pulu. vng. citrini, melle rosato, aut mercuriali, addito gummi tragacanthæ lauto in aqua rosarum.

Litus. Et quia dartæ faciem inuadebant, consultum oleum de ouis lib. 1. aquæ plantag. in aqua feruefiant, grana x. sublimati.

Opiata. Denique vt monuimus antè, cùm æger fastidiat liquida, pilularum loco potest parari, opiata laxatiua ex conseruis rosar. nymph. *Tabellæ.* bugloss. borrag. rheo, & senna, item valent tabellæ roborantes ex santalis & rheo. vel syrupus solemnis additis herbis vulnerariis, hali cacabi fructu, ciceribus transcolata conserua rosacea. Repurgato corpore diligenter proderit decoctum scynæ cum oxyacan-*Sudorificum.*tha, aut radice cichorij.

CONSILIVM XCV.

De fluxu sanguinis & fluore muliebri cum suspicione cancrosæ in vtero affectionis.

CIrcà mensem Nouembrem contigit fluxus sanguinis vxori Tassini, iam annum quinquagesimum assecutæ, cum facta esset διαυρωσις venarum fluxus non substitit, id contigit, vel quia pituita putris & salsa quâ abundant annosæ mulieres & viragines, venas reserarat, vel quia qua data porta consuetudine fluendi sanguis viam appetiuerat, vel quia iam χαρκινῶδές τι concipiebatur, tunc autem eroduntur ab atro sanguine, vel quia immodicum *2. de morbis mulierum.* sanguinis fluxum ῥοῦς, isque malignus sequitur, ait Hipp. quia exhausto multo sanguine is qui residuus est ὑποχολώδης redditur, maximè si purgatus non fuerit.

ad finem lib. de locis in hom. Cum procedit tardiùs κάθαρσις ῥόος est πυώδης: cum celerius, subcruentus. Iunioribus sunt subcruenti, senioribus sunt mucosi & quasi πυώδεες sed non vero pure, grauissimi sunt mulierum morbi, partim ex parte illarum, partim ex parte medicorum: illarum quidem, quia siue fluant menses, siue non fluant, si quid peccatur morbi fiunt, item quod ob verecundiam morbos celant: medicorum, quod earum morbos non norunt, & vt viriles curant, licet longè differant, ait Hipp.

Cacochymæ,

Cacochymæ, non modo habent menses decolores, sed & inordinatos.

In l. 5. aph.

Cur aliis ρὸος, & mensis fluit seorsim, aliis confusim, confunduntur laxatis viis, & fatigatâ naturâ. Cum natura valet, retinet, cum infirmatur, confusio fit, & id totum est symptomaticum & motu morbi. In venis mesaraicis & chylus & sanguis continentur diuersa ratione.

Curatio.

Remedia sunt victus ratio legitima, phleb. catharsis blanda, clysteres anodyni, lac asinæ, decoctum brassicæ ad colluendum valet, decoctum prunellæ, plantag. vtriusque rof. betonicæ, veronicæ, geranij, sanamundæ, pimpin. stellariæ.

Serum lactis cum succo aliquo in mortario plumbeo subactum mirifice est profuturum, item vnguenta diampholygos, de plumbo, & de cerusa, tam simplici quam vlcerato cancro conueniunt.

ANNOTATIONES.

1. *Hic decipi non oportet, nec confundendus fluor albus, cum purulenta excretione, vt cum Hipp. 2. epid. narrat de ea quæ gemellos peperit laboriosè, nec purgata est benè & tumor totius corporis euenit, & rubrum mensem ad sextum mensem durauit, dein τὰ λευκὰ omni tempore fluxerunt quæ rubro statim colore inficerentur, sed alba hæc fieri putauit ob mutationem ad albedinem propter suppuratum, putat enim vitio obstetricis relictam carunculam quæ putruit & ora vasorum corrosit exulcerauitque, vnde vlcus & alborum excretio.*

2. *Cum sanguis qua data porta consuetudine fluendi ad vterum fertur sæpè varices (vt in tibiis) in vtero & circum vterum fiunt, loco hæmorrhoidum in ano, mulieribus, vel in vtero hæmorrhoidum, & quibus sanguis qualitate peccat, vel si salaces sunt & non satis, aut subiguntur, aut concipiunt, vnde melancholicæ fiunt, vt constat de muliere salace quæ cum succussione equi ad venerem excitata esset nec ei satisfieret à marito, exijt à potestate mentis tandem ex vtero omnibus pacificatis exijt ingens copia sanguinis picem referentis, balnea naturalia adijt, concepit, ad se rediit.*

Historia.

Et notandum quod contigit nobili mulieri, dolor incredibilis ad vterum suspicio fuit humoris melancholici in vtero & hypochondriis tandem morbo cessante carbunculus magnus & ferox obortus est, si ad

partes interiores ad vterum præsertim, sanguis inclinarit, carcinomatis, aut cancri metus.

CONSILIVM XCVI.

De voce pene deperdita.

D. De Bobigny conqueritur de symptomate, nempe de vocis vitio; quæ enim vox clara liberaque esse debet, ea obscura est & vix intelligibilis.

Symptoma autem est in genere eorum quæ audiuntur; causa esse videtur in vitio organorum, organa sunt triplicia, excipientia, deducentia, mouentia.

Obstructio esse videtur, morbus ergo est in conformatione: si obstructio est, cur non adest difficultas respirationis? obstructio ista sufficit ad vocem corrumpendam, non ad respirationem difficilem.

Possunt institui tabellæ ex elect. diaireos mastich. oliba, diarrhod. abb. cinnam. cum sacchoro soluto in aqua infusionis stœch. aut rorismarini.

Valet hydromeli, coma absinthij adiecta, & oxymeli vt nonnulla moueatur tussis ad expediendos pulmones, venæ sectio ex interuallis, cassia, manna dissol. in iusculo galli veteris, succus glycy. niger, oleum ex sacchoro.

Purgatio.

Capillarium decoctum, maxime adianthi, valere creditur, pulmones detergere & animam quasi dilatare, linctus cassiæ superbibendo decoctum caulium & cicerum rubrorum.

Apozemata bechica.

Decoctum ficuum & passularum cum bipinella.

Linctus mellis aliquando solius, aliquando cum optimo butyro.

Pomatium bonum est & vinum dulce si febris non adsit, idque oligophorum. Est enim calidis visceribus prædita, ideo cauendum ab iis quæ impendio magis calfaciunt & siccant.

Ῥυπτικὰ magis conueniunt; oxymeli autem inter ea censetur, vt campana & hyssopus, magis (inquam) quam quæ dulcia & humida sunt, sputum enim effœminant, vt ait Hippocrates, nisi forte

quis dicat emolliendum esse vt id quod emollitum est detergeatur faciliùs τῶν ῥυπτικῶν vsu.

Maximè vero videndum vt contrarium contrario opponatur, an sit obstructio, an induratio, an plenitudo aliqua.

ANNOTATIONES.

1. *Obseruati sunt quibus ob aërem frigidum ambientē neruis recurrentibus refrigeratis vox est imminuta & penè adempta, laryngis vitium obscuram sæpè reddit vocem, dum patitur resolutionem quantum obscuram sæpè reddit vocem, dum patitur resolutionem quantum coadū, Aëtius eo in casu vtitur garg. acriusculo spiritus detensione, coacervata respiratione. & continua vociferatione; glycyriza commanducata valet. fotus ad laryngem ex rosa, cypero, sem. fœniculi.*

Notat Auicennas rarius esse quoque de genere eorum qui vocem emendant.

2. *De singulari fato illius mulieris vnum quoque addemus, cum per annos aliquot sensim, atque paulatim emacruisset, omne alimētorum genus fastidiuisset & vt loquitur Hippocrates ἀπονεονημένως ἔχειν πρὸς τὰς πάσας προσφορὰς tandem repentè ac inopinato extincta est, ac cum cibum nec appeteret nec caperet (apud Hipp. autem λαμβάνειν significat cum aliqua appetētia accipere) quotidie viuēdo moriebatur, & moriendo viuebat, præhensa est paroxysmo febris tertianū typū referentis; tertio post die idē paroxismus, à quo reualuit & fuit ἀπύρετος, & habebat more solito iocum & deambulationē cogitans. At accessit rigor πρόδρομος tertiani, & tertij paroxysmi, fuit rigor ingens & tantus vt ab eo non potuerit, vt loquitur Hipp. ἀναθερμαίνεσθαι, totum erat sanè λειπυρικόν, interna conflagrabant incendio, sequenti die fato concessit, conquerebatur maximè de dolore ad hypogastrium, inuenitur aperto cadauere, pulmo aliqua ex parte inflammatus, hepar exuccum & mali coloris, sed vterus erat corruptus, & quasi gangræna affectus, plenus tabo, & sanie, quæ erat δυσώδης maritus per tres annos penè abstinuerat à congressu, fortè si ager fundusque cultus fuisset meliùs eum ea actum foret.*

Laborarat olim ῥῷ γυναικείῳ, qui erat tetri odoris, aliqua ex parte & ferè omnino suppressus erat.

Interiit fere à veneno interno & genitiuo, hæc cum aliàs fœcunda esset, quod mirum: cum fœmellam conceperat, fluebat ista materia etiam copiosa, cum marem, aut minor erat, aut sistebatur.

Aliam etiam videre contigit mulierem quæ patitur menstrua toto grauiditatis tempore cum mas concipitur, id non euenit cum fœmina

concepta est, sed quærat quis, quomodo febris continua non præcessit? qui tertiana tam simplex eam sustulit. At tertiana periculo vacat, imo & febres quæ quo quo modo intermittunt, nedum tertiana quæ tantam intermissionem habet. vide aliquid simile contigisse apud Gal. qui notat causas in corporibus nostris generari quæ potentia & virtute tum virus rabidorum canum, tum lethalia medicamenta repræsentant.

In prorrl. et.

Sic in morbis nec præcipitanter timidos, nec temere securos esse oportebit, & reuera iis qui vitio singulari, præsertim vero corruptione partis intereunt parum tutos securosque esse oportet nec prædici exitus potest, vt fit in morbis humoralibus, imo febre fere vacare videntur, id quod in cantore Durantel & in præposito dicto Hardy & aliis multis à nobis visum est anno 1594.

In morbis à partium corruptione non potest certò prædici exitus vt in humoral. morbis.

CONSILIVM XCVII.

De tussi molesta & sputo cruento.

Dvo sunt symptomata quæ molestiam inferunt, tussis sæpè inanis & cruentum sputum hæc sequuntur, aut destillationem à capite, aut collectionem veterem materiæ in pulmone contentæ, aut exonerationem quandam à visceribus & partibus pulmoni vicinis: tribus enim modis, tussis molestiæ excitantur, & sputum sanguineum apparet, vnde frustrà sæpè caput omnium horum authorem creditur, quanquam ab eo iniutiarum eiusmodi maxima pendet occasio.

1. *Tussis molesta & sputum cruent. aut à destillatione collection, & exoneratione à part. pulm vicinis.*

Antiquitas tussim quandam a splene molestum esse statuit.

Distillatio morbus non est, sed morbi est consequens, maximè vero, vt dictum est, affectionem capitis consequitur. Caput vel vt pars similaris, vel vt organica afficitur: vt similaris, vt cum calidior, aut frigidior pars; organica, vt cum plenior & obstructionibus scatentior.

2.

Duo verò maximè obseruari debent facultatis retentricis, aut imbecillitas, aut excretricis ab acriuscula materia irritatio id quod facit vt perennitas descensus & defluxus materiæ consequatur: in priore διάχυσις κ̀ σύντηξις cernitur, in posteriore orgasmus & impetus aliquis, vnde tussiendi assiduitas; posterius est pe-

Veterem assiduam molestiáque tussim Senec. per tussim vocat.

culiaris generatio humoris efferi, mali, salsuginosi, qui quoquouersus se insinuauerit & irruerit, hîc sæuit, hîc grassatur, hîc ferociam exercet, vnde videmus eos in quibus est eius humoris generatio, distillationibus, & febri inde natæ marcorique consectatio obnoxios.

Cæterum catarrhus omnis, authore Hippocrate à carnibus est calidis aut frigidis; à calidis per fusionem & colliquationem: à frigidis per expressionem, maximè verò marcor, & extenuatio eos adoritur, qui defluxui à calore acri orto obnoxij videntur.

3.

Ideo plerique peccant qui falsò persuasi tussim omnem à frigido ortam magnam auxilij vim, in vsu rerum calidarum, aut admouendarum, aut assumendarum solent collocare, frigus quidem occasio esse potest, sed & febrem & distillationem acris & ferini humoris potest concitare, sic falli non oportet.

Locus notandus de capite refrigerando in distillationibus ferinis ex Aet. vide plura in 2. cons. Ballonij libro.

Imo grauissimè peccatur in vsu remediorum topicorum caput calfaciuntium ob tussim & defluxiones: contra caput refrigerare oportet aliquando; ita enim Aëtius loquens de vsu oxyrrhodini in distillatione ferina, ait ab eo remedio refrigerante distillationem ferinam incrassescere, tussim sedari, somnum induci, calorem exurentem temperari.

Curationis capita.

Purgatio, venæ sectio, humorum temperatio, materiei acris delabentis inhibitio, correctio, delinitio, & (tempori) à pulmone exclusio valet. accedit partium à quibus humor fluit robur & confirmatio, valent cathartica, aliàs lenientia, aliàs viscera repurgantia.

Cassia vel linctu sumpta, vel bolo, vel iusculo soluta, addita tamarindorum, aut passularum pulpa, conferet, senna valet.

In hemoptysi cauendum ab aloë, syrupo rosa. pallid. & aliis quæ vim habent ἀναστομωτικήν. Vide Hipp. l. de internis affect. Gal. 5. meth. c. 14. & 15. Ballonius in lib. 1. consi. Lib. de inter affect. Lib. 6.

Quæstio est, an in acribus stillicidiis, pilulæ acriusculaque remedia conferant: rationes vtrinque probabiles afferri possunt, eas scholasticis exquirendas relinquamus, audiamus ea de re antiquorum consilium. Galenus in methodo medendi dat medicamenta ex alto euocantia in phthoe, vbi præsertim teter humor in capite gignitur qui stillandi assiduitate partes subiectas irrigans eas afficit, vnde raró, sed tamen interdum danda opera purgationi per fortiora medicamenta, quia mitiorum vis est sæpè ignaua & eluditur, vnde Fracastorius ea in parte Galenum æmulatus id genus remediorum violentorum consuluit in hæmoptoicis κατὰ τὴν διαύρωσιν. & Hippocrates in descensu putris pituitæ à capite validiùs purgandum putat, contra de Phtheiriasi loquens Celsus me-

dicamenta intus lenia danda sunt ne quid acrioris pituitæ concitent.

Venæ sectio ex vsu esto, bis anno, & cum latus sinistrum dolitet, paulo crebrius ab ea parte sanguis est demendus.

Lib. de inter. affect. Hipp. hæmoptoicos pingue facit ne tabeant & inopia cibi sanguis effertur. Fames & mora bilem in nares conciunt. Plaut.

In hæmoptysi est vbi pleniùs cibandum est vbi parciùs; si copia sanguinis est, parciùs: si acrimonia, temperationis ergo pleniùs; nam fames & inedia bilem in nares conciunt.

Temperatio humorum iusculorum vsu, prunis, violis, syrup. viol. iuiub. de nenuph. iuleb. alexand. ficubus, hordeo, in iusculo cocto, opiatis, pilulis bechicis.

Syrupus de lamio ex vrtica, & de symphyto descriptione Fernelij & iusculis. pomorum redolentium vngul. caball, berbecorum granatorum, aqua rosarum addito semine papaueris rubri & albi.

Balnea, lac asinæ.

Sed & licet magna sit vtilitas iusculorum, in iis tamen temperatos moderatosque esse oportet, nam patet ex Galeno liquidarum rerum frequentiori vsu, pulmonis carnes rariores & putredini obiectas magis fore, immo & sanguis tenuior serosiorque fit & putredini opportunior.

Cap. vlt. l. 4. locorũ affect. Ob nimium iusculorum vsum & rerũ liquidarum effœminatur sputum Hipp.

Manna conferet.

Conserua rosarum, rosa enim priuilegio vim habet sistendi catarrhi vnde rosa ἀπὸ τοῦ ῥέειν dicitur, quod inhibeat fluxiones.

Sed & inhibitio in faucibus fieri debet, gargareonem & pharyngem & laryngem gargarismis corroborando, id quod pauci animaduerterunt, tamen id genus remedij in primis ex vsu futurum est.

℞. Plantag. berbecorum, portul. an̄. m. j. seminis papaueris albi ʒ ij. hyoscy. ʒ j. fiat decoctio in aqua hordei, in colatura dissol. diamaron. ℥ j. aquæ rosarum & succi granatorum an̄. ℥ ſ. ß. gargarismus ad ℔ j. colluat os frigidè.

Data præscriptáque est opiata ex conseruis rosarum nenuph. viol. symphyti, additis rasuris.

Et in sanguinis reiectione, consultum est, vt vteretur adderetur que bolus armena, terra sigillata, mumia.

Vel puluis ex iisdem concinnaretur aptus formandis, aut cylindris, aut pilulis hypoglottidibus, aut tabellis, sed videndum ne vsu nimio astringentium ἀνακάθαρσις impediatur.

ANNOTATIONES.

1. *Hic æger cui hæc sunt instituta macilentus est & satis procerus, de eo audiendum videtur quod scripsit Celsus cap. 7. lib. 2. frequens distillatio in corpore tenuis & longo tabem timendam esse testabatur.*

2. *Quid est quod tantoperè reformidatur sputum cruentum vt tabis prodromus, Galenus enim ait, mitissimi sunt morbi in quibus cruenta reijciuntur, loquitur de pleuritidibus sanguineis sic pro nomine*, morbi, *lege*, pleuritides.

Hæc autem affectio terrifica est, quia sæpè est tabis minax, tamen si solandus æger est, adducetur locus Plinij de Macrino & Saturnino vrbis præfecto vtrique hæmoptysis erat familiaris & tamen Saturninus annum nonagesimum attigit. Et notauimus alibi, magnas excretiones sanguinis è pulmone minùs esse periculosas quam paruas. Qui sanguinem emittunt ait Hipp. si sine febre quidem, salutare, si verò cum febre malum, curare verò acerbis & refrigerantibus aph. 37 lib. 7.

3. *Nil est tam vulgare quam tussis, & quo magis tussis est vulgaris, eò ferè negligitur, & idem dolori dentium contingit, qui quia crebro sæuit, nullique parcit, aut ætati, aut sexui, eo minoris æstimatur & tamen tormentis annumeratur, tussis præsertim quæ vetustior & molestior mala sæpè, vt signum, & vt causa: vt signum, quia, aut vitium partium à quibus manat fluxio, aut in quas repit, aut humoris malitiam significat: vt causa, quia succussu & excussu pulmonem offendit, & caput: immò caput replet (ait Hipp.) ab agitationem, & pulmonem calfacit, quæ incommoda magnifacit. Tussis autem alia est humida, alia sicca, humida ferè à distillatione est, & plus nocet quantitate quam qualitate humor. arida non ita à distillatione est, nisi fortè aliquando ab efferi indomitique humoris labentis irritatione, sæpiùs est à refrigeratione, (vnde, cum os aperitur, aut quis loquitur statim tussit) à tuberculo, ab exulceratione, & horum materia irritans non facilè exigitur; Testatur pleuritis cruda, in qua inanis est tussis. Fernelius ait eam tussim quæ semel anno, aut ex interuallis molesta est, à destillatione, esse quæ continenter nullaque, aut minima intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonis affectionem, aut veterem obstructionem, aut stabilem intus causam habet, quod tamen probabile videtur, nam quibusdam ferina destillatio est, eaque à capite & assiduo vexat, testis sensus ipse, namdum fauces transit molestiam infert irri-*

tando, error autem aliquando in ea tussi committitur, quæ à latente in pulmone vitio oritur, dantur enim sæpè styptica eaque virus in pulmone supprimunt, si enim ponimus, aut pus, aut saniem subesse; sicque obstructionem tussis caussam agnoscimus, adstringendo obstructio augetur, & materia expectorabilis, sistitur.

CONSILIVM XCVIII.

De Alui fluore, hæmorrhoidibus & aliis affectibus pro vxore Anglorum legati.

Insuetæ & subitæ temporum locorum tempestatumque mutationes, sæpe grauium morborum causæ ob repentinam corporis humorumque agitationem. Epist. ad damagetum.

NObilis domina clarissimi Angliæ Legati coniux, ex quo Lutetiam appulit (agitur autem annus quintus) dubia & lubrica fuit valetudine, siue id loci, aëris, & cœli mutatione contigerit, siue potiùs, vt ait Hipp. quod ἡ φύσις τῶν ἀνθρώπων πάμφορος ἐστι τῶν πάντων νοσημάτων, & totus homo à natiuitate morbus est.

Primùm eius faciem & nonnullas partes ignes sacri affecerunt, & ea quæ Græcis φλυστάκια καὶ φλυκτάιναι dicuntur. Affectus quidem cutanei aliàs lædunt, aliàs non lædunt: lædunt, & mali sunt, vt signa, cum ob vitium internum, aut imbecillitatem expullulant; prosunt & vt bonum signum apparent, si criticè, si per exonerationem quandam efflorescant. in nobili domina cacochymiæ effectus & soboles fuerunt, neque enim criticè erumpunt.

Celsus.

Cutaneum hoc malum licet sæpè fugax & innocens fuerit; tamen afflixit, quia faciem maculauit. At fœminis cura, & cultus corporis non facile eripi potest. Aliquo post tempore profluuia alui eam exercuerunt, aliàs cœliaca mesenterica, aliàs leienterica: ab his vix ac ne vix liberari potuit.

Sed & inter cætera sæuiit molestus hæmorrhoidum dolor, vbi enim semel eminebant ora venarum & tanquam capitulis surgebant, oborta inflammatiuncula, dolor mouebatur tormentis penè annumerandus; aliàs immodicus erat fluor, & tamen minus fuit molestus, fluxus etiam non mediocris quàm omnimoda suppressio, verebamur ne inclinatâ in præcordia & in viscerum aliquod materiâ graui morbo corriperetur: ideò non suppressimus

quòd

quòd eo sanguinis profluuio imbecillior non redderetur. habet enim purgationem hanc non morbum, ait Celsus. notabis φερέσιν purgationem non morbum; tamen fluendi assiduitate sphincter infirmior fuit: hinc sedes procidua & eius quasi ἐκτρόπη. Verum hæc verba in morbis partium naturalium, consuetudine verecundiùs loquentium accommodata nobis vidétur, licet videatur difficilis Celso earum partium morborum explicatio, homini præsertim pudorem & artis præcepta seruanti: quanquam in vulgus eorum curatio præcipuè nosci debet quæ inuitissimus quisque alteri ostendit. nostrum autem iudicium de conferta illa mensium & hæmorrhoidon euacuatione, in muliere præsertim, aperiemus.

Sub finem c.6 de hæmorrh.

Inter hæc mala & tædia sæpissimè doloribus capitis, maximè verò hemicrania fuit vexata, vnde tristis caloris sensus in fronte & temporibus, fuitque pars anni aliqua, in qua vix somnus conciliari potuit, vt etiam ad hypnotica & narcotica necessitas nos adduxerit, & verebamur ne intemperies calida sicca membranas cerebri inuaderet, quæ tandem affectum τῇ σειάσει non dissimilem procrearet.

Adustus humor melancholicus grauiorum capitis dolorum sæpius causa esse solet.

Sed ad hæc tot tantáque mala anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, accessit calamitas morbillorũ seu variolarum vulgo dictarum, & tanta quanta maxima concipi animo, oculisque videri potest, sed ab ea partim Dei beneficiũ, partim artis medicæ officiosa sedulitas asseruit atque vindicauit, vt nulla, aut perexigua istius luis vestigia restitentat. que non mirum est, si antiquitas in hominibus certas proprietates, & ἰδιοσυγκρασίας annorarit, vt corpora à corporibus, & morbi à morbis longo differant interuallo.

Dicam vnum de peculiari natura & temperamento illustris dominæ. Omnium malorum causa referenda videtur ad perennem generationem seri putris, & maligni, quod in cutim erumpens ignes sacros & phlyctænas excitauit, in ventrem profluuia: remistum sanguini & copiosiora menstrua ciet, & hæmorrhoidales venas replens effluuium sanguinis per aluum concitat.

3.

Sanguis quippe à mala hepatis diathesi ita vitiosus & ἰχωροειδὴς generatur, sanguis morbosus est, & vt vulgo dicitur & κατὰ πλῆθος & κατὰ πάθος: rursus Aristoteles opinione vel τῇ φύσει vel νόσῳ. sanguis enim humidior morborum est parens, ait Arist. & Græcè ὑγρεῖν, dicitur, id est liquescere, in serum alendo ineptum conuerti, quia suam πῆξιν & σύστασιν naturalem amisit, κατὰ τὴν

Lib.3.c.19. de hist. animal. Credidit antiquitas quod diis non esset sanguis sed ἰχὼρ aliquis pro sanguine.

ἀναστοιχείωσιν τινα. Nec enim tam ſanguis eſt, quàm ſanioſus ſanguis; & reuera ἰχώρ. ἰχὼρ autem inter verum ſanguinem & pus medius eſt quodammodo, ait Celſus. Apud Ariſtotelem vero generalius ſumpto nomine, ſanies, ſanguis incoctus eſt αἷμα ἄπεπτον. Ἄπεπτον autem dicitur, aut quia nondum coctus eſt, aut quia in ſerum diluitur, aut quia nondum coctus eſt, aut quia in ſerum diluitur & conuertitur, ſic enim per putredinem amiſſis ſuis fibris ſanguis in putre quoddam ſerum reſoluitur, id quod ſanguini illuſtris dominæ contigit, quoties enim ſanguis detractus eſt, (detractus eſt autem ferè viceſies neceſſitate ad id impellente & vere & autumno, quo tempore morbi eius gliſcunt, & egerminant) impurus fluxit & impurior quàm quis credere poſsit.

Loco ſupra poſito.

4.

5.

Vt mirum non ſit, ſi non ſufficiat menſtrua euacuatio per ſinum pudoris, ſed & alia purgatio ſubſequitur per anum, menſtruam ferè periodum retinens, & ea videtur ſupplere. Id in quo deficit conſueta per menſes euacuatio, quæ alioqui aliis mulieribus minùs valetudinariis ſatis eſſe ſolet.

6.

Ariſt. c. 19. l. 3 de hiſt. animalium.

Hinc Ariſtoteles paucis mulieribus mariſcas fluere ait, aut varices oriri, aut ſanguinem è naribus manare, & ſi quid horum accidit detrimentum in menſtrua decumbit: ſupra enim ſtatuerat ſanguinis è naribus, aut ex ſede profluuium, varicum quoque ortum non contingere ſolere, niſi iis quibus ſanguis morboſior eſſe ſolet, aut quibus viſcus aliquod malè habet, vt credam quidem mulieribus menſtrualibus fluxum hemorrhoidum morbum eſſe, viris non morbum, ſed ſanitatis tutelam, ſed de his fortaſsis plura quam par ſit præſertim apud artis peritum.

Curatio.

Intra verò hæc remedia conſiſtendum putauimus.

Vere & autumno, & ſæpiùs aliquando ſanguis detractus eſt, ni detrahebatur graui aliquo ſymptomate premebatur.

Caſsia iuſculo diſſoluta magno profectu vſa eſt, temperabatur enim pulmonum & hepatis intemperies quædam.

Balnea in vſu frequenti fuerunt, æſtus hypochondriorum moderandi ergo.

Ad pathemata melancholica opiatæ contulerunt, hedricis medicamentis vſa eſt, ad demulcendos dolores.

Hæc porro à me non tam docendi quam communicandi ſtudio dictata ſunt, nulla enim non opera dari debet, vt illuſtriſsimæ dominæ ſaluti conſulatur, hæc eius valetudo, & incommoda & imbecilla ad id nos inuitat, & tanto citiùs quantò promptiùs in mor-

bos ruit, in multa enim imprudens caderet nisi ab amico medico moneatur. Offensis enim infirmitas est maximè obnoxia, sed & ad hoc officium & obsequium accendere debet illius candor, & suauitas, Medici enim fuit amici notare peculiarem naturam quo faciliùs imminentes morbi arceantur & præsentes abigantur, facilius quippe morbus excluditur, quam introductus expellitur, hoc autem operæ pretium magis faciat amicus medicus quam extraneus, vtilior enim est amicus, licet par sit scientia, ideo in suo medico non solum scientiam, sed & fidelitatem, & beneuolentiam Tullius requisiuit.

Celsus. Raro quisquã non aliquam partem imbecillam habet. Ægrius eÿcitur quam non admittitur hospes.

7. Hipp. Tulli.

ANNOTATIONES.

1. Hæc domina in Franciam venit cum suo coniuge Legato, quod nouum & insolens erat Augusti Cæsaris temporibus, hic enim Legatorum nemini permisit, nisi grauate & hybernis mensibus vxorem interuisere. Apud Tacitum est disceptatio arguta Seueri Cæcinnæ & Valerÿ Messalini, an mulieres debeant esse comites suorum maritorum siue in bello, seu in legationibus.

Suetonius. Lib 3.

2. Nota loquendi formam Cornelij Celsi in iis quibus vitium non est internum, sed tantum συναθροισμὸς *hæmorrhoidum fluor purgatio est, non morbus, in aliis contrà, si vitium internum, si symptomaticè, omnino fluit sanguis, est morbus. Estque quod dicimus, vi morbi fit, & vi naturæ.*

Quod autem ad fluxum earum immodicum pertinet, duo animaduersione, & prouisione digna sunt, prius, quòd, qui sunt cacochymi, & laborant hepatis intemperie, quique vitiosum sanguinem congerunt, ij fluxus immodicos patiuntur, atque sanguis peccat duobus modis & κατὰ τὸ πλῆθος & κατὰ τὸ πάθος. *maximè vero in mulieribus, si enim fluxus muliebris à Gale. comm. ad part. epidemiorum* σύγγενες βοήθημα, *vocatus, & qui mense velut vectigal redditur, non sufficit naturæ ad expurgandum & fluxus hæmorrhoidum requiritur, malum id est, & vt signum & vt causa. Et reuera quotquot mulieres fluori hæmorrhoidum obnoxias vidi, eæ valetudinariæ vixerunt. Notatque Hollerius viduis aliquando loco mensium fluere hæmorrhoidas, item quibusdam grauidis quatuor menses; posterius quod obseruandum est, ad therapiam pertinet, nempe quòd diligenter & exactè purgari debent ij quibus immodicè fluunt hæmorrhoides, corpore enim legitimè repurgato promptiùs & tutiùs & desinunt & supprimuntur*

Hæmorrhoidibus mulieres obnoxiæ fere sunt valetudinariæ.

Desinunt hæmorrh. corpore legitimis purgationibus vacuato.

hæmorrhoides purgationibus; cacochymia, quæ extra vasa est foras exigitur, corpus temperatur & refrigeratur, hinc sanguis gignitur temperatior, ideóque minùs ad naturam irritandam idoneus, quæ non potest frui sanguine feruidiore, & naturam μελαγχολικωτέραν sapiente.

3. Aristoteles ait pro ætatum ratione sanguinem distingui, καὶ τῷ πλήθει καὶ τῷ εἴδει, ad finem cap. decimi noni lib. tertij de historia animalium. In sanguine autem cernitur, substantia, qualitas, color, caliditas, frigiditas, consistentia, quæ σύστασις dicitur, & cum serum fit istam σύστασιν vitiatam dicimus. Idem Aristoteles viam paraturus ad tractatum de hæmorrhoidibus diuidit sanguinem in sanum & morbosum νοσώδεα. Et hinc occasio ducitur & canon secandæ venæ, fit autem malus & φύσει & νόσῳ. omnis πῆξιν habeat necessum est, nisi fibris sit cassus vt sanguis damarum: Hipp. lib. de natura pueri laudat sanguinem fluentem à partu si grumescat.

Quæ in sanguine consideranda veniunt.

4. Hunc locum de sanie & sanguine putri illustrat Aristoteles reddens rationem, cur soli homini hæmorrhagia è naribus contingat, probl. 2. lib. 10. admonet inter cætera hoc quòd quisque sanguis vitiatus integro tenuior existit. Talis autem est qui se excrementis miscuit & quasi in saniem degenerat.

Autumno generantur sanguinis ichores πικροί.

Ichor autem in malam fere partem capitur apud Hip. & est quædam anni pars ichorum procreatrix & singuli humores suas quasdam habent humiditates ὑγρασίας, ὀῤῥοὺς, ἰχῶρας, qui quidem retinent naturam humoris proprij & συγγενοῦς. vnde apud Paulum sub æquinoctium vernum sunt γλυκεῖς ichores sanguinis. At vero circa virgiliarum ortum sunt & generantur, maximè ἰχῶρες πικροὶ & quemadmodum cuique humori suum est serum naturale, ita humori præter naturam suum quodammodo est serum malum.

Cuique humori natu. & præter naturam suum serum.

Est & aliud excrementum quod propriè λιγνυῶδες dicitur, & maximè iis succrescit qui prauis alimentis vtuntur, vt sunt cœpæ, allia, &c.

5. Alij audentius sanguinem demunt cum impurus est, quod impurum sanguinem noxam afferre corpori asserant: alij contrà: Gal. restrictior est in sanguine mittendo cum impurus, vtrisque suæ rationes patrocinantur.

Hæmorrhagiæ familiares iis quibus viscera sunt imbecilla.

6. Citauimus ante ex Aristotele soli homini inter animantia hæmorrhagiam contingere, id quod Plinius docet cap. 38. lib. 11. sed maximè notandum est iis partem aliquam in vitio esse quibus familiaris est hæmorrhagia, quamquam id distinctione opus habet, videndum

enim num sanguis fluat, κατὰ τὴν ἀτονίαν an per plethorā, & conatum naturæ. verum ex hoc Aristotelis loco multa notatione digna eruentur, & maximè quod pertinet ad sanguinem ἰχωροειδῆ, & ad hæmorrhoidum fluxum, an sit morbus in mulieribus, an simplex purgatio. Celsus subtiliter & medicè loquens de iis quibus parum tutò supprimuntur hæmorrhoides, præsertim cum tali profluuio imbecilliores non redduntur, ait hanc purgationem non morbum esse: in varice enim, hæmorrhoide τὸ αἷμα ἐστὶ νενοσηκός, at ἐν ῥῷ sanguis est morbosus, menstrua autem mulieres à cæteris morbis sanguinis vindicant. Et τῶν ἄλλων νοσηματικῶν οὐ μετέχουσι αἱ γυναῖκες: non dicit νοσημάτων, ac si velit & menstruam purgationem esse aliquid νοσηματικόν, id est morbosum, quòd si mulieribus contingant varices hæmorrhoides, καταμήνια fiunt χείρω, id est pauciora, detrimentum in menstrua incumbit, ait Gaza, non quòd in viris fiant à laudabili sanguine: loquens enim generaliter, ait, νενοσηκότος τοῦ αἵματος est, varix, hæmorrhagia, hæmorrhois.

7. Nil magis ægris prodest, quàm ab eo curari à quo volunt. Senec. lib. 4. declamat. 5. decl.

CONSILIVM XCIX.

De hepatis & pulmonum calida intemperie cum totius corporis extenuatione.

Pro D. Iudith Memmæa.

CVm morbus est incognitus etiamnum remedia sunt tentanda, hæc si minùs iuuent, modo alleuetur æger sæpius repetantur; communibus autem vtendum remediis donec res patuerit, id maximè in longis, quia res viget in acutis.

Hipp. lib. de loc. in homi.

In deliberando aliquid ponere quod non est, magni refert; exactè etiam nimis quærere, nec aliquid statuere donec ἀποδεικτικῶς res innotescat, non vacat periculo, id enim affectatum nimis.

Puella habet cerebrum καταρροικόν & nares humidiores Hipp.

Sanguis humidior, vel natura, vel morbo.

opponit τὸ ὑγρὸν τῇ φύσει, τῷ ὑγρῷ ἐκ τῆς νόσου. Aristoteles autem loquens de sanguine humidiore & morbosiore, ait, ita esse vel natura, vel morbo. Seu τῇ φύσει vel νόσῳ qui natura nares habent humidiores morbosis sani sunt, qui ἐκ νόσου vice versa.

I. 6. epid. hic locus legitur. Cap. 4. l. 3. de sympto. caus.

Catarrhosus eo se habet modo, quo is qui diarrhoea laborat, quod diarrhoea in ventre, id est in cerebro catarrhus, ait Galen.

Quæ sicciora humid. primigenia: humidiora humid. excrementitia.

Plærique sunt sicci, humiditatem tamen plurimam habent, quo enim quidque est siccius humiditate primigenia, eò humidius est humiditate excrementitia, id senes declarant, sed & in aliis ætatibus id fit; maximè verò humiditatem excrementitiam habent, qui calorem habent fugacem, qualis in palea accenditur, contrà qui calorem stabilem habent & carnes solidas, minus sunt excrementosi, nisi peccent in ratione victus.

Puellæ huic multa est humiditas excrementitia, quòd imbecillæ naturæ est argumentum, & caloris instabilis, tussiculosa est, cerebroque est amplo & humidissimo, sic tabescit defectu boni roris, & alimenti fixi, & glutinosi, & excrementis scatet cerebrum enim ferè liquescit.

Hipp. lib. de carnib.

Cerebrum est metropolis humidi & glutinosi, & facilè colliquationem patitur à calido præsertim, facilè enim fit à calore σύντηξις vel διάχυσις, σύντηξις, enim tristius nomen est, tristioris causæ argumentum.

Rubor est genarum fugax, pulsus frequens cum mollitudine, macies, sputa subuiridia guttulis sanguinis aspersa, quæ non tam à vasis, quàm à pulmonis substantia delicata aliquantum excoriata, Ichor enim sanguineus manat: hæmorrhagiæ frequentes, hæ sunt calidiorum pulmonum notæ: quibus verò imbecillior & calidior est pulmo, iis hæmorrhagiæ è naribus sunt frequentes, vnde Hipp. ,, attractio, pulmonis incendium. At vero puellas hæmorrhagicas esse ferè contra naturam est, melius enim per vterum repurgarentur, ideo

Cap. 19. l. 3. de hist. animal.

Aristoteles damnat mariscas & fluxum è naribus in mulieribus menstrualibus, rationes explicatæ sunt paulo antè, quanquam Hipp. vult menstruo deficiente bono esse si fluat è nare sanguis, fluor enim succedaneus est.

Plin. c. 38. l. 11. Arist. probl. 2. l. 10.

De hæmorrhagia vnum notandum, quòd hæc soli homini contingat ex Plinio, Aristoteles id belle explicat in problematis, docetque quòd omnis sanguis vitiosus ipso sanguine integro serosior est, & tenuior,

D. Fernelius annotat eos è naribus ſanguinis fluxum pati, quibus viſcera ſunt imbecilla, & iecur maximè, id quod hydropicis contingit, itaque eſt potius robur addendum iecori, quam captanda occaſio mittendi ſæpè ſanguinis, quia ſtillat ſanguis, qui è nare fluit. hinc illud Hippocratis, Quibus è naribus fluit ſanguis, iis, vel ſperes ſplenem in tumorem eleuatum, vel caput dolere, vel habituros ante oculos. μαρμαρυγάς.

Cap. 4. l. 2. meth. med. Contra eos qui ſecant venam quia vident è nare ſanguinem fluere lib. 2. prorrh.

Extenuatur puellæ corpus in dies. omnis extenuatio, aut alimenti penuria, aut corruptione, aut exercitio validiore, aut dolore, aut morbo colliquante, præſertim euacuatione, aut creſcendi opportunitate. Coloris tamen bonitas, ſæpè fallax eſt, vt quæ ſæpè ſit potius index intemperiei viſcerum quam humorum bonitatis.

Marcoris cauſa aliàs latet, aliàs non; tabeſcunt quidam ob morbum, τῆς ὅλης ἐσίης, quod ipſe Gal. docet exemplo Auruginoſorum quibus hepar vitioſum eſt, cùm nil manus tactu deprehendat.

Lib. de loc. aff.

Videtur ferè ob noxia pemphingodi, febris inflatiua & ſcintillans vocatur, præbet enim opinionem exilientium, & manui occurrentium ſcintillarum.

Si in hepate ἀτονία foret aliis ſignis id pateret.

Videbatur ipſius iecoris σύςασις mala vt mollior & laxior, ſic facultas retentrix imbecillior & quia quia humores non ſatis retinentur, effluunt.

Contra τὰ ἔρεξις oculorum, ophthalmiæ frequentes pulmonem potius calidum accuſabant, ſic & hepati & pulmoni conſulendum fuit.

Laudatur caſſia cum roſacea conſerua: immo conſerua iſta in vſu, iuſcula glutinoſa, ſantalorum in aqua maceratio, maſtiche, cruſta panis, lac aſinæ, litus iecoris ex ſantalino, elect. triaſant. ſyrupus de lamio.

Curatio.

Dubitatur de lacte quia fumidum eſt, & caput opplet. volebant lapidem iaſpidem collo appendi. Gal. iaſpidis viridis meminit, nec tantum tribuendum authoritati eorum qui proprietates occultas laudant, quin ad manifeſtas concurratur, hæmatites lapis ſi foſſilis reperietur, non autem factitius, probatur, non indormiat puluinari ex pluma molliori facto, non obuertat faciem igni, omnis exceſſus & grauitas aëris vitetur. De vſu frigidæ quatenus vtendum ſit vide apud Hipp. de liquidorum vſu.

ANNOTATIONES.

1. *Serosior sanguis & qui in aquam citrinam resolutus est, non caret vitio: vel enim ob putredinem fit talis sanguis, resolutis à putredine fibris, vel serescit, quia crudior est nondumque coctus, vel ob potum liberaliorem, vel iecoris imbecillitatem. vniuersus sanguis fit serosior, vt in hydropicis apparet, vel etiam ob imbecilliores renes, vt qui nequeant, illud attrahere, vel eorumdem obstructionem, quò pertinet locus Gal. ad partic. 28. 2. prog. loquens de vrinis subrubris, eas ad diuturnitatem, sed securitatem morbi ait apparere, fiunt autem cùm sanguinis serum cum vrina excernitur: indicat autem id exuperantiam sanguinis non exquisitè cocti & confecti, & quia est exuperantia humoris integerrimi, abest periculum, quia humidior, & serosior quàm esse debet coctione opus habet, idem docet Gal. ad hist. 2. de Hermocr. sect. 3. lib. 3. epid.*

Sed obseruatione dignum quod ait Gal. primùm quod suis temporibus ferè expers erat seri sanguis, nunc autem & pueris, & natu maioribus in putre serum resolutus est, quò fit vt vini albi vsus sit salubrior, quia tenuitate partium & subeundi facilitate sanguinis serum secernit & expurgat: posterius, quòd non detrahebatur sanguis nisi male affectis.

2. *Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonum, ait Hipp. aph. 33. lib. 3. rationem reddit Galenus in com. nam si ob aliquam dispositionem lædit mulierem retentus, si per aliam partem vacuetur, omnem tollit læsionem.*

CONSILIVM C.

De Aphthis in ore & calida viscerum intemperie.

CVm olim fœcundissima foret domina des Marests, vtcumque per ætatem gestare desineret, esset tamen restibilis fœcunditatis, desiit esse menstrua, vnde aphthæ in ore, siccitas, calor thoracis &c. hæc autem temperamento sanguineo erat.

Consultum

Conſultum eſt, vt bis terue anno vena incideretur, eoque frequentiùs ex Hipp. quò fœcundior fuit, natura enim ſolita erat multum ſanguinis abſumere in nutritione, & formatione fœtus, nam moleſtior & periculoſior erit ei menſium ſuppreſsio (licet naturalis) quam ſi ſterilis fuiſſet, ob conſuetudinem, & generandi multi ſanguinis, & foras in enixu emittendi, & niſi de demenſo ſolitoque cibo detrahatur, ægrotabit, vt ij quibus crus eſt mutilatum, & dyſenteriæ cruentæ ſunt obnoxij: par enim eſt propemodum ratio. Solus namque ſanguis temporarium ſumit incrementum (ait Plin.) & citiſsimè generatur, ſi quidem hoſtiæ abundantiorem fundunt ſanguinem ſi biberint, id etiam & nutrices docẽt, in quibus tam facilè, & lac euaneſcit, & exuberat. Victus ratio ad vnguem ſeruanda, iuſcula refrigerantia non multùm nutrientia, ouis & carnibus vtendum parciùs, ſtricta tamen victus lex non placet, vt ne defectu pabuli accendantur humores, ſub finem Paſtus aqua frigida, cydoniatum, fruſtum pomi, epithemata ad cor & hepar, vinum dilutiſsimum, pomaceum, piratium, ptiſſana pro vino, hordeata non plena, ſed cremor ſolius hordei, additis ſem. frigidis, vinum diluatur aqua hordei.

1\. *Lib. de ſuperfœtat.*

Cap. 38. lib. 11

Lotio pedum, balnea, lac aſinæ domi hordeo nutritæ, ſyrupus iuſpiſſans ſanguinem, iulep. roſat. gargariſmi refrigerantes, caſsia, clyſt. refrig. apertio venæ malleoli.

ANNOTATIO.

1\. *Hipp. loco laudato ſic habet.* γυνὴ ἥ τις ἀεικύμων ἐοῦσα πέπαυται κυισκομένη φλεβοτομείσθω δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τῶν χειρῶν καὶ σκελέων. *Mulier quæ facilè concipiebat, ſi concipere deſinat, illi bis in anno tum è manibus, tum cruribus vena tundenda eſt. Rationes ſunt in contextu.*

CONSILIVM CI.

De vertigine.

HIc morbus quò maioris est momenti, eò maiori studio curáque profligandus est. Et cum multæ sint vertiginis causæ, vel indigenæ, id est à cerebro natæ, vel alienigenæ, tentanda sunt remedia communia donec peculiaris affectionis notitia maior fuerit, tunc enim in eam partem cura dirigetur, itaque in communioribus remediis erit consistendum.

Ratio victus in cibo, potu, rebus non naturalibus seruanda est, maximè vero animi pathemata moderanda sunt, quæ hîc plurimum virium habent.

Pulueres corroborantes à pastu cydoniatum.

℞. Sem. anisi, fœniculi & coriandri cond. añ. ℥ ſ. sem. pæoniæ ℈ j. conseruæ rosarum siccæ ℈ iiij. diaireos ʒ ſ. ossis è corde cerui, & diamarg. frigid. añ. ℈ ſ. cum sacch. rosat. ℥ iiij. fiat puluis.

Pilulæ in frequenti vsu minores, maiores.

℞. Pilul. imper. assaiereth. añ. ʒ ij. visci quer. vngulæ Alces & rad. pæoniæ añ. gran. vj. fiant pilulæ minores.

℞. Mass. pillul. de hiera dupla aloë, sine quibus & aggreg. Mesuæi, cocciarum añ. ʒ j. salis gemmæ, cranij hum. sem. pæon. añ. ℈ j. puluer. sennæ ʒ ſ. cum aqua beton. infus. cinn. & ligni aloës fiat massa, de qua cap. semel hebdomada.

℞. Conseruæ rosar. ℥ ſ. bugloss. borrag. melissæ, tunicis altilis, calendulæ, florum pæonię añ. ʒ j. ſ. corticis citrij ʒ j. sem. pæon. ℈. ſ. cranij hum. mithrid. añ. ℈ j. cum pauco pul. diamarg. frig. fiat opiata ad vsum. Ptarmica, aut vitanda, aut moderatè vtenda, ptyalismus vtilis est, cucurbitulæ, clysteres, lotiones pedum tempore conuenienti. Phlebotomia, vere, & autumno, aliquando è malleolo. Non vtendum vino, nisi præsumpto cibo, aut præhausto iusculo.

Non dormiendum statim à cibo. Nimia actio cerebri, & vigiliæ obsunt. Mutationes aëris fugiendæ.

Frictiones capitis fortes præſertim & circumductæ.

CONSILIVM CII.

Ad impediendum aborſum, pro filia D. de Monglat.

RAtio victus eſt præſcripta, nec eſt quod grauida perpetuò ſe ſe cōtineat in lecto metu maioris mali niſi, forte ad octauum menſem, aut principium noni.

Applicabitur emplaſtrum ex vnguento comitiſſæ, tragacanth. maſtich. cera & bolo armena.

Conſerua roſarum liquida valet, & bolo & potu ſumpta.

Quoniam ῥοῦν quendam patitur, is omnino prohibendus non eſt, ſed vtendum infuſo rhei cum ſantalo citrino, aut aqua rhabarb. ſola, vel tabellis rhei ex elect. triaſant, aut pilulis ex eodem rheo concinnatis.

Conuenient tabellæ cum coralliis raſur. ebor. corn. ceru. ſuccino, roſa, lapide hæmatite, cum ſaccharo in aqua roſ. ſoluto, vtendum, & pul. ex fœniculo dulci, coriandro, roſa, corallio, mica panis toſti puluerata, cum ſaccharo roſato, aut pane biſcocto.

Phlebotomia confert. ſcutum ad regionem ventriculi ex lapide aquilæ, abſinthio, roſa, cypero, nuce moſchata, caryoph. cum tantillo croci, vel madeant flores bugloſſ. in vino. clyſteres (qui per ſe in grauidis reformidantur) ratione torminum ſubiicientur anodyni. ſubodoretur gratos odores, ingratos refugiat.

CONSILIVM CIII.

Ad fluorem muliebrem.

ANte omnia, moderata vitæ lex vtiliſſima & perneceſſaria eſt, tantique momenti, vt ea ſola tam moleſti morbi vindex

& liberatrix esse possit, alioqui licet salus ipsa ægram seruare cupiat, ea non possit.

Detractio sanguinis frequens vtilis, clysmatum vsus, & tabellarum triasantali triplo rheo, aut sumitur ex ouo sorbili puluis paratus ex osse sæpiæ, diatrag. frig. pane tosto, & siccato elect. diair. anthera, rasura eboris multa, cornu ceruino, coralliis.

Decoctum sudorificum ex scyna & sarcaparilla.

Suffitus per infundibulum decocti. rad. symph. enul. camp. rosar. rad. pentaphylli, sem. lini, pæoniæ, cyperi, calam. arom. flor. cham. arthemisiæ.

Vsus aquarum Niuernensium potu, deinde plombarium balneo, post sequentis syrupi vsum.

Syrupus. ℞. Rad. enul. camp. symph. vtriusque sanamondæ seu caryophyll. pentaph. dictamni an. ʒ vj. cichorij totius, hepat. eupat. frag. buglæ, saniculæ, primulæ veris, veronicæ, scabiosæ, melissæ an. m. j. seminis cardui ʒ ij. rosar. prouinc. & transmarin. an. m. j. halicacabi fructus x. fiat decoctio in qua leuiter bull. fol. orient. ℥ iiij. succi pomorum & bugloss. an. ℥ ij. colaturæ ℔ j. adde infus. ℥ j. rhei infusi in parte decoct. cum ligno rhodio, sant. citr. & cinnam. sacchar. q. s. fiet syrupus mediocriter coctus, exhib. cum aqua bugloss. & bipinellæ ad ℥ ij.

Agaricus quidem confert, sed quia mulier fluori sanguinis immodico obnoxia est, eo abstinendum fuit.

CONSILIVM CIV.

Ad molestos herpetas & serpiginem, cum furfure & squammis.

SErpigini, psoræ, scabiei, & cæt. à bile vsta, aut succo melancholico pituita'ue salsa cutis vitiis, aqua salsa, sulphur, lithargyrus, testæ oui in aceto maceratæ donec mollescant consumanturque, conferunt. An ea lex est contrariorum vt contrariis elidantur & oppugnentur, an non potiùs ἐπικεραστικὰ conueniunt, vt acribus mitigantia aptentur? Temperantia conueniunt per se & mixta de-

tergentibus & acriusculis, & nocent aliquando. Id bellissimè explicauit Gal. acria, ait, medentur mordacibus humoribus, quia educunt succum mordacem abluendo, & abstergendo non statim sanant, sed exasperant potiùs, sanitatem enim efficiunt ratione euacuationis, non ratione τῆς ἐπικράσεως: immò contemperantia aliquando maiorem mordicationem efficiunt ex accidente, vt si corrumpuntur, & vnà alunt fouentque cacochymiam: si humoribus acribus sunt superiora iuuant, si humorum maiores sunt vires, lædunt: immò alitur foueturque cacochymia & acrimonia. Quo fit vt medici ea misceant temperentque, ideo vt valetudini Nob. viri consulatur, hæc ex vsu erunt remedia. Victus ratio refrig. & humectans in primis conueniet, vtatur ptissana loco vini, aut pomatio limpidissimo & probè defœcato. vsus cassiæ in potu vel bolo, aut dissol. in iusculis vitellinæ carnis, in quibus folia sennæ certa quantitate macerata prius fuerint. balneum ni vires dehortentur conferet. Item lac asinæ, & abluere partes impetiginosas eodem lacte. hordeata clariuscula, & syrupus violatus recens, cum syrupo de lupulo cum aqua cichorij & passularum.

Cap. 12. l. 2. de si. pl. med. facult.

Victus ratio.

Purgatio. 1.

Fouendæ sunt partes sero lactis, in quo coquatur hordeum, furfur, scabiosa, anagallis, morsus gallinæ, rad. bismal. fol. helxines, vel ex sacculo, aut potius spongiâ.

Fissuræ linantur vng. aureo, addito vitello oui, mucore sem. cydon. extract. in aqua rosar. aut desiccat. rubro ob metallica. mica panis macerata in decoct. auenæ valet ad lauandum; si malum rebellet aqua aluminosa (inflamm. mitigata) aut argenti viui. sulphur cum axungia: enulatum cum mercurio pauco, citrij succo, addito vng. ros. Mesuæi, aut pomata sequens.

Fotus.

Litus.

℞. Frustum laridi salsi, in talleolas incidatur, eas per nouem dies in aqua frigida tempera, quotidie mutando, quibus exactis in aqua plantag. & ros. denuò macera, & vas cineribus calidis impone vt liquentur & tabescant talleolæ, additis deinde ℥ ij. succi limonum, niue candidiorem pomatam efficies, maculis faciei, & furfuribus extergendis maximè idoneam: quidam præscripsit quod sequitur.

℞. Axung. suillæ ℔ j. infunde & laua in aceto ex vino albo & in eodem coque, adde sulphuris & mercurij an. ʒ ij. f. vng. ad vsum.

ANNOTATIO.

1. Notat Plin. cap. 12. lib. 28. Poppæam Neronis vxorem ad faciei nitorem asinino lacte vti solere. Item Dion Nicæus in vita Neronis narrat Sabinam quingentas asinas habere, quæ proximè peperissent. hæ quotidie mulgebantur, vt ipsa earum lacte lauaretur, formam enim & nitorem corporis magno studio curabat.

CONSILIVM CV.

Ad tumorem genæ lupiam minitantem.

INstitutum medicamentum cum decoct. primulæ veris, beton. lupul. scabios. rad. dictam. torment. helenij, florum stœch. genistæ, anthos, incocta senna agar. infus. syrup. de stœch. additus & diaphœnicum.

Si respuat medicamentum præscriptum, vti poterit sequentibus pilulis.

℞. Mass. pilul. sine quibus ʒ iij. imp. ℈ iiij. rhei electi ʒ j. mass. pilul. de agar. & cocciarum añ. ʒ j. ſ. cum syrupo de stœch. & ℈ j. visci. quer. fiat massa de qua cap. ℈ iiij. pro dosi semel, aut bis mense.

Interea teneatur in ore & manducetur hoc masticatorium, ad pituitam è toto cerebri corpore, maximè ex eius ventriculis per infundibulum in os & palatum attrahendam.

℞. Pul. nucis moschatæ gran. x. mastich. olib. añ. ʒ j staphid. agriæ & rad. gentianæ añ. ℈ ſ. ireos gran. x. sacch. candi. ʒ j. ſ. cum gummi tragacanth. temperato in aqua beton. fiat massa de qua fiant formulæ ore tenendæ & versandæ.

℞. Ligni sancti ℥ j. macer. in aqua tepida per horas decem. incoque post agrim. m. ſ. hyssopi, parum glycyrr. ʒ ij. ex hac aqua accip. ℔ j. ſ. in qua incoque mellis Narbonens. ℥ j. ſ. despumetur & cum aceto ad gustum fiat oxymeli aromatiz. cinnam. pro gargarismate & collutione oris.

Fotus instituti ex remoll. & digerentibus, addita radice bryon. parua quantitate & scabiosa multa.

Litus ex chamæm.axungiis lautis in vino,aut decoct.chamæm. mucoꝛibus pariter extractis, addito aceto sub finem & pauco gumm.ammon.cataplas.ex farinis orobi,erui,lupinorum coctis in oxymelite.

Sudorificum non erit inutile, emplast. de Vigo cum mercur. diachyl.ireato empl. de meliloto, vel cum empl. de cerusa cum mercurio.

Rebellante malo pilulæ ex hydrarg.conuenient & syrupus paratus ex rad.symph.torment.sanam.person.herb. pipinell. meliss. vtraque veronica succisa, eupatorio. iua arthr.sem. card. acetos. passul. corinth incoque ℥ iij fol. orient.agar.℥ j.dissol.express. ℥ j. rhei in aqua vlmar.inf.cum cinn.& caryophyllis aliquot,add ℥ iij. succi pomorum de carpend. ℥ iiij. syrup. ros. pallid. sacch. ad sufficientiam cap.℥ j. ſ. pro dosi cum aqua buglossi. syrupi prædicta simpl.coqu.in aqua fluuiali in qua macer. per horas xij. sarcæpar. ℥ ij.

Huius syrupi loco poterit vsui esse sequens opiata ad ℥ j. exhibenda 8.quoque die.

℞ Pul. sarcæp. ʒ x. pul. fol.senn.℥ ij rhei ʒ iij. pul. trium tabell. diacarth.℥ ſ.cōser.melissæ ʒ vj. conf. hamech.℥ ſ.cum mellis desp. quart. iij. fiat opiata. Conueniens victus ratio præscripta, ad vnguem seruanda est.

CONSILIVM CVI.

De intemperie omnium viscerum calida ad elephantiasim accedente.

MOnachus quidam intemperie calida viscerum omnium, quanta maxima dici potest laborat,vt elephantiaseos metus sit à cibo (licet in vsu vini moderatus) oculorum & faciei ardor & quasi deflagratio.

Consultum est vt cassia vteretur & in bolo, & dissoluta cum sero lactis,aut decocto hordei, vel decocto foliorum sennæ in decocto vitulinæ carnis cum herbis refrigerantibus & sem. frigidis.

Phlebotomia semel mense & ex brachio dextro & sinistro, seri lactis vsus & nenupharini syrupi. hordeata: lotio pedum. balnea temperata, postea corniculorum applicatio: litus ex hydrargyro pauco cum vnguen. rosato Mesuęi ad lumbos, & plantas pedum. Litus ex populeone aliquando ad lumbos cum trochiscis de camphora, epithemata ad cor & hepar, vel ex oxycrato & aqua rosar. & plantag. poma, pruna. circumcidatur vinum omnino metu incrementi ipsius intemperiei, quæ elephantem dirum minetur, vel vtatur diluto ex aqua hordei præsumpto cibo multo, & aqua præbibita, vel mica panis in vino sic diluto maceretur, vt animam vini hauriat.

1. De Zytho dubitatur, quia crassum generat succum, acrimoniam habet per hordei putrefactionem, vt nisi lupulus adderetur, vix statim ab acore vindicaretur: immò aiunt quidam medicinæ proceres hordeum putrefactum lolij vires æmulari. Lolium autem quàm officiat, nemo dubitat, imò & lolium & zythũ grauat caput & inebriat, ideò dubitatur, an huic ægro conueniat ad dirum elephantem procliui, nisi forte zythum aquatum & minus, præferunt pomaceum lympidum defœcatum nec acidum, nec prædulce.

Neque vero abs re de pomaceo & piraceo quæruntur dotes & conditiones. Nam Hipp. ait vina tenuia dulcia vrinam mouere, & aluum humectare, corpus & sanguinem debilem facere, aduersariumque in corpore sanguinem augere.

2. de diæta. Nunquid hæ qualitates dulce, tenue, facile incidunt in pomaceum, & piraceum? si id fit, non possunt non infensa esse corpori, præsertim eas qualitates adepta. de iis videbit prudens medicus.

Item ad eundem ægrum pilulæ ex hydrargyro præscriptæ sunt cum temperantibus paratæ.

Sed abfuit parum, quin castratio imperaretur, quod citrà hanc corrigi non posse videretur tanta phlogosis, hectica ferè adeò prouecta erat.

ANNOTATIO.

1. *Quanquam bona habitudo, corporis & roboris firmitas, suauitas coloris, eorum qui versus septentrionem cereuisia vtuntur; satis ipsi cereuisiæ videantur patrocinari, tamen eius vtilitates vna maceratione putredinis matre & corruptionis obscurantur & abolentur, cum, sicut in aceto fieri solet, quod acidum est parte serosa & liquida; superstite*

superstite pauco calore natiuo, at parte terrestri acriusculum, ob caloris putredinalis impressionem, calor natiuus hordei penè exulet & succedat putredinalis, hinc elephas, hinc carinariæ, hinc impetigo. Lolij enim naturam hordeum maceratione, putrilagine, & fermentatione acquirit at lolium vi malefica insigne. Zithum autem damnat Dioscorides, damnat Gal. damnant & hi versus ab Eobano scitè scripti.

Qui docuit crasso Cererem confundere succo.
Hinc iratus erat, Bacchus & ipsa Ceres
Nam pelusiaci qui laudat pocula Zithi
Illi nec cerebrum nec caput esse puto
Renibus, & neruis cerebroque hic noxius humor
Sæpè etiam lepræ semina fœda iacit.

CONSILIVM CVII.

De *hydrope.*

TVmor ventris erat insignis & scroti vt facilè fit confluxus & transfluxus. his remedijs vti oportuit adacto scalpello ipsi scroto, ad educendas aquas & ichorem & flatum.

Veternosi pro hydropicis sumuntur apud terentium veternosus autem dicitur vetere morbo detentus & affectus cuius generis est vetus hydrops.

Victus ratio præscripta exsiccans, vtatur assis potiùs quam elixis carnibus, illæ solidiorem carnem efficiunt, potus sit vinum album, cum decocto eryngij & scynæ, puluis digestiuus cum aniso, fœniculo, coriandro, diarrh. abbat. decoctum filicis maris cum passulis corinthiacis.

Vsus clysteris semel hebdomada, sequenti die purgatio ex sena, manna, syrupo rosarum cum agarico addita particula elect. de citro, de succo rosarum, aut diacarth. ex decocto rad. enul. eryng. brusci &c. granor. halicacabi, cicer. rubrorum; vel parabitur syrupus cum foliculis, agar; puluere sennæ, cassia, addito diapruno solut. & trochiscis halicacabi. Manè cùm non purgabitur, vtetur decocto brusci, eryngij, campanæ, addita scyna, vel per se, vel cum vino post sumptam tabellam trias. cum martis croco.

Purgatio.

Potus.

Dilutum rhei cum aqua prassij ordinatum, vel accipitur ℥j ſ. rad. ebuli, vinum album & aqua hordei, & fit bis expressio ad

vsum: vsus ialap, aut mechoacan, ligni nephritici, sassafras eryng. & lithospermi.

Tabellæ. ℞. Cort. citrij cond. ℥ j. s. ras. ebor. corn. cerui, frag. lapidum pretios. añ. ℈ j. rad. sassaf. & scynæ. añ ℈ iiij. croci martis parum, kermes ʒ s. diamarg. frig. & rosat. añ. ℈ ij. fœniculi florent. parum, cum saccharo in aqua vngul. caball. solut. fiant tabellæ vel triplo sacchara conditum ad vsum, loco tabellarum tria santal.

℞. Rad. scynæ & sarcæp. añ. ℥ ij. macer. in ℔. vj. aquæ per horas 8. dein fiat consumptio tertiæ partis & aromatiz. cinnamomo.

Fotus. Fotus matutinus ex rad. camp. alth. scyllæ chamæm. pariet. beton. stœchade, absinth. addito cypero & scœnæ anth. coctis in aqua & vino albo, addito aceto.

Litus. Litus ex Chalacticis vel emplast. de baccis lauri, vel.

℞. Mucor. sem. leni extracti in decoct. fotus super. ℔ s. sigilli beatæ mariæ crudæ ℥ iiij. butyr. recent. lauti in vino albo & aceto ℥ viij. puluer. dauci, cumini, ireos, añ ʒ s. fiat litus.

Cataplasma. Cataplasma fiat ex farina hord. fabar. orobi, cum mica panis secalini, adde parum terebinth. & olei chamæm. efficacius erit quod sequitur, paratum ex farinis lini fabar. orobi, lupin. coct. in oxymelite addit. rad. bryoniæ crudæ, dialtheas, terebinthina, puluis ireos, & hæ farinæ aliàs coquuntur in oxymelite parato cum chamæpity. beton. veron. scab. ad ℥ j. s. sigill. beatæ Mariæ crudi pul. chamæm. ʒ j. s. ireos ʒ j. terebinth. addi potest magno profectu. fiat cataplasma aliquando cum vino, aliàs cum sapa. Puluis datus ex saccharo cando, nucleis mespilorum, & milio solis, probatur soldanella ad ʒ j. cum vino albo cæteris nil proficientibus.

Aquæ naturales. Nouo vere si supersit adeat aquas plumbares vel Niuernenses, & vt aluus facile fluat vtatur syrupo passularum purgante sequenti.

Syrupus paß. purgans. ℞. Fol. senn. ℥ ij coqu, in decocto pector. in colaturæ suffic. quant. coque passul. ℥ iiij. & cum sacchar. fiat in formam opiatæ liquidæ capiantur passulæ aliquæ cum prædicto syrupo.

CONSILIVM CVIII.

De fluoribus albis & aliis affectibus.

NObilis domina cacochyma labem contraxit in vtero & vitium siue ex marito impuro, siue labe interna: illa cum abhorreat medicamenta, consuluimus vt in ouo rhabarbari puluis includatur sumendus, antè decoctum rad. eryng. trifolij, cum passulis corinth. & damascenis, vtatur syrupo de pomis, & de cerasis.

Fluores albi non sunt negligendi, siue à toto corpore siue ab interno vtero fluant, vtrumque non negligendum.

Decoctum interioris guaiaci & scynæ plurimùm conferet, sit gratum, vtatur manè & ante cœnam.

Cum occasio aduenerit, valebit decoct. rad. consolidæ, sanamundæ, fragariæ, yuæ arthriticæ, trifolij, taraxaci, veronicæ, roris solis, pilosellæ minoris (quæ pes cati dicitur) florum tunicis, coronariæ hortensis, prunellæ, pimpinellæ, buglæ, saniculæ, siue herbæ roberti.

Diamarg. frig. aromat. rosat. diatrag. frig. ex interualli exhibeb. item id quod sequitur.

℞. Corticis citrij cond. ℥ j. ſ. ras. ebor. cornu cerui fragment. lapidum pretios. an. ℈ j. rad. sassafras & scynæ an. ℈ iiij croci martis ʒ ſ. kermes ℥ ſ. diamarg. frig. & rosati an. ℈ ij. fœniculi florent. parum, fiant tabellæ. *Tabellæ.*

Pro matrice balani ex rosis rad. ireos, florentiæ, zibetho, ambra, betonica, dictamno &c. *Balani.*

Si partes inferiores paulo sint calidiores post purgationem, pessuli ex aqua rosarum granis duobus zibethi, mucore psyllij extracto in aqua rosarum conuenienti.

Semicupium aut balneum cum herbis conuenientibus conueniet, lignum nephriticum vtile.

Cylindri ex ligno aloës diamarg. frig arom. ros. diambræ; humor qui ab vtero fluit non statim reprimendus, aut supprimendus si fieri possit ipsa ægra habitior reddatur, iusculis cum carne vitu-

lina, volatilibus, cum farina panis albi, vitello oui, saccharo, instar panatellæ.

Diaspermaton Fernelij valebit, item aquarum naturalium vsus; Mentionem fecimus decocti sudores prouocantis accip. ℔. vj in quib. macer. sarcæpar. & scynæ puluer. hor. x. dein fiat, ebull. & consumptio tertiæ partis, aromatiz. cinnamomo addatur parum pulueris sassafras, fiat iniectio in matricem cum syringua ordinaria, vel

Iniectio.

℞. Agrimo. hord. añ. m. j. post temperationem bull. in aqua in ℔ ij. dissol. ʒ j. ſ. pulueris albi, fiat iniectio in matricem ter aut quater in die.

Puluis albus fit ex vitriolo albo infuso, & liquefacto ad ʒ. I. ſ.

CONSILIVM CIX.

De doloribus capitis, & ad hepar & ventrem.

MVlier annos nata 40. iam dudum de doloribus capitis, & ad hepar & ventrem conqueritur, multa horum compescendorum gratia vsurpata fuere à multis remedia, sed frustrà quærit à nobis vt malum doloremque leniamus.

Purgatio.

Consuluimus vsum mannæ calabrini cum iure prunorum & passul. aut cum iusculo parato ex carnibus.

Apozemata parentur ex decoct. rad. fragar. cichorij, eryng. taraxaci. Aristol. tamaricis herb. veron. potentillæ, bipinellę, milij solis, cuscutæ chamæd. chamæp. acetos, trifol. quinquefol. cum syrupo de limonibus capill. veneris, aut de pomis, vel

Iusculum purgans.

℞. Polyp. quer. glycyr. añ. ʒ vj. agrim. ceterach. añ. p. ij. cremoris tartari albi ʒ ij. coque in aqua melissæ, dissolue syrup. rosar. pallid. cum agar. ℥ j. ſ.

Aperiatur basilica sequenti die.

℞. Rad. petros. fœnicul. gram. añ. ℥ j. ras. ebor. cornu cerui añ. ʒ iij. rad. cich. sectæ in partes ℥ ſ. sem. melonum. ʒ j. include ventre pulli consuto, dein elixetur cum carne vituli, sub finem adde fol. agrim. meliss. ceterach. añ. p. ij. in iuscul. colati ℥ vj. dissol. cremorem tartari albi ad ʒ j. succi pomorum ℥ j. adde succum limonum cap. per decem dies manè.

℞. Fol.ſenn.ʒ iij.irrigentur ſucco limonum,infunde per horas 12. in vino albo,admiſceatur iuſculo,alternis diebus.

℞. Croci martis ℥ ij. pul. diambræ aromat. roſat. añ. ʒ j. ſ.pul. cort.citrij & aurantiorum añ.ʒ ii.cinnam. ʒ i. ſ. macis ʒ i. cremoris tartari cryſtallini ʒ ii.ſ.fiat vt alkool. excipe ſyrupo parato ex vino maluatico & ſacch.cap.ʒ i. mane ſuperbibendo parum vini albi, aut iuſculi cum aqua borrag. deambulando manè.

Deglutiat pilulas ſtomachicas cum gummis ad ʒ ſ. vel cap. pilulas præſcriptas cum croco per 20.dies.

℞. Confect.alkermes ʒ i.magiſt.perlar.& coralli añ. ʒ ſ. corticis aurantiorum,& citrii conditi ſicci añ.ʒ iii. cinnam. ℈ i.ſant. citr. ℈ ii.ſacch.q.ſ.cum mucore ſem.cydon.extracto in aquæ naſlæ, fiant tabellæ pondere ʒ ii.capiat vnam in ingreſſu lecti. *Tab l'æ.*

Puluis digeſtiuus valet, & ſcutum circà orificium ventriculi applicatum.

Vtatur aquis,aut ſpadenſibus, aut forgenſibus: ſpadenſes ſunt meliores habent vitriolum admixtum ferro. *Naſla herba eſt,paulo calidior, ex qua detrahitur calidiuſcula.*

CONSILIVM CX.

Ad luem veneream incipientem.

IN nobili viro multa luis venereæ indicia apparent,vt euaderet tutus hæc remedia ſunt inſtituta,quæ dum vſurpabuntur hanc ſeruabit victus legem. *Victus ratio.*

Abſtineat ab eſu fructuum & eorum omnium quæ cruditatem generant.

Aluus molliatur 3. quoque die clyſmatis conuenientibus; cibis vtatúr potius aſſis quam elixis, pane vtatur biſcocto & pro bellariis vuis damaſcenis, aut corinthiacis, aut prunis turonenſibus.

Purgetur æger,ſectâ priùs baſilicâ dextrâ & dein malleoli. *Venæ ſectio.*

℞. Sarcæpar. ℥ ii. ſ.rad. ſcynæ ℥ i. medullæ Guaiaci ℥ ii. temperentur in ℔ x.aquæ puriſſ. per hor. xvi. bull. leuiter ad conſumptionem tertiæ partis additis ad gratiam glycyrr. & cinnamomi tantillo in ſuo magmate diu ſatis quieſcant,antequam in phialis *Sudorificum.*

ponatur, cap. ℥ vi. mane & tantumdem vespertinis horis, dein contectus sudet.

Dum bulliet hoc decoctum accipiatur spuma eius in summa vasis parte apparens imponatur vasculo & ea parte vlcera lauentur cum decoctum erit colatum super magma ponantur ℔ x. aquæ pro secundario decocto quod in pastu sumet.

Vnguento vtatur super partem vlceratam dum sudabit, vel de morbo, vel sequenti.

℞. Vng. apost. ʒ vi. vng. de morbo. ℥ i. misce & pone in parua pixyde terrea & imponatur hoc vnguentum linteo, vt vlcera cooperiantur & suprà imponatur vng. de mercurio simplici, parabitur massa pilularum addito mercurio benè parato & sæpè per linteum transcolato, deinde melle, aut butyro recenti extincto massæ pilularum, postea addatur, vt sæpè tres pilulas paruas accipiat, secundo quoque die, cum decocto sudorifico, in tribus pilulis ponantur tantum grana nouem mercurii.

1.

ANNOTATIO.

1. Luis venereæ alexiterium est hydrargyrus, hanc hydram solus vincit & opprimit. Quod tamen quibusdam recentioribus non placet, qui tutum huius vsum esse non putant. Nam, aiunt, non oppugnat venenum, sed difflatu prohibet. verum vsu hydrargyri proliciuntur sudores, tenuitasque eius id facit attenuata materia sibi quaquauersum exitum quærente. Nec obstat quod quidam asserunt frigidum esse quoad partes extimas, sed in imo calorem summum habet & tenuitatem partium, quo vtroque tantam habet energiam; quod autem semini corrupto bellum indicat tanquam alexipharmacum, hanc reddunt rationem nonnulli, asseruntque id fieri, quod magna sit analogia inter semen, & hydrargyrum omnium metallorum velut semen quoddam. Et quatenus semen eius author corruptum quid est, eatenus quadam antipathia argentum viuum illud persequitur.

CONSILIVM CXI.

De vermibus.

NE quid deterius contingat his remediis occurri debet puellæ sæuis torminibus à vermibus diuexatæ.

℞. Decoctoinis rad. eryng. cichorii. asparag. herbar. acetos. adianth. cichorii, bipinellæ ℔ i. in qua infunde rhei minutim incisi ʒ i. ſ. cinnamomi ℈ i. cap. de colatura ℥ iii. manè, & tantumdem antè cœnam. *Purgatio.*

Iniiciantur clysteres ex lacte, vitello oui, saccharo, melle violato, dulcia per inferiora, acida, aut paulum amara per superiora iuuant, assis vtatur potiùs quam elixis. *Enemata.*

A dulcibus & lacte & cruditatem generantibus abstineat; cibi condiantur, omphacio, caryophyllis nuce moschata, succo citrii, aut aurantiorum, item caro citrii inter pastus.

Cortice vtatur citrii liquidioris confecti, & tabellis ante pastus diamarg. frig. diarrh. abb. addito puluere lumbr. præparatorum.

Vmbilicus fricetur vngaturque oleo amygdal. amar. succo rutæ, absinth. mali aurei, felle ouillo addita cera alba, aut tincta. aliquando accipientur folia bipinellæ, talleolæ citrii, vt fiat aqua addatur rasura eboris, corallina, cornu ceruinum ad vsum frequentem, addatur sacchari parum: mala aurea sunt gratissima, vel *Litus.*

℞. Aquæ morsus ℥ vi. pul. Corallinæ parum syrup. de limon. ℥ i. bis cap. in die. *Tabellæ.*

Triasantalum cum rheo duplo, aut triplo valet item pomum cum tantillo croci.

Coriandrum conditum cum vino vtile; item decoct. eryngii addito coriandro & cinnamomo, vel

℞. Ligni nephritici ʒ i. maceretur in aquæ coctæ ℥ viii. extra ignem positæ.

Restante malo concinnabuntur pilulæ paruæ ex hydrarg. dulcific. gran. viii. & scamm. præparati, gran. 6 cum syrupo de limonibus, aut horum puluis miscebitur cum pomo cocto.

ANNOTATIO.

1. *Mathiolus cap. 70. lib. 5. argentum viuum commendat; quod dragmæ vnius pondere exhibet, quod licet in casibus desperatis contulisse, atque aliquando vtile fuisse dicat: tamen vbi necessitas non vrget, & aliis mitioribus medicamentis res peragi potest, hoc præsidio non est vtendum, cum prauam corpori diathesim imprimere, contraque stuporem & paralysim inducere possit. Sed multo tutius alij, si quid grauiter vrget dulcificatum mercurium exhibent, ex quo cum aloë acrheo sicco & cinnamomo pilulas formant, lumbricis enecandis apprimè vtiles.*

CONSILIVM CXII.

De Arthritide.

VIr egregius circà Februarium laborauit vniuerso corpore & singulis membris, quidam putabant esse rheumatismum, cum tamen esset arthritis, ille bis, aut ter in vita prehendit; hæc relabitur, & sæpè reuirescit, quia est diathesis partibus impressa. Nos iudicium nostrum afferimus, non vt curemus omninò morbum, sed frequentem relapsum vitemus illi ferè sexies sanguinem misimus, hic impurus erat, putamus hepatis maximè habendam esse rationem. Bis anno, vere & autumno, mittendus sanguis, aut paulò frequentiùs. Parandus syrupus magistralis ex rad. pentaphylli, sana mundæ, cichor. person. fol. eupat. pilosellæ, lichenis yuæ arthr. asplen. saluiæ vitæ, capill. ven. sem. bardanæ melon. flor. genist. gram. halicac. pass. corinth. ficubus incoctis fol. sennæ cum sem. fœn. flor. addita suff. quant. sacch. post colat. & express. ℥ i. ſ. rhei ad partem cum cinnam. & ligno aloes infusi.

Syrupus magistralis.

Vtatur aliquando blando potu ex decocto sarcæp. & scynæ, aliquando manè ad proliciendos sudores blandos, aliquanto initio pastus.

Grauia medicamenta obsunt, prouidendum vt mitior sit morbus, non validis medicamentis excutere sit studium, quia inutile foret, nam genitiuum.

Conueniet

Conueniet blandum decoctum addita ℥ i. ſ. rhei & tantillo cinnam. de quo capiat ℥ iiii. aut ℥ vi. lac aſinæ, aut ſerum lactis, quod parari poteſt calore ignis, additis ouorum albuminibus.

Blandi fotus, cum dolor repetit, & litus conferent, & ſudorifica blanda in lecto, ad eliciendum virus. *Fotus.*

Manna calabrino vtetur ex interuallis, ex decocto carnium vitulinarum: item conſeruâ ex floribus caryophyllorum noſtrorum: pro potu parabitur decoctum ex ℥ i. ligni nephritici in ℥ viii. aquæ macerat. extrà ignem. Aut ex magno cyatho aquæ, octaua parte vini tribus talleolis citrii cum cortice ſant. citr. & ſaccharo grata concinnabitur potio. cataplaſma valet ex farina hordei, fabarum, orobi, lini cum mica panis ſecalini, terebinth. tantillo & oleo chamæmelino. *Potus diuinus vulgo dictus gratus, gratior addito vino & ſantalo citrino.*

Horâ ſomni ſæpè conciliandus ſomnus, hordeatis cum decocto pull.

Ante paſtus ſumat tabellam, vel elect. diamarg. frig. vel aromatici roſati, in fine paſtus pulueren conuenientem ad roborandas partes.

In vehementi dolore cerotum ex pſyllio conferet.

℞. Mucor. ſem. pſyll. lini cydon. conquaſſ. ℔ ſ. vitellos ouorum duorum, amyli ℥ ii. caphuræ parum, fiat linimentum; Si diamarg. & aromat. roſat. tabellas reſpuat, harum loco conueniet opiata ſequens. *Litus.*

℞. Cortic. citrii conditi ℨ ii. raſ. ebor. cornu cerui frag. lapidum pretioſ. añ. ℈ i. ſaſſafras ſcinæ añ. ℨ i. ſ. granor. kermes. ℨ ſ. diamarg. frig. ℈ ii. fœnicul. florent. & triaſant. añ. ℈ ſ. cum ſacch. in aqua bugloſſ. ſoluto fiant tabellæ, quibus à paſtu, & ante paſtus vtetur. *Tabellæ.*

Si malum rebelle, pyrotica conferent.

CONSILIVM CXIII.

De calculoſa affectione.

IVuenis quidam annos natus 25. ſpecie quadam calculoſæ affectionis laborat, & circà renum regionem dolorem grauem ſæpè perſentiſcit, hinc quæ ſequuntur remedia ſunt inſtituta, clyſteres

ex remoll. ciceribus rubris capill. chamæm. coct. in ſero lactis diſſol. cath. bened. laxat. terebinth. oleum liliorum.

Purgatio. Manna, caſſia, conueniet ex decoct. Galli veteris, ſem. bardanæ, melonum, milij ſolis, ſaxifragæ & bipinellæ, cicerum rubrorum: dein vtetur bolis ſequentibus.

Bolus. ♃. Terebinth. lautæ in aqua pariet. ℥ ſ. rhei ℈ j. lapidis iudaici ℈ ſ. cum diatrag. frig. fiant Boli.

Datæ tabellæ diatrag. frig. bechicæ, diaireos.

Puluis. Puluis institutus ex milio ſolis, puluere burgæ ſpinæ, lapide iudaico, elect. ducis cum aqua terebinthinæ.

Datus ſuccus amygdal. dulc. cum aqua ſtillat. terebinthinæ, item cum ſucco mali aurei, & vino albo.

♃. 4. ſem. frig. maior. añ. ʒ ſ. aſparag. lithoſper. añ. ℈ ij. puluer. lapidum cancrorum, & lap. iudaici añ. ℈ ſ. pulueris burgæ ſpinæ & ſem. bardanæ añ. ℈ ſ. ſyrupi de raphano parum, dianthos ʒ j. fiat puluis vtendus cum iulep. ſequenti.

♃. Syrupi de althæa & limonum añ. ℥ j. ſyrupi de raphano ℥ ſ. aquæ decoct. fabarum. ℥ iiij. fiat iulep.

Syrupus magiſtralis tandem concinnabitur, de quo capiat circà vltimas lunæ quadras, ſuperbibendo decoct. galli veteris, milij ſolis, ſaxifragæ, & cicerum rubrorum.

Syrupus. ♃. Rad. eryng. petroſ. aſparag. cichor. frag. añ. ℥ ſ. capillar. omnium, bipinell. ſaxifrag. areſtæ bouis, violar. biſmal. añ. m. j. borag. bugloſſ. end. & ſummitatum lupuli, ſeſeleos añ. ʒ j. ficuum, paſſul. mundat. iuiub. ſebeth. añ. ℥ j. grana halicacabi x. folior. orienta. ℥ ij. agar. nodulo incluſi ℥ j. fiat decoctio in colat. ℔ j. diſſolue ſacchari q. ſ. coqu. in ſyrupi conſiſtentiam addendo extra ignem ℥ ſ. rhei electi, in parte decoct. præd. infuſ. cum tantillo cinnam. & ligni aloes fiat ſyrupus.

Iuſcula frequentia cum decocto carnis vitulinæ hordei. add. ſuccum citrij.

Litus. Litus ad regionem renum ex temperatis.

Cœlo clementiore, ſemicupium incoctis fol. vitis maluæ, biſmal. & violariæ rad. alth. flor. nymp. capitibus aliquot papauer. albi ſæuiente dolore.

♃. Medull. ſem. melon. recent. ℥ j amygd. dulc. ʒ vj. ſem. lact. &

Emulſ. papau. alb. añ. ℥ ſ. grana alkekengi 4. tere dilig. in mortario affund. ℔ j. ſ. decoct. rad. altheæ, glycyrr. hordei & florum nymph. fiat Emulſio in qua diſſol. gummi Arabici in aqua nenupharis lique-

facti ℥ ij. cap. magnum haustum post moram quadrantis horæ in semicupio, capiat item hora somni.

CONSILIVM CXIV.

De Cachexia, Ictero, & aliis affectibus.

NObilis mulier cachectica erat, macra, icterica, nauseabunda, colicis doloribus obnoxia, intra hæc breuia capita constitimus.

Vsus sit aquæ rhei cum decocto splenico hepatico additis lichene chamæp. & santalis.

Syrupus magist. cum passulis, flor. tunicis altilis, taraxaco, rubia tinctorum, hepatica, ciceribus rub. gran. kermes, eupat. cassutha, cortice tamaricis, capparum, rad. sanamundæ, tormentillæ, scabiosa, bellide additis fol. sennæ, & rheo, succo citrij, pomorum, bugloss. ceras. & saccharo, vsus ad ℥ j. cum aqua. buglos. oxytriphylli. conuenient tabellæ cum simplice rheo, & croco martis vel sequentes. *Syrupus.*

℞. Cortic. citrij. cond. ʒ i. s. ras. ebor. cornu cerui, fragment. lapidum pretios. an̄. ℈ i. rad. sassafras & scynæ an̄. ʒ i. croci martis ʒ vi. gran. kermes ʒ s. puluer. lumbr. terræ præparat. ʒ i. diamarg. frig. & rosati an̄. ℈ ii. fœnic. florent. tantillum, cum saccharo in aqua rosar. & bugloss. soluto, fiant tabellæ pond. ʒ ii. valebit conserua ex flor. tunicis altilis, bugloss. & borrag. *Tabella.*

Vtatur iusculo cum pullo & harmo vitulino cum hordeo & passulis.

Syrupus pomorum. iulep. rosat. de cichorio simplex & byzantinus erit ex vsu.

Phlebotomia aliquando parcâ manu.

Balnea aquæ dulcis, sed diu in iis non est immorandum.

Pro vtero, primas tenet syrupus ex cerasis, de agresta exactè paratus.

Litus ad hepar, ex cerato santalino.

℞. Hordei m. ii. coriand. parati ʒ ii. apii, adianthi an̄. p. i. fiat decoct.

vtatur cum vino albo mane si febris non adsit, aut paretur cum saccharo & melle.

Vtatur hordeatis paratis cum iure pulli, & carnium vitulinarum, cap. manè & serò.

Lac asinæ, serum lactis, cum syrupo violarum percolatum diligenter, conuenit, & panis in lacte subactus, item aqua nephritica.

CONSILIVM CXV.

De pulmonis calida intemperie.

AD prophylaxim affectus pulmonis, cum caloris sensu, & saliua salsuginosa, ac si sputum foret piperatum, nobili viro hæc præscripta fuerunt.

Opiata. Cassiæ frequens vsus, vel opiatæ laxatiuæ, ex decocto pectorali refrigerante, cum tamarindis, passulis corinth. flor. nympheæ, intybaceis, cum foliculis, addita cassia, pulpa sebesthen, conser. violarum.

Cassia non colata magis lenit, temperat, humectat bilem & pituitam ducit. Cassia dissoluatur in iusculo, vel refrigerante decocto, modò coletur, modò non, sed non colata est meliùs profectura, medulla enim potentiorem habet effectum. Baculus glycyrr. temperetur in ptissana vulgari, facta cum hordeo, additis sem. 4. frigid. deligenda est glycyrr. sic temperata, frequens vsus conueniet pilul. hypoglottidon, vel tabellarum paratarum ex bechicis, addito addito papauere albo.

Iulep. rosar. cum æqua portione syrupi de nymph. vtrumque dissol. aqua decoct. hordei: frustula pomorum succulentorum & suaueolentium, addita aqua rosacea.

Hordeata. Hordeata frequentia, cum aqua parata, in qua temperabis sem. cucurb. lactucæ & aliquando papaueris albi.

Somnifera. Somnifera valebunt blanda, præsertim si tussis molestet, vsus frequens pomorum non minus coctorum additis iuiubis, floribus nympheæ.

Lac asinæ. Lac asininum tempore commodo.

Non attrahere aërem nimis calidum, ex luculento igni, iuscula refrigerantia, epithemata, reserare basilicam sinistram.

Balneorum creberrimus vsus, nam licet, quorumdam opinione, pulmonicis non conferat, quòd liquet & humores fundat, vnde aut febris, aut inflammatio: tamen ad eos affectus Hipp. commendat, Peripneumoniæ (ait) magis quàm ardenti febri confert balneum, nam lateris & pectoris mulcet dolorem, sputum educit, maturat, &c. quidam nomine peripneumoniæ communiter intelligi voluit omnem pectoris dolorem. Nam peripneumonia vera non habet coniunctum lateris dolorem. & tamen Hipp. loquens de peripneumonia meminit lateris doloris, quem balneum discutit.

Balnea.

3. acut.

CONSILIVM CXVI.

In hydropis metu, & pulmonis, hepatisque latente vitio.

PRudenter se gerere oportet, ne vsu hydroticorum calidiorum augeatur intemperies hepatis & pulmonum post intemperiem impense calidam. sequitur aliquando hydrops dum serum putre gignitur, loco laudabilis sanguinis, aut tympanites sequitur.

Hipp de int. affect. per 10. dies initio quasi à cibo abstinendum putat, dat lac caprillum ad 4. heminas addit 4. partẽ mulsæ.

Purgationes ex interuallis, à calfacientibus multum abstinendo.

Phlebotomia si hepatis & pulmonum phlogosis sese prodat. radix filicis maris confert, manna calabrinum profuit.

Si tument partes imæ, maximeque scrotum, cauterio locus esse potest.

Hipp. ibid. si tumor, ait, cõstitutus sit in scroto, & femoribus ac tibiis, acuto scalpello multa & frequentia vulnuscula incutito.

Vsus mechoacan, aut ialap erit vtilis, aut herbæ nephriticæ.

Iusculorum rarus vsus, aut in forma panatellæ.

Fotus blandi ad ventrem.

Cataplasmata ex farinis qualia sunt alio loco ante præscripta vinum album cum radice campanæ & eryngii, scyna, sassafras: tabellarum de citro vsus esto cum vino albo.

Syrupus ex floribus persicæ arboris.

Electarium triasantalinum triplo rheo, cum croco Martis, fœniculum florentinum, aut anisum.

Puluis conueniens à pastu.

Hæc decreta consulibus D.M. Ellenio & Petræo clariss. collegis, die 12. Ian. 1609.

CONSILIVM CXVII.

De Calculo renum.

DOlor de quo iamdudum conqueritur, vel à rene originem ducit, ratione cuiusdam calculi, qui in eo iam rudimentum quoddam accepit, qui si talis existit qualem vrinæ demonstrant, haud dubiè bona victus lege ab huius molestiis vindicari poterit. Quod autem ad hypogastrii & testiculi dolorem attinet; is excitatur cum ab obstructione vreteris à calculo, tum ob consensum testiculorum cum vasis spermaticis quæ ab emulgente oriuntur. Ad doloris molestias demulcendas paroxysmi tempore, & præcautionem eiusdem præsentis, aut imminentis, phlebotomia, si plethora subest, & purgationibus corpus vacuandum est, quæ non modo humores in partem affectam influentes, sed & iam ipsi reni impactos vacuent & eliminent. At verò præsidia quibus ea præstari possunt, sunt leues purgationes, clysteres, pilulæ, apozemata, demum, fotus, litus, balnea, vnguenta, & alia de quibus in sequentibus dicetur si dolor recrudescat & παλιγκοτaίνει. Et quia nil magis vrget, & medici solicitudinem ad se conuertit, quàm dolor grauis maximè in paroxysmo, dicemus in primis, quibus artibus is quàm primum leniri possit & demulceri: dein quid sit alio curationis tempore peragendum. Cum redibit paroxysmus iniicienda erunt enemata consueta, addita terebinthina veneta, fouendáque erit pars dolore obsessa sacculis, quibus si dolor non sedetur & conquiescat, demergendus erit in balneum aquæ tepentis fumo & odore carentis, in quo diu morabitur, modo nulla virium dehortetur imbecillitas: dein illinienda erit renum regio vnguento ad id acommodato quibus præsidiis si non mitescat dolor, ea demum iteranda erunt & denuo æger in balneum demittendus erit, vt relaxatis balnei tepore partibus, longè facilius calculus à rene per vreteres in vesicam, ab hacque foras protrudatur & eli-

Hipp.

minetur. In doloris acerbitate vtile erit olei amygd. dulc. sine igne extracti ℥ j. ſ. & ſucci limonum ℥ ſ. propinare; demum dolore ſedato, bolum caſſ. cum rheo, addita interdum benedictæ laxat. portiuncula exhibere, vel potionem ſequentem, ſi bolum reſpuat, cum rheo concinnatam; dein interpoſitis aliquot diebus terebinthinam: ſi verò in multos dies producatur dolor, vtile etiam erit haurire apozemata, aut decoct. cicerum rubr. cum rad. petroſ. altheæ, bipinell. &c. diebus ſcilicet iis quibus non purgabitur: ſi nauſea, vomitio, aut ventriculi imbecillicitas fatiget ob conſenſum quem habet cum renibus, is roborandus erit vnctione ex oleo maſtichino, aut emplaſtro ex maſtiche cera & oleo cydon. Quin & ad huius morbi præcautionem magna eſt purgationis efficacia ex caſſia cum rheo, benedicta lax. interdum; caputque deplendum quod graue perſentitur. Interim vero 15. quoque die repetenda erit, maximè ſi de renum aliqua grauitate conqueratur, catharſis, aut ex pilulis ſtomachicis 8. quoque die deuorandis; diebus vero intermediis conuenient tabellæ triaſant. quadr. rheo.

Sed & ad præcauendum hunc affectum inſignes & certas vires habet quod ſequitur iuſculum.

℞. Hord. integ. p. j. rad. petroſ. acetoſ. fœn. cich. bruſci añ. ℨ. j. 4. ſem. frig. maior. conquaſſ. añ. ℥ ſ. fol. acetoſ. portul. lactucæ, pimpinellæ, ſummitatum mal. & viol. añ. m. ſ. bull. in aqua fluuiatili cum gallo gallinaceo & crure vitulino, ſeruetur decoctum, de quo cap. ℥ vi. per 4. dies manè hor. 2. antè cibum cum ſucci mali citrii ℥ ſ. antè cum eodem iuſculo, ſub ipſum ſumptionis, feruefacta: ſic enim mox vrinæ funduntur multæ ſubſidentia multa arenoſa, & humore craſſo ac viſcido præditæ, & alui libertas procurabitur; adſtrictio enim alui vna eſt ex cauſis cur dolor ita frequenter redeat.

Inrerim diæta inſtituenda eſt, quæ conuenienti vſu rerum ſex non naturalium minimum in corpore craſſorum lentorum & viſcidorum humorum coaceruet. Ergo piſcibus abſtinendum, carne bubula, ſuilla, auium paluſtrium, caſeo, leguminibus, lacticiniis, ouis frixis, duris, placentis piſtoriiſque omnibus operibus, acetariis, fructibus crudis, pane azymo: denique omni alimentorum obſtruentium genere. fugienda in cibo & potu ſatietas, vt quæ ſit cruditatis parens, item ſomnus diurnus, aut ſtatim à cibo.

Vitandæ aquæ paluſtres & limoſæ, vina craſſa, zythum &c. potulenta, fugienda.

Vinum sit album, aut rubrum tenue, aqua multa decoct. gram. aut alth. dilutum.

Acetariorum loco sint cappares, crista marina, talleolæ citrij saccharatæ, aut bipinella condita.

Licebit etiam vtiliter hyberno tempore, 4. aut 5. dierum spatio, vacuato corpore hydromelite vti antè pastus, demum per 10. aut 12 dies, quiescet; tumque si grauitas in rene percipiatur, purgato deinceps corpore, repetendus erit hydromelitis vsus.

Sequuntur formulæ remediorum supra commemoratorum.

℞. Cass. rec. extr. ℥ j. rhei electi ʒ j. cum pauco cinnam. & diatrag. f. bolus cap. vt dictum est. Interdum vero loco rhei puluer. ʒ j. s. bened. laxat. addenda. Si bolum respuat vti poterit potione sequenti.

℞. Rad. petros. asparag. fœnic. gram. sem. carth. an̄. ʒ iij. beton. viol. pariet. adianth. saxifrag. bipinell. end. bugloss. totius an̄. m. s. pruna damasc. n. vj. sem. melon. cucum. alth. citrij, cardui an̄. ʒ s. glycyr. rasæ ʒ j. cicer. rub ʒ iij. flor. cord. an̄. p. j. f. decoct. ad j. dos. in colatura inf. rhei elect. ʒ ij. cinn. ℈ j. in express. diss. cathol. & syrup. capill. ven. an̄. ℥ s. f. dosis cap. vt dictum est. In paroxysmo cassia primas tenet.

℞. Terebinth. venetæ lotæ in aqua pariet. ʒ iij. rhei electi tenuiss. pul. ʒ s. cum ℈ ij. diatrag. frig. f. parui boli, inuoluantur obeliis vino albo madefactis, cap. ex cochleari cum syrupo capill. veneris, post purgationem.

℞. 5. rad. aper. an̄. ℥ s. oxylap. gram. an̄. ʒ vj. cich. totius, agrim. cuscutæ, capill. omn. bipinellæ, saxifr. beton. viol. pariet. bugloss. totius an̄. m. s. 4. sem. frig. maior. sem. alth. milij solis an̄. ʒ j. glycyrr. rasæ ʒ ij. cicer. rubr. ℥ s. flor. cord. an̄. p. j f. decoct. ad quart. 3. in colatura diss. syrup. de alth. capill. & de limonibus an̄. ℥ i. s. f. apoz. clarũ aromat. cinn. ʒ i. capiat 3. sequent. matutinis per horam antè cibum; sed prius capiat tabellam vnam elect. triasant. vt dictum est, idque intermediis temporibus purgationis.

Sequentibus pilulis vtetur, semel in hebdomade antè pastus hyberno tempore, vt aluus libera maneat.

℞. Aloës non lotæ ʒ iii. rhei elect. pulu. agar. trochisc. an̄. ʒ i. s. pulu. elect. ducis ʒ s. excipiantur diaphœnico, f. parua massa cap. ℈ ii. s. aut ʒ i. pro dosi.

Sequenti die clystere aluum proluere, ante accessionem multum proderit.

℞ Mal.

℞ Mal. bism. pariet. viol. betæ an̄. m. j. cicerum rubr. ℥ j. sem. lini, fœnic. fœnug. an̄. ʒ iij. flor. chamæm. melil. an̄. p. j. f. decoct. in hydrom. ad ℔ j. in colatura diss. cathol. & diaph. an̄. ℥ s. mellis ros. & terebinth. venetæ an̄. ʒ vj. olei amygd. dulc. ℥ iij. f. clyster. iniic. vt dictum est. si reiecto primo dolor permanserit, alter iniiciatur.

℞ Mal. bism. totius viol. pariet. an̄. m. 1. cham. melil. an̄. m. s. alth. lini an̄. ʒ iij. f. sacculi duo, bulliant in aqua & vino albo, pro fotu partis dolentis alternatim applicabuntur, si dolor renum grauis sit bull. in lacte.

Ex eadem materia parabitur balneum in quo æger vrgente dolore insidebit.

A fotu f. litus pro renibus sæuiente dolore.

℞ Mucag. sem. alth. lini extr. in aqua pariet. an̄. ℥ j. s. adipis cuniculi ʒ vj. olei amygd. dulc. & de scorp. lot. in aqu. saxifr. an̄. q. s. f. linimentum, addetur ceratum santalinum in summo æstu.

℞ Pulu. diatr. frig. ℥ s. pul. nucl. mesp. ʒ s. sem. milij solis, lapid. iudaici an̄. ℈ j. sem. alth. petros. maced. an̄. ℈ s. cum sacch. ℥ j. f. puluis, capiat manè post purgatum corpus, & vsum apozematum præscriptorum ex cochleari, superbibendo parum vini albi per 3. aut 4. dies continuos, postea abstinebit, quoad iterum purgatus fuerit.

Hæc decreta consulibus Clariss. Med. D. Gorræo, Petræo, & Riolano.

CONSILIVM CXVIII.

Pro Muliere ad conuulsiones epilepticas prona.

SYmptomata commemorata vt terroris plena sunt, ita à mala causa ortum ducunt, quæcumque & vndecunque illa sit. Et quod periodis quibusdam malum reuertitur, id diathesim iam inductam declarat, quæ vt causa generatrix, ita & reducis paroxysmi auctor existit. Malum est, quòd frequenter rediuiuus affectus redeat, peius, quod partes principes cor & cerebrum imperat, pessimum, quod non solùm per consensum cerebrum laboret, sed etiam per se, & quòd morbus ipsa obsidione caput deterius afficiat, quàm affectum fuerit. Quod palpitationes præcedant, dein- 1. 2.

de Vertigines, Epilepsiæ, Paranymphi, deinde aliquid cõuulsiuum id ab inferioribus partibus teter vapor facilè consurgens facilè committit. An vera sit Epilepsia in incerto est, cum à Medico sit additum, *Et velut quædam Epilepsia*; Hipp. more qui cum dicit σπασμῶδές τι, aut σπασμόν τινα absolutam conuulsionem non putat, vt singultus fidem quoque facit.

Idæa affectionis istius & vertig. & conuulſ. à Gal. explicatur. ad part. 27. 4. acut.

Cæterum cum dicimus partes inferiores, & parentes & fontes vaporis istius tot grauium symptomatum authoris, in ambiguo etiam versamur. Nam & viscera sub hoc nomine intelligi possunt, & vterus ipse grauium morborum, & generi muliebri κατὰ τὴν ἰδέαν propriorum author & fundus. Possunt intelligi partes externæ crura, tibiæ, pedes, à quibus solis aliquando tanta labes manat, quatenus à principe Auicenna morbus in habitu corporis nominatur. Hæc autem cognoscere. Ideam morbi cognoscere est. Aliis atque aliis signis res distinguenda est, cum magni intersit ad remedia vsurpanda, si ab vtero, si à præcordiis, si ab habitu ipso & cruribus (vt historia morbi subindicat) malum est repetendum: Nam & tremor tibiarum, & extenuatio, quid, nisi malum portendit.

Sensus frigoris in ventriculo, ventris adstrictio, contrariam quandam temperiem ventriculi & hepatis declarant, id quum adest, magnorum morborum fons & suscitabulum existit, plura ipsa αὐτοψία docere potest.

Concinnetur elect. lenitiuum quo facilitas aluo concilietur, hanc blandiùs ducere optabilius est.

Clysterum frequens vsus.

Detractio sanguinis vere & autumno, maximè si sanguis peccet & κατὰ τὸ πλῆθος, καὶ κατὰ τὸ πάθος. Item catharsis. sed autumno blandior, & frequentior, ob contumaciam humorum, & nescio quod Empyreuma à prægressa æstate, & adustionem, quam vnam natura abhorret quæ duo morbos autumnales, aut funestos, aut longos reddunt, (vnde κατ' ἐξοχὴν autumnus pestifer dicitur, & funebris:) funestos, cum tabum malignum cito vitæ stamen abrumpit, alterato aut dissipato spiritu: longos ob humorum contumaciam, obstructionem à praua diæta; addo partium latens & intestinum vitium vix explicandum. Hinc virium infirmitas. At solæ vires, aut præsentes morbos abigunt, aut futuros arcent. Ventriculo robur concilietur, par studium esto in cerebro roborando, vitando quæ sanguinem & spiritus inflammant.

Maior animi impetus reprimendus; iræ frænos iniicere: nam animi motus malum prouocant.

Pyrotica tibiis.

Vngulæ Alces vsus ad insultus epilepticos apprimè conferens, gestanda quoque. 3.

Aquarum naturalium vsus, maximè Niuernensium, vt né maiore sumptu Spadenses affectentur. Sed hæc Medicus domesticus expendet, examinabit.

ANNOTATIONES.

1. Morbi longi ob crassos humores fiunt coctu difficiles, & qui partibus impinguntur, dispositiones morborum & humorum magis tumoribus præduris, quàm inflammationibus assimilantur. Pauci fiunt morbi longi per compassionem, & absque loco patiente, in quo venæ omnes habent æqualiter humores putrentes. Gal. ad aph. lib. 2. acutorum.

2. Quæstio fuit an balneum conferret. Aliàs conferre potest, aliàs obesse. Ita Gal. dum loquitur de Vertigine: Capitis solius caliditatem quouis alio modo habentis balneum iuuat. Cum verò spiritus flatulentus ob humorum prauitatem ad caput fertur, hos lauare non conuenit. Ac si dicat, si malum in cerebro locale est, balneum confert, sin minùs, nequaquam.

3. Quidam affirmant se hanc medendi rationem præsertim ad Epilepticos à quibusdam accepisse. Antimonij præparati ʒ ſ. accipitur maceraturque in ℔ ij. vini albi optimi; Paroxysmi tempore cochlear vnum istius vini in os infunditur.

CONSILIVM CXIX.

De inordinatis mensibus, & vteri quodam Rheumatismo, & aliis affectibus.

MVlier hæc partim diuino fauore, partim artis ope liberata est periculo, omnino tamen restituta non videtur; nam superstes cacochymia succrescentem cacochymiam induxit, atque

ad eo in cachexiam quandam adduxit: omnis enim coloris suauitas nitorque decussus est, inde totius corporis affectio indicatur, quanquam aliarum partium vernacula quædam affectio quæ κατά τινὶ ἰδέαν. id ex symptomatum syndrome apparet, quorum ἐπιγένεσιν facit propagatio causæ morbificæ. Corporis coloratio similis est humoribus subiectis: id quod declarat aliquid intus malè geri, siue id splenicum sit, siue insignis obstructionis soboles. Magna sunt argumenta hypochondriacæ affectionis, non minora vteri laborantis: quanquam Gal. totum corpus vtero simile est omnino, gr. τὸ ἐπίπαν, quidam (ferè) interpretantur.

Somnus turbulentus, deiecta appetentia, à sumpto cibo oppressio, malacia quædam, denique sensus quidam caloris excitati à quodam suscitabulo, ac si calx irrigata foret; vbi primum benignitate alimenti æstuantia viscera madescunt & irrorantur: id autem declarat maximè dioclæam, phlogosim, obstructionemque lactium, vnde hypochondriacum πάθος maximè originem ducit, opinione principis.

At affectio vteri partim eius propria est, partim aliunde. declarant laboriosi menses, decolores, nec per idem tempus venientes, parciores. Inde quoque deteriùs habet, quòd omnis humor motus & non promotus oppressionem faciat. Decolorationem autem non solum pituita, sed & vtraque bilis facit Galeno. Proprium autem est mulierum cacochymarum, vt earum menses statam periodum non seruent, natiuoque careant colore. Si crassiores humores difficiliùs fluunt, moramque trahunt; si humidiores & tenuiores anteuertunt, diutiúsque perseuerant. Muliebria enim aqua laborantibus diuturniora. Ac calamitatem morbosi mensis auget vteri ῥευματισμός, vt mirum non sit, si concipiendi opportunitas sublata, spem prolis ademerit. vnde irriguus vterus, humore aduena, & fortè indigena, proindeque indignabundus τὴν μίξιν reformidat. At tellus nisi benè culta annuo puerperio læta esse non solet. sic totius corporis, maximéque vteri cura habenda est.

A laph. 36. l. 5

ibid.

Hipp. 6. epid.

Cum menses decolores sint, habeat frequentem syrupum solennem ex Rheo. Agar. foliculis.

Maximè probo in vsu quotidiano aquam macerationis Rhei; parato decocto ex capillaribus, primula veris, chamæpit. & oxylapatho.

Puluis sit ad ῥοῦν, maximè: quæ obstructa liberant, & ῥυπτικά, calidiora vitentur.

Detractio sanguinis, cum is ægrotet, & κατὰ τὸ πλῆθος, καὶ κατὰ τὸ πάθος.

Vterus aliàs morosus & τῆς μίξεως indignans repurgetur, purior factus excitetur, stimulis istis concitus cum olim κωφότερος fuerit, fiat εὐήκοος (vt eleganter loquitur Aristoteles) vt culto fundo fructus suauis egerminet.

10. de hist. anim.

CONSILIVM CXX.

Pro Consule iam rudimenta Apoplexiæ experto.

CErebri læsiones vt magni momenti sunt, ita paruæ non mediocrem etiamnum curam, magnæ maximam requirunt. si quando aliàs, hîc nil negligi debet, primas tenent Apoplexiæ, harum initia & rudimenta tanti esse debent, vt vel leuissima symptomata non negligantur. Nedum illud quod in ægro pathognomonicum est quodammodo, id genus linguæ ἀκράτεια & incautè prehendens ἀφωνία. Hæc in clariss. virum inciderunt. sic enim ex fide historiæ à magistris artis medicè & elegãter conscriptæ cõstat.

Parua causa medulij exsoluitur nisi quid circa partem principem sit. Hip. de præcept.

Quoniam vero & tempus, & ætas, & temperamentum, & vitæ institutum (cuius vis cæteris non est inferior) & cerebri nescio quæ contracta labes, & infirmitas malum reuocare possent; hîc danda opera, hîc vigilandum, hîc anteuertendum. Sed non multa apud artis magistros edisserenda. Purgetur frequenter Apoz. recipiente sennam, agar. & syrup. rosf. pallid. addito rheo. Bis mense purgetur per syrupum ex eadem materia, vel cœlo frigid. catapotiis cephalicis addito rheo.

Opiata concinnanda ex puluer. splen. hepaticis conseruis, cephalicis non admodum calfacientibus adiecta confect. Alkermes.

Linatur ceruix ex oleo saluiæ, castorei cum pauco ol. nucis moschatæ adiecta mucag. sem. alth. extractæ in aqua saluiæ & cera.

Gargar. ex salu. beton. hyssop. coctis in hydromelite teneat nucem moschatam in ore. Detractiones sanguinis pro re nata.

Cauterium ad collum. Vena frontis aperienda si plethorici cerebri argumenta adsint, si fieri possit prouocandæ & aper. hæmorrhoides. Abstineat à vino quoad eius fieri potest, vtatur scynæ decocto addendo hyemis tempore saluiæ parum. Non prouocentur sudores eo decocto, vel eius loco sit hydrosaccharum. Res vene-

Quantum libera aluus capiti confe- rat. Hipp. 2. de diæt. Aluus euacuata ex reliquo corpore & capite humiditatem ad se attrahit, euacuato capite & auditus, & visus repurgantur, & homines agiles fiũt. Et plen. Gal. ex Hipp. de Aëre & loc. qui natura aluum liberam habent, minime pleuritide & c. morbis corrip. ad aph 33. lib. 6.

reas prudenter exerceat. quod enim ad venerea, quæ ſunt λυσιμελέα ϗ λυσιγυῖα ϗ ἄνοιαν ſæpe accerſunt & ad animi pathemata hîc præclarè facit aurea mediocritas. Magnarum cogitationum curſus reprimendus, vt enim laboranti pedine ſedendum, nec ambulandum, ſic nec cerebro infirmo laborandum.

CONSILIVM CXXI.

De Vlcere inguinis & Tumore.

PRoponis nobis quæſtionem perdifficilem de vlcere, & tumore inguinis dextri, ad cuius diiudicationem cuperemus rem paulò altius repetitam: nam cum tumor is multis de cauſis oriri poſſet, vel in ipſis inguinum glandulis, vel ab inteſtini aut omenti prolapſu, vel ab vtero in eam partem inclinato, non poſſumus intelligere quæ ſigna ſingulorum præceſſerint. an ſcilicet ſuppreſſi menſes, vel ſanies è pudendo manarit, an dolores coxarum, fęmorum, lumborum præceſſerint aut etiam pubis, quæ omnia vtero malè affecto eueniunt. Præterea dubij ſumus an tormina aliqua, alui profluuia, vomitiones, & reliqua quæ ſolent inteſtinis laborantibus excitari, apparuerint. Nam quod de ſtercore reiecto narras, dubium & ambiguum ſignum videtur, quod fœtore carere ſcripſeris. Similiter & vermis tam ab vtero quam ab inteſtinis reiici potuit; ſed plerumque in omnibus vlceribus putridis & malè curatis & deterſis gignitur, nec tamen intelligimus quanta fuerit eius longitudo.

His de cauſis non eſt facilè tibi perſatisfacere, quodque reſcribimus coniectura magis quàm certa ratione dictum accipies. Itaque nullis apparentibus ſignis malè affecti vteri, aut inteſtini maioris, vt Ilei verisimile putamus in inguen dextrum prolapſam fuiſſe apophyſim quandam cæci inteſtini, quæ referta ſordibus tandem computruit, & ſinum effecit. ex ea apophyſi ita affecta non eſt neceſſe ſymptomata ea conſequi quæ maiore inteſtino eoque toto ſequi conſueuerunt, cuiuſmodi ſunt volulus, vomitiones, alui profluuia & reliqua commemorata.

Hic affectus curari possit necne primum videndum est, deinde quibus remediis. Verum curationem sperare partis affectæ natura impedit, quæ regigni nequit, & coalescere si diuisa fuerit.

Remedia autem non alia adhibenda existimamus, quam quæ detergendis vlceribus dicata sunt, eóque magis quò pars affecta perpetuis sordibus magis inquinatur.

Fiant autem frequentes, quibus non tantum leuabitur malum, sed etiam innotescere poterit an vlcus penetret in intestinum, an in vterum, si diligenter attenderis vtriusque partis reiectiones.

Præter topica remedia, censemus etiam purgandum corpus frequenter remediis ægræ acommodatis, clysteres etiam crebro iniiciendos, prouidendúmque ventriculi actioni eupeptis & euchymis alimentis.

His accedere poterit & schinæ vsus eo modo quo expedire iudicabis. lactis asinini vsus præsertim per æstatem vlceribus acommodatus est, quòd vehementer detergeat.

Quòd si malè affecti vteri signa appareant, vtero consulendum erit, si Ilei eodem modo Ileo & eius affectionibus incumbendum. Hæc decreta Consulibus D. M. I. Gorræo. & I. Contæo.

CONSILIVM CXXII.

De *Vrinæ incontinentia.*

VIrgo nobilis vrinæ incontinentia iamdudum laborabat, sequentibus remediis illi consultum fuit.

Primum abstineat ab omni iure, præsertim ab eo quod vrinam prouocet, vt quod fit ex rad. fœn. petros. & asparagi, item ab omnibus herbis viridibus: sequenti autem syrupo 10. quoque die manè vtatur.

℞. Rad. polyp. cichor. cyp. añ. ℥ ß. plantag. totius bugloss. borrag. maior. ceterach, fumar. primulæ veris, absinth. romani añ. m. j. sem. citrij, pass. mund. añ. ʒ ß. sem. acetos. plant. coriand. gran. berber. añ. ʒ ij. sem foenic. ℈ iiij. folior. senn. mund. ℥ ß. myrobal. citr. & embl. añ. ʒ ß. fiat decoct. in colat. ad ℔ ß. dissol. rhei electi infus. in parte decoct. antecedentis express. factam ad ℥ ß. syrup. ros. laxati-

cum ℥ ij.ſ.ſacch.q.ſ.f. ſyrup. vtatur ℥ ij. pro doſi vt dictum eſt,cum aqua hordei quæ poſtea augebitur pro effectu primæ doſeos.

Fouebitur extrema pars ſpinæ propè os ſacrum hoc decocto.

℞. Salu.maior.orig.calam. primulæ veris,lauend. rutæ an̄. m. j. rad.acor.cyp.an̄.ʒ j flor.cham.mel.anethi abſinth.rom.an̄. p. j. medij cort.quercus & balauſt.an̄.p j. ſ. ſacculus qui bull.in æquis partibus vini ſtyptici & aquæ fabrorum pro fotu partis nominatæ, poſt fotum illinatur.

℞. Olei coſti & ol.ſamb.flor.an̄.℥ j.ſ.de hyper.ʒ vj.pul.cyp.ireos flor.an̄ ℈ j.pul.balauſt. ʒ ſ.cum cera f.linim. pro parte dicta & oſſe ſacro.Si non leuetur hoc remedio,applicabitur. emplaſt. contra rupt.oſſi ſacro miſta maſtiche.

Singulis diebus vtetur hoc puluere.

℞. Mirobal. omn. aſſatorum & extinct. in aceto an̄. ℥ j. ſem. naſturt.coriand.præp.conqu. extinct. in ſucco omphacij an̄ ʒ j. ſ. ambr. citr. cupulorum glandium, nucis cupr. an̄. ℈ iiij. cinnam. electi ʒ j. corall. ℈ j. pelliculæ ſtomachi gallinarum præpar. ℈ iiij. cum ſacch.ſuff. f.puluis; vtatur ex cochleari bis in die longè antè paſtum.

Vtatur aqua bullita ferrata, abſtineat à vino albo : cuius loco paulo adſtringens vinum bibat aqua prædicta dilutum. Vitabit ſalſa,acria & aromata.Iure lentium coct.vtetur aliquando.

His remedijs ſanitatem recuperabit.

Si medicamenta per os aſſumenda abhorreat,vtendum erit clyſteribus.

℞. Hydrom. coct. cum ſem. carminat. & cyp. ſal. maior. flor. cham.& anethi quart.3. in colat. diſſ conf. hieræ ſimpl. ℥ ſ mellis anth.ſacch. rub.an̄. ℥ j. olei de hyp.& irini an̄. ℥ j.ſ.f.enema,vtatur ſæpè.

Hæc decreta Conſul.D.M.Petræo.& Contæo.

De dolore

CONSILIVM CXXIII.

De dolore Thoracis & Ceruicis.

VIr nobilis varias aëris incommoditates perpessus cœpit conqueri de dolore Thoracis, ad medullam spinalem. Item de ceruicis graui dolore. Mala victus ratio, animi excandescentia, irarum ardor, habendi ardens desiderium, famis & inediæ tolerantia fecit vt ad ventriculum affluxerint varij humores æruginosi præsertim, qui cum grauissimè torserint afflixerintue: videbatur penè opprimi & suffocari præ congestis in ventriculo, partibusque vicinis humoribus. Vocatus D. Palmarius medicamentum præscribit purgans, Apozemata celebria, malum quieuit. Lata est aluus excrementis biliosis, æruginosis, perseuerabat tussis siccior, nullus capitis dolor, visus est restitutus, in morbum recidit, conquestus est de difficili respiratione, cuius causam referebat ad oppressionem diaphragmatis à liene. Missus sanguis ad 3. vascula, corruptus erat, alleuatus, paucis post diebus ex interuallis malè habebat. His omnibus successit inappetentia, tumor pedum ædematosus, dolor ad regionem ventriculi, scrotum intumebat præsertim serò & mane, cœptũ est quæri de causa eorũ symptomatũ. Medici accusabant hepar, idemque ab intemperie calida laborare dicebant, & humores serosos gignere, huc & illuc relegare, accusatus quoque lien est. Non ita pridem fuerant præscriptæ tabellæ elect. triaf. quadr. rheo, superbibito tantillo vini absinth. & aquæ decoct. cichorij. Rebus diligenter examinatis hæc ab iis præscripta sunt purgetur bis in hebdomade cum ℥ j. ſ. syr. de cich. compos. cum rheo in quo diss. express. ʒ ij. rhei elect. inf. in aqua agrimonij cum ʒ ſ. sant. citrini.

Item 2. diebus interiectis vtatur suo elect. triaf. cum quadr. rheo. post 15. dies foueatur vtrumque hypoch. fotu sequenti.

℞. Fol. mal. bism viol. cich. totius & agrim. añ. m. 1. absint. scolop. capill. ven. ceterach, chamæm. añ. m. ſ. rosar. rub. & menthæ. añ. p. ii. sem. anisi fœniculi añ. ℥ j. rad. cyp. scœnanth. calam. arom. añ. ʒ j. f. 2. sacculi intersuti, qui bulliant in aqua & 3. parte vini albi pro fotu cum philtris.

♃. Olei de absinth. de capp. & rosſ. añ. ℥ j. ſ. litus post fotum, præscripta est diæta hæc vt primum cibis euchymis carnibus potius tostis quam dixis, vino albo & rubro dilutissimo iusculis ferè abstineret.

FINIS.

PARADIGMATA
ET
HISTORIÆ MORBORVM
OB RARITATEM OBSERVATIONE DIGNISSIMÆ,

Quarum lectio non minùs rei ipsius grauitate, & admiratione, quàm vtilitatis vbertate est ad medendum & præsentiendum profutura.

Authore M. GVILLIELMO BALLONIO
D. Medico Parif. Celeberrimo.
ET
Editore M. IACOBO THEVART D. Medico Parisiensi.

PARISIIS.

M. DC. XLVIII.



LECTORIBVS BENEVOLIS

GVILLIELMVS DE BAILLOV MEDICVS εὐπραγεῖν.

SAepè illud vsu-venit vt quæ nobis obuia sunt, & sub sensum cadunt, ea nobis in nihilo habeantur: contrà ea mirari soleamus ac amplecti quæ à nostris sensibus sunt remota. Et tamen in iis quæ ob oculos, aut ponuntur, aut forté incidunt, vis magna poni debet: quòd eorũ obseruatio ad communem rerũ eximiarum effigiem animo imprimendam plurimùm sit profutura. Relinquamus externa, in domesticis diligentiam nostram acuamus. Cum hoc opusculum rei medicæ sit accommodatum, è communi foro res est à nobis repetenda. Quoties noui morbi incognitique in dies surgunt ac nascuntur, qui à plerisque negliguntur? Sed id malè, magnòque ægrotantium incommodo. Quod eò ab illis prætermittitur, aut quod omnium morborum vt est nomen idem, ita & rationem, & ideam, & indolem eandem esse falsò crediderunt: aut quod ignorant quorsum rerum singularum obseruatio pertineat, & quantum adiumenti sit allatura: aut, cum sibi persuadeant inde nonnihil & ad laudem, & ad cognoscendum opis contingere posse, hoc tamen flocci faciunt, & turpi otio languère malunt. Quorum vt sinistra leuetur opinio, ignorantia adiuuetur, & ignauus in re fructuosa animus stimuletur addito minimo calcari, vno id verbo res potest explicari. Nemo ignorat ex singulorum in quoque corpore cognitione vniuersam ac generalem rerum in arte medica comprehensionem fluxisse: in qua communium theorematon omnis ratio vertitur, & tota vis posita iacet. Et cum admirabilis iste cursus ac progressio ceperit inde, minimo ex isto principio in tantam copiam & rerum vbertatem sensim increscens: ne mirum sit si quæ rara sunt & communem aliorum opinionem superant, ea necesse sit proponi & ad communem vsum accommodari. Vt enim fructuosa fuit eorum quæ vt plurimùm contigère cognitio, ita minorem non est habitura

apud cruditos homines qui otio non abutuntur, autoritatem eorum quæ rarò eueniunt operoſa obſeruatio. Aut ſi illa in loco aliquo ponitur, cur hac exulabit? Quanquam, niſi nos in noſtra opera induſtriaque excitanda cœcutiamus, pluris faciendum putamus id quod rarò venit, quàm quod ſæpè ſeſe iactat in populo, vt nullus ſit qui etiam in quadrimo eius notitiam non profiteatur. Nam vt rariorum rerum obſeruatio eruditorum ferit ſenſus, ac eis adblanditur: ita in tritis vulgaribuſque rebus imperitæ multitudinis diſſoluta induſtria verſari ſolet. Qui in theatris laudem quærunt aliquam, dum mores hominum ficto ſimulatoque ſermone, aut perſequuntur, aut informãtur, non quod omnibus notum proponunt, ſed reconditum aliquid & inauditum vulgo exponunt, vt ex adumbrata ſimulataque fabulæ ſerie aliquid expreſſum verúmque eliciatur: Eodem modo in arte medica, cuius non vbique non adeſt vſus, ſæpè ea quæ præclara minuſque ſub ſenſum cadunt, notari debent, vt in iis quæ euentura ſunt aliquid ſit quod meminerimus, ac ne fruſtra res admiremur, ac ſi nil talẽ vnquã contigiſſet. Quod multis qui popularem gratiam venantur ex vſu fuit, qui vt ſuam ignorantiam occultent, aut rei occultæ & à communi ſenſu remotæ nonnullam explicationem venditent, tum demum gloriantur cum quid nouum eueniſſe vulgo perſuadent. Nam ſi ex animo res proceſſerit, nec opinionem rei euentus fefellerit, publicandæ ſuæ induſtriæ inde occaſionem quærunt, cum tamen potius fortunæ talis euentus ſit aſcribendus; ſin quid aduerſum euenerit, ad rei difficultatem nunquã antea à quoquam perceptæ confugiunt. Ac dum eorum quæ rarò eueniunt (eueniunt tamen, ſed hoc fugiunt non aduertentes) ignari de populo malè merentur, iuſtam ſe ſatis occaſionem prætexere putant, ſi ſe rei difficultate & inſolentia defenderint. Quod vt effugiamus, ex propriis obſeruationibus, & veterum Neotericorumque ſcriptis nonnulla morborum rarò in vulgus ſæuientium παραδείγματα elicere voluimus, vt hæc animis noſtris retenta impreſſaque proficiant. Nam & ita admirationis in morbis (quæ admiratio artem obſcurat) occaſio omnis tolletur, & ſimilibus exemplis eruditi quod erit muneris, procum exemplorum prolatio ſumma cum delectatione autoritatem & ſequemur, fidem orationi afferre ſoleat. Valete.



GVILLIELMI BALLONII MEDICI PARISIENSIS CLARISSIMI PARADIGMATA, ET

HISTORIÆ MORBORVM OB RARITATEM obseruatione dignissimæ, quarum lectio, non minùs rei ipsius grauitate, & admiratione, quàm vtilitatis vbertate est ad medendum & presentiendum profutura.

HISTORIA PRIMA.

DOminus de Montgeron in multa apud Henricum III. gratia inter 4. & 5. costam vulneratus fuit, & pugio rectà quidem adactus erat, & mediastinum penetrauerat, deinde paulùm inflectendo oppositam penè partem attigerat. Et minima etiam sectione sedes ipsius pugionis indagari potuerat, & fluenti sanguini, deinde supresso exitus parari, ac si contraria & opposita fuisset apertio. Sed vt sæpè summorum virorum, & fiduciam rerum magnarum habentium cæcitas est maxima etiam in rebus minimis, quod ratio, quod tactus, quod tumor quidam eminens principio dictitabat, nimirum fieri debere eo loco apertionem id differtur, negligitur, tandem necis occasionem allaturum. Ingens fuit hæmorrhagia, insignis alicuius rami venæ ἀζύγȣ cæsi argumen-

tum. Iussus omnino quiescere. Nulla tussis penè toto morbi tempore, Difficultas spirandi exigua, Poterat in vtrumque latus dormire. Quidam ex Medicis volebat experiri, num alacer esset in se erigendo, iubebat vt sese æger paulum erigeret; maximè vt detegeretur, num aliquid in capacitate esset, quod motu ipso deprehenderetur. Sed, vt inter pares inuidia facilè se iactat, aliis id non placuit; maximè vero quòd eius opinionis autores primi non essent, & tamen id ad explorandum maximè fuerat opportunum, post 4. diem initum consilium (quoniam vulnus ad cicatricem tendebat) super iis quæ ad vulnus attinent, num tuto sineretur claudi, an vero dilatandum foret, an omnino claudendum, diuisæ fuerunt sententiæ. Alij omnino debere claudi censuerunt, quòd multum sanguinis & spiritus effluxisset, quòd nil alienum videretur in capacitate contentum, quòd Gal. & Guidonis consilio vulnera thoracis primo quoque tempore essent ad cicatricem ducenda, alioqui fistulæ metum esse, & sphaceli alicuius, aut syderationis in pulmone, qui alioqui alieno aëri & externo assuetu, facilè affici alterarique posset. Naturæ negotium dandum, viam esse ad os, ad vrinas, aut intestina. Pleuritides beneficio naturæ transsumpta exuctaque materia curari. Alij contra nitebantur suspecta esse ægri bona & præter rationem alleuationem. Insigne vas incisum, sic non esse probabile, vt intra quatriduum clauderetur. Formidabilem esse cicatricem externam, quòd cum pars interna sit mẽbranosa, proptereáque amplius vulnere diducatur quàm carnosa, & tardius coalescat quàm ipsa carnosa, metus sit ne falsa opinione internæ membranæ ad cicatricem perductæ, præter opinionem vulnus refricetur & refringatur. Ac tum fortè non amplius locus erit pyulco, aut euacuationi suppressæ saniei. Dicebant nil referre, si benè habere videretur primis diebus, sed expectandos alios dies criticos, & quid serus vesper veheret. In his vulneribus tuta omnia timẽda esse. Non metum esse debere fistulæ, nisi vulnus consenuisset. Non ita metuendum esse ab externo aëre, quòd plus detrimenti esset affuturum à suppressa sanie, aut pure, quàm ab externo ambiente. Et qui dictum est naturæ opus committi debere, & aliàs tutiores vias confinxisse naturam: contrà dictum nouercam & brutam esse naturam, & aliquando veluti consultò, pus & saniem ad tempus seruare; quod cum cõmodè excerni non potest, repentina mors obtingit. Sic satius esse cum vulnus hiet & pateat, si quid alienum sit, illac expurgare, quàm aut nouas vias

comminisci,

comminiſci, aut occluſum obſeratumque vulnus denuò aperire, magna enim eſſet ignorantiæ ſuſpicio, & iuncta crudelitatis opinio; immò & tutiſſimè fieri illo loco, & vulnus patere affirmabant & locum eſſe idoneum ſectioni in purulentis. Qui præerat omnia ſic moderari voluit, vt vtrique parti adblandiretur: at iſtæ blanditiæ & temperamenta ægrum perdiderunt, deſitum eſt vulnus cicatricem contrahere. Triumphus antè victoriam canebatur. Iam ſatagentium quorumdam Chirurgorum auaritia, ſibi loculos ampliſſimos acquirebat ad emungendam regiam liberalitatem, attentiores ad rem erant, non ægri rem, ſed ſuam. Regis qui frequenter aderat (æger enim erat amicus Cæſaris) beneuolentiam aucupari volebant, & in hoc omnis eorum ratio, animus, induſtria, & negotium otioſum verſabatur. Iam libellos ſupplices vulgo placets, ad demerendam Regis liberalitatem porrigebant. At Regis nimia diligentia & amor ad præcipitandum ægrum nimius fuit: omnes enim id vnum ſtudebant, vt Regi placerent, vt aliquid agere & dicere viderentur; ſic ſalus ægri negligebatur, & ſi quid aliàs malè geſtum fuit, hîc malè geſtum eſt. Itaque Regis ſpes fallitur, ægri ſalus deſeritur, foro & ſcænæ ſeruitur, auaritiæ loculus quæritur, mons parturit, naſcitur ridiculus mus, & his artibus in opprobrium & artis Medicæ & Chirurgiæ omnia conuertuntur: minùs enim benè tractatur quàm aliquis de plebe homuncio, aut ſcrutorum venditor. Porro ſupprimitur ſanies in thorace multa, febris perſeuerat, alui profluuium, macies, tandem de repente difficultas ſpirandi, ῥέγχος, & inde mors, hæc contigit circà 33. diem à vulnere. Apertum cadauer, 3. aut 4. libræ ſanguinis ſanioſi in capacitate thoracis inuentæ ſunt, corpus ipſius pulmonis non erat vulneratum, ſed tamen per ichoris contagionem erat velut tabo infectum, & membrana ſuccingens erat ſyderata. Mirum quòd toto morbi tempore nulla pene tuſſis fuit. Si tantula pars humoris pleuritim facientis tuſſiculas adfert, cur non tanta ſaniei pars in thorace & circùm mediaſtinum ſuppreſſa? nullus dolor lateris, nullum ſputum cruentum.

2. Nobilis vir in bello ciuili per fuga multa tulit incommoda; in tot tantiſque diſcriminibus cœpit laborare deſtillatione à capite poſtico, præſertim in humeros & ceruicem, hinc colli ac ceruicis contorſio quædam. Et cum tempore occurſum non fuiſſet remediis ad id inſtitutis, ita malum increuit, vt facies in poſteriora detorqueretur, & non niſi magno conatu in anteriora reflecteretur.

At siue bibere, siue edere, siue loqui vellet, funiculo in eam rem comparato retrahebatur caput aliorsum inclinans. Nunquam Lutetianis Medicis quidquam tale videre contigerat. At laborandum fuit in specie morbi inquirenda, & remediis accommodatis. videbatur nonnullis vnius partis esse resolutio, quæ alteri conuulsionem attulisset, quod non erat credibile, nam in eodem statu pars perpetuo permansisset. At reducta facies in suum locum nisi magno conatu & magno cum dolore sisteretur, conuulsiuo quodam modo statim reuellebatur in postica, magnâ omnium qui aderant admiratione. Conuulsio erat reuera, & omnes musculi erant affecti & viscoso frigidoque humore imbuti, qui discussus vsu rerum calidarum affectum sustulit.

3. Mirum & inauditum quod contigit D. Colino Scabino Caletensi Synocho febre putrida laboranti. illi multoties educitur sanguis, febrilis incendij restinguendi gratia, vnâ horâ, aut alterâ post celebratam phlebotomiam, sanguis vasculis exceptus vermiculis plenus conspicitur, vt in putri & verminoso caseo obseruari solet. Nihilominus conualuit. Causam tantæ putredinis referebant Medici ad grauem malignamque exhalationem in aëra sublatam ex vacuata cloaca ciuitatis inquinamenta, & purgamenta excipiente, quæ ambientem permixtione labefactauerat, & exitiali labe conspurcauerat.

4. Cuidam mulieri quinquagenariæ obortus in ventre tumor, hydropis opinionem faciebat. Ante morbo graui afflicta fuerat, victa ars malo graue symptoma non arcuit. Has tumentis aqualiculi molestias menses aliquot tulit, donec in hydropem cõfirmentur. Fœditas coloris, carnis ac molis collapsus, marcor & eminens abdominis tumor asciten significabant. Afflicta annos aliquot morbo ac symptomate victa excessit. Apertum cadauera, qua intercus copiosè erupit, lien ac iecur vitium fecerat. Intestina velut tabo infecta conspiciuntur. Nec alia occultior diuturnæ calamitatis & mortis occasio quæsita est, donec in latrocinantis & penitus scrutantis Chirurgi conspectum se mesenterium dedit. Occurrit aliquid insolens cuius nouitas non tam admirationem peperit, quàm admiratio expectationem superauit, omnibus stupor fuit; inuentum est mesenterium ab intestinis separatum & absolutum. Pondere, qualitate, abscessuum insolentium, tanquam latentium scaturiginum vbertate, suprà quam credi potest fuit prodigiosum. Dena pondo pependit, densum, corpulentum, succulentum

plus iusto. Longius, latius & altius quam natura ferret. Sed abscessuum perennitas maiori admirationi fuit. Nam & melicerides, & steatomata pullularant. Tumores ex iis quidam adeo increuerant & satiati fuerant, vt exigua punctione ingens humoris mellei copia æstu quodam exundaret. Multiplices tumores & lacunas humoris varietate, aut prudens, aut inconsulta natura quasi cellulis distinxerat. Aliàs coacta ac conglobata materies atheroma potiùs exprimebat, aliàs ob solutum, sed aliquantulum viscosum quem continebat humorem in meliceridon familiam tumor erat potiùs natus cooptari. Chœrades non apparebāt, sed hic humor in naturam strumosam fortè degeneraturus erat. Sic omnia monstrosa. Digladiabantur etiam anatomes gnari & ancipites erant, an esset mesenterium id quod apparebat, an quid aliud. Stupore quodam, nutu, renutu, hæsitatione potiùs rem definiebant ac diiudicabant (aut se fingebant diiudicare) quam graui aliqua ratione. Ex mutuo ore alij mutuo pudibundi ac dubitabundi pendebant. Ita herclè hæc pars tanquam deformata & in aliam naturam μεταπλασθεῖσα naturam propriam ac formam exuerat.

5. Nobilis phreniticus per nouem dies decubuerat. Nulla arte conciliatur somnus, circà nonam noctem omnia exacerbata. Exiliebat, & medico assidenti manum afferre volebat. A ministris in lectum coniectus est, fingit se dormire. Inopinatò è lecto surgit, & è sublimi fenestra, in medicum qui in area stabat incidit præceps. Miraculo sanitati restituitur. Putant casu discussam materiam, copiosæ vrinæ fluxerunt, simile quid apud Hipp. lib. 5. epidemiorum. Cuidam crurum rigor erat, & diuturnus: fortè in lapidem cecidit. læsum caput est, vertigo oborta est. desiit malum vetus.

6. Mulier paupercula se vtero gestare opinabatur, venter intumuerat valdè. Exacti sunt perfecti fœtus menses, nil producitur, tumor perseuerat. Alij eam hydropicam existimant, alij molam gestare autumant. Posteriorum opinionem euentus meliorem detexit. Nam cum annos sedecim has tumoris molestias tulisset, emaciata interiit. Aperto cadauere apparuit vterus, vndiquaque distentus. Magnam cucurbitam & profunditate densitatéque, & amplitudinem referebat. Adeo induruerat vt apprimi digiti non possent. Crassities digitorum quinque penè erat, pendebat pondere libras nouem cum dimidio. In capacitate interna, massa quædam carneà concreuerat, quæ pertinaciter interno corpori vterorum adhæserat, immo in eius naturam penè coaluerat. Molam

esse putabant, quæ flexu temporis diuturnioris ita vteris ipsis magno adhæsu & pertinaci coniuncta, in similem naturam vna sui parte coiuerat. In colo vteri abscessus erat steatomatis naturam referens, cornua manifestò apparebant, testiculus tantùm vnus erat. Miraculò multis dissecta hæc pars exhibita est ad spectandum.

7. Ioannes Hualdus annos natus viginti & duo, de dolore capitis queritur, humiditate cerebri effusa in opticos neruos occæcatur. Aduersus id omni præsidiorum genere oppugnatur, nil proficitur, immo & empiricorum præsidia aduocantur. Audio tādem visum aliquatenus recuperasse, dolores perseuerant capitis intolerabiles, omnium remediorum vim malum superauit. Præ mali diuturnitate & vehementia interiit. Aperto cadauere abscessus reperti sunt in processibus (quibus vires & munia certa à natura tribuuntur) mammillaribus. Illos abscessus melicerides vocare possis, quamquam ad scirrhum proximè accedant. Os frontis erosum erat & perforatum vi humoris acrimoniaque; foramen erat instar quadrantis qui tres denariolos pendet. Circum foramen obsita erat caries multa quæ tempore exedisset. Ossa autem ethmoidea parte interna magis cariem contraxerant, & paulò antequam interiisset nec videbat, nec odorabatur. Conuulsus interiit. Vno ante quam interiisset anno pedes incuruos retractosque habebat, adhibitis particularibus frictionibus ex hydrargyro, ista contractio sublata est. Sed antequam fatis concedit, præ conuulsione & manus & pedes incuruantur, & sic miserrimè suum diem obit. Putabant venefico poculo imbutum, sed male. Sed tanta fundi calamitas non aliunde orta erat peritiorum consilio & opinione, quàm à latente luis venereæ veneno. Atque reuera signa aliquot paruerant: sed in primariis istis liberis, si quid peccatum sit, omnia solent leuiora æstimari. Contendebant quidam eum ad luis venereæ curationem adigi debere, vndelibet hoc malum natum foret: sed metu pecuniæ amittendæ ex venditione magistratus in quo erat constitutus, aut ne ea de re eliminaret quiddam, curatione supersessum est. Nec dubium est quin spes aliqua curationis superesset, si plus valuisset virorum bonorum sinistrum aduersumque rerum exitum metuentium autoritas certa ratione roborata, quàm aut amittendæ pecuniæ metus, aut fucata nonnullorum opinio malo adblandiri solitorum.

Tamen & abscessus illi & ossium caries potest ab alia causa quam à venere aut veneno oriri vide quod scripsit Hipp. lib. 2. de morbis cap. de carie ossis capitis.

Claudius Prior cum sumptuum metu medicos consulere ne-

glexiſſet intolerabili ſiti cruciabatur. Hinc mero ſoluere nitebatur. Adaugebat magis. Viſcera habebat calidiſſima, intemperantiſſimè vixerat, & malè affectos pulmones maléque affectum iecur elephantica facies demonſtrabat. Malo vires quærente raptis ſurſum humoribus & aluo aſtricta penè ſuffocatur. Stertit, lingua denſatur, apoplecticus quodammodo fit. In ore denſitas iſta linguæ remanet, circum venas ranales batrachion naſcitur, in gargareone quoddam ἐπιφλόγισμα, ac ſi angina eſſet ἐρυσιπελατώδης, loquendi magna difficultas, omnia ex arte fiunt: tamen cum non febriret multum, inopinatò ſeptimo die natura irritata moliri vult aliquid. Neſcio quæ materies in pulmone concluſa mouetur, ac ſi abſceſſus aliquis eſſet. Iactatur, reſurgit ſæpè, ſtertor, mors. illa ſitis ingens à pulmone calfacto ob pituitam putrem nata erat. Erat vel eryſipelas in pulmone impropriè dictum ab Hipp. denique hoc fuit pleripneumonicon. Simile paſſus eſt piæ memoriæ Doctor Therſophus Galterus: cum enim inextinguibilem vnius menſis ſitim ſuſtinuiſſet, oborto leni dolore lateris, intra quatriduum interiit.

2. de morbis.

9. Mirum quod obſeruatum in aperto cadauere cuiuſdam virginis: ea cum per menſes aliquot laborauiſſet, & iam de hydrope metus eſſet, vi morbi interiit. Internum corpus obſitum erat exiguis admodum abſceſſibus, quorum infinitus erat numerus. Sebum contentum in iis videbatur: ſpeciem internarum chæradon putabant.

10. Nobilis mulier frequenter animo deficiebatur, omnibus remediis magnam & malignam vim morbi oppugnantibus conſulebatur. Aperto cadauere in ſiniſtro cordis ventriculo repertus eſt exiguus quidam grumus ſanguinis qui ibi concreuerat, hinc repetinæ mortis occaſio.

11. In obſidione Rupellæ cuidam nobili globulo ſclopetario transfoditur pectus à coſtis mammæ ſiniſtræ ſubiectis ad infimas nothas coſtas lateris dextri; præſertim quà parte ſita eſt cartilago xiphoides: hoc tamen vulnus curabilè fuit. At anno poſt obortus dolor eſt intolerabilis colico ſimillimus qui nulli ceſſit remedio. Eo extincto apertum cadauer. Inuentum eſt diaphragma parte ſua carnoſa perforatum ſuperiore ictu. Atque foramen illud aliqua ex parte obductum erat caruncula quæ circum accreuerat: Tamen per reliquam rimulam colon inteſtinum ſenſim ſubiuerat thoracis regionem, deinde per attractionem quandam maiore

ſui parte ingreſſum fuit: idemque contigit quod tenui vulpeculæ apud Horatium, cum enim intumuit egredi non potuit. Denique vt fit enterocele in ſcroto, ita enterocele facta eſt in pulmonis capacitate.

12. Alteri à ſimili ferè in diaphragmate vulnere, ventriculus ſubiuit pulmonis capacitatem ſenſim, & intra breue tempus interiit.

13. Mercatori dolor ſummus ad ſpinam dorſi, annum integrum laborabat. Quòd aliquando lue venerea infectus eſſet, id attribuebant veteri morbo. Ter aut quater litus eſt. Nihil malum quieuit. Tandem ſurſum deorſum ingens ſanguinis copia excreta eſt. Aperto cadauere Aneuriſma compertum eſt in diuiſione magnæ arteriæ ad ilia, quà parte ſpinæ incumberet.

14. Ioanni Formaget dolores ad vtrumque hypochondrium ac præſertim ad ſiniſtrum. Solo manus apulſu dolebat, manifeſtus erat pulſus in liene. Nos aneuriſma eſſe ſuſpicabamur. Eodem die quo ſecta vena exolutus eſt diffuſo affatim ſanguine. Putruerat lien, & grumoſi ſanguinis ſiniſtro in hypochondrio magna copia reperta eſt.

15. Cuidam omnes arteriæ micabant manifeſto. Mirum id fuit. Inſtituta diæta curatus eſt.

16. Mulier præpinguis macreſcere volebat. Creta & aceto ſæpè mulierculárum & empiricorum conſilio vſa eſt. Hinc pylori conſtrictio inſecuta eſt tanta, vt inde mors euenerit.

17. *Fernel. c. 7. l. 1. phyſio.* Cuidam lien ſua mole iecur ſuperabat. Crediderunt medici illud iecur à tanto liene in coctionis munere perficiendo adiuuari.

18. *ibid.* Cuidam vnus tantùm ren erat, ſed mira magnitudinis mole alterius defectum compenſabat.

19. Cuidam dolor capitis implacabilis circum ſuturam coronariam. Irrita medicamenta. Qua parte dolor deſignabatur, eadem facta ſcalpello ſectio. Non profuit. Aperto capite repertus eſt vermis inter caluariam & piam matrem ſitus. Si terebrata caluaria fuiſſet, ſpes vitæ aliqua fuiſſet.

20. Filius familiâs cladem gallicam patiebatur. Dum id clam eſſe vult, imperito barbitonſori rem credit. Hic rem paruifaciens nil intereſſe putat quo modo morbus curetur. Nam æger toto die ad prima munia redibat, deinde ſero benè cœnatus duabus horis poſt illinebatur hydrargyro: nox ita tranſigebatur. Mane circiter deci-

mam patris mensæ accumbebat. Et ita morbo defuncturum se putabar. Sed de repente centum penè locis tubercula apparuerunt atheromatis simillima, & paruarum lupiarum instar. Elephantiasis metuebatur. Remedia ad elephantiasin vsurpantur: media curationis via obiit.

Inueni cuidam magna in ventriculo cruditas erat, febris quotidiana successit. initio paroxysmorum syncope: deinde epilepticæ conuulsiones. Quid hoc rei? 21. *Hieronymus Sabucimus.*

Magdalenæ ad ædes diui Marci habitanti pes palpitare vehementer ex pollice dextro cœpit. Hæc palpitatio hinc rectà ascendebat per crus, femur & lumbos, donec ad caput perueniret, quo contacto desipiebat, postea statim conuellebatur spuma ad os facta. 22. *idem.*

Mulier quædam strangulatui matricis erat obnoxia. Sæpè in comitialeis conuulsiones incidebat ac syncopas. Hoc malum cum sæpiùs tulisset, nec vllo remedio liberaretur, excreto tandem è vulua nigro quodam humore & crasso, miraculo euasit. 23. *idem.*

Philosophus quidam intolerabili capitis dolore tenebatur, pars dolens in syncipite magnitudine digitum non superabat. Aperto capite crassior membrana ea parte in qua dolor excitabatur caluariæ adhærebat pauculo humore putri interiecto. Annotauit quoque autor idem quosdam comitiales factos fuisse quod pars vnguenti ex hydrargyro in aurem incidisset. An hoc verisimile est. 24. *idem.*

Cuidam familiaris erat prolapsio intestini in inguen, fortè illi bubo venereus oboritur, suppuratur. Aperitur scalpello pars. Ita dum cicatrix obducitur, ita firma fit pars vt via præclusa sit descensuro intestino. 25.

Coquus quidam difficultate meiendi tenebatur, aliquando suppressio erat vrinæ. Calculum in vesica, aut aliquid simile suspicabantur. Per quædam interualla malum repetebat. De repente interiit, subitæ cladis causa reperta est aneurysma ruptum, valdè enim erat dilatata arteria quæ vasis vrinariis subiacebat. Ac credibile dilatationem istam arteriæ difficilis mictionis causam fuisse. 26.

Grauidæ mulieri octauo mense abscessus ex aure erupit, filius eius hoc partu editus perpetuò purulentas aures habuit. 27. *Fer. c. 11. l. 1. de morb. caus. Hip. 5 epid.*

Quidam opimo corporis habitu, bibax, diebus octo ex ingenti corporis mole in magnam gracilitatem, citra vim morbi collapsus 28.

Idem de vrinis c.11.

est. Et magnam vrinæ copiam profuderat, repentini collapsus & extenuationis causam.

29. *Idem c.10.de febrib. forte idem D. Sangermano contigit cui erat familiaris vomitus.*

Quidam ætate florente epulans liberaliter, quotidie bilem vomebat. Hæc cessat vomitio; hinc ventriculi dolor immanis cum nausea & tussi inani. Vicies die rigebat citra febrem. Exactis diebus xv. tertiana corripitur; hac soluta resoluuntur omnes partes quæ sub capite sunt. Aperto corpore bilis prassina syncera reperitur in cauo iecoris pondo libræ membranis coercita, & huius portio in neruos spinæ iam irrepserat.

30.

Quidam in cymeterio sancti Ioannis à lithotomis sectus, detracti quinque lapides. Mirum quod illi per totam penè vitam contigerat. Aluus nil penè reddebat nisi liquidum, aut solicitata pharmacis. Nesciebatur quò id esset referendum. Aperto cadauere repertum est in medio vnius crassi intestini annulus crassus & durus qui mediam penè intestini partem occupabat. Sic crassiora excrementa non poterant transmitti.

31. *c.9. pathol.*

D. du Peron per 15. menses aluus liquidiuscula deiiciebat. Tandem excretus ingens lapis qui continebatur in intestinis. Fernelius multos recenset quibus ab intestinis lapides deturbati sunt etiam sine dolore.

32.

Rassius obseruauit detracto pilo vno eorum qui in cauitate nasi nascuntur, cancrum teterrimum contigisse. Quod notandum, nè quid hîc temerè fiat.

33.

Filia Bartholomæi Roland ventris tormina questa est, vomitiones assiduæ. Dolor nulli cessit remedio, dolore victa mortua est. Stylo abdomini immisso exiguo admodum foramine flatus erupit, & totum abdomen resedit. An non viuenti metu repentinæ mortis ista punctio fieri & potuit, & debuit. Audendum hercle desperatis maximè rebus.

34.

Dolebat sartor quidam, & suppressionem quandam vrinæ patiebatur. Erat autem pituita obstruens vrethram quæ id faciebat. Ille dum niteretur, acu pituitam aut inducere, aut educere, ea fortè impacta isti pituitæ introducta est; tribus post annis eductus est ex lithotomo lapis. Hic sta acu erat transfossus. Nunquid id miraculi instar est?

35.

Puero cuidam in pupillam oculi stilus acutus adigitur: aqueo autem humore effuso qua ictus fuerat oculus, minor aliquantò reddita pupilla est, corneàque in rugas contracta est. Sed qui effusus humor erat, collectus est, & in locum suum refusus, vlcere ad

cicatricem

cicatricem perducto sanitati æger restituitur. Rara hæc sunt: nam cum vlcus pupillam attingit & aqueus humor funditur cæcitatis certissimæ metus est; id tamen Galenus obseruauit cap. 2. lib. 1. de sympto. causis.

36. Cuidam Chirurgo cum per dies aliquot cum summa cutis siccitate & squalore febris assidua, periculum mortis crearet, ac iam de funere ageretur: audacioris medici consilio propinata aqua quantum ebibere posset: deinde vestimentis circumtectum corpus: sudores manauerunt: aluus liberior fuit, conualuit. Ab eo tempore familiaris fuit ob refrigeratas impendio partes alui fluor ex interuallis repetens. Iam annos 24. perseuerauit. Mirum cur maior offensio non contigerit. In methodi medendi lib. 9. vetat Galenus ne siccis calidisque corporibus aqua exhibeatur, quod partes solidas lædat, verba Galeni hęc ferè sunt: Intempestiuè aqua præscripta imbecillas corporis partes concutit, vnde nonnullis ilico spirandi difficultatem, conuulsionem ac tremorem conciliat. Minus iis tuta qui paucum sanguinis habent. Nam celeriter ad partes solidas venit. Tamen alio in loco in febribus hecticis in quibus carnium est consumptio aquam mirificentissimè laudat. Aquæ potus, vt ita duo illi loci concilientur, initio hecticarum & intemperiei calidæ siccæ confert, & dum vires vigent. Sed si contrà eueniat, quia nil in corpore est quod vim occurrentis aquæ debilitet & frangat, damnis augetur ægrum corpus.

10 method.

37. Aristo. Mitilniensis corpore erat gracili, macro, & superius os ventriculi vt potè frigidius aquæ frigidæ assuescere nō posse sæpè animaduerterat. Morbo præhensus est, cui profligando aquæ potum ex vsu esse medici colligebant. Ille veró contrà insistebat ne frigida propinaretur, alioqui, aut grauis singultus, aut conuulsionis metum adesse. Medici opinionis suæ defensores pertinaces frigidæ poculum propinant. Contigit vt æger prædixerat. Nam conuulsus inde interiit. Quod diligenter notandum est vt aliquid consuetudini tribuatur.

Gal. c. 1 l. de cōsuetudine.

39. Inexhaustâ siti cruciatos & ab ea nonnullos intereuntes vidit Galenus. Primum eum qui viperam (dipsadem esse suspicatur) comederat: item qui vinum in quod fortè, inciderat hoc animal, tum qui vetus vinum ad ebrietatem hauserat. Nec non qui in naui siti diuexati temperare sibi non potuêre quin marinam aquam biberent, ij celeriùs interierunt, quam qui ab ea temperarint.

Gal. c. 7. l. 1. de caus. sympto.

39. Vomitus cruenti & munctionis cruentæ ac hæmorrhagiæ causa esse potest hirudo, aut bibita, aut inter natandum naribus ducta. Et Galenus ita de homine integrè sano sensit qui cruentum euomeret. Nam fortè ille in fonte paruam hirudinem hauserat quæ tempore increuerat: alius cruentum eodem in nare adducto animali emunxit.

Gal. c. 5. l. 4. de loc. affectis

40. Fernelio occurrerunt qui cum nonnulla respirandi difficultate laborarent, ab exercitatione incalescentes lapillos tussiendo è pulmonibus extunderent. Alij pilulas erui, aut pisi magnitudine. Ac idem obseruasse se fatetur Galenus in libris περὶ τόπων πεπονθότων.

Fer. c. 10. l. 5. patho.
Gal. c. vlt l. 4. de locis affect.

41. Antipatri medici notanda historia, & cuius morbus nonnihil dedit negotij Galeno, & sex mensium tempus exigeretur antequam notitiam causæ pulsus inæqualitatis haberet. Antipater omnem in multis pulsibus, immo & in vna pulsatione inæqualitatem querebatur. Causam ad vitium pulmonum, nempè ad obstructionem Gal. referebat: obstructio autem & angustia, aut cum febre est, aut necessario cum orthopnœa, neutrum aderat, quod mirum. Causam autem cur orthopnœa non esset Galenus sensit quod humor viscosus nõ asperas sed leues arterias tantum occuparet. Inde notandum non omnem arteriarum pulmonis obstructionem difficilem anhelitum afferre, sed quæ in asperis non autem læuioribus est arteriis. Sed quæ in læuibus est, tandem malo increscente repentinum affert interitum, vt Antipatro quoque contigit.

Cap. vlt. l. 4. de locis affect.

42. Septennis puella diarrhœa correpta plures dies grauidam olidamque materiam aluo reddit. Consilium cum mulieribus ceptũ est, in eam rem largè cytoniatum exhibetur. Aluus inde omnino restitit. Eâ suppressâ sæua tormina excitantur, adeóque intumescit venter vt repentè hydropica facta videretur. Inualescunt dolores, stercus per os reiicitur. Aperto cadauere cæcum intestinum adeo cytoniato obturatum depræhenditur, vt illac nil pertransire posset. Immo accidere potest vt illa putris acrisque materia pereso perforatoque intestino aliam sibi viam quærat. Hinc patet nocere plurimum si aluus fluens repentè supprimatur.

Fern. c. 9. l. 6. Patholog.

43. Senator sanus ex coniuge sana liberos omnes surdos suscepit, & multos; huius rei causam cæcam putant. Conformationis vitio tribuunt, sed vnde.

Fern. c. 6. l. 6. Patholog.

44. Alius cum Lutetiæ degebat sanos omnes liberos suscepit: si

Burdigalæ, omnes mutos & surdos. Item alia mulier sana coniugi sano iuncta, surdos habebat. Recens natis Fernelius, oleum amygdalinum amararum in aures instillabat. Auditum recuperabant.

45. *Fern. c. 10. l. 6. Patholog.*

Adolescens à vehemeti exercitatione cum molesta tussi torqueretur, vomicam integram oui columbini magnitudine extudit, in qua pus erat laudabile. Secuta hinc cruenta excretio. Conualuit.

46.

Parrhisiis duo medici repente interierunt rupta vomica in pulmonibus, cum nec febris, nec inappetentia, nec aliud simile præcessisset. Quæstio. Quî fiat vt ita lateat vomica nec sui signum edat? cur non ab ea effertur vapor in partem vicinam qui leipothymiam afferat? hoc explicauit Hippocrates, "Quibus suppuratio in "corpore latet, ea vel præ puris crassitie, vel loci non apparet. "Sic circum voluentis materiam membranæ crassities impedit quo minus à parte quicquam mali exhalet.

47. *Holler c. de alui fluxionibus.*

Quidam in vico templi fluxu alui laborauit. Sexto pòst anno interiit. Multis vomicis obsessum erat hepar & pars mesenterij syderata erat.

48. *Holler. c. de dysenteria.*

Monachus pici simillima excreuit. Extima algebant, de funere agebatur. Conualuit. Ne credas omnem qui per inferiora excernitur nigrum sanguinem malum esse & atrabilarium. Nam Hippocrates ait 4. aphorismorum per comparationem per inferiora melius esse nigrum deiici. Galenus vult illum nigrorem tarditate egressus acquiri.

49. *ibidem.*

Adolescens annos 12. natus bilioso fluore vnà cum febre correptus deiiciebat dysentericis similia, nigrum sanguinem. Sitis, extima algent, vigiliæ. Obiit 9. die. secatur cadauer. Oesophagus ad ventriculi os superius & medium thoracem syderatur, item & epiploon. pulmones vlcerati, & intestina. Sæpè in dysenteriis malum longiùs serpit. Relictis intestinis appetit malum aluum ipsam, præsertim cum corpus biliosum, partesque sunt imbecillæ. Qua ratione dysenteriæ vis ad aluum vsque pertineat videre est in aphorismo illo. Diuturnæ dysenteriæ si nausea & cibi fastidium superueniat, malum.

50. *Holler.*

Alteri febris, vomitio, ventris dolor, deiectiones pici & nigro sanguini similes: 20. die mors. Inuentum est vlcus vstulatum in ambitu excesis omnibus tunicis ventriculi qua parte in pyloron decliuis est. Toto morbi tempore aluus procidebat.

51.

Et nos in fabro lignario obseruauimus rem commemoratione

dignam. A malè curatis hæmorrhoidibus, & vi sedi illatâ, rectum intestinum imbecillum redditur. Cuidam rheumaticæ dispositioni obnoxius est, id est, ex quibusdam interuallis sanies olida & putris illàc manabat. Gulæ & abdomini seruiebat. Generosioris vini amantissimus, habitu erat macer, squalidus. Cœpit non ita fluere ista proluuies: hinc dolores ad imum ventrem: iactationes, carentia somni, inappetentia: tum fastidia ciborum, & vomitiones perpetuæ: tamen à medicamentis leniùs habebat: & natura vim potius ferebat medicamenti, quàm alimentorum gratiam. Cum quid biberat ederat ve ponderis sensionem habebat in ventriculo, & veluti de obice obiecto querebatur. Nulla arte vomitiones cessauerunt, febris lenta. Tandem consumptio corporis, imus venter collapsus, partium extimarum perfrigeratio: Mors. Aperto cadauere gibbus liuebat, fundus ventriculi & pyloron syderatum: totus ventriculus putris & laceratus est, minimo ferè digitorum conatu.

52. *Holler. c. de dysenteria. Gal. l. de sang. missione aduersus Erastratæos. Hipp.*

Dysenteriâ quidam detinebatur, repente suppressa est, & paulò post insanus redditus est. Et Galenus suppressione hæmorrhoidũ, & dysenteriæ, nephritim atrabilarios morbos consequi autor est. Nobilis pictor in fœdam stabiem suppressâ dysenteria incidit. Et Hippocrates particul. 80. lib. 4. de diæta acutorum, dysenteria quæ cessauit, aut abscessum, aut tuberculum efficiet, nisi vel in febres, vel in sudores desierit: & in Coacis scribit, „ Dysẽteria intempestiuè suppressa abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis facit. Causa cur suppressa semel dysenteria aluus ita restringatur, est quia siccatur intestinum humore furibundo suppresso: & tum pus in intestinis manet quod tandem interficit. Quod in plerisque obseruatum.

Hipp. in Coacis.

Holler. c. de dysente.

53. *Holler. c. de stranguria.*

Domino de Mancy calculosi renes suppurarunt & collique facti sunt, adeo vt pellicula externa remaneret. In aliis idem obseruatum.

54. *ibidem.*

Cuidam subitò resoluitur vesica cum repentè dolor incidisset in os sacrum & coccygis, vrina supprimitur. Tamen tussiens, aut manum pectini admouens reddebat. Rectum intestinum ἀναίσθητον redditur, clysmata non sentit. Admotis contra paralysin remediis conualuit.

55. Primarius Collegij diuæ Barbaræ longa vrinæ suppresione diuexatur. Vi remediorum aliquando meiebat, solus ren dexter calculo erat occupatus. Cur non sinister officium suum fecit?

Nobilis quidam in pueritia sectus fuit. Grandiori dolores ad vesicam, calculi signa aderant. Ca hetere tamen depræhendi non potuit. A malè curata cicatrice abscessus & gangræna venit, interiit.

56. Holler. c. de strangu.

Mercatori omnia calculi signa, Catheter probare non potuit. Mortuo duo magni calculi reperti sunt, singuli sua membrana inclusi. Membrana illa iudicium catheteris eludebat.

57. Holl. c. de lapide vesicæ.

Vidi puerum annos duodecim natum qui calculum in vesica haberet, intolerabili dolore cruciabatur. Interiit vno ante obitum anno, adeo putrem olidamque materiam meiebat cum dolore stranguriosо (vt sic dicam:) vt qua parte vrina vestimento hærebat in ea vermes nascerentur. Notandum hîc humorem pituitosum, putrem & purulentum humorem (sine vlcere tamen) eadem symptomata inuehere posse quæ & calculus ipse.

58.

Aduocatus meiebat vermes à pituita in vesica succrescente. Alius intolerabili conciatu pituitæ quæ in crystallum concreuerat, partes aliquot excernebat. Quidam annos 20. vrinam cum capillitio vrinam excernebat. Præses pituitam lentam, corruptam magna quantitate meiebat. Notat quoque Hollerius à renibus pus excerni: nec necesse esse vt sanguis vnà excernatur. Item in pulmonibus & capite inuenti lapides. Et ab abscessu renum tabes contingit, hinc mors.

59. Holl. c. de calculo vesicæ.

Mulieri cum cruciatibus purulenta, vrina proflüebat. Quarto pòst mense interiit. Duo calculi in corde cum multis abscesibus reperti. Renes erant integri & viæ vrinariæ. Mirum quî tantus dolor cruciaret.

60. Holl. c. de lapid vesicæ.

Mercatori dysuriam patienti signa omnia calculi. Secto non reperitur lapis. Ad collum vesicæ caro concreuerat. Idoneis consumpta remediis, conualuit. Obseruatione dignum est quòd mictus cruenti in plerisque perspiciuntur. Non tamen magno terrori esse debent. Nam annotat Celsus lib. 4. post vehemens exercitium sanguinis mictum contingere, quod lassitudinem à labore contractam leuat. Hoc autem præsertim iis contingit quibus solemnis euacuatio aliqua suppressa est.

61.

Aduocatus Perrot minimas carunculas sæpè meiendo excernebat. An non id a renibus?

62. Holl. c de mictu cruento.

Moniali cuidam mictus cruentus: at & ob exercitationem potest contingere, & ob suppressos menses, (vt huic contigit) & κριτικῶς.

63.

64. Aduocatus Archambault sæpè per os sanguinem excernebat, per aluum & vnà cum vrina.

65. *Holl.c.de vermibus.* Puella album vermem latum, palmo maiorem satis crassum reiecit per nares, nulla tussi, nullo vomitu antecedente. Præcesserat acerbissimus capitis dolor per duos dies. obseruauit Valescus de Taranta dolores capitis à vermibus esse.

66. *ibid.* In quodam cum præcessisset lumborum & regionis renum dolor, è renibus ipsis cum vrina vermes reiecti sunt.

67. Puer natus annos 12. ex interuallis longos vermes, albos è ventriculo reiectabat. Erat commotio, morsus, sitiebat, angebatur.

68. *ibid.* Excretum vermem, Tineam vocatum, nouem pedes longum obseruauit Valeriola. notat quoque Sanaronola vermem pedes 15. longum excretum fuisse, lib. de vermibus cap. 1.

69. Senex cum ea symptomata quæ & pueri conflictati vermibus, passus fuisset, quingentos excreuit vermes propinato medicamento è scordio & corallina.

70. *Holler.* Mulier rustica palpitatione cordis & inflatione ventris, ac si vtero gereret, laborabat. Vermes prodière quam plurimi, conualuit. Sæpè insolentia symptomata vermes afferunt.

71. *Holl.c.de hæmorrhoid.* Nobili cuidam, cum in grauissimo renum dolore pus, sanguinem & crassam pituitam meieret, quia tumebat hæmorrhois, & dolor non cedebat remediis, apertione hæmorrhoidon, incredibili celeritate dolor conquieuit.

72. *Cap. de exitu ani.* Mulier nil excludebat stercoris, dolor in ano ingens, implacabilis. Speculo immisso nil apparuit. Tandem summa vi & eo conatu & dolore qui in difficili partu est, rotundum globulum è cæco intestino deiecit. Is globulus tunica erat inuolutus suberis substantia, herniâ laborabat.

73. Dominus de Vau-iour annos natus viginti cum palpitatione annos aliquot laborasset, assumpto cassię bolo eodem die interiit. Quod iis contingit qui ea palpitatione molestantur. Omnes arteriæ euidenter in singulis ferè partibus palpitare videbantur. Aperto cadauere adeo omnes cordis valuulæ & magna arteria distenta visa est, vt cor triplo, aut saltem duplo amplius videretur.

74. Nicolaus Magnus & nomine, & re, præ ingenij excellentia magnus à decimo nono ætatis anno palpitatione laborauit. Narrat se tum palpitationem incipientem sensisse cum annos vnde viginti natus contentiùs in vmbratili philosophorum xysto disputaret.

Nam cum aliis aliud contingere soleat, non mirum si in ea contentione quidam in epilepsiam incidant, in palpitationem alij. Atque ab eo tempore ex interuallis ea palpitatio repetere solet, eámque ex stomachi cruditate originem habere credit. Nam flatibus erumpentibus leuatur plurimum: & cum accessio adest necessario illi decumbendum abstinendumque à cibo & potu. Exactis horis aliquot sudor manat toto corpore, alleuatur, cibum capit.

75. *Holl. c. de exitu matricis.*

Puellæ tremor in sinistra parte in facie & thorace, non autem in partibus inferioribus si in sinistrum incumberet, mouebatur. Quiescebat autem in dextrum deuoluta. Mane & vesperi mouebatur, caloris & frigoris erat vicissitudo, suppressi menses annis fere tribus. Facies saturato colore. Tenasmus, dolor stomachi, lien inflatus; huic vincula vteri erant resoluta.

76. *Holl. c. de hyst. affect.*

Dominæ de Rochepot cum varicosa esset hysterica affectione præhendebatur cum delirio, risu, lacrymis, oculorũ contractione.

77. *ibid.*

Filiabus Præsidis Rothomagensis in motu vteri sursum quo ex interuallis agitantur, risus, præsertim dum paroxysmus instaret. Risum nec monitu, nec minis compescebant. Respondebant se non posse illum continere.

78. *Holl. c. de mol.*

Mulier cum 9. menses videretur vterum gestare, cum omnia paruissent quæ in legitimo partu accidere contingunt, nil aliud præter quædam animalcula ranis similia excreuit, cum multis purgamentis cruentis.

79.

Alia cum perfecto fœtu molam excreuit ac si aliqua esset superfœtatio.

80. *Holl. c. de ent.*

Cuidam cultello aperta, hernia aquosa fuit. Hinc in gangrænam, dolorem intolerabilem & delirium incidit, mors expectabatur. Excluditur multa aqua per vretram, concisa magna pars gangrænæ conualuit.

81.

Quidam diu pila palmaria luserat, lassus somnum iniit in peristerotrophæio. Repente elephanticus euasit.

82. *Sylu. com in l. Gal. de febr.*

In colicis doloribus cauendum ne decipiamur. Nam sæpè in fine febrium, contingit à centro materiam regeri in abdomen, ibique dolores excitari colicis similes cum in intestinis nulli, aut exigui flatus contineantur. Sæpè humor biliosus ferit & distendit, doloremque excitat qui colicum mentiatur, interdum contineantur abscessus à quibus dolores colicis non absimiles excitantur. Quod obseruauit Fernelius & nos post illum.

83.

Aduocatus Gilot dolore colico cruciari putabatur, sed frustra.

Variis præsidiis tentata res est. Nil profectum. Post longa & multorum annorum tormina, quibus non decumbebat, sexto quo decubuit die, interiit. Huic colon qua parte vicinum reni sinistro collecta veluti cartilagine dura in scirrhum obduruerat interiore cauitate eo tumore intercepta. Atque ita nil transcurrebat. Parte dextra colon ad instar magnæ vesicæ dilatatum medicamentis erat. Superiecti vicinique musculi abdominis & peritonæon erant saniosa.

Holl. c. de colico dolore.

84. Hieronymus Germanus colicum dolorem pati putabatur. Quarto die interiit extimis ante frigentibus, languente pulsu, sanguineis spectris ob oculos obuersantibus. Huic interna in visceribus & intestinis inflammatio & putrilago erat.

85. Sacerdoti colici dolores acerbissimi. Secuta deinde est paralysis quæ sedatis doloribus remansit. Nam & vi doloris, & per modum abscessus irritata materia παράλυσιν, potest afferre. Id frequenter contingere asseuerant Pictauiensibus.

86. Mulierem sexagenariam vidimus quæ fluore tetro muliebri conflictabatur, diu perseuerauerat. Nescio quo remedio repressus est, hinc natus diabetes sæuissimus quo emaciata tabefactaque interiit. Narrauit nobis se in renum regione sensum ingentis frigoris sæpè præcessisse.

In tumore abdominis & hydropis specie multa sæpè obseruantur memoratu digna. Nam & pars detumet & euanescit sine manifesta excretione.

87. *Holler.* Negotiatori Parisiensi in Angliam profecto cum is intumeret valdè, tumor miraculo quodam subsedit, euanuit morbus, nec rediit. An quod tumor partim vi caloris naturalis cum viscerum robore coniuncti discussus fuerit, an quod adiutus fuerit ab aëre marino cui se commiserat in negotiatione?

88. Cuidam hydropico sudores toto corpore manarunt, & aqua totum corpus diffusum erat, hinc curatio.

89. Piscator 12. menses quartanâ laborarat: huic malè curatæ & ob improbam victus rationem hydrops successit. Deinde sursum translata materia conuulsiones epilepticæ & terrificæ, tumor faciei admirabilis: delata deorsum tumorem pedum & scroti attulit. Hydrocele, testiculorum phlogosis & metus gangrænæ: sectus est. Conualuit, tametsi pronuntiarit Hippocrates epilepsiam hydropi superuenientem desperatam esse, in Coacis.

Hipp. in coacis.

90. Cuidam ad viuum secti sunt vngues: abdomen intumuerat;

exercuit

exercuit corpus: per extimas partes aqua defluxit, conualuit.

Alteri abdomen tumidum habenti alui fluor: detumuit aqualiculus, repetiit paulò post, mors. Et nos sæpe hydropicos alui fluore interiisse comperimus: quanquam Hipp. scribit, Si hydropico aqua in ventrem confluat, bonum.

91. *Holler.*

Singultiendi non faciebat finem quidam, & nonnisi vsu vini Hippocratici alleuatus. Credibile est huic ventriculi os superius præfrigidum habuisse.

92.

Puella perpetuò singultiebat, nil deglutiebat, dolor in œsophago erat. Antè pulmonibus bubulis largiter vsa fuerat, hinc grauitas in stomacho, nausea, vomitus, frustulum pulmonis quem ederat, in œsophago restiterat. Cucurbitulis reiectum est frustulum & aliis adhibitis remediis: conualuit.

93.

Archidiaconi à syncope & palpitatione è viuis sublati corpore dissecto abscessus in substantia cordis inuentus est: in alterius pericardio aqua inuenta est, quæ id symptoma inferret. In Britone inflammatio cordis, in alio abscessus in vena arteriosa.

94. *Holl. c. de palpitatione. Gal. c. 2. l. 5. de loc. aff.*

Ioa. Minard Supplicum libellorum in Regia Magister interiit à magno abscessu: in pericardio tunica contenta erat materia purulenta, & hoc medicis admirationi fuit. Vnde dum viueret & bellè munia sua obiret; ex interuallis leipothymia præhendebatur: Aphonos per 12. horas, aut eò plus manebat. Huius rei causa an aliò referenda? legendus locus Galeni de Simia in libris de locis affectis huc maximè pertinens.

95. *Cap. 2. l. 5. loc. aff.*

Palpitatio plerisque incidit. Pericardium flatu multo distentum deprehensum est. Et is flatus in aquam aliquando concrescit.

96.

Præses Rothomagensis ab ineunte ætate ad annum 55. quo obiit palpitatione cordis tenebatur, ac præsertim à somno meridiano & vbi arctius tibias decussatim complicaret. Sensus erat quidam tremulus ad carotidas. Pulsus paruus vel nullus. Soluebatur paroxysmus edito crepitu, ructu clystere; dolore in mediis clauiculis excitato, deinde in fronte, vel tussi satis violenta sponte nata, idem mulieri contigit. Repererunt medici in vtroque cor esse calidius, frigidiorem ventriculum. Sic vapor excitabatur, quem calor discutere non poterat.

97. *Holl. c. de Palpitatione.*

Mulier ex balneo, aut vitiosis lignis succensis animo deficiebat. Quidam si per horam lauaretur idem patiebatur. hîc conuenit

98. *Gal. in apho.*

Hipp. Aph. Qui frequenter & absque causa manifesta exoluuntur, de repente intereunt.

99. Monachus asthmate breui interiit. Dissecto repertus abscessus in vena arteriosa integris pulmonibus.

100. Quidam angina coreptus cum suffocaretur, iussit sibi amputari gurgulionem, seruatus est.

101. Mihi narratum est à fide dignis puerum annos decem natum cum in regalibus egregiè Hippocraticum vinum hausisset, de nocte ab angina suffocatum. Pressus dolore sibi foris intro adegit gladiolum: effluente multo sanguine sanatus, & vixit.

102. Holler. Melancholiâ morbo detentus se mortuum putabat. Medicos precabatur ne animæ quominus euolaret impedimento forent. Monebat vt omnes viderent expirantem. Hæmorrhoidon fluxu liberatur.

103. Alius se mortuum ratus omnia esculenta auersabatur, quod nefas crederet mortuum edere. Optimo consilio effictum cadauer mensæ accumbens, cuius exemplo cibum sumpsit.

104. Sacerdos concidebat epilepticus, solùm caput mouebatur, nulla alia aliarum partium incitatio. rarissimum hoc.

105. Scoto è sura dextra vapor excitabatur, hinc totius corporis concussio. Soluebatur vomitionibus biliosis.

106. Nicolaus de Marillac & Catharina olim illustris Domini Memmei Supplicum libellorum magistri eodẽ penè morbo interiêre. Ille cum de dolore aurium intima occupante quereretur, nec non de capitis parte altera remediis aliquot aliquantulum dolor cessit: recruduit statim, non ita tamen quin munia publica obiret: ἀπύρετος ferè erat. Exactis aliquot diebus recrudescit dolor, accessio febrilis cum periodico frigore eum præhendit: attonitus statim recumbit: incipit conuelli: conuulsus cum horrendis symptomatis & ἄφωνος interit. Serua autem tres tantum dies laborauit. Sine febre: defectiones animi præ dolore: iactationes, insomnia. Remediis non cessit dolor. Rigor seu tetanus præhendit. ἄφωνος. mors. in vtroque credibile est quoddam apostema in cerebro conceptum esse. Si euasissent, παράλυσιν, aut ἡμιπληξίαν vitare non potuissent.

107. Quidam laborabat morbo medicis incognito. Suspicio nonnulla fuit poculi venefici. Argumenta aderant. Præscripto iudicis res ad medicos relata. Aperto cadauere exanthematis obsitus ventriculus reperitur. Iudicarunt toxicum præbitum, sed malè:

quidem. Chirurgus oculatus quæsiuit num antequam è viuis excessisset aliquid in cute apparuisset. Cognito quod aliquid tale contigisset sententiam retractant: ac iudicarunt à morbillis occultis, vi naturæ non erumpentibus id tale euenisse. Hinc corpus internum contaminatum. Notandum hoc vt falsa de potione venefica suspicio potius blanda & placida ratione in simili exemplo fundata eleuetur, quam acerba apud iudices contentione frangatur ac oppugnetur.

108. Cuidam cum aphthosum os & gurgulio fuisset cum anhelitus insuauitate excretio puris contigit. Aperto corpore totus internus thorax syderatus apparuit. Et nos in vico de la Bretonnerie vidimus dominam cui saniosum os est, & veluti purulentum, fœtens. Dubitant medici an à pulmonibus, an à cerebro.

109. Obseruatum est palpitationem cordis mulieri melancholia hypochondriaca laboranti post molestias multas contigisse. Mors. In sinistro cordis sinu pars humoris melancholici reperta est ibi veluti concreta ac fermentata. Atque ita spiritus oppressi, congelatique sunt, eorumque incitatio & motus repressus.

110. Eques Torquatus imbecillitatem stomachi & oculorum tenebricosum quid obiecit homini occupato publicis muniis; consuluerunt vt quotidie pilulam ex aloë ante pastum deglutiret. A dolore stomachi interiit. Ferunt repertam in aluo integram massam pilularum. Nam & frequentiam medicamenti natura elusit: & fortè cum pilulam caperet genio indulsit. Vt medicamentulum impotens fuerit.

111. Duo excernebant sanguinem, vnus per nares, alter per os. Cum remediis non cederet malum, quæsitum num hirudinem hausissent. Cum huius rei opinionem fecisset quod in fonte bibissent, tandem veritas apparuit. Videndum ne decipiamur in hæmorrhagiis, & à vitio corporis res repetatur. *Gal. c. 5. l. 4. loco aff.*

112. Mulier hydrope vteri corripitur appetentibus menstruis aquarum illuuies per vteri ceruicem profunditur. Pelues sex implebantur aquâ citrinâ. Mox stata periodo menses reduces. Rursum par colluuies colligebatur, & profluebat. *Fer c. de mor. vteri.*

113. Senex in iram mirè propensus post obitum sine felle deprehensus est. In eius loco lapis concreuerat: iis aliquando in cysti calculus concrescit quos grauis ac diuturnus icterus exercuit. Idem se obseruauisse annotauit Langius & nos lapillos octo in cysti vidimus in Domina de Chaulmont. *Epist. 57. l. 2. Epist.*

114. Neoburgu, virgo vestalis, continuis sub dextro hypochondrio torminibus vexabatur. Mors. Omnia illæsa intestina, ab hepate pendebat folliculus fellis ob pondus inclusi lapidis in substratum intestinum procumbens. Ac illud intestinum inoffenso fellis folliculo lapis ille attriuerat. Hinc dolores, tormina.

115. *Cap. 4. l. 5.* *Cap. 28. & 31. l. 3.* Trallianus narrat se vidisse quendam qui cum tussi summa ad tabem vsque maciaretur, oborta grauiore tussi lapidem durum excreat, qui pauimento illisus resiliebat. Paulus quoque in pulmonibus sæpe concrescere annotauit.

116. Canonicus continuo tussiebat, tonsillarum abscessu laborarat. Materiam dum discutere medici conarentur, siccitate tandem obduruit in lapidem. Cum medici tussim inde ortam mitigare conarentur vsu suppurantium lapis est excretus. Nam raro vicinia lapidem continens remollita est.

117. Batrachion morbus mediastinam mulierem cum suffocationis periculo tenebat, vix loqui poterat. Tandem concreuit materia in verum lapidem.

118. *Lang. ep. 57 l. 2 ex Paulo.* Cuidam tenasmus permolestus. Tandem depræhensum illius causam esse lapidem in intestino retentum.

119. *Gentilis.* Cuidam stomachi dolor acerbissimus. Excretus est vomitu lapis. Cessauerunt symptomata.

120. *Is vno anno & dimidio post ea symptomata cùm excreuisset, multam materiam fœtidam, & fœtidè expirasset, de repente interiit.* Barnabæ Panthou consarcinatori annos 69. nato ictus & contusio ad nothas costas hepati propinquas. Restitit semper dolor & tussiendo percipiebatur. Exacti menses sex aut octo. Tandem dolores ad aluum, insomnia, inappetẽtia: de nocte syncope, vomitus sanguinis. Sudores frigidi, pulsus languidus, sanguis niger, grumosus. Syncopæ repetunt. Putatur animam agere. Purgatus deinde est. Conualuit, ita tamen vt pars ea dolore non careret. Quæstio. Vnde sanguis? cur non interiit secundum dictum Hippo.

121. *Fer c. de lum.* Vermes aliquando pruritu quodam emergunt, præsertim ascarides, hinc in fœmora natesque quoquoversum irruunt.

122. Quidam annos 20. natus epilepticus erat, nil tale passus erat antequam natus esset annos decem. At nono ætatis anno inciderat in cranium quà decurrit corona ὀβελαῖα, effractum est cranium. Effectum vt quod intro pulsum erat releuaretur. Os illud quod effractum erat vitium attigerat, ideo incremento & nutritione prohibebatur. Sic reliquum cranium crescebat, & qua parte læsum fuerat non nutriebatur. Secundum illam partem tamen

cerebrum crescebat. Sic per oppresionem cerebri quo præsertim tempore turgebat, vertigines & epilepsia.

Legatus quodam torquebatur, nec non tumore à dextro hypochondrio per ima ventriculi in sinistrum exporrecto. Sexennio toto studetur tanquam remolliendo scirrho. Tandem iniecto acriore enemate durum quippiam ac medio ductu pertusum pedis longitudine detractum est. Portio intestini credebatur, sed falso.

123. Fer.c.de intesti mo. b.s.

Alteri grauior affectus aluum cohibuit, ventre supra modum intumescente discesit è viuis. Inuentum est colon intestinum adeo infarctum pituita concreta, vt solidum planè putaretur. Et ideo nil fæcis in aluum prolabebatur.

124.

Multos cum iter facerent epilepsia præhendit, violento aëre ducto, aut per nares, aut aures. Si earum partium interitus obstruerentur, talis mali occasio præcipiebatur.

125. Rond.c.de ep.

Ingeniosi & quibus ingenij acuties est ob cerebri substantiam subtilem ac delicatam in epilepsiam propendent. Vnde Carolus V. Imperat. Mahumetius & Cæsar iis affectibus obnoxij fuerunt. Et quibus ingenij vis acutior delicatiorque ij si quid contentius agant præsertim in coitione hominũ, & frequẽtia, vt si quid edisserere velint paroxysmo epileptico capiuntur, vnde quidam putarunt non eò epilepsiam comitialem morbum dici, non quòd dimitterentur comitia si quis in iis epilepsia præhenderetur: sed cùm aliàs tum maximè paroxysmum epilepticum hominem adoriri cum in hominũ corona cum contentione aliqua animi agere instituunt. Vnde & aliis memoriâ quoque excidit id quod à longo tempore ei erat demandatum.

126.

Nobilis quidam quartanâ laborabat. Eum tædebat remediorum solennium. Vulgarium opem poposcit. Præstigiis ac amuletis febris visa est quiescere. Suppressa est materia. ab ea successit crudelis dysenteria; interiit. Hinc nosci oportet satiùs esse cum causa ægrotare, quàm sine causa alleuari.

127.

Virgo rigente hyeme niueis globulis cum æqualibus suis ludebat. Secuta partium extimarum refrigeratio, febris acuta. Summus in intimis æstus, interiit. Inuentus penè recoctus vterus, & hepar vermiculatum, hæc cum macilenta esset non dubium si in tam grauem affectum hyeme ita sæuiente inciderit.

128.

Nobilis solebat epilepsia præhendi. Remediis nil profectum est: furiosus factus est, desiit postea esse epilepticus. Ergo verum

129.

quod in aphorismis scripsit Hipp. A furore ἐκστάσις superueniens bonum. huius bonæ solutionis maximè meminit Hipp. lib. 2. epid. sect. 5.

130. Cuidam tam vehemens cordis palpitatio contigit, vt vicinas costas fregerit: & eas quæ supra sinistram mammam sunt de sede propria depulerit, sæpe arteriam dilatauerit. Item in aneurisma pugni magnitudine dilatatur arteria, & visu & tactu percipitur pulsatio D. Magnus ait se cum Fernelio obseruasse effractas, vi palpitationis, costas, sed ait illas costas longè antè abscessu tentatas fuisse. Alioqui incredibilis esset historia. Alteri tanta palpitatio contigit vt vehementer desiliret manus pectori applicita.

131. Quidam cum in comitatu Præsulis caligas non exuisset, tandem cum exuere voluit partium pilos euellit citra præeuntem morbum vllum. Quod eò accessisse credibile est, quoniam diuturnitate suppressionis fuliginosi excrementi putredo concepta fuerit, hinc pilorum defluuium.

Rondeletius.

132. Mulier quartanâ laborabat, immunis ab ea fuit quindecim dies, aut plus eò. Consilio medicorum ius foliculorum senæ sumpsit. Statim repetit febris, deinde cessat. Iteratò sumpsit medicamentum, rursum febris. Hoc arguit febre cum quartana mitiùs agendum.

Dicam quod nos obseruasse contigit anno Domini 1582. Magna fuit febrium quartanarum seges & verarum, quod per se & primò contingerent. Omnibus initio adhibita remedia. Non tamen quiescunt. Hoc affirmo verum, quibuscumque sæpius exhibita sunt medicamenta & pugnatum remediis valentibus, iis omnibus producta fuit febris. Qui verò præsidia neglexerũt principio exacto, ij intra breue tempus incolumes extiterunt. Quod ab omnibus diligenter obseruandum est, & hoc primus Galenus cum aliquot veteribus annotauit. Vt malè de ægris quartana laborantibus mereantur qui id student, vt medicamentorum frequenti vsu humorem adeo contumacem oppugnent & expellant.

133. Comitis de Mauleurier vxor cum vterum gereret casu est læsa ad regionem lumborum, ferunt non attigisse partus tempus legitimum. Peperit. Omnia satis ex voto. Pleuritis. Secatur vena sæpiùs, lochia supprimuntur. Ἀπόπληκτος. Mors. Aperto cadauere ligamenta vteri rupta reperiuntur. Mirum hoc. Et forte ruptura hæc purgationis non legitimè factæ causa fuit. An non oborta

pleuritide in muliere nuper enixa audacius mittendus sanguis? Vxor Domini Bonian mercatoris, non alia ratione interiisse videtur, quàm quia sæpiùs sanguis missus fluentibus lochiis. Hæc enim statim suppressa sunt.

134. Mulierem vidi quæ liberos habuerit & nata annos 30. semel, aut bis tantùm menstrua passa fuerat. An menstrualem esse necesse est mulierem vt concipiat vtero?

135. Mirum quod obseruatum in sene iracundo, in cysti fel non inuentum sed in eius loco lapis. Quod & Langius accidere iis ait, qui diuturno ictero laborarunt. Dominus Magnus ait, in vulgari quartanarum febrium fœtura obseruasse se plerosque toto autumno & hyeme quartanarios decubuisse, ac tandem interiisse: in quorum mortuorum cysti lapis loco fellis concreuerat. His quartanis iecur autor fuit.

136. Nobilis Domina du Bez, cum quartana laboraret modo duplice, modo simplice, modo typum tertianæ retinente, cum item & vinum biberet, & ingens intus incendium perciperet, tamen perpetuò illi aqueæ vrinæ fluxerunt. Quod mirum. Siue antè accessionem, tempore accessionis, & post accessionem. Et exiguum fuit admodum caloris argumentum in vrinis.

137. Virgo fœdos colores patiebatur. Diu id mali perseuerabat. Nullis cessit remediis, iuncta viro ægrescit, fortè curru citato vehementerque succutiente deuehebatur, dolores cordis, nauseæ, agitationes, morituram credebant. Omnis generis humores abundè euomuntur: aluus humescit. Momento penè primum faciei nitorem recuperauit.

138. Nobili cuidam vrinæ diu supprimuntur. Comatosus fit, conuellitur. Vsu variorum remediorum vrina fluit. Moritur tamen. Quia suppresio excrementorum resolutionem cerebri affert: & qualitatem partibus imprimit explicatione vix perceptibilem.

139. Ioannes le Fuzelier in Senatu Procuratorium munus exercens, tabida matre natus, eo modo, eoque morbo, & tempore eodem interit quo eius mater. In pulmonibus nil commemorabile reperitur quod mortem attulerit. Mirum quod antè mortem ei contigit, decem ante quam è viuis excederet diebus tumidum corpus fuit. Tumor fugax erat, repetebat ex interuallis. Vnde hoc? leucæ videbantur esse. Tale quid in morbis funestis contingere solere agnouit Hippocrates, Leucæ autem oboriuntur (supple in morituris) in morbis funestißimis, cuiusmodi est phthisis.

Hipp. 2. prorr.

140. Mulier nunquam articularem morbum passa, sanis parentibus orta, sub dio in multam noctem sermonem producit. Ab influxu lunæ crudore quodam cerebrum percellitur. Dolores capitis ingentes, hinc omnis generis arthritis eam adoritur.

141. Puellæ febris continua. Elatum abdomen in tumorem. Mirum quomodo tam subitò hic tumor natus. Præ dolore interiit. Acu abdomen mortuæ apertum. Magno edito sono venter totus subsedit.

142. Mulier macilenta erat & melancholiâ hypochondriacâ laborare videbatur. Cum aqua potui dabatur, nullum dolorem sentiebat. Cùm vinum aqua dilutum hauriebat, dolore vehementi eóque ad sinistrum hypochondrium tenebatur. Quid hoc rei? An quod vinum subibat lienem & subigebat succum melancholicum in eo contentum, vt & acetum facit Hippocratis sententia?

Hipp.3.aucto.

143. Mulieri acerbissimi dolores capitis & aurium. Sine intermissione admittebat fumum cephalicorum per infundibulum. Alleuabatur, deteriores fiunt dolores. Mors. Aperto capite aquæ copia magna reperitur. Causam medici retulerunt ad vapores ita frequenter susceptos. Nec abs re. Cautos esse oportet in excitandis in aurem vaporibus.

144. Polemarchus à medico suo venefico poculo inficitur. Inexpugnabilis erat dormiendi appetitus. Sexto post die mors, de ventriculo querebatur. In eo quibusdam maculis ventriculus erat aspersus. Medici quibus aperiundi cadaueris cura erat, satis hoc argumenti afferre putabant. Oculatior alius iussit ventriculum ab aliis partibus desecari. Prætendit apertum omnium oculis: perforatus minimis foraminibus miraculo quodam apparuit. Et hæc pertusio mortis causa fuerat.

145. Vidi aurigam ad ripam Sequanæ pulmonicum, qui adeo viuens spiransque de se halitum emitteret, vt totum ferè cœnaculum inficeretur, & vix quisquam erat ferendo.

146. Mulieri nunquam menses fluxerunt: vixit tamen incolumis. Vidi natam annos 30. quæ semel tantum menstruum passa sit, nec tamen fœcunda esse desierit, & Hip.l.5.epid. notat de quadam cui cum annos 4. suppressi menses essent, concepit & peperit Vitalẽ.

Fer.c.16. l.6. patho.

In Perinæo quidam percutitur. Vrina supprimitur oborta inflammatione, vesicam tamen plenam esse circumscriptio designabat. Affunditur aqua tepens. Tensio remittitur. Vrinam facit.

Gal.c.1. l.1. de loc.affectis

Quidam colico dolore diuexatus ab omnibus calidis & acribus offendebatur, item & calorificis irritabatur. Alimentis benignis iuuabatur, dolorem acrem percipere se æger narrabat. Dato medicamento ex aloe conualuit. Sic decipi non oportet in colicis doloribus.

147. *Gal. c. 4. l. 1. de loc. affect.*

Alius cum dolorem excitari putaret ab acribus humoribus sumpsit medicamentum acre. Ab hoc medicamento læsum intestinum. Quouis etiam benigno cibo offendebatur. Coniecit Gal. intestinum venisse ad διάθεσιν ῥευματικὴν, & ideo facilè iecoris recrementa recipere, & corrumpere. Astringentibus cibis alleuatus.

148. *ibid.*

Quidam in collo læsus hyeme. Recurrentes neruos læsio non attigerat. Tamen dum curatur perfrigerantur illi nerui. Vox perit. Vsu calidorum recuperatur.

149. *Cap 6. l. 1. de loc. affect.*

Chirurgus strumas puero curaturus dum vas secat membranam digito euellens, imprudens neruum recurrentem distrahit. Curat chœradas: mutum puerum reddit.

150. *ibid.*

Homo macilentus lapidem in rene querebatur. Oxyporis calidisque medicamentis lapidi deturbando medici studebant. Aliquo post tempore digitos manus vt cauum sonantes, nil penè sentire & vix moueri posse ægrè ferebat. Paralysin esse medici putabant. Sed à sola siccitate ob diætam exactam nata id mali contigerat. Macilentos lapidosos curare cum consilium est, cautionem adhibere oportet.

151. *Cap. 1. l. 6. de sanitate tuen.*

Dolorem capitis intulit scorpius in cerebro natus post basilicæ herbæ frequentem odoratum. Item & à vermibus in cerebro natis idem contingere posse asserit ex Indorum medicorum sententia Auicennas.

152. *Holl. 1. c. de dolore cap.*

Cuidam trium digitorum sensus ademptus fuerat. Integer autem motus erat. Medici frustra manui remedia applicabant, cum in ea parte nec perfrigeratio fuisset, nec inflammatio, nec ictus. Fortè cum veheretur curru, in spinam incidit qua parte decurrit neruus sensum digitis impertiens. Itaque sæpè læsionis argumentum in ea parte paret quæ læsa non est.

153. *Gal. c. 6. l. de loc. affect.*

In eodem capite multæ extant historiæ eorum quibus huius, aut illius digiti, aut manus sensus ademptus erat illæso motu.

Puero cum in fluuio pisces venaretur præ aquæ frigore inuita fæcum contigit excretio resoluto musculo ani. Aliis inuita, aut vrinæ aut fæcum similiter affuit excretio, aut suppressio propter ictum, aut læsionem neruorum dorsi lumborumque. Gal. eò loci,

154. *ibid.*

ictum & refrigerationem rerum earum causas statuit. At in hoc distinguntur, quod ictus maxima ex parte ad plures vno musculos attinet: sed frigus vnum ferè musculum attingit.

155. *Holl. lib. de materia Chir.*

Quidam maligna vi luis venereæ conflictatus cum remedia deessent fimo stabulario vrinis iumentorum & equorum commixto putrique corpus recondidit. Tota materia venenata exhalauit. Curatus est.

156. *Cap. 5. l. 2. de loc. affect.*

Galeno ipsi obortus est tantus dolor vt sibi perforari partem terebra putaret: ac præsertim qua parte vreteres à renibus ad vesicam protenduntur. In calculi opinionem eo loco fixi ventum est. At excretio declarauit vitream pituitam hoc doloris tædium attulisse, quæ omnium frigidissima est.

Idem illustri viro Domino de Fon-le-bon contigisse nouimus, frustráque ei tanquam calculoso manum auxiliarem adhibebamus. Nam post infinita propè remedia per penem frigidissima pituita dolorem inferente excretâ conualuit. Quanquam & fortè colica nephriticaque simul aderat.

157.

Nuper misella mulier nescio quæ absurda ob annonæ caritatem sumere coacta, cõqueritur de grauissimo stomachi dolore, ac si colicam stomachicam dixisses. De fouenda parte ita distenta cogitabamus. Tandem Rheo exhibito reuomuit pituitosa multa cum tribus lumbricis semipedem longis ac viuis.

158. *Sanaron. l. de vermib. c. 4. idem Mesu. c. 2. de cura ægritud. int.*

Obseruauit Fernelius vermes ita sensim cuniculos egisse, vt viam sibi in crura fecerint. In inedia qui vermibus conflictari soliti erant, iis vermes ventrem & vmbilicum perforarunt, vt notat Auicennas, & post eum Sanaronola lib. de vermibus, atque idem se obseruasse Ioannes Mesuæus asseuerat.

159. *Fer. de sympt. vteri.*

Non tantùm ætate prouectiores fluor muliebris diuexat, sed & iuniores & septennes puellas. Eas præsertim quas fœdus color deturpat. Quod in puella annorum octo accidisse narrat Fernelius. Et nos multo minorem fœdo fluore diuexatam vidimus. Mater id eò accidisse suspicabatur quòd puellula ista seruæ ῥοῦν γυναικεῖον patienti concubuisset, & probabile istud.

160.

Narrat Fernelius fluorem muliebrem à gonorrhœa virulenta distingui, quod hæc fluat mensibus etiamnum erumpentibus: fluor autem muliebris cesset fluentibus mensibus. Nos contra in misella muliere vtrumque simul fluere obseruauimus. Et saniosa excretio per fluorem muliebrem adeo fœda erat, vt nullus esset ferendo.

161. Mirum quod contigit Polemarcho Polono. Illi annos multos aures erant purulentæ, & magno profectu excernebatur nonnihil saniosum. Accepto grãdi in fronte vlunere, rapto veluti alio cursu in anteriora, è naribus stillat purulentum ac fœtens. Hinc narium fœtor. Quod mirum magis & medicis inauditum incognitumque fuit, vmbilicus ei intumuit, & stillabat sanies ferè assimilis ei quæ per nares excernebatur. Quæsitum qua id via & ratione fieret, cum vasa vmbilici in vinculum coaluerint.

162. Nouimus mulieres, aut hemicrania, aut capitis dolore affligi grauiter solitas dum, aut lactant, aut peperêre. Cum primùm autẽ conceperunt vtero aliæ nil tale sentiunt: aliæ post duos menses tantùm laborare desinunt. Quid hoc rei? Hipp. primus hoc à se obseruatum literis mandauit. "Mulieri, ait, in Phæris caput circumdolebat. "Remediis non iuuabatur, ne dum caput quidem purgaretur. Cum concepisset dolores capitis relinquebant.

Hipp. l.5. epid.

163. Annosa mulier menstrua alba patiebatur, malum diu perseuerauerat. Cum tam diuturni mali eam tæderet, consulto medico nescio quid sumpsit quod fluxum sisteret. Nec hoc impunè tulit. Nam non ita post diabetes sæuissimus eam oppressit, à quo duobus mensibus post emaciata tabefactaque interiit. Mirum quò abierit olida putrisque materia quæ fluorem committebat. Nam ea per diabetem non fluebat. Erat enim aqua limpida.

164. Militi ab osse ethmoide solebat purulenta materia effluere, non secus ac è naribus fluere solet. Illa fœda eluuies suppressa est facilè quòd resimis esset naribus. Duo inde vermes villosi instar digiti geniti sunt qui illum in furorem adegêre: ac febre non multùm manifesta die vigesimo de medio sustulêre.

Fer. c. 7, l. 5.

165. Quidam biliosus & macilentus, deposito fœnore contendit se intra breue tempus præfinitum sexdecim placentulas corniculatas (Galli vocant *des eschaudés*) comesturum. Effectum est vti voluit. Venter inde intumuit, doluit plurimum. Miraculo quodam post tumorem istum ventris, maculis, aut exanthematis corpus exaratur qualia in fœda scabie apparent. Grauissimè ægrotauit, ferè inde contabuit.

166. Quidam in diuturno comitatu cum multis diebus caligas non exuisset, tandem cum eas deposuit, cum illis illarum partium pilos auulsit: ita fuliginosæ materiæ retentio diuturna radices illorum exederat.

Rondeletius. in c[a]. de notis Alopeciæ à morbo Gallic.

167. Quendam equus in præcordiorum regione calcitrauerat: in

septo transuerso semper mansit imbecillitas. Dum respirationem inchoabat omnes thoracis musculos mouere cogebatur etiam sanus effectus. Et athleta, Secūdus, nomine, cum in septo transuerso imbecillitatem nonnullam perciperet, omnes vna respiratione thoracis musculos mouebat, his locis patet sæpè occultam difficultatis spirandi causam, ex aliqua etiam abdita diaphragmatis imbecillitate nasci. Præsertim vitium æstimare oportet dum quietem agimus: nam tum sola diaphragmatis motio respirationi sufficit, quod si tunc omnes thoracis partes mouentur, aliquid contra naturam subesse suspicandum est.

Gal.c.4.l.4. de loco. aff.

168. *ibid.* Cuidam in nate oborto suppurato iuxta cruris initium, nerui illius cruris per chirurgiam nudati sunt: parte tamen sanata, toti membro difficultas motus contigit. Coniecit Gal. à priore inflammatione aliquid scirrhosum in parte relictum esse. Huic rei prouidit. Conualuit.

169. *ibid.* Piscator cum solo frigido diu piscans desedisset, in inuoluntariam fæcum & vrinæ excretionem incidit, fomentorum calidorum vsu sanatus est.

170. *ibid.* Quidam sub multa fecit iter pluuia ac validis ventis, pallium madefactum ceruici imposuerat. Pars pericranij sensu carebat. Medici capiti remedia assiduè applicabant. Nil proficiebatur. Ceruici consultum est. Sanatur. Nam ex primis spinæ spondylis nerui paria duo ascendunt ad caput, à quibus pellis caput ambiens sensum mutuatur: sic necessariò ceruici neruorum origini prospiciendum erat.

Quibus ex locis patet consultos nos esse oportet in remediis vsurpandis, ne parti temerè illa adhibeantur, cum tantum compatiendi lege laborat.

171. *Gal c.2.l.5. de loc. aff.* Galenus obseruauit tantam sæpè humoris copiam in ambiente cor tunica, vt ipsum cor non moueatur, quod & in hominibus & in simia à se dissecta vidit, cum illa in dies emaciaretur. In Gallo gallinaceo scirrhosum obseruauit, ac si multiplex membranarum implicatio esset.

172. *ibid.* Gladiatores inflammato manifestè corde vidit pereuntes, non aliter quam si syncope cardiaca præhenderentur.

173. *ibid.* Quidam cum palpitatione præhenderetur præsertim verno tempore, solennem phlebotomiam celebrabat: & multis in simili affectu profuit sectio venæ, ait Gal. Et ille & hi ferè omnes morte ante senectutem præueniuntur, & cum syncope omnes ferè pe-

reunt. Tamen sine syncope vnum, aut alterum periisse, ait Gal. sed alia mortis specie: id est, apoplectico quodam modo, vt ait Paulus Æginetа.

Faber lignarius à vomitione molesta liberari non potuit. Aperto cadauere semilacer erat ventriculus & putredine corruptus. Idem ferè in Domino de Hodeuille est inuentum. Nam languit ferè per 45. dies, nec manifestus erat morbus. Animo sæpè deficiebat, vt facultatis vitalis virtus videretur extingui, alimentis resurgebat. Mors. Aperto cadauere totum hepar penè putre: Pulmones corrupti. Quibus in ægris eadem symptomata conspiciuntur, cautè medicamenta exhibere oportet. Nam sæpè calamitosè statim à sumpto medicamento intereunt. At præmatura morte corripiuntur. 174.

Puer annos natus duodecim sine nephritico dolore, cum difficultate tamen vrinæ per penem excernit lapillos pici & aloæ simillimos. Mirum fuit multis. Numquam cruentū excreuit. Quæritur cuius naturæ ea sit concretio. A sanguine esse aiunt. Ergo credibile foret aliquando mictum cruentum fuisse. Tamen cum Gal. explicat quæ sint illæ carunculæ quæ in vrinis apparent, ait veram carnem non excerni, sed sanguinem in hepate, aut in renibus exustum. Qui locus pro eo de quo nunc dicimus, audiendus videtur. 175. *Com. in Aph. 76. l. 4.*

Quidam annos 30. natus nephriticos dolores passus erat sæpè: Purulentum minxerat. Cætera alacris interiit. Repertus lapis in ore vasorum vrinariorum. Quod mirum, vterque ren tabuerat: nil erat succi, nil carnis: sed in molem maximam creuerat ac si inflatam vesicam dixisses: & tota cauitas renum ita extensorum inanis erat. Sed quod mirum magis & nusquam visum, carunculæ longæ repertæ sunt tum in arteria venosa, tum in vena arteriosa, necnon caua vena dextrum cordis ventriculum attingente. Et tamen nunquam vlla difficultate spirandi laborarat. 176. *Idem narrat Fer. c. 12. l. 6. patholog.*

Heros quidam Lutetiæ à febre acutissima decumbit. Deliria perpetua. Moriturum delirum prædicebant medici. Ecce nil tale medicis agitantibus strophiolum deuorat. Hinc grauissimæ & frequentissimæ conuulsiones. Medici tale quid morbo tribuebant, sed malè. Fortè illud per os magno cum conatu expulit: cessant conuulsiones. Audio conualere. In historiis præcedentibus huius libri obseruatum quomodo hydrops modò per insensilem transpiratum miraculo euacuerit: modò per sudores. Nos autem 177.

vidimus mulierem quæ menses aliquot hydrope detenta fuit. Abdomen elatum erat plurimum. Protuberauit vmbilicus: ruptus tandem est vi aquæ conclusæ. Excreta magna aquæ pars. Item circum lumbos per dies aliquot alia pars aquæ per modum copiosi sudoris excreta est. Euasit tandem ab illo morbo. Immo narrat se plurimum adiutam in tumore aquoso tibiarum poculo ex cancris fluuialibus contusis in vino albo, in quo prius infusi sunt. Tumor ille pedum miraculo discessit.

178.

Paulò antè annotatum quendam puerum excreuisse è vesica, aut è renibus lapillos pici aloæque simillimos. Est & mirandum quod nuper obseruatum, ex interuallis grumus sanguinis è nare durissimus, friabilis tamen magno cum conatu exibat. Qua parte decurrebat latebatque vena nigrities summa apparebat. Quærebatur quid rei esset. Tandem dictum malum hoc veluti nasi hæmorrhoidem nuncupari posse, qua fœculento sanguine cerebrum repurgaretur. Nec malum hoc supprimendum censebant, quòd furoris, aut symptomatis deterioris metus esset quidam.

179.

Cuidam militi nares simas habenti ex eluuie quadam suppressa fluere solita, vermes duo villosi instar digiti illîc geniti inuentique sunt: atque hi tandem illum in furorem adegerunt, & sine manifesta multùm febre de medio sustulerunt.

180.

For. c 7. l. 5. de mo bis.

In oppidulo diui Gratiani quidam colico cruciatu tentari solitus post intempestiuos labores consueta symptomata experitur. Rustici neglecta alui subductione ad calefactoria confugiunt. Impensè calfaciunt. Aluus planè resistit. Medicamenta assumpta etiam horas nouem in præcordiis morata, reiiciebantur sine vllo profectu. Clysteres irriti. Balnea vsurpantur. Nihil prosunt. Quarto post die tympanitis speciem refert abdomen. Mors. Iliacum hoc.

181.

Galenus notat quibusdam ex diuturno lactis vsu, lapides in renibus concreuisse: aliis dentes eodem vsu excidisse. Quidam agricola centum annos vixerat in vsu frequenti lac habens, aliàs solùm, aliàs cum cacuminibus thymi. Aliùs spe lõgioris vitæ idem factitare voluit. Incredibile quot symptomata inde contigerint. Hinc patet vnum & idem non easdem habere in multis vires.

182.

Cap. 7 l. 5. de sant. tuenda.

Cuidam totum brachium à metastasi humoris in eam partem nigricabat. Malum disparebat. Tunc insaniebat. Rursus redibat. Consultum tandem est vt denigrato brachio scarificatio profun-

183.

da adhiberetur. Conualuit, liberque fuit & ab ista nigritie, & ab insania.

Multis qui insaniuerant post melancholicas affectiones caput apertum fuit. Venæ capitis inuentę sunt turgentes, dilatatæ, ac varicosæ factæ. Idem capiti contigerat quod venis varicosis. Immo affectus erat, quē Hipp. vocat ὑπερέμετον, venarum: super-vomitionem & eructationem voco.

184.

Lib. 2. de mor

Mulier ægerrimè præ dolore varices ferebat. Dilatatio summa erat. Audacter è varicibus ipsis detractus est sanguinis larga copia. Audacia ista rationem superauit. Optimè habuit.

185.

Mulier nouem menses gestare vterum putabatur. Nonnulla ex iis aderant quæ imprægnatis mulieribus, adesse solent. Instante partus tempore præ dolore ob abdominis tumorem fatis concedit. Veriti parentes ne vnâ extingueretur fœtus, vt ademptâ matre superesset, recens emortuæ cadauer penè spirans secatur. Totum corpus internum, epiploum, mesaræum, hepar, lien, pulmones, cor quoque ipsum & peritonæum erant obsita vesiculis aqua purissima plenis & limpidissima, nihilque graueolens habebat, & quod magis mirandum, vnicuique vesiculæ triplex erat tunica, & incolumis, integraque à corpore siue esset superficies, siue interior substantia decidi detrahique poterat. Hipp. hydatidas obseruauit in corpore ipsius hepatis, sed nunquam quid tale in toto corpore deprehensum est.

186.

Aph. 55 l. 7.

Nobilis vir febre tertiana correptus fuit, quartus paroxysmus adeo vehemens fuit, vt translato sursum humore ἐκπίεσμος vnius oculi, & exitus foras contigerit. Et hic oculus deperditus tabuit.

187.

Filiæ D. Desbrosses obortus tumor sub lingua, batrachion vulgo dictus, hinc nonnulla deglutiendi & loquendi difficultas. oui Columbini magnitudinem adæquabat. Et venulis conspersus erat nigricantibus. metuebant chirurgi ne ad carcinomatis naturam accederet. Sectionem tentare recusant, audacior vnus adacto scalpello pituitæ albugineæ vncias duas vel tres educit. Breui conualuit.

188

Dominus du Plessis cum molestiam aliquot accessionum febris tertianæ satis vehementis pertulisset, nouum & insolens remedium experiri voluit, cum enim ex aquatione & fluuio equi reuertissent, iussit eos aqua puteali perfundi, cum hoc spectaret, istaque affusio aquæ perplaceret, idem voluit sibi fieri, & vt id

189.

serui facerent coegit. Educunt frigidam è puteo, nudo corpori, medio paroxysmo aqua affunditur. Nec id diu impunè tulit. Nam paulo post ἄφωνος fit, cõuulsiones eum adoriũtur. Spuma in os cucurrit. Epilepticè cõuellitur. Mors. Mirũ fuit vnde tam repentinæ mortis occasio Licet enim difflari prohibeatur materia tertianam committens, non ita tamen sæua edit symptomata. Credibile est istud serum, eumque febrilem habitum qui è materia putrente effertur (licet febris ipsa, sit εὐήθης) malignum quid habere. Declarant dolores vehementes capitis, aut totius corporis &c. symptomata quæ tam cito assidere solent febribus etiam mansuetis, vt mirum non sit, si insolentem experientiam & imprudentem tam fatalis casus exceperit.

190. Alter febre tertiana laborabat. Medicus qui illi medebatur vt erat αἱμόφοβος, detractionem sanguinis neglexit. Quarto paroxysmo ruptis velut venis, & sanguinis repagulis, & facto impetu quodam in partibus internis, tanta foras sanguinis eruptio est consecuta, vt eo ipso die illi obeundum fuerit.

191. Vxor D. Bondenier varices magnos habebat in cruribus & tibiis. Temperamento est melancholico, adhibito super ea re consilio apertæ sunt venæ, detracta est sanguinis copia insignis. Ab eo tempore nullum commemorabile secutum est incommodum.

192. Virgo quædam dum humi cecidisset, & verita esset ne naturalia detexisset, præ pudore desiit esse menstrua. Patiebatur autem tunc menstrua. Verebatur vero ne quid istius impuræ excretionis apparuisset. An tam facilis suppresionis mensium causa, reuocato spiritu aliò, qui sanguinem ad partes conducebat.

193. Filius Clarissimi illius Budæi qui sui sæculi lumen extitit, horrendum symptoma passus est: eo sudante lintea cruentis maculis persperſa inuenta fuerunt. Et eo morbo interiit. Notat Arist. quosdam sudore cruento exudauisse. Et Theophr. ex Monade medico citat sudorem aliquando emanare cui similitudo insitum sanguine.

Cap. 19. l. 3. de hist. an.

194. Filio D. du Bois post eruptionem variolarum oborti dolores atrocissimi in brachiis & tibiis qui nullis cesserunt remediis: adhibito consilio super ea re emplastrum de ranis applicatur partibus dolentibus, breui conualuit. Id quod negligi non debet, ne tam facilis & ad manum parati remedij contemptus calamitatem ægris adferre videatur. Nam si dum vrgent dolores isti, si dum pars tumet ad suppurantia festines, corruptionis metus

maior

maior erit. Si in ſolis anodynis conſiſtas, opera fortaſſis ludetur. Et in tempeſtate quadam puſtularum & eruptionum ferinarum ferace oborti ſunt tumores & dolores in variolis & morbillis qui pueros miſerè necabant. Itaque cæteris nil proficientibus, in hanc itum ſententiam, vt Emplaſt. de Vigo cum hydrargyro applicaretur, aut litus lenis alis fieret ex Mercurio. Mirum in modum id remedij genus profecit.

195. In domo D. de Pacy cum hortus eſſet in quo geniſta luxuriaret, & parietes ferè floribus ornarentur ac veſtirentur, cœpit quoſdam deſiderium floribus vtendi & eſitandi, colligunt & ſartagine frigunt. Eſitant iucundiſſimè. Tribus poſt eſum horis, tumultus in ventriculo contigit, dolor capitis cum vertigine fugaci, nauſea, vomitus, & alui laxatio; ac ſi quoddam choleræ morbi rudimentum foret. Stupor, metus, admiratio. Quæ grauida erat verebatur de aborſu. Pauló pòſt pacata omnia. Vocatus, mirabar quid eſſet cur flores iſti, qui in vſu aceto condîti hyeme aſſeruari ſolent, tantam perturbationem attuliſſent. De his ſic Dioſcorides. Purgant per ſuperiora vehe-"menter Ellebori vice citra periculum flores geniſtæ & ſemi-"na. Quod obſervatione dignum eſt ne aut ciborum ignorantia, aut voluptate ducti in commoda valetudinis peccemus.

196. Quidam in ſura vulnus accepit, fluxit ſanguis multus, non tamen immodicè, vt ne ad fluxum ſanguinis referas. Id quod contigit. Ab eo tempore congredi non potuit, nec ſemen emiſit, ſaltem non arrexit ſufficienter. Id mirum fuit etiam peritis rei anatomicæ. Non videtur enim ratio cur vulnus eâ parte inflictum eam impotentiam adferat. An id Hip. fortè adumbrauit, dum ſcripſit ſectionem in malleolo infœcundos reddere? Sic aliquis partium conſenſus eſt, ſed is fortaſſis non intellectus.

197. Socrus D. Paſſart frequenter colico dolore tenebatur eóque valde crudeli. Ad hepar illud referebant. Ea videbatur mœſta perpetuo. Tandem incidit in febrem continuam. Dolor totam partem dextram penè occupabat. Ab iecore omnino id eſſe autumabant. Nulla re iuuari potuit. Nono icterus κατακορής. Mors: aperto cadauere cyſtis fellis lapillis plena reperta eſt. Hepar albicans.

198. Sectio inter annularem & minimum digitum ab antiquis credita eſt febrem quartanam ſoluere. Quædam 7. iam men-

ses quartanaria fuerat: Masilij Medici consilio secta est vena, detractusque copiosè sanguis. Febris iugulata est, sed annum ferè vnum manus tota veluti liuefacta mansit. Alter febre quartana diu laborabat. In tibiis vlcera maligna & telephia oboriuntur. Febris perseuerat. Arte remediisque communibus non curantur. Suspicio luis venereæ est, quòd medicabilia non redderentur. Tamen rebus diligenter expensis, & rogatis, nil venereum inuentum est. Non desierunt tamen Medici suadere vsum hydrargyri. Plantis pedum & femoribus applicantur ceronea de hydrargyro, & consimilibus. Prouocatur πτυαλισμός. Curantur vlcera, curatur & febris. An idem in contumacia febris quartanæ agere licet? Tamen narrat Fernelius obseruasse se quendam continenter afflictum, & lue venerea cum sordidis vlceribus, necnon quartana vera. Adhibiti litus & diæta solennis ad luem veneream, lue venerea est liberatus. quartana perseuerauit.

Lib. de Abditis rerũ causis.

199. Mercator quidam ferina destillatione in pulmones à capite iam vetere infirmitate prædito laborabat; nec solum caput accusabamus, sed & partium inferiorum intemperiem quandam, cui pariter consulendum putabamus. Postquam primarios Medicos consuluit, ijs visum est ex vsu esse lenientia, mitigantia, catarrhum compescentia, tandem nostro consilio incrassantiũ syruporum vsus visus est necessarius. Lutetiam venit tussiculosus, curis implicitus, debebat enim sistere se coram Senatu examinis ergo. Et cum hinc illinc animus curis agitaretur bene cœnatus, meminit istius superioris consilij. E pharmacopolio syrupum de papauere quærit. Eo copioso vsus est, tum ad catarrhi leuationem, tum ad somni conciliationem. Sed suæ imprudentiæ pœnas non longè post pependit. Obmutuit enim & ἄφρονος mansit per duas horas integras. Etiam valde agitatus vocem non recuperauit. Hinc apparuit febris ingens (nec enim antè ἀπυρετὸς erat. Sequentibus diebus veluti balbutiens & parum attonitus redditus est. Multorum obliuiscebatur, καταφορικὸς interijt. An vsus istius syrupi tantopere obfuit. An materia suppressa fuit quæ καταφορὰν inuexit? An bonum in catarrhis venenatis & subtilioribus dare narcotica? Annon dum symptomati occurrimus, causam, morbi fomitem adaugemus? Etenim in talibus fluxionibus fit quædã διάχυσις, & retinens de natura syntectica, & talis humoris suppressio

cum aliquid venenati habeat, perniciosa est. Commodè per halitum & sudorem exhalaret & digereretur, sed si idroticis vtimur, metus est ne corpus calescat, & humores commoueantur.

Nobilis mulier cum conceptum fallere vellet & foetum elidere, τὸ φϑόελον sumpsit ad provocandum sanguinem; & sui temerarii consilij pœnas pependit. Fluxus enim sanguinis est consequutus, erosis potius quàm apertis venis. Multo sanguine per sinum pudoris profuso, adeo refrixit omne genus neruosum, vt in summam imbecillitatem adductum sit. Hinc cruciatus articulares, immanes, modo quodam admirabili atque diuina vindicta orti. Membrorum contractio, squalor, macies, mors. Quæ immodica hæmorrhagia conuulsionem ab inanitione adfert, eadem articulares dolores excitare potest. 220.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS RERVM OMNIVM *insigniorum quæ continentur in hoc tertio Tomo Consultationum Medicinalium Dom. Gulielmi Ballonij, Doctoris Medici Parisiensis.*

ictero

Z.

Extrait du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à M. IACQVES THEVART, Docteur Regent en la faculté de Medecine en l'Vniuersité de Paris, & Medecin de la Royne Mere du Roy, de faire imprimer les Oeuvres de Medecine de M. GVILLAVME DE BAILLOV, iadis tres-celebre Docteur, Regent, Doyen, & ancien maistre de ladite Faculté de Medecine son oncle, par luy examinez, corrigez, & augmentez, & mis en bon ordre, auec defenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter lesdiçts Oeuvres dudit sieur DE BAILLOV, ensemblemẽt ou separément, sans le congé & permission dudit sieur THEVART, durant le temps & espace de dix ans, à compter du iour que lesdites Oeuvres seront acheuées d'imprimer; à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, & de mille liures d'amende, despens, dommages & interests enuers luy; nonobstant oppositions ou appellations quelconques, Chartre Normande, clameur de Haro, ou autre chose à ce contraire, ainsi qu'il est plus au long contenu en l'original. Donné à Paris le 18. Septembre mil six cens trente-quatre. Signé, par le Roy en son Conseil. RENOVARD, Et seellé du grand sceau de cire jaune.

Ledit sieur THEVART consent & accorde que IACQVES QVESNEL, marchand Libraire à Paris, iouysse du contenu au present Priuilege.

Ce 3. & dernier volume de Conseils est acheué d'imprimer pour la premiere fois le 15. Nouembre 1648.

Errata sic corriges.

PAge 3 lin.16.suadeat, pag 8.lin.19 lixiuium. Ead.pag 16.lin.34 imponantur,pag.10.lin 23.prehenderint,lin.vlt.ægri,pag.16 lin. 8 Ergo pag.22.lin. 28.fuliginosi,pag.23.lin.13. hinc lachrymæ,pag.25 lin.30 in facie,pag. 24.lin.14. multum,& lin.28.seri tenuis,& vlt.lin. langius,pag.35 lin.17.transeundus, pag. 37.lin. 26. mixtum aliquid, pag.40. lin.16. poeta, pag 41.lin. 6. serosum, & lin. 15. μελαγχολικῶς.pag 41 lin.24. καθολικός, & lin. 36.ἐθίσματα, pag. 43 lin 30.ἠθροισμένη,pag. 47.lin vlt.fibras,pag.49 lin 26.pro bonorumlege humorum pag.51 lin.12 Platoni,pag. 59.lin 9.borborysmi, pag 60 lin.19. alioquin,pag.61.lin.12. crassefactionem,lin.33 sed.pag.65 lin.22 in ventrem, pag.75 lin.8.larissæa,pag.77.l.15 fotum, pag. 80. lin. 10 & alibi sæpius pro scynæ lege Chinæ vel potius ad congruè loquendum leg.rad sinarum,pag.85 lin.27.Pugenses & borboniæ,pag.90 lin.14.scrotum, pag.95 lin.5. Hypocratico,pag.98.lin.4 populeoue,pag.100 lin 23.defæcatius, pag. 101 lin vlt.decerni, pag 102.lin.3 rad dictamni.pag.104 lin.112halicacabi,pag 109 lin 13. irriguus,pag 114.lin. 30.citrini,pag.123.lin.29.fluorem,pag.124.lin. 10. iua,pag 128.lin. 14. Peruuiano,pag.135. lin.15.hydragogum, pag.141.lin.12.Ischium Pag.144.lin.5.vsus,pag 179.lin.3. stranguriam, pag.182 lin.antepen.conseruæ,pag.192.lin.18 laborauit. Et in marg.omnis, pag.202. lin. 7. hydrargyri,pag. 208. in marg. vinum substantia neruosis partibus noxium, qualitate amicum,pag.212.in marg.apparet cum, pag.239 lin.4.fugitiuo,& lin. 2. & 5. Gonorrhœæ Gonorrhœam,pag.243. varices de genere eorum quæ, pag. 246.lin. 28. berberorum, pag. 247. lin. 4. tenui , & subfinem lin. testatur, pag. 250. lin. 6. dele integram, p. 255. lin. 15 auriginosorum,p.271.lin.antep.rebellante,pag.272.lin. 6. contactuque, & lin. 8. spica &, pag.286.lin.4. pede, pag. 317. lin. 14. meatus.

Cætera emendabit candidus Lector.

